

**LOS *SERMONES* DE DON MARTÍN GARCÍA,  
OBISPO DE BARCELONA. EDICIÓN Y ESTUDIO.**

(Volumen II)

TESIS DOCTORAL

Manuel Montoza Coca

Directoras: Cándida Ferrero Hernández  
y Mercedes García-Arenal Rodríguez  
Cultures en contacte a la Mediterrània  
Departament de Ciències de l'Antiguitat i de l'Edat Mitjana  
Facultat de Filosofia i Lletres  
Universitat Autònoma de Barcelona

2018



SERMO PRIMVS IN DOMINICA DE QVASI MODO, QVEM VIDE IN SERMONIBVS CONTRA HERETICOS ET INFIDELES, VICESIMVM SECVNDVM IN ORDINE FACTVM IN PVBLICATIONE EDICTI IVDEORVM. FOLIVM .LII.

SERMO SEPTVAGESIMVS NONVS ET SECVNDVS IN EADEM DOMINICA DE QVASI MODO

5 <THEMA> *Hec dies quam fecit dominus*, Psalmi centesimo decimo septimo.

Originaliter uerbum reperi quod assumpsi.

Vna de conditionibus ad gratiam impetrandam requisitis est considerare tempus uel dispositionem dantis, scilicet: quod illa persona que debet concedere sit hilaris et iocunda. Ratio huius est, quia gaudium, cum sit effectus charitatis, inclinatur ad subueniendum in necessitatibus. Et sic qui uolunt obtinere gratiam apud principem recurrunt ad aliqua festiuitate uel conuiuio ad illum. Exemplum Herodialis, Matthaei decimo quarto, cum uidisset Herodem letum et iocundum in conuiuio et filia saltasset coram discumbentibus, procurauit tunc ut illa peteret caput Iohannis Baptiste, et sic obtinuit. Cum igitur nos sine gratia nihil boni possumus impetrare, et illa tamquam a fonte sit a Deo, quia: *gratiam et gloriam dabit dominus*, Psalmi octogesimo tertio, et propter offensas et peccata nostra non audemus ire coram Deo, sed consuetudo est inuocare uirginem matrem peccatorum. Et licet semper sit parata ad interpellandum pro nobis, multo magis disposita est in diebus suorum gaudiorum. Ego autem inuenio quattuor diebus, in quibus ipsa fuit plena gaudio.

Prima dies fuit ipsius conceptionis, in qua habuit principium gaudium. Quia, ut dicunt aliqui contemplatiui, ipsa fuit gauisa in uentre matris. Et probatur hoc, quia quecumque gratia fuit communicata alicui pure creature, fuit perfectiori modo communicata uirgini, ut communiter conceditur ab omnibus, sed gaudere in uentre matris fuit communicatum Iohannis Baptiste, ut Luce primo, dixit mater sua: *exultauit in gaudio infans in utero meo*, igitur, etcetera. Fortificatur etiam ista ratio per Topicam Aristotelis: «si id quod minus uidetur inesse, inest, et id quod magis», etcetera. Sed Iohanni fuit communicata in quantum precursor Christi, igitur a fortiori uirgini, que fuit mater Christi. Item «propter unumquodque tale et illud magis», quia si cera recipit calorem ab igne, igitur maior calor est in igne, quia «nemo dat quod non habet». Sed Iohannes habuit hanc gratiam mediante uirgine, igitur a fortiori et uirgo, que fuit causa mediante qua. Hoc patet quia non habuit hanc dum uirgo erat in Nazareth neque in uia, sed dum salutauit Elisabeth, quia ipsa dicit: *ut uox ad aures uenit, exultauit infans in utero meo*. Ex quo patet quod licet hoc esset a filio Dei tamquam a fonte, qui erat uerbum Dei, uoluit tamen quod hoc fuisset mediante spiritu uirginis per uerbum uirginis salutando Elisabeth. Que autem fuerit hec salutatio et quibus uerbis non dicunt euangeliste, sed credendum est quod fuit: “aue”, dulcissimum uerbum quod habuit ab angelo.

Si autem dicis: habere usum liberi arbitrii in uentre est priuilegium Christi? Respondeo quod liberum arbitrium potest tripliciter considerari, quia est imperfectum, perfectum et perfectissimum, cum dependeat ab intellectu et uoluntate. Imperfectum est iuuenis; perfectum iam in homine; perfectissimum iam esset in aliquo uiro perfectissimo. Sic fuit in proposito, quia in Iohanne fuit imperfecte, in uirgine perfecte, in Christo perfectissime,

5: Ps. 117, 24. | 11: cf. Mt. 14, 6-8. | 14-15: Ps. 83, 12. | 23: Lc. 1, 44. | 31: cf. Lc. 1, 44.

24-25: cf. Arist. Lat., *Top.*, II, 10, 115a10, p. 221; cf. Boe., *De Diff. Top.*, II, PL 64, 1191A. | 26-27: cf. Alb. Mag., *Post. Anal.*, I, 2, 18, p. 66b; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 87, 2 ad 3, p. 623. | 28: cf. Ius., *Dig.*, L, 17, 54, p. 922.

12: Saltasset] M psaltasset.

quia fuit in Christo perfectiori modo et excellentiore. Nam naturaliter a primo instanti conceptionis et in superiori gradu perfectionis, unde dicit Hieremie capitulo tricesimo primo: *nouum creauit dominus super terram, femina*, id est, uirgo Maria, *circumdabit*, scilicet: in utero uirum, scilicet: perfectissimum, quod ceterae mulieres non faciunt. Hoc etiam apertius dicit Isaias: *quiescet super eum spiritus domini*, etcetera. Vnde dicit Augustinus, scilicet: «uirga est uirgo Maria, flos est Christus», qui Christus in uentre matris erat fructus, de quo dicit Elisabeth: *benedictus fructus uentris tui*. Igitur cum flos sit principium fructus, notauit quod septem dona spiritus sancti plenissime et perfectissime fuerunt in illo in primo instanti conceptionis, que in ceteris non fuerunt. Vnde tardius fuit in Iohanne et imperfectius; citius iam in uirgine et perfectius quam in Iohanne; in Christo citissime et perfectissime in primo instanti. Et hoc uoluit dicere Zaccharias propheta in capitulo sexto dicens de Christo: *ecce uir oriens nomen eius*. Quasi dicat: fuit uir perfectissimus in oriente suo, id est, in primo instanti conceptionis. Et hoc fuit naturale in Christo, in uirgine autem ex priuilegio, scilicet: ex gratia. Fuit autem continuatum hoc gaudium in uirgine, quia cum sancti de conceptione sua fuerint diuisi, aliqui dicentes quod solus Christus conceptus fuit sine peccato, alii uero dicentes quod etiam uirgo fuerit concepta sine peccato. Et fundabant intentionem suam primi dicentes quod hoc solum Christo conueniebat propter excellentiam suam. Ceteri uero dicebant quod etiam uirgini conueniebat hoc propter dignitatem suam, quia, ut magister, non notaretur aliqua macula peccati. Et sic tractu temporis fuit per spiritum sanctum hoc determinatum. Quod primi dicentes quod solum Christo conueniebat uerum dicebant, quia naturaliter soli Christo conueniebat esse sine peccato, nam peccatum est quod separat a Deo, unde Isaie quinquagesimo nono dicit: *iniquitates uestre diuiserunt inter Deum et uos*. Sed ille homo unius diuinitati maxima unione et nunquam separatus a diuinitate, quia: «quod semel assumpsit nunquam dimisit». Clarum est quod naturaliter non potuit habere peccatum. Virgo uero Maria potuisset peccare si non fuisset preuenta a Christo mediante gratia. Et sic patet quod fuit solum naturaliter hoc in Christo, in uirgine uero ex priuilegio, quia priuilegium est priuans legem. Et sic uirgo Maria fuit exempta ab illa lege omnes in Adam peccauerunt, scilicet: preseruata mediante gratia, quod fuit eius priuilegium a Christo. Et sic determinata questione a spiritu, scilicet: pro parte uirginis Marie, licet semper sit parata subuenire peccatoribus, tamen illa die conceptionis est paratissima propter maximum gaudium suum.

Secunda dies fuit natiuitas uirginis Marie, in qua fuit iam maius gaudium, quia cum habuisset uirgo principium gaudii in utero matris, ut probatum est, in die natiuitatis sue habuit perfectius gaudium, cum habuerit perfectiorem naturam in die natiuitatis. Vnde sicut in natiuitate principisse non solum gaudet rex, sed tota curia, sic in natiuitate uirginis gaudium habuit totus mundus, ut pater eternus habuit gaudium, quia per quinque milia annorum et plus regnum celorum fuerat sine regina, tunc nouiter habuit reginam. Filius Dei etiam letatus fuit, quia nata erat illa uirgo ex qua carnem et lac, etcetera, recipere debebat tamquam a uera matre. Spiritus sanctus habuit gaudium, quia natum erat tabernaculum in quo inter puras creaturas perfectius requiesciebat. Angeli etiam gauisi fuerunt, quia reparatrix sui ruine nata erat. Totius etiam mundus habuit gaudium maximum, quia ut dicit Theophilus, sol naturalis dedit perfectissimam lucem illa die quam in ceteris. Et hoc est quod cantat ecclesia: «natiuitas tua, Dei genitrix uirgo, gaudium annuntiauit uniuerso mundo», quia illa lux solis significare uoluit quod illa erat nata, que lucem mundo dare

43: Ier. 31, 22. | 45: cf. Is. 11, 2. | 47: cf. Lc. 1, 42. | 51-52: Za. 6, 12. | 62: Is. 59, 2.

45-46: cf. Aug. Hipp., *De Symb. Ad Cat.*, III, 4, 4. PL 40, 655A. | 63-64: cf. Petr. Lom., *Sent.*, III, 22, 2. PL 192, 803CD; cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, III, 27. PG 94, 1098AB. | 82: Theophilus] NI. | 83-84: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Resp. sive Anti. de Nat. S. M., ad uesperas. PL 78, 802B.

65: Mediante] X mediente.

85 debuit, et etiam quod illa erat qua mediante peccatores illuminati ad illud lumen eternum peruenire debebant.

Tertia dies fuit annuntiationis, in qua iam fuit maius et perfectius gaudium quam in predictis diebus, quia fuit maior legatio quam fuit et speratur in uniuerso mundo, nam a  
90 tota trinitate mediante angelo, qui duxit uirgini maius donum quam dari potuit, scilicet: esse matrem Dei. Et ideo dixit uirgo: *exaltauit spiritus meus in Deo salutari meo*, Luce primo.

Quarta dies fuit natiuitas filii, que fuit etiam cunctis gaudium magnum. Nam licet uirgo Maria certissima esset quod haberet filium Dei in utero, sed desiderabat faciem eius splendidam uidere, quam *desiderabant angeli uidere*, ut dicit Petrus, prima Petri primo, quem: «ut peperit, adorauit». Quod hec dies fuerit maximum gaudium patet quia pastoribus dicit  
95 angelus: *euangelizo uobis gaudium magnum*, Luce secundo. Item in predicta die solum legitur de uno angelo, in ista uero: *facta est multitudo angelorum psallentium et dicentium: "gloria in altissimis Deo et in terra pax"*, etcetera. Figuratum fuit hoc in principio creationis, Genesis primo. Nam dicunt doctores quod principium recreationis mundi debuit correspondere principio  
100 creationis, quia in principio creauit Deus quandam nubeculam lucidam, ut dicit Magister in secundo Sententiarum, distinctione decima tertia. Et ibi omnes doctores. Mediante enim illa nubecula facta fuerunt tres dies. Quarta uero die factus fuit sol ex illa. Sol uero significabat Christum. Malachie quarto habetur de Christo: *uobis timentibus nomen meum orietur sol*, scilicet: messias uenturus. Nubes illa figurabat uirginem, quod patet ex tribus, scilicet: ex materia, ex  
105 forma et ex effectum.

Ex materia uero, quia ut dicit sanctus Thomas in secundo, distinctione decima tertia, articulo quarto; et in prima parte, questione sexagesima septima, quarto, illa nubes non fuit uera nubes, sed quo ad similitudinem, quia nubes fiunt ex materia corrupta istorum inferiorum, illa uero non fuit nisi de materia celesti, que: «non suscipit peregrinas  
110 impressiones istorum inferiorum», secundum Philosophum. Sic materia uirginis nullam suscepit materiam peccati.

Secundo, quo ad formam accidentalem, quia ut dicit Rabanus in libro De Vniuerso, illa nubes habuit lumen et non calorem. Sic uirgo Maria habuit lucem gratie, sed non calorem redemptionis uniuersi, quia filius eius fuit redemptor et non ipsa. Vnde Christus dixit: *ego sum lux mundi*, Iohannis octauo. Quod autem haberet calorem dicit ipse: *ignem ueni mittere in terram, quid uolo nisi ut ardeat?* Luce duodecimo. Et sic cum totus mundus esset frigidus per peccatum Ade, Christus calefecit illum mediante calore spiritus sancti.  
115

Tertio, patet quod nubes figurabat uirginem quo ad effectum, quia sicut ex illa nube factus fuit sol, sic ex uirgine factus fuit homo Christus. Vnde de ea cantat ecclesia: «ex te enim ortus est sol iustitie Christus Deus noster», etcetera. Patet igitur quod tres dies primi facti fuerunt mediante nube, scilicet: uirgine; quartus uero mediante sole, scilicet: Christo. Tres primi dies figurabant tres excellentias uirginis, quia in prima die facta est lux, in secunda firmamentum, in tertia uero congregate aque in unum.  
120

Prima igitur fuit conceptio lucida mediante gratia.

---

90: Lc. 1, 47. | 93: I Pt. 1, 12. | 95: Lc. 2, 10. | 96-97: cf. Lc. 2, 14. | 97: cf. Gn. 1. | 102: Mal. 4, 2. | 113-114: Io. 8, 12. | 114-115: Lc. 12, 49.

94: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, in ev. PL 78, 746D. | 99-100: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 13, 2. PL 192, 678A. | 105: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 15, q. 1, a. 4, p. 652; *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 67, a. 4, p. 472. | 108-109: cf. Auctor. Arist., *Met.*, I, 5, (341a17-23; 35-36), p. 171; *De Cael. Et Mun.*, I, 17, 270a27-35, p. 160. | 111: cf. Hrab. Mau., *De Vni.*, IX, 17. PL 111, 276AB. | 118-119: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, in Ev. PL 78, 802C.

125 In secunda fuit confirmata gratia, ut non posset perdere. Et sic dicit firmamentum esse factum.

130 Tertia uero in illa fuerunt congregatae omnes gratiae et uirtutes, unde dicit spiritus sanctus: *congregationes aquarum appellauit maria*. Et non dixit “mare”, cum in principio creationis non esset nisi unum mare, scilicet: oceanum, quia ut dicit sanctus Thomas super Psalmum decimo septimo, quod diuisa fuit Hispania ab Africa mediante terremotum, quia per diuisionem in stricto illo intrauit aqua et fecit mare Mediterraneum, quod ante non erat. Et sic dixit “maria” et non “mare”, nam locus in quo congregande erant aquae gratiarum dicendus erat “maria”. Vnde maria et Maria habent easdem litteras, sed differunt in accentu, quia in uno est accentus longus et in alio est accentus breuis, nam in uirgine fuerunt breuiter posite et mediante illa erant extendende in mundum. Et sic patent tres  
135 predicti dies uirginis Marie.

Quarta uero dies fuit solis, scilicet: natiuitatis Christi, que fuit in die dominica, ut dicit Nider in suo Preceptorio. Et sic dies dominica dicitur dies solis ab omnibus astrologis, que fuit uere dies. Nam dies est latitudo solis super terram. Et sic uerus sol, scilicet: Christus, apparuit super terram.

140 Et sic si queris que istarum dierum est magis commoda et apta ad gratiam impetrandam, dico quod *hec dies quam fecit dominus*. Igitur in hac sacratissima die dominica recurramus ad uirginem dicendo ei: aue Maria, etcetera.

<THEMA> *Hec dies quam fecit dominus*, ubi supra.

145 Due sunt uidenda in presenti sermone. Primum: a quo est abstinendum in diebus dominicis et solemnibus. Secundum: quid in illis facere debemus.

150 Primo, igitur ut dicunt doctores in tertio Sententiarum, distinctione uicesima septima: «debemus abstinere ab omni opere seruilis». Opus autem “seruile” dicitur quod conuenit seruis. Vnde Richardus dicit, ubi supra, quod cum in homine anima sit libera et domina, corpus uero seruus ipsius, ea que pertinent corpori sunt seruilia, ea uero que pertinent anime sunt libera. Sed aliquando si illud quod conueniebat anime ordinatur ad corpus, dicitur “seruile” ratione finis, quia: «moralia a fine denominantur», ut dicit Philosophus quinto Ethicorum. Nam qui luxuriatur propter pecunias, non dicitur “luxoriosus”, sed dicitur “auarus” ratione finis. Et sic si sacerdos dicit missam, ut habeat unum solidum pro cibo, ille talis exercet opus seruile, quia solum ordinatur ad corpus, et non solum frangit  
155 festum, sed committit symoniam, ut dicit sanctus Thomas secunda secunde, questione centesima, articulo secundo; et in quarto, distinctione uicesima quinta, questione quinta. Si etiam accipit corporale dirigens illud ad seruitium Dei non frangit festum, ut dicit Christus de circumcisione, Iohannis septimo. Hec autem seruilia continentur in septem artibus mechanicis, que sunt: «agricultura, lanificium, armatura, nauigatio, uenatio, medicina et  
160 theatra». Ad has artes reducuntur omnia officia seruilia que pertinent ad corpus et inter omnia seruilia maxime seruile est officium peccandi. Igitur, si in solemnitatibus precipit Deus ut abstineamus ab his, que aliquando erant licita, si non essent in solemnitatibus facta,

127: cf. Gn. 1, 10. | 141-143: cf. Ps. 117, 24. | 158: cf. Io. 7, 23.

128: cf. Th. Aq., *Sup. Psal.*, XVII, 6, p. 68. | 137: cf. Io. Nid., *Precep.*, III, 1, p. 219. | 147: cf. Petr. Lom., *Sent.*, III, 37, 2. *PL* 192, 831D; cf. Aug., Hipp., *De Sp. Et Lit.*, XV, 27. *PL* 44, 218A. | 148: cf. Ric. Med., *Sup. Sent.* (vol. 3), III, dist. 37, a. 2, q. 4, p. 451. | 151: Philosophus] cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 6), lib. 3, dist. 29, q. 1, a. 8, p. 446. | 155: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 100, a. 2, p. 627; *Sup. Sent.* (vol. 9), lib. 4, dist. 25, q. 3, a. 2, qc. 1, p. 156. | 159-160: cf. Hug. Vic., *Erud. Did.*, VI, 14. *PL* 176, 810A.

igitur multo magis abstinere debemus ab his que nunquam fuerunt licita, ut est peccare. Quod autem istud sit magis turpe et seruile patet tripliciter.

165 Primo, quia aliquod officium dicitur magis seruile propter turpitudinem in se et utilitatem. Et sic est actus peccandi.

Secundo, dicitur magis uile propter utilitatem persone cui seruit. Et sic, cum in peccato seruiamus demoni, qui est inimicus Christi et humane nature, sequitur, etcetera.

170 Tertio, dicitur officium magis seruile quod est magis laboriosum, ut seccare ligna. Et sic officium peccandi est magis laboriosum, quia maiorem laborem accipit latro in furando quam si faceret opus licitum. Et non solum habet laborem in committendo peccatum, sed etiam in satisfaciendo pro peccato, quia committendo peccatum in solemnitatibus facit duplex peccatum. Et sic in confessionem debet duplicem penitentiam recipere, quia confitendo debet dicere confessori: “ego comisi tale uel tale peccatum in dominicis diebus et solemnitatibus”.

175 Si autem queris: utrum aliquod seruile posset fieri in ipsis solemnitatibus sine peccato? Respondeo quod sic, in maxima necessitate. Quia ut habetur De Consecratione, distinctione prima, capitulo “Sicut non”, dicitur quod necessitas non habet legem. Est autem in nobis triplex necessitas. Prima, quo ad animam, secunda, quo ad corpus, tertia, quo ad bona exteriora.

180 Quo ad animam potest aliquando quis facere opus seruile quando dirigitur ad seruitium Dei, ut ille qui uadit de deserto ad ciuitatem ut audiat missam uel sermonem, quod antea facere non potuit.

185 Secundo, ex parte corporis. Et sic medicus excusatur et apothecarius, etcetera. Et non solum medici hominum, sed etiam animalium, unde dicit Christus, Luce decimo quarto: *cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadens, non continuo extrahet illum die sabbati*. Et sic de necessitate anime et corporis dixit Iesus: *totum hominem*, scilicet: quo ad animam et corpus, *sanum fecit in sabbato*, Iohannis septimo.

190 Tertia necessitas est bonorum exteriorum, sine quibus uiuere non possumus. Et in tali necessitate rusticus potest frumentum colligere et in area purgare, etcetera, si imminet aliqua tempestas, etcetera. Hoc autem habetur extra De Feriis, capitulo “Licet”. Sed debet hoc fieri cum tribus conditionibus.

Prima non facere hoc in maximis solemnitatibus. Non in prima die pasche, nam preponderare debet festiuitas necessitati.

195 Secunda non multum laborare in illa die ac si non esset festiuitas, sed accipere partem diei et non totam.

Tertia supplere hoc in aliquo equiualentem, ut in pauperibus uel in ecclesiis, in quibus clerici pro eo orant dum ipse laborat.

200 Si autem dicis: quanta necessitas requiritur ad hoc, ut in illis diebus laborare possimus? Respondeo quod non potest certa regula dari, sed remittitur ad arbitrium boni uiri. Et sic

---

186: Lc. 14, 5. | 187-188: Io. 7, 23.

178: cf. Gra., *Deer.*, III, 1, 11. PL 187, 1709B. | 191: cf. Gre. IX., *Deer.*, II, 9, 3, col. 271.

quilibet bonus christianus debet attendere si est tanta necessitas uel non. Et cum nullus sit bonus iudex in propria causa, debet dicere in confessione: “ego aliquando laboraui in festiuitatibus cum aliqua necessitate. Et si forte non fuit tanta necessitas, sum paratus aliquam penitentiam recipere”. Et hoc quo ad primum.

205 Secundo, est uidendum quid debemus facere in illis festiuitatibus. Respondeo: sicut in uespere festiuitatis quilibet numerat quid in illa hebdomada lucratus fuit, sic in principio festiuitatis debet numerare quid in conscientia perdidit. Et ut dicit Cancellarius Gersonus in Tripartito suo, debet recurrere in conscientia sua in quo peccauit quolibet die hebdomade, et facere tria:

210 «primo, dicere: “domine Deus”, sic, uel sic: “contra tuam bonitatem peccaui, quod mihi multum displicet, quia tuam maiestatem offendi, nam totus es uenerandus et colendus et doleo amare quod mandatum tuum transgressus sum. Parce mihi, domine, supplico”.

215 Secundo, debet dicere peccator: “domine, bonum et firmum habeo propositum et desiderium tuo iuamine mediante mihi in futurum precauendi, ne incidam in peccatum, et occasiones iuxta possibilitatem uirium euitandi”.

220 Tertio, debet dicere: “domine, bonam habeo uoluntatem peccatorum meorum confessionem integraliter faciendi pro loco et tempore secundum tuum, et sancte matris ecclesie mandatum et preceptum”. Has tres ueritates, si quis sincere et non fecte aut mendaciter ex corde pronuntiauerit, securus existet se in salutis et gratie statu consistere, et uitam eternam mereri quamuis omnia crimina commiserit. Si etiam talis absque alia confessione continuo discesserit in absentia sacerdotis dormiendo aut alio quouis modo morte subita preuentus, ille finaliter saluaretur acerbissima pena purgatorii mediante». Hec Cancellarius predictus. Concordat autem cum isto Scotus in tertio, distinctione uicesima septima, ubi dicit quod quilibet christianus tenetur ex precepto ad Deum actualiter diligendum et honorandum: «et cum sit preceptum affirmatiuum, non obligat ad semper et pro semper, sed ad certum tempus». Et uidetur Scoto quod hoc sit diebus festis, itaque omni die festo et potissime diebus dominicis et principalibus festis teneatur se homo recolligere et Deum super omnia actualiter diligere, et hoc determinat illud mandatum: *sabbata sanctifices*. Et quia etiam non in toto sabbato ecclesia determinat horam et specificat hoc quantum ad missam audiendam die dominica, De Consecratione, distinctione prima, capitulo “Missas”. Debet etiam quilibet christianus audire totam missam integram attente et deuote. Totam dico, scilicet: audire missam maiorem, nisi aliquod conueniens impedimentum haberet. Attente dico, cum maxima deuotione flexis genibus dum sacra eleuantur et eleuatis manibus et oculis in Deum. Non sicut faciunt agareni, qui prostrantur in terram, ut porci, nec sicut faciunt iudei mouendo capita sua, quod est contra contemplationem, unde Dauid in Psalmo quadragesimo sexto dicit: *omnes gentes plaudite manibus*. Et in Psalmo octogesimo septimo dicit: *tota die expandi ad te manus meas*. Et Salomon, tertio Regum octauo, postquam perfecit templum domini fecit orationem deuotam ad Deum et: *expandit manus suas in celum dicendo: “domine, Deus Israhel”*, etcetera. Et Paulus Apostolus ad Ephesios tertio dicit: *flecto genua mea ad patrem*, etcetera. Item Christus dedit nobis exemplum dum ascenderet in celum, quia: *eleuatis manibus ferebatur in celum*, Luce ultimo. Et sic patet quod debemus deuote adorare, non solum in missa, sed etiam dum pulsatur campana in eleuatione corporis domini, licet absentes fuerimus extra ecclesiam.

229: cf. Ex. 20, 8. | 236-237: Ps. 46, 2. | 237: Ps. 87, 10. | 239: III Rg. 8, 22-23. | 240: Eph. 3, 14. | 241: cf. Lc. 24, 50-51.

210-222: cf. Io. Gers. (vol. 1), *Trip.*, XVI, col. 439-440. | 225-226: cf. Dun. Scot., *In Lib. Sent.* (vol. 15), III, dist. 37, q. 1, p. 837. | 230-231: cf. Gra., *Decr.*, III, 1, 14. PL 187, 1710A.



245 Sed forte queres: cum dies sabbati sit conuersa in dominica, quare non seruatur dies dominica, sicut in ueteri lege seruabatur dies sabbati abstinendo a multis operibus, a quibus non abstinemus in die dominica? Dico quod hodie non debemus abstinere in die dominico ab illis operibus que in die sabbati antiquitus abstinebamus. Et ratio est quia obseruatio sabbati fuit figuralis. Figura autem pertinet ad protestationem ueritatis, quam ueritatem nec in modico preterire oportet. Et ideo fuit sabbatum tam stricte obseruandum ut figura  
250 corresponderet ipsi rei. Obseruatio autem dominice non est figuralis, cum non significet futurum, sed est commemoratio preterite resurrectionis Christi et representatio presentis quietis animarum, quam nunc habemus per Christi mortem.

Et sic, qui hodie seruaret diem dominicam cum illis cerimoniis sabbati esset hereticus, quia significaret quod non dum Christus mortuus est, nec quieuit in sepulchro, nec  
255 resurrexit, quod esset falsum. Ex quibus patet quod hodie in hac ciuitate non solum frangitur festum in illis rebus que aliquando sunt licite, sed etiam in illis que nunquam fuerunt licita, ut in choreis, conuiuuiis inhonestis et ludis, ubi blasphematur Deus et uirgo Maria. Vnde Augustinus libro De Decem Cordis dixit: «melius», id est, minus, «malefaceret quis in agro suo aliquid utile quam in teatro sediciosus existeret. Et melius facerent femine lanam earum in die solemni quam tota die in nehomentis suis impudice saltarent».  
260

Et sic qui talia faciunt in die iudicii amaram sustinebunt penam. Et christiani qui in solemnitate deuote audiunt missam et sermonem, non solum hic habebunt et recipient gratiam, sed etiam in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

258-260: cf. MF. Aug. Hipp., *Serm.*, IX, 3, 3. PL 38, 77A.

260: Saltarent] M psaltarent.

SERMO PRIMVS IN DOMINICA SECVNDA POST PASCHA, QVEM INVENIES SECVNDVM  
CONTRA HERETICOS ET INFIDELES. FOLIVM .III.

SERMO SECVNDVS IN EADEM DOMINICA SECVNDA POST PASCHA, QVEM INVENIES  
SIMILITER TRICESIMVM CONTRA INFIDELES AGARENOS ET PRO CONVERSIONE ILLORVM.  
5 FOLIVM .LXXII.

SERMO OCTVAGESIMVS IN DOMINICA TERTIA POST RESVRRECTIONEM DOMINI NOSTRI  
IESV CHRISTI CORAM ALTISSIMO REGE FERDINANDO

<THEMA> *Deum timete et regem honorificate*, prima Petri secundo capitulo.

10 Originaliter recitatiue autem in epistola dominice occurrentis thema scribitur presens,  
etcetera.

15 Sententia est doctorum theologorum quod ordo ille excellentissimus, qui a Deo fuit in  
mundo datus, fuit deordinatus in hoc quod creatura recessit a timore domini. Ratio huius  
est, ut dicit sanctus Thomas, secunda secunde, questione decima nona, nono ad quartum,  
quod: «donum spiritus sanctus, quod dicitur timoris, datur contra superbiam». Et sic, illo  
15 stante, nulla potest esse superbia. Sed cum inordinatio totius mundi facta fuerit per  
superbiam, clarum est quod per absentiam timoris mundus fuit deordinatus. Deordinatio  
autem totius mundi facta fuit in celo, quia primus angelus dimissa Dei timore peccauit per  
superbiam, et tertia pars stellarum, scilicet: angelorum, secuta fuit eum per eandem causam,  
ut habetur Apocalypsis duodecimo. Item deordinatio in hoc mundo inferiori facta fuit per  
20 superbiam dimisso timore Dei. Nam Eua habuit precepta timoris, unde illi et Ade fuit  
dictum: *in quacumque hora comederitis, morte moriemini*. Sed dum demon dixit illi: *nequaquam  
moriemini*, dimisso timore domini, credidit demoni et sic peccando ordinem uniuersi  
destruxit. Sic et Adam plus timuit contristari suam mulierem quam Deum, et sic  
comedendo peccauit et totum ordinem uniuersi perdendo gratiam dissipauit.

25 Sed forte dices: quomodo est timor Dei contrarius superbie, cum humilitas sit contraria  
superbie? Dicendum quod, ut dicit sanctus Thomas eodem loco, timor domini est  
principium humilitatis et sic etiam contrariatur superbie. Exemplum in lancea. Clarum est  
quod ferrum non est lancea, sed est causa et principium lancee. Et sic lancea non intraret  
corpus nisi prius aperiret ferrum et illius causa intraret hasta. Et sic non solum hasta, sed  
30 ferrum est contrarium inimico. Sic in proposito, etcetera. Fuit autem mundus inordinatus  
quo ad tres partes illius, de quibus loquitur Apostolus ad Philippenses secundo: *in nomine  
Iesu omne genu flectatur celestium, terrestrium et infernorum*. Et sic omnes iste tres partes mundi  
fuerunt deordinate.

35 Primo, celum, nam: «fuit creatum et mox angelis repletum», ut dicit Strabo. Et sic  
separatis angelis illis a timore domini, remanserunt cathedre illorum uacue. Et sic celum fuit  
inordinatum et separatum et priuatum a suo ordinem, quem habuit in creatione.

Sic etiam infernus, nam ille locus erat factus ut peccatores detineret, ut carcer est factus  
pro reis et malis. Sed postposito timore Dei, etiam sanctos detinebat, ut patet de  
sanctificatis, ut fuit Hieremias, Iohannes Baptista, etcetera.

---

8: I Pt. 2, 17. | 19: cf. Apc. 12, 4. | 21-22: Gn. 3, 4-5. | 31-32: Phil. 2, 10.

14: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 19, a. 9, p. 126. | 26: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 19, a. 9, p. 125. | 34: cf. Wal. Str., *Glb. Ord.*, Gn., 1, 2. PL 113, 69C.

4: Tricesimum] M trigeesimum. | 30: Contrarium] M contrariam.

40 Tertio, fuit separatus a suo ordine hic mundus in quo habitamus, nam ante peccatum erat omnia in pace, nec in ipso erant furta nec homicidia, etcetera. Sed immediate postposito timore Dei, Cain interfecit fratrem suum Abel, etcetera.

Et sic Deus uoluit iterum ordinare uniuersum. Et sicut deordinatio facta fuit, ut diximus, mediante prima regina, sic uoluit quod totum ordinaretur mediante alia regina et  
 45 excellentiore prima. Nam mediante ista secunda debuit ordinari quidquid alia deordinauerat, scilicet: hic mundus inferior, et etiam amplius, scilicet: celum. Et sic oportuit habere maiorem potentiam et uirtutem quam Eua, nam Eua et Adam non habuerunt dominium nisi super omnia animalia, unde Genesis primo dixit eis dominus: *dominamini piscibus maris et uolatilibus celi*. Et sic dicit sanctus Thomas quod homo in statu innocentie non habuisset  
 50 dominium seruile super homines nec super angelos, prima parte, questione nonagesima sexta; et secundo, distinctione quadragesima quarta, questione prima, tertio, obiectione. Sed hec secunda regina, scilicet: uirgo Maria, fuit regina et domina non solum hominum, sed etiam angelorum, unde angeli dixerunt ei: «regina celi, letare», etcetera, et ecclesia cantat de ea dicens: «aue regina celorum, aue domina angelorum», etcetera. Et sic mediante ista  
 55 uirgine fuerunt ista tria reformata et ordinata.

Primo, celum, nam in illo sedes uacue fuerunt replete. Fuit autem istarum sedium triplex differentia, nam a principio mundi fuit una sedes posita in celo pro redemptore in quantum homo, de qua habetur Apocalypsis quarto, ubi dicit Iohannes quod: *sedes posita erat in celo*, scilicet: a principio creationis. Et dicit quod *qui sedebat in ea erat similis lapidis iaspidis et sardinis*.  
 60 Comparat sedentem in throno duobus lapidibus pretiosis, nam redemptor habebat duas naturas, scilicet: diuinam et humanam. Et sic iaspis significat naturam diuinam quo ad colorem, nam habet colorem celestinum tendentem in uiridum. Tamen multos habet inter medios colores. Tot enim creditur habere uirtutes quot habet diuersas uenulas et colores, ut dicit Dioscorides: «inter pericula facit hominem tutum, maleficiis et incantationibus resistit»; ut dicit Aristoteles, clarificat uisum, et dicit quod si quis habuerit iaspidem uiridem  
 65 crucem habentem ferens ipsum non mergitur nec periclitatur. Vnde Galenus dicit hunc lapidem in digito portasse, et dicitur quod ualet contra omnes inimicos, et secundum has proprietates significat deitatem. Item lapis sardinis notat humanitatem, quia est coloris sanguinei, et sic habetur Genesis quadragesimo nono: *lauabit in uino stolam suam et in sanguine uue pallium suum*. Item Isaie sexagesimo tertio: *quare rubrum est indumentum tuum*, etcetera? Item Apocalypsis primo: *lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Vnde dicit Albertus quod: «lapis sardinis est compositus ex duobus lapidibus, scilicet: ex sardo et onice». Sic humanitas in Christo constabat ex anima et corpore. Hic lapis facit humilem, pudicum et castum, que conueniunt homini Christo. Vnde dicit Albertus quod: «ex proprietate sardi  
 75 habet quod sic se habet ad tabulas ligni sicut magnes ad ferrum et ita adheret fortiter tabulis nauium in mari, ut a tabulis euelli non possit nisi abscindatur cum ipso ea pars tabule cui adheret». Sic Christus uoluntarie et cum maxima charitate adhesit ligno crucis. Et sicut iaspis, qui notat diuinitatem, habens crucem, ut diximus, expellit demones et facit hominem tutum, etcetera, sic Deus fecit hoc mediante cruce. Et sic patet quod hec sedes posita in  
 80 celo recepit perfectionem et complementum sedentis mediante uirgine Maria dando filium pretiosum Iesum Christum. Cum remansisset uacua per annos quinque milia ducentos triginta tres, nam hec sedes fuit repleta in die ascensionis domini, etcetera, item fuit a

48-49: Gn. 1, 28. | 58-59: Apc. 4, 2-3. | 69-70: Gn. 49, 11. | 70: Is. 63, 2. | 71: Apc. 1, 5.

49: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 96, a. 1, p. 684; *Sup. Sent.* (vol. 4), lib. 2, dist. 44, q. 1, a. 3, p. 1080. | 53-54: cf. Anti. B. M. V. | 64-65: cf. Diosc., *De Mat. Med.* (vol. 1), V, c. 149, p. 818; cf. Petr. Ber., *Reduct.*, XI, c. 84, p. 444. | 65: Aristoteles] *Nl.* cf. Rog. Bac., *Secr. Secret.*, pp. 174-175. | 66: Galenus] *Nl.* | 72-77: Alb. Mag., *Min.*, II, 2, 17, p. 45a.

63: *Post* 1<sup>o</sup> colores M *add.* idem. | 65: 1<sup>o</sup>Dicit] M dicit.

principio mundi alia sedes in celo pro regina mundi parata, de qua habetur tertio Regum  
 secundo, ubi habetur quod, cum iam esset Salomon in throno regni sui: *ueniente ad eam*  
 85 *Bersabee, matre sua, surrexit rex in occursum eius adorauitque eam et sedit super thronum suum*  
*positusque est thronus matri regis, que sedit ad dexteram eius.* Hoc predixerat pater suus Dauid in  
 spiritu ante in Psalmo quadragesimo quarto dicens: *astitit regina a dextris tuis*, etcetera. Hoc  
 autem fuit impletum in die assumptionis uirginis Marie, quando exiuit in occursum suum  
 90 filius uerus Salomon Christus et in throno iam ad dexteram posito fuit mater uirgo  
 collocata. Et sic sedes per ipsam fuit impleta mediante filio suo Christo. Tertio, fuerunt  
 reparate sedes uacue angelorum (qui ceciderunt) principaliter per Christum, sed mediante  
 uirgine Maria.

Secundo, fuit ordinatus infernus, nam captiui sancti patres in illo detenti fuerunt liberati,  
 unde Zaccharie nono habetur: *tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti uinctos tuos*, scilicet:  
 95 sanctos, *de lacu, in quo non est aqua*, scilicet: gratie uel glorie, etcetera. Hoc autem per  
 Christum filium Marie, sed ipsa mediante, que illum sanguinem ipsi communicauit.

Tertio, fuit ordinatus mundus iste hac mediante, nam deordinatio in ipso fuit quod  
 prima regina, scilicet: Eua, fuit uacua a gratia, et ipsa mediante fuit uacuuus totus mundus.  
 Sed ordinatio fuit econuerso, scilicet: quod hec secunda regina fuit plena gratia, ut dixit illi  
 100 angelus: *uee gratia plena*. Item ista mediante recepit totus mundus gratiam perditam. Ideo  
 angelus dixit ei: *inuenisti gratiam*, etcetera, unde Bernardus: «inuenisti gratiam quam nullus  
 ante inuenire potuit. Quam gratiam? Dei et hominum pacem, mortis destructionem, uite  
 reparationem». Et sic patet quod celum, infernus et mundus fuerunt mediante uirgine  
 reordinata. Ideo dicit Bernardus de uirgine Maria: «per te, uirgo beata, celum impletum est  
 105 quo ad sedes uacua, infernus euacuatus, instaurate ruine celestis Hierusalem, quo ad  
 secundum, spectantibus miseris in hoc mundo, uita perdita data», scilicet: gratie, quo ad  
 tertium. Sicut igitur a uirgine accepit carnem pro totius mundi redemptione, sic illi uoluit  
 dare gratiam pro toto mundo, unde Ambrosius super Lucam dicit: «non mirum si dominus  
 redempturus mundum operationem suam, tunc inchoauit a Maria, ut per quam salus  
 110 omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore». Nam sicut uoluit  
 non sola misericordia, sed mediante iustitia saluare homines, ut nos magis illi obligaret, sic  
 uoluit etiam pretium redemptionis non a Maria accipere, sed emere. Et sic accepit carnem  
 et dedit illi gratie plenitudinem. Sed cum Eua non solum perdidit gratiam pro toto mundo,  
 sed ipsa perdidit priuilegium illi concessum, scilicet: quod ea mediante gratia ueniret ad  
 115 omnes ex Adam descendentes mediante ea, nam communicando naturam communicabat  
 originalem iustitiam, sic, ut mundus ordinaretur, conueniens fuit quod uirgo non solum  
 inueniret gratiam pro toto mundo, sed ut haberet et in se reciperet priuilegium perditum,  
 scilicet: quod ea mediante mundus gratiam reciperet. Et sic dicit Bernardus: «hec enim fuit  
 uoluntas Dei omnipotentis, quod nil ad nos uenire uoluit quin manibus uirginis non  
 120 transiret».

Igitur, si gratiam uolumus, oportet ad illam recurrere. Sed sum certus quod ipsa dicet  
 quod: filius meus uerus Deus et homo est fons gratiarum. Ego (dicit ipsa) solum sum  
 thesauraria et dispensatrix illarum. Ego debeo dispensare illam secundum legem et regulam,  
 ut mundus reguletur. Lex et regula est quod sicut fuit gratia perdita per hoc quod non  
 125 timuerunt filium meum ut Deum, nec honorificauerunt ut hominem et regem regum.

---

84-86: cf. III Rg. 2, 19. | 87: Ps. 44, 10. | 94-95: Za. 9, 11. | 100: cf. Lc. 1, 28. | 101: cf. Lc. 1, 30.

101-103: Bern. Cl. *De Lau. Virg. Matr.*, III, 10. PL 183, 76B. | 104-106: cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429B-430A. | 108-110: cf. MF. Ambr. *Exp. Ev. Sec. Lc.*, II, 17. PL 15, 1559C. | 118-120: cf. Bern. Cl., *In Vig. Nat. Dom.*, III, 10. PL 183, 100A.

Si igitur uos uultis illam gratiam nunc recipere: *Deum timete, regem honorificate*. Igitur ad hanc reginam in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Deum timete, regem honorificate*, ubi supra.

130 Altissime et potentissime rex, uerba que coram uestra regia maiestate sunt declaranda sunt uerba beati Petri apostoli in sua prima canonica, capitulo secundo, scripta. Et sonant quod cum Petrus pastor uniuersalis ecclesie uideret gregem suum per plura peccata errantem, et hoc per defectum timoris domini, et per inhonationem principum a Deo missorum in mundum, dat Apostolus nobis regulam cupiens nostram salutem et saluationem dicens: si uos uultis saluari, “Deum timete et regem honorificate”, etcetera. Et  
135 sic erunt due partes in isto sermone, secundum quod duo precipiuntur in uerbis thematis. In prima uidebimus qualiter Deus est timendus dicens: “Deum timete”. In secunda qualiter rex est honorificandus dicens: “regem honorificate”.

140 Sententia est doctorum catholicorum in tertia Sententiarum precipue sancti Thome in prima secunde, questione quadragesima prima; et in secunda secunde, questione decima nona, qui dicunt quod, licet sint multe species timoris, sed omnes quasi reducuntur ad tres. Prima est quidam timor qui dicitur mundanus; secunda est timor seruilis; tertia est timor filialis, etcetera.

145 Timor mundanus est cum quis plus debito timet amittere bona huius mundi, scilicet: res temporales, bona fortune, aut honorem, aut uitam, etcetera. Et hic timor est malus et multa mala generat; propter hunc Herodes interfecit pueros innocentes, ne regno priuaretur et gloria mundana, Matthei secundo. Item propter hunc timorem iudei Christum occiderunt dicentes: *si dimittimus eum sic, omnes credent in eum et uenient romani et tollent locum nostrum*, etcetera, Iohannis undecimo. Hic timor facit multos usurarios, raptos, fures et falsarios. Item propter timorem uerecundie facit aborsos, etcetera. Item ne perdat uitam, ut patet in  
150 Petro, qui propter hunc timorem Christum negauit, Luce uicesimo secundo. Et alii discipuli fugientes Christum reliquerunt propter hunc et multi negant ueritatem ne uitam perdant. Contra hunc timorem Christus confortat suos dicens: *nolite timere eos qui occidunt corpus*. Et sic confortatus est Paulus, Actuum uicesimo primo, dicens: *non solum ligari, sed et mori paratus sum propter nomen domini mei Iesu Christi*. Sic Iohannes et Iacobus dicentes: *possumus bibere calicem*, etcetera. Sic alii apostoli, de quibus Actuum quinto: *ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii*. Item de omnibus cantat ecclesia: «uerbera carnificum non timuerunt sancti Dei», etcetera. Et sic nos istos imitari debemus, nam debemus aspera pro Christo tollerare usque ad mortem propter tria.

160 Primo, quia ab ipso recepimus animam et corpus, ad hoc ut ei seruiamus cum illis. Et uult quod corpus exponatur propter animam, cum anima sit nobilior eo, et sic homo exponit brachium pro capite. Sed multi plus timent lesionem corporis quam anime, nam dum infirmantur, plura faciunt pro salute corporis quam anime. Nam querunt expertiorem medicum querendo illum ad quattuor dietas dando illi centum ducatos, sed pro salute anime non querunt medicum, nec usque ad ecclesiam pergunt, nec unum denarium pauperi darent, etcetera, unde Gregorius: «mortem carnis omnis homo timet, mortem autem anime  
165

---

126-128: cf. I Pt. 2, 17. | 146: cf. Mt. 2, 16. | 147: Io. 11, 48. | 150: cf. Lc. 22, 57-61. | 152: Mt. 10, 28. | 153-154: Act. 21, 13. | 154-155: cf. Mt. 20, 22. | 155-156: Act. 5, 41.

138-139: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 41, pp. 265-269; (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 19, pp. 116-121. | 156: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In secundo nocturno. PL 78, 822B. | 165-167: Gregorius] *Auctor err.* cf. Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, XLIX, 2. PL 35, 1747B.

pauci; homo laborat ne moriatur moriturus et non laborat ut non moriatur semper uicturus».

170 Secundo, quia homo dat pro Deo corpus corruptibile et sperat ab eo nobilius corpus recipere post resurrectionem, quod erit ut sol: et quanto hic plura patitur pro Deo, tanto clarius erit. Matthei decimo tertio: *fulgebunt iusti sicut sol*. Vnde Anselmus: «in illa uita pulchritudo iustorum solis pulchritudini, qui septemplex quam modo sit, erit splendidior, adequabitur».

Tertio, quia pro nobis Christus mortuus est, qui est nobilissimus cunctis, ad Ephesios quinto: *tradidit semet ipsum pro nobis*, etcetera.

175 Secundus est timor seruilis, propter quem aliqui non amore Dei, sed timore gehenne uel alterius pene abstinent a peccato et faciunt bonum. Hic autem timor non est peccatum in se, sed facit cauere a peccato. Et sic est quid imperfectum, nam bona que solo tali timore fiunt, non sunt meritoria, quia non sunt cum charitate facta, unde Apostolus: *si tradero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest*, prima Corinthiis decimo  
180 tertio.

Tertius est timor filialis et optimus, scilicet: cum Deus timetur nec propter comodum nec propter ueniam, sed timetur offendi propter amorem et bonitatem suam. Et dicitur filialis quia pertinet ad perfectos.

185 Isti autem tres timores se habent, sic quod primus ut plurimum est malus; secundus est indifferens et imperfectus; tertius est perfectus et bonus et facit filios Dei.

190 Ex his patet quod Deus est timendus propter excellentiam suam, non solum propter eius infinitam bonitatem, sed ratione infinite potentie eius. Nam quando quis offendet regem alicuius regni particularis, potest fugere ad aliud regnum, sed cum Deus sit rex totius mundi, ad aliud regnum non potest ire, unde Isaie decimo septimo dicens: *tuam manum nemo potest euadere*, etcetera.

Secundo, est timendus ratione sue infinite sapientie. Nam quando quis delinquit contra regem et occultat delictum suum, non tantum timet, sed in nostro casu non potest, unde Apostolus ad Hebreos quarto dicit: *omnia aperta et nuda sunt oculis eius*.

195 Tertio, est timendus ratione nostre fragilitatis conscientie. Nam sumus sic imperfecti quod in multis possumus delinquere que ignoramus, unde Iob nono: *uerebar omnia opera mea*, etcetera. Et sic Hieronymus, licet esset humilis, castus et uirtuosissimus dicit: «siue comendam, siue bibam, semper in auribus meis uidetur sonare illa tuba dicens: “surgite ad iudicium”», etcetera.

200 Sed forte dices: qui sunt qui debent Deum timere? Nam uidetur quod minores debent timere et non maiores mundi. Dico quod omnes debent Deum timere, et quanto maiores sunt plus debent timere. Hoc patet quod omnes dicit in Psalmo centesimo decimo tertio: *benedixit omnibus qui timent dominum pusillis cum maioribus*. Hoc autem testantur duo reges.

---

170: Mt. 13, 43. | 174: Eph. 5, 2. | 178-179: I Cor. 13, 3. | 189-190: Isaie] NI. | 193: Hbr. 4, 13. | 195: Iob. 9, 28. | 202: Ps. 113, 21.

170-172: Anselmus] *Auctor err.* cf. Ead. Cant., *Lib. De Beat. Coel. Pat.*, I. PL 159, 589A. | 196-197: cf. MF. Hier., *Lib. Con. Vig.*, XII. PL 23, 349B.

193: Quarto] M, X decimo.

Primus Dauid in Psalmo centesimo decimo dicens: *initium sapientie timor domini*. Secundus filius suus Salomon dicens, Prouerbiorum primo: *timor Dei principium sapientie est*. Igitur patet quod timor Dei est fundamentum edificii spiritualis, sine quo nihil edificari potest.

Sed quare quanto maiores plus timere debent?

Primo, ratione potentie, quia quanto maiores plus cognoscunt naturam potentie, et si illam perdunt grauius tollerant. Ideo rex Dauid dicebat in Psalmo centesimo tricesimo octauo: *quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam*, etcetera?

Secundo, ratione sapientie, nam licet reges et principes sapienter possint occultare delicta, sed non possunt Deo hoc facere, unde rex Dauid dicebat in Psalmo septimo: *scrutans corda et renes Deus*. Sic enim scrutatur cor regis sicut cor pastoris et rustici.

Tertio, patet hoc quia maiores plus debent timere potentiam et sapientiam diuinam, cum nihil remaneat impunitum in hoc mundo, et ipsi plura possunt perdere quam inferiores. Ideo debent timere ne offendant Deum.

Hoc patet nam fulmen in quo potentia Dei ostenditur, cuius percutit arborem altam et turrim eleuatam quam domum humile.

Item hoc patet, quia regibus et principibus maiora signa filiationis ostendit Deus quam minoribus, et sic magis debent timere, ne illum offendant. Exemplum habemus in rege Dauid, nam cum esset paruulus inter suos fratres et pasceret gregem, primo Regum decimo sexto, factus fuit rex. Vnde in Psalmo septuagesimo septimo: *de post sectantes accepit eum*. Non enim credebat Dauid esse dominum unius ciuitatis nec loci alicuius minimi, sed Deus dedit illum in regem Iudee, Galilee, Samarie et Idumee, secundo Regum octauo: *facta est Idumee seruiens Dauid*, etcetera, *et regnavit Dauid super omnem Israhel*. Sic enim accidit serenissimo regi nostro Ferdinando, cum esset minimus inter fratres, nec dominus unius ciuitatis, contentabatur quod esset comes Ripagurtanus, et dominus fecit ipsum ducem Montis Albi, et ipse contentus dedit Deus illi regnum Sicilie, et postea dat illi regnum Castelle, Legionis, etcetera, postea regnum Aragonum, Valentie, etcetera.

Sed: quid fecit Dauid? Dico quod primo abstulit obprobrium ex Israhel, quando interfecit Goliath spurium, ut habetur primo Regum decimo septimo. Nam cum iste Goliath offerret se contra Israhel pugnaturum, non erat in populo qui contra eum exiret, sed solus Dauid illum interfecit et uerecundiam abstulit ex Israhel, etcetera. Sic enim serenissimus rex noster Ferdinandus. Primo abstulit obprobrium ex Hispania quando ille rex spurius Granate, qui descendit ex spurio ismahele, qui fuit ex concubina natus multotiens introiuit in Castella et infinitos captiuabat per tempus octingentorum annorum. Et rex Ferdinandus hoc regnum a mauris accepit et in illo edificauit ecclesias et in eo fidem Christi fundauit. Et sicut Dauid habuit uictoriam in multis bellis, in quibus regnum Israhel ampliauit expellendo philisteos maxime trans mare Galilee, sic hic potentissimus rex Ferdinandus ampliauit regnum Christi et fidelium in partibus transmarinis, in quibus accepit Melillam, Oran, Alger et Bugia, etcetera. Et sicut in fine Dauid expulit Iebuseum a Hierusalem, ut patet secundo Regum quinto et primo Paralipomenon undecimo, qui nunquam potuit expelli a Iosue nec Gedeone nec ab ipso Sansone nec ab ipso rege Saule, sic speramus quod hic rex fortissimus Ferdinandus debet expellere Iebioseum soldanum a

203: Ps. 110, 10. | 204: Prv. 1, 7. | 209: Ps. 138, 7. | 212: Ps. 7, 10. | 220: cf. I Sm. 16, 13. | 221: Ps. 77, 70. | 223-224: II Sm. 8, 14-15. | 230: cf. I Rg. 17, 50. | 241: cf. II Sm. 5, 8; I Par. 11, 4.

203: *Ante* decimo M, X *omm.* centesimo. | 221: Factus] M actfus.

245 Hierusalem, qui illam possidet. Nam cum anno Christi mille nonaginta nouem per Gothofredum regem fuit primo possessa et postea per successores christianos per annos octoginta octo, sic perdita anno mille centum octoginta septem, et sic fuit postea a mauris possessa per annos trecentos uiginti tres.

250 Speramus enim sectam Machometricam esse destructa usque ad annum domini mille quingenti uiginti quattuor, in quo anno, etiam secundum naturam, mirabiles erunt coniunctiones luminarium et planetarum, ut scripserunt astrologi. Sed sicut causa huius in Dauid fuit fidelitas ampliando cultum diuinum in lege diuina, sic in isto rege christianissimo Ferdinando, qui ampliavit et purificauit legem Christi construendo ecclesias et extirpando hereses a lege christianorum, unde: «fundatus est supra firmam petram», que est Christus. Vnde Psalmi uicesimo sexto: *in petra exaltauit me et nunc exaltauit caput meum super inimicos meos.*  
255 Et sic timentes Deum omnia illis succedunt ad uota, unde dicit rex Dauid in Psalmo tricesimo tertio: *timete dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum.*

Sed dices forte: hoc loquitur de sanctis, nam dicit “omnes sancti eius”, sed omnes sumus peccatores, igitur. Dico quod timentes Deum, licet aliquando peccent, cum timore petunt ueniam, sed qui non timet cum presumptione perditur. Ideo dicit Dauid in Psalmo  
260 centesimo secundo: *quomodo miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Et sic aperte dicit quod timentes sunt filii et quod dat ueniam cognoscendo fragilitatem illorum. Et sicut pater sepe facit uoluntatem filii, qui illum timet, sic Deus, unde Psalmi centesimo quadragesimo quarto dicit: *uoluntatem timentium se faciet,* etcetera. Igitur patet quod omnibus dicit apostolis, cum dicit: *Deum timete.* Quo ad primam  
265 partem.

Secundo, dicit: *regem honorificate.* Sed rex debet habere tria ad hoc: ut honorificetur a populo, et sunt illa que in Christo summo rege fuerunt.

Primo, ut cum prudentia ministret iustitiam. Ideo princeps est in communitate, ut caput  
270 illius, unde primo Regum decimo quinto, dominus per Samuelem dixit ipsi regi Saul: *cum paruulus esses in oculis tuis caput in tribubus Israhel factus es.* Vnde Hugo, De Sacramentis, libro primo, parte secunda, capitulo octauo, dicit quod sicut papa est caput in spiritualibus, sic rex in corporalibus. Item dicit Ambrosius in Hexameron, capitulo sexto, homilia ultima, quod caput est in superiori parte, ut celum respectu elementorum. Et sicut in celo sunt  
275 uirtutes celorum, scilicet: angeli, de quibus dicitur Matthei uicesimo quarto: *uirtutes celorum monebuntur,* scilicet: angeli; et sicut habetur Danihelis septimo, quod istorum aliqui assistunt ante Deum et alii ministrant et sunt missi ad extra, sic in capite sunt uirtutes et sensus interiores et exteriores. Interiores mittuntur ad extra gubernando, sed exteriores assistunt cerebro, nam cerebrum gubernat et regit ea que sunt in corpore. Et sicut cor comparatur Deo, quia: «est principium in animali et in medio ipsius», ut dicit Philosophus, libro De  
280 Animalibus et in libro De Iuuentute et Senectute, sic cerebrum comparatur prudentie principum. Nam cerebrum est quid diuinum, ut dicit Aristoteles, libro De Animalibus. Sic igitur princeps mediante sapientia diuina debet gubernare secundum iustitiam, sicut Christus rex regum fecit. Vnde habetur de eo Hieremie uicesimo tertio: *regnabit rex et sapiens erit et faciet iustitiam,* quo ad criminalia, *et iudicium,* quo ad ciuilia. Hec autem uirtus iustitie est

---

254: Ps. 26, 6. | 256: Ps. 33, 10. | 260-261: Ps. 102, 13-14. | 263: Ps. 144, 19. | 264-266: cf. I Pt. 2, 17. | 269-270: I Sm. 15, 17. | 274-275: Mt. 24, 29. | 275: cf. Dn. 7, 10. | 283-284: Ier. 23, 5.

253: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, in primo nocturno. PL 78, 824D. | 270: cf. Hug. Vic. *De Sacr.*, II, 2, 4. PL 176, 418B. | 272: cf. Ambr., *Hex.*, VI, 9, 61. PL 14, 267CD. | 279: cf. Auctor. Arist., *De Animal.*, XIV, 208, 742b35-36, p. 226; *De Iuv. Et Sen.*, 123, 468b28sq. p. 206; cf. Alb. Mag., *De Animal.*, XIII, 1, 4, p. 10a; *De Iuv. Et Sen.*, II, 1, p. 317b.



285 tante necessitatis quod etiam latrones et tyranni sine illa uiuere non possunt, ut dicit Tullius, secundo libro De Officiis, capitulo undecimo. Et sic dicit Augustinus quarto De Ciuitate Dei, capitulo quarto: «sine iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia?», etcetera. Debet igitur primo facere iustitiam in terra, et hec iustitia debet habere tria. Primo, quod sit bene examinata; secundo, quod sit recta et cum misericordia mixta; tertio, quod sit expedita, ut  
290 dicit Gregorius de Traiano et uidua iustitiam petente, qui descendens de equo statim fecit ei iustitiam.

Primo, examinata, nam de rege supremo dicitur Isaie undecimo: *egredietur uirga de radice Iesse*, etcetera, plenus spiritus sancto. Infra: *non secundum uisionem oculorum iudicabit nec secundum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia*, scilicet: bene examinata, scilicet: secundum  
295 allegata et probata.

Secundo, debet esse recta dando unicuique quod suum est. Ideo dicitur de Christo, Isaie undecimo: *et erit iustitia cingulum lumborum eius*, nam sicut cingulum diuidit corpus in duo equalia, sic debet esse iustitia. Sed multotiens bursa cum pecuniis facit quod cingulum non diuidat per medium corpus, sed declinat ad aliam partem, sic subornationes aliquando  
300 faciunt declinare iustitiam. Debet autem rex, si uult dimittere iniuriam et interesse suum proprium, sed non debet dimittere interesse Dei et proximi, unde Deus dixit Genesis quarto: *uox sanguinis Abel clamat*, etcetera.

Tertio, debet esse cum misericordia associata et clementia, unde de Christo uero rege habetur Isaie septimo: *paruulus natus est*, etcetera, *butirum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum*, etcetera. Et sic rex debet esse similis Deo et recognoscere benefacta seruatorum, que sunt ut mel, et punire malefacta. Sed prius monendo, et si monitione non emendatur, tunc puniatur. Ideo debet esse monitio (ut butirum) suavis et blanda, sed si non corrigitur debet esse seuera, unde Psalmi secundo dicit de Christo: *astiterunt reges terre et principes conuenerunt in unum aduersus dominum*, qui cum pietate et patientia uenerat. Dicit  
310 postea: *reges eos in uirga ferrea*, etcetera. Et sic ut dicit Seneca Hispanus De Clementia ad Neronem, libro primo, quod cum sit rex pater patrie, debet esse clemens ad subditos inferiores, ut pater ad filios. Ait enim capitulo quinto: «nullum clementia magis ex omnibus quam regem et principem decet». Dicit capitulo tertio: «principium crudelitas bellum est, sed clementia tranquillitas et pax, magni animi est inimicitias et offensas despiceret». Hec ille.  
315 Multa enim clementia uincuntur, que crudelitate superari non possunt. Narrat idem Seneca de quodam qui uoluit omnes suos hostes destruere et, cum quendam non posset, consuluit uxorem, et illa dixit ei: «fac quod medici solent, qui ubi usitata medecina non possunt, temptant contraria. Igitur seueritate non profecisti, tempta clementia, sic uicit et contulit illi senatum et amicissimum illum habuit», etcetera. Sic enim rex noster serenissimus  
320 Ferdinandus, cum omnes inimicos superaret et regi Francie multa incomoda daret et infinitos exercitus sui interficeret, finaliter, cum posset in loco de Salsas uincere, illis pepercit et sic cum hac clementia facti sunt amici et fratres. Hoc fecit clementia quod crudelitas facere non potuit. Et sic patet quod rex, qui caput regni est, cum prudentia maxima debet iustitiam regulare et exercere.

325 Secundo, debet rex esse humilis nec debet superbire neque in potentia sua confidere, unde Psalmi tricesimo secundo: *non saluatur rex per multam potentiam*. Patet hoc, nam Moses, Numeri primo, non peccauit in populi numeratione, quia hoc fecit mandato domini. Nec

---

292-294: Is. 11, 1-4. | 297: Is. 11, 5. | 302: Gn. 4, 10. | 304-305: cf. Is. 9, 6; 7, 15. | 308-309: Ps. 2, 2. | 310: Ps. 2, 9. | 326: Ps. 32, 16. | 327: cf. Nm. 1, 3.

285: cf. Cic., *De Off.*, II, 11, p. 68. | 287: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, IV, 4. PL 41, 115A. | 312-313: cf. Sen., *De Cle.*, I, 3, 3, p. 5. | 313-314: cf. Sen., *De Cle.*, I, 5, 5, p. 8. | 317-319: cf. Sen., *De Cle.*, I, 9, 6-12, pp. 13-15.

peccauit Saul in populi numeratione, primo Regum decimo, quia hoc fecit ad expeditionem ad pugnam propter Deum. Sed Dauid hoc fecit propter superbiam, quia in hoc uoluit  
 330 gloriari. Et sic debet esse rex humilis sicut rex regum Christus fuit qui: *exinaniuit semet ipsum formam serui accipiens*, ad Philippenses secundo. Vnde humilitas in principibus multum laudatur. Sicut lapis pretiosus in luto non sic estimatur sicut in auro, quia tunc est in subiecto excellenti, sic humilitas in rege. Debet enim princeps considerare quod sicut Christus rex regum *non uenit ministrari sed ministrare*, sic ipse. Ideo papa dicit quod est seruus  
 335 seruorum, cum sit dominus omnium regum, unde rex Dauid dicit, Psalmi centesimo decimo octauo: *priusquam humiliarer ego deliqui*.

Ideo Constantinus imperator fuit humilis Deo et ecclesie, et cum clerici inter se litigarent et coram ipso accusarentur, libellos comburi fecit et ad iudicium diuinum remisit et conuenientibus episcopis, in domo regia parauit illis locum, et in minori sede in medio  
 340 sedit. Dicens clericorum: “actiones dimittamus et de his que ad fidem pertinent agere studeamus”. Hoc habetur libro primo Historie Tripartite et in Historia Ecclesiastica, libro quarto, capitulo secundo dicens quod dixit Constantinus: «Deus uobis dedit potestatem iudicandi de nobis, et ideo nos a uobis recte iudicamur. Vos autem non decet ab omnibus iudicari, ille solus iudicari debet inter uos, de quo scriptum est: *Deus stetit in synagoga deorum,*  
 345 *in medio autem deos disiudicat*, Psalmi octogesimo primo». Et sic fuit humilis apud Deum et ecclesiam, nam multum ampliauit ecclesiam, quia ut legitur in primo libro Historie Tripartite: «in somno uidit signum crucis in celo et angelos ei dicentes: “Constantine, in hoc signo uinces”». Et ex tunc sic portauit in uexillo. Diem dominicam plurimum honorabat, quia in eo Christus resurrexit, et feriam sextam, quia in ea crucifixus fuit. Maximum  
 350 culturam crucis habebat supplicium crucis (quod apud romanos prius in usu fuit), legem prohibuit, etcetera. Et ideo in bellis uictoriosissimus fuit.

Similiter legitur de Theodosio imperatore, de quo libro nono Historie Tripartite, quod: «cum apud Thesalonicam ciuitatem quidam iudices lapidati fuissent, Theodosius indignatus et motus ira maxima auctores interfici fecit. Et quasi septem milia sunt occisi nullo  
 355 precedente iudicio. Quod audiens beatus Ambrosius, cum princeps uenisset Mediolanum et in sacrum uellet intrare templum, occurrit sanctus episcopus Ambrosius foris ad ianuas et ingressum prohibuit dicens: “nescis, imperator, perpetrare a te necis quanta sit magnitudo, sed forte recognitionem peccati prohibet potestas imperii. Decet tamen ut uincat ratio potestatem, qua equalium hominum princeps es, o imperator, et conserue. Vnus est dominus rex omnium et creator. Quibus igitur oculis aspicias domini templum? Quibus calcabis pedibus sanctum domini pauimentum? Quomodo manus extends, de quibus adhuc sanguis stillat innocuus? Quomodo in his manibus suspicies sanctum domini corpus? Qua presumptione sanguis pretiosi poculum ore tuo precipies? Cuius furore sermonis tantus iniuste sit sanguis effusus? Recede ergo, recede ne secundo peccato priorem  
 365 nequitiam augere contendas. Suscipe uinculum quo nunc omnipotens dominus te ligauit”. His sermonibus obediens imperator sciens que sunt propria sacerdotum, que regum gemens et flens ad regalia remeauit, cumque octo mensium continua transissent tempora, appropinquauit natiuitas saluatoris et imperator lamentationibus assiduis in palatio residens continuas lacrimas incessabiliter effundebat. Ingressus autem Rufinus, magister militum, ad principem in lamentatione prostratum inquirens causam lacrimarum, etcetera. Et receptus  
 370 fuit tandem a beato Ambrosio cum lacrimis penitentiam petens, et sanctus Ambrosius dicit

328: cf. I Rg. 10, 17. | 330-331: Phil. 2, 7. | 334: cf. Mt. 20, 28. | 336: Ps. 118, 67. | 344-345: Ps. 81, 1.

342-345: cf. Ruf. Aq., *Hist. Eccl.*, I, 2. PL 21, 468B. | 347-348: cf. Cas., *Hist. Tri.*, I, 4. PL 69, 888A. | 353-377: cf. Cas., *Hist. Tri.*, IX, 30. PL 69, 1145A-1146D; cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, LVII, pp. 256-258.

353: Fuissent] M fuessent.

illi: “quoniam furori tuo iudicium commissisti et non ratio sententiam protulit, sed potius iracundia, scribe legem que decreta furoris euacuet et triginta diebus sententia necis in litteris maneat, quibus transactis ira cessante”, etcetera. Hanc monitionem imperator  
 375 suscipiens legem scribere precepit et proprie manus litteris confirmavit. Quo facto uinculum eius soluit Ambrosius et lex hactenus obseruatur. Est autem lex huiusmodi imperator Gratianus, Valentinianus, Theodosius Augustus, Flauio, etcetera». Patet quante humilitatis et religionis fuerunt isti imperatores in exemplum aliorum.

Tertio, debet esse princeps sobrius et temperatus et castus. Exemplum habemus in  
 380 Philipo, qui turbatus a uino, mandauit innocentem condemnare. Ille autem innocens dixit: «Philippum appello, sed sobrium», etcetera. Item narrat Seneca libro De Clementia ad Neronem de rege Cambise: «qui nimis deditus uino erat, et cum unus charissimus eum moneret ut parcius biberet, turpem esse dicens in rege ebrietatem, quem omnium oculi auresque sequuntur. Respondit rex: “ut scias oculos post uinum esse in officium manu aprobabo”. Deinde bibit liberalius quam alias et iussit filium illius stare ex opposito, et intendens arcum cor adolescentis transfixit». Ecce qualiter rex turbatus a uino optima  
 385 facere non potest, nam uinum excitat ad luxuriam et ubi uinum regnat, nullum est secretum. Ideo in Deuteronomio legitur capitulo decimo septimo, quod: *rex non habebit plures mulieres*, etcetera. Ideo rex Salomon tamquam expertus dicit Prouerbiorum uicesimo: *luxuriosa res est uinum*, unde libido luxurie est connexa gule. Ideo Hieronymus epistola uicesima quarta dicit: «nec Samsone fortior, nec Salomone sapientior, nec Daudid potes esse sanctor». Et tamen uterque a muliere deceptus est. Nullum enim imperium durabile est nec principatus stabilis dum regnat in principe libido luxurie et gule. Vnde dicit Polycraticus libro sexto: «Nerone imperante eius gula omnia deuorauit, commaculauit libido, exhausti  
 390 auaritia», etcetera. Et sic dicit hic quod tempore huius: «romanum imperium exhaustum est». Hoc etiam patet de Sardanapalo rege. Item exemplum habemus in monarchia et regno Assiriorum, quod fuit inceptum tempore patris Abrahe, et durauit, ut Augustinus dicit in libro decimo octauo De Ciuitate Dei, capitulo duodecimo, per annos milia trecentos quinque, a principio belli primi regis, usque ad mortem Sardanapali ultimi regis, in quo  
 400 successeunt triginta sex reges. Et iste Sardanapalus propter gulam et luxuriam perdidit regnum et monarchiam Assiriorum et fuit translata ad medos. Vnde de isto refert Iustinus dicens: «Sardanapalus rex uir omnium mulierum corruptior fuit repertus ab Arbatho prefecto suo inter scortorum greges purpuram collo trahens sub muliebri habitu. Vnde indignatus Arbathes eum interficere uolens regiam suam ingressus piram (quam ipsemet fecerat) incendit et semetipsum cum innumerabilibus diuitiis concremauit». Ex his patet  
 405 quod multa regna perdita fuerunt propter gulam et luxuriam inordinatam in principibus et regibus. Et licet ista uitia aliquialiter in christianis regibus reperiantur, sed maxime militant in ismahelitarum et arabum regibus, qui non temperate uiuunt, sed excedunt non solum in uino, sed in multitudine mulierum. Nam relatum fuit mihi a personis fidedignis, quod rex  
 410 Tunici habet centum quinquaginta mulieres et maximum uite tempus inter illas expendit, etcetera. Ex quo patet quod dominium illorum et monarchia non potest diu durare, maxime cum hic princeps Ferdinandus, qui contra illos precepto et ordinatione diuina insurgit, nullo istorum uitiorum sit notatus, etcetera. Ex hic enim patet quod princeps est separatus ab his uitiiis et est dotatus predictis uirtutibus. Debet a populo honorificari in  
 415 tribus, scilicet: per reuerentiam, obedientiam et subuentionem.

**388-389:** Dt. 17, 17. | **390:** Prv. 20, 1.

**381:** cf. Val. Max., *Fac. Et Dic. Memor.* (vol. 1), lib. 6, pp. 385-386. | **382-386:** cf. Sen., *De Ira*, III, 14, 1-2, pp. 105-106. | **391-392:** cf. MF. Hier., *Ep.*, LII, 5. *PL* 22, 531D-532A. | **394-396:** Io. Sar., *Poly.*, VI, 14. *PL* 199, 610C. | **398:** cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XVIII, 11. *PL* 41, 568CD. | **402-405:** Iust., *Hist. Phil.*, I, 3, p. 84.

**374:** Quibus] X quibas. | **383:** Biberet] M uiueret. | **385:** Deinde] M deindit. | **388:** Decimo septimo] M, X septimo. | **392:** Sanctor] M santior.

420 Primo, per reuerentiam, cum sit caput omnium et pater patrie. Debet enim princeps, qui est loco Dei, obediri. Exemplo Saulis, quia si princeps est obediens Deo et populus debet illi obedire, unde cum primo Regum decimo quinto, illi preciperet Deus quod inimicos fidei interficeret et bona illorum reciperet, contrarium huius fecit, ut sacrificium Dei offerret. Et licet hoc esset iustum, sed quia propter Dei inobedientiam fecit, regnum perdidit, unde dicitur illi a Samuuele quod: *melior est obedientia quam sacrificium*. Hoc autem patet, nam propter inobedientiam hominis Ade ad Deum permisit Deus quod omnia animalia illi essent repugnancia et nullum illi obediret. Et cum rex est Deo obediens, omnes populi sunt illi obedientes et non solum homines, sed animalia. Exemplum de Hieronymo et leone.

425 Si queris: quare leo obediebat Hieronymo? Dico quod causa fuit quia Hieronymus obediebat Deo. Item patet de sepultura Pauli, primi eremite, a duobus leonibus facta. Item patet uirtus obedientie in rebus inanimatis et animatis uita uegetatiua et uita sensitiua et uita intellectiua.

430 Primo, ostenditur quod obedientie uirtus est maxima et hoc in inanimatis rebus, nam ut scribitur in collationibus patrum, quod cum abbas Columbanus haberet quedam discipulum cui maximam obedientiam ostendebat et uirtutem illius, cum discipulis ille de dolio potum traheret, ab abbate uocatus festinanter. Tantum festinauit obedire quod clepsidram in manu sua portauit, nec tamen gutta exiuit de dolio. Ostendit Deus quod cum quis rex Deo obedit et minores superioribus obediunt, etiam illis insensibilia obediunt, etcetera.

435 Item hoc patet in uegetabilibus et planctis, nam ut habetur in uitis patrum, in quibus continetur quod arbor totaliter desiccata, postquam quidam discipulus ad magistri sui preceptum per tres annos omni die de longinquo aqua portata irregata fuisset, ut tali labore otium a discipulo fugaret et ipse obedientiam probaret, arbor reffloruit et fructum attulit, quem magister per cellas fructum portans eis fructum ostendit obedientie. Vnde prima  
440 Petri primo: *animas uestras castigantes in obedientia*, etcetera, quod si feceritis omnia erunt uobis obedientia.

Item patet hoc de sensitiuis et intellectiuis, nam ut legitur in uitis patrum de quodam patre, qui abbas Paulus dicebatur, qui uolens discipulo suo Paulo uirtutem obedientie ostendere, precepit illi quod iret ad nemus et simum bouum secum portaret. Nam in talibus  
445 uilibus experiri uoluit an prompte obedire uellet, qui cum se excusaret et non audebat, quia leena in loco illo morabatur. Precepit quod illam etiam adduceret, ad quam cum discipulus usque ad mortem obedire ueniens, et ex parte sui magistri preciperet quod secum ueniret statim ad modum canis ipsum sequitur. Ex quo patet quod ille discipulus maiorem obtinuit uictoriam mediante obedientia, qua fecisset fortissimus pugil mediante fortitudine. Sic patet  
450 in principibus Deo obedientibus, unde Prouerbiorum uicesimo primo: *uir obediens loquetur uictoriam*, etcetera. Et non solum in uita illorum, ut diximus de Hieronymo et leone, sed etiam post mortem, ut dictum est de Pauli sepulchro, etcetera.

Sed non solum ista obediunt hominibus Deo obedientibus, sed etiam angeli tam boni quam mali. Patet de bonis, ut dicit Hieronymus super Mattheum libro tertio dicens: «tanta  
455 est dignitas animarum», etcetera. Vnde Psalmi nonagesimo: *angelis suis Deus mandabit de te, ut custodiant te in omnibus uis tuis*, etcetera. Vnde cum Iosue esset princeps in bello Deo obediens, precepit soli ne moueretur et immediate sol stetit, Iosue decimo. Ex quo patet

---

418: cf. I Sm. 15, 3. | 421: cf. I Sm. 15, 22. | 440: I Pt. 1, 22. | 450-451: Prv. 21, 28. | 455-456: Ps. 90, 11. | 457: cf. Ios. 10, 12.

454-455: Hier., *Comm. In Ep. Mt.*, III, 18, 10-11. PL 26, 130B.

455: Mandabit] M, X mandauit.

quod non solum sol illi fuit obediens, sed etiam angelus qui celum mouebat. Hoc etiam patet in angelis malis, nam cum apostoli essent Christo obedientes, dixerunt, Luce decimo, 460 ipsi Christo: *demonia nobis subiiciuntur in nomine tuo*, etcetera. Igitur propter excellentiam uirtutis obedientie dicit Petrus in epistola hodierna: *subditi estote omni creature propter Deum siue regi quasi preexcellenti*, etcetera.

Sed dices: quid si fuerit malus? Dico quo etiam debet obediri a subditis, unde infra in epistola habetur: *serui subditi estote dominis non solum bonis, sed etiam discolis*. Ratio est quia sunt 465 in persona Dei, et aliquando sunt mali domino permittente propter peccata populi, unde Iob tricesimo quarto habetur quod: *regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*, etcetera. Igitur, si malus princeps est a subditis obediendo, quanto magis bonus est cum fidelitate obediendus. Non solum in dictis et factis, sed etiam in preceptis, ut in statutibus et legibus.

Secundo, populus debet principi reuerentiam, quia est caput regni et pater patrie, sed rex debet reuerentiam Deo, cum sit pater omnium et caput. Tres autem sunt partes cum quibus sit reuerentia, scilicet: cum capite, aut cum genu, aut cum brachio sumendo pileum. Vnde genua hominis facta sunt flexibilia ut ad reuerentiam possent curuari. Item manus et brachia flexibilia et caput et collum ut ad reuerentiam ualeant inclinari. Et hoc docuit natura 475 ipsi homini, sed superbi et magnates superbiam facere non ualentes, sunt ut leone, qui non possunt flectere collum; et sunt similes elephantum, qui sua genua nunquam flectit. Isti autem coram rege terreno stant in terra et coram Deo non incuruantur, unde Apostolus, Hebreorum duodecimo: *seruiamus* –inquit– *placentes Deo cum metu et reuerentia*. Ideo dicitur de rege Iosia, secundo Paralipomenon tricesimo quarto capitulo, quia inquit: *audisti uerba uoluntatis istius atque emoluitum est cor tuum*. Sequitur: *reueritusque faciem meam scidisti uestimenta tua et fleistis, ego quoque exaudiui te* –dicit dominus–. Non sic de Amon, secundo Paralipomenon tricesimo tertio dicens: *non est reueritus Amon faciem domini, sicut reueritus est Manasses pater eius*. 480

Tertio, debet populus ipsi regi subiectionem non solum illi dando ea que sunt de iure regio, sed quando est necessitas in regno, scilicet: quando tyrannus est potentior et uult regnum inuadere uel contra fidem aliquid facere, ut sunt infideles et heretici, tunc regnum tenetur illi subuenire, quia *nemo propriis stipendiis militat*, ut ait Apostolus, prima Corinthiis nono. Et tunc regnum non dat regi, sed sibi ipsi, quia ad tuitionem regni. Sic autem fecit rex regum quod naturam nostram assumpsit, ut dicit Augustinus, ut hominem Deus faceret factus homo. Et dicit Augustinus hoc, quod ex nostro assumpsit totum nobis intulit ad salutem. Sic rex noster Ferdinandus, attendite cum quanto labore regnum Granate acquisiuit, quod erat murus totius secte Machometice et principium destructionis totius Africe, nam Deus huic regi mirabiliter signa sue potentie ostendit. Nunquam alicui regum in ueteri testamento talia ostensa fuerunt. Hoc patet tripliciter, primo, respectu inimicorum; 485 490 495 secundo, respectu munitio; tertio, respectu exercitus.

Primo, respectu aduersariorum, nam in ueteri primum quod fecit Deus populo israhelitico in acquisitione terre sancte fuit quod posuit amorem in corde inimicorum. Quod patet quando Iosue misit exploratores in illam terram, et cum transissent Iordanem et uenissent in ciuitatem Hiericho, dicitur quod reuertentes dixerunt ipsi Iosue: *tradidit Deus*

---

460: Lc. 10, 17. | 461-462: I Pt. 2, 13. | 464: cf. I Pt. 2, 18. | 466: Iob. 34, 30. | 478: Hbr. 12, 28. | 479-481: II Par. 34, 27. | 482-483: II Par. 33, 23. | 487: cf. I Cor. 9, 7. | 499-501: Ios. 2, 24.

489-490: cf. Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, LXIX, 3. PL 35, 1817BC.

494: Veteri] M uetori.

500 *omnem terram hanc in manus nostras. Et dat causam dicendo quod: timore prostrati sunt cuncti habitatores eius, Iosue secundo in fine.*

Et sic primum signum uictorie est quando Deus implet corda inimicorum terrore et timore. Sed hoc signum apertius apparuit in serenissimo rege nostro Ferdinando, nam timor inimicorum Iosue fuit per triginta leucas, que est latitudo terre sancte. Et etiam non  
505 illum timorem habuit Iebuseus, qui habitabat in Hierusalem, nam hic non fuit expulsus per Iosue, sed per Daudid tempore sui regni. Sed timor et tremor huius regis Ferdinandi post acquisitionem regni Granate fuit dispersus per uniuersum mundum, nam non solum fama fuit in Europa apud reges christianorum quod esset uictoriosissimus in omnibus a Deo, sed etiam timuerunt omnes agarenorum reges Africe. Et non solum isti, sed in Asia, scilicet: in  
510 ciuitate hierosolymitana non timent aliquem regem christianorum, sed solum in nominando istum trement, ut ego habui a fide dignis personis, que in illa per tempus immorauerunt. Et sic patet de primo signo, quo ad inimicos, etcetera.

Secundum signum uictorie fuit quo ad munitiones, nam cum Iosue transisset Iordanem, occurrit illi primo Hiericho. Et cum accessisset multitudo filiorum Israhel, habitatores  
515 Hiericho clausurunt portas ciuitatis et Deus precepit Iosue quod per septem dies circuissent ciuitatem cum archa, etcetera. Et sic septima dies capta fuit ciuitas Hiericho, ut patet Iosue sexto capitulo. hoc fuit magnum signum uoluntatis diuine, sed magis signum ostendit Deus serenissimo regi Ferdinando: nam si Iosue in paucis diebus transiuit Iordanem, qui erat riuus fortis, sed aliquando poterant pedestres transire, ut patet de exploratoribus et multis  
520 aliis.

Et si dicis: miraculose oportuerit transire filiis Israhel, ut patet Iosue tertio. Dico quod tunc permisit Deus quod Iordanis esset in maximo augmento aquarum contra suam consuetudinem, ut apertius notaretur miraculum, ut patet Iosue tertio, ubi habetur quod:  
525 *Iordanis ripas aluei sui tempore messis implerant, quod est contra eius consuetudinem tali tempore, etcetera.* Sed exercitus regis nostri transiuit mare una die et altera accepit ciuitatem de Oran, quod fuit maius.

Si autem dicit quod maius signum ostendit Deus ipsi Iosue, nam ad nutum domini corruerunt muri Hiericho, quod hic non fuit factum. Dicendum quod fuit maius hoc signum quod Deus ostendit regi nostro, nam multitudo filiorum Israhel morabatur in  
530 campo, et sic uicini ciuitatis Hiericho clausurant portas ciuitatis et sic fuit conueniens quod Deus proiecerit muros in terram. Sed exercitus regis nostri non poterat se deffendere nisi in ciuitate acquisita, ideo Deus noluit prostrare muros, sed quod ciuitatem reciperent sine murorum ruptione, ut in illa possent se custodire in continenti, etcetera. Dimitto mirabilia que ostendit Deus regi nostro in regno Granate, ut patet de Mochin, in quo puluis incensus fuit miraculose, etcetera.  
535

Tertium signum est respectu exercitus, nam fuit magnum signum cum Gedeon. Iudicum septimo habetur quod multitudo filiorum Israhel erat contra Madian et erant quasi triginta duo milia uirorum: *et dixit dominus ad Gedeon: "multus est populus"*, etcetera. Voluit enim Deus ostendere miraculum et non in multitudine uincere, ideo dicit: *nolo ut gloriatur Israhel et dicat  
540 meis uiribus liberatus sum, etcetera.* Ideo dixit dominus Gedeoni: "*predica in populo, qui formidolosus et timidus est reseruatus*", etcetera, *recesseruntque de monte Galaad uiginti duo milia uirorum et solum decem milia remanserunt. "Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, etcetera, qui manu et lingua lambuerit aquas sicut solent canes, ibunt tecum, sed qui curuatis genibus biberint et flexo*

516-517: cf. Ios. 6, 20. | 521: cf. Ios. 3, 14. | 524: Ios. 3, 15. | 538-544: Idc. 7, 2-6.

521: Oportuerit] M oportuit.

545 *police*”, *reuertantur in locum suum et fuerunt electi uiri trecenti*. Sed ut dicit glosa ordinaria: «ideo clamat Iesus hodie, qui timidus est et formidolosus corde non ueniat ad bella fidei». Ait enim: *qui non tollit crucem suam et sequitur me, non est me dignus*, Matthei decimo et Luce decimo quarto, et: *qui non odit patrem suum et matrem*, etcetera, Luce decimo quarto. Sic timidos et formidolosos repellit. Miles enim Christi timorem repellat et dicat: *si consistant aduersus me castra non timebit cor meum*, etcetera, Psalmi uicesimo sexto. Debemus induere loricam iustitie, 550 simus succincti lumbos in ueritate et galeam salutis accipere et gladium spiritus, super omnia scutum fidei, etcetera. Sic armati debemus tollere uexilla crucis Christi et eum sequi.

Secundo, fuerunt probati in aqua, id est, in baptismi gratia. Non debent procedere in terram nec flectere genua et cedere temptationibus, sed stare constanter. Qui manu et lingua lambunt aquam, id est, opere et uerbo, debent operari milites Christi. Sed aqua prius 555 manu accipitur quam lingua, quia prius debent christiani facere quam loqui, nam: *cepit Iesus facere et docere*, Actuum primo, et ipse prius fecit quam predicauit. Et sic patet quod Gedeon cum paucis uicit Madian, sed erat in campo. Sed Deus ostendit euidentius signum regi nostro Ferdinando in captione ciuitatis Bugie: nam cum in ciuitate essent decem mille, exercitus regis solum continebat quattuor milia et fuerunt agareni a ciuitate expulsi.

560 Igitur, o proximi christiani, postquam clare per signa uidetis quod uoluntas domini est per istum regem perfidos inimicos suos agarenos destruere uel ad fidem conuertere.

Igitur qui regem timebit et hunc regem honorificauit, hic habebit gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

546: Mt. 10, 38; Lc. 14, 27. | 547: Lc. 14, 26. | 548-549: Ps. 26, 3. | 555-556: Act. 1, 1.

544-545: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Idc., 7, 3. PL 113, 527BC.

548: Repellit] M repllit.

SERMO OCTVAGESIMVS PRIMVS ET PRIMVS IN DIE ASCENSIONIS DOMINI NOSTRI IESV  
CHRISTI

<THEMA> *Nubes suscepit eum*, Actuum primo.

Originaliter recitatie in lectione presentis solemnitatis thema scribitur presens.

5 Sententia est Alberti Magni in suo Mariali, et cum eo concordat sanctus Thomas super Isaiam, capitulo nono, quod uirgo Maria comparatur ipsi nubi, et in sacra scriptura in pluribus locis sic appellatur. Et quod ipsa recte et proprie dicatur et possit dici “nubes” ostenditur tripliciter. Primo, quo ad modum generandi et naturam illius. Secundo, quo ad formam. Tertio, quo ad effectum.

10 Primo, quo ad generationem patet, nam ut dicit Aristoteles primo Meteororum, nubes generatur ex calore radiorum solarium, quando ex terra grossa eleuant uaporem dulcem ad medium aeris intersticium. Nam si eleuatur ad supremum intersticium aeris subtilior exalatio, non efficitur nubes, sed impressio ignita; puta stella cadens, uel cometa uel aliquid huiusmodi. Si autem non ascendit ad mediam regionem aeris, sed remanet in inferiori, non  
15 est nubes, sed nebula obscura uel aliquid tale, etcetera. Sic uirgo Maria fuit mediante radio solis diuini sumpta ex grossa et graui terra Ade, que erat grauis per peccatum. Sed ipsa uirgo natura subtilis et leuis sine peccato fuit ab illa eleuata. Item fuit assumpta de mari amarissimo, id est, de populo iudaico, quia: «sicut spina rosam, genuit Iudea Mariam», ut cantat ecclesia. Sed ipsa uirgo fuit dulcissima et dulcorata tripliciter, sicut solet aqua maris  
20 fieri dulcis tripliciter, ut dicit Holcotus, in libro Sapientie, lectione centesima tricesima tertia.

Primo, dulcescunt quando aqua maris separatur a mari, et antequam sit uisibilis transit per uenam terre bone et optime. Sic uirgo Maria fuit dulcis facta antequam esset concepta, separata ab alia aqua per preservationem diuinam. Et anima sua missa in terra optima,  
25 scilicet: in carne sanctificata in uena, id est, in uentre sanctissime Anne. Et sic facta dulcis, non quod ante habuisset amaritudinem peccati, sed quod obligabatur ad illam nisi fuisset preseruata et in carne sanctissima anima sua posita, scilicet: in uentre Anne matris uirginis. Et sic, antequam conciperetur, per preservationem et in conceptu per carnis sanctificationem fuit dulcorata.

30 Secundo, dulcoratur aqua maris per appositionem uasis de cera uirginea, nam mediante illo uase dulcoratur aqua maris a nautis, ut ait Holcotus in loco predicto. Sic uirgo Maria facta fuit dulcissima quando in ea formatum fuit corpus Christi pretiosissimum, nam cera erat caro Christi. Vnde in persona sua dicit, Psalmi uicesimo primo: *factum est cor meum tamquam cera liquescens*, etcetera. Et est hoc de Christo in Psalmis de passione eius, scilicet:  
35 *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti*, etcetera? Locus cordis ponitur pro tota carne, quia in illo erat amor charitatis, et illud membrum est principium uenarum sensus et uite, ut dicit Philosophus in libro De Somno et Vigilia. Et cor est principalis pars corporis, qui primo generatur: «primo uiuit et ultimo moritur», ut ait idem Philosophus in libro De Longitudine et Breuitate Vite, etcetera, siue in libro De Iuuentute et Senectute, etcetera.  
40 Item nominauit cor pro tota carne, quia caro Christi se habuit, ut cor respectu totius carnis

3: Act. 1, 9. | 33-34: Ps. 21, 15. | 35: cf. Ps. 21, 2.

5: cf. Alb. Mag., *De Lau. B. M. V.*, VII, 12, pp. 397sq; cf. Th. Aq., *Sup. Is.*, XIX, 1, p. 104. | 10: cf. Alb. Mag., *Mete.*, I, 1, 9, p. 488a. | 18: cf. Fulb., *Hymn.*, XI. PL 141, 345A. | 20: cf. Rob. Holc., *In Lib. Sap.*, X, 134, 19, p. 452. | 31: cf. Rob. Holc., *In Lib. Sap.*, X, 134, 19, p. 453. | 37: cf. Alb. Mag., *De Somn. Et Vig.*, I, 2, 6, p. 147a. | 38: cf. Auctor. Arist., *De Iuv. Et Sen.*, 123, 468b28, p. 206; cf. Alb. Mag., *De Iuv. Et Sen.*, II, 1, p. 317b.



omnium hominum, a qua et mediante qua fuit motus et sensus et uita in omnibus, ut instrumentum diuinitatis. Et ideo tamquam principale membrum cor ponitur pro toto corpore Christi. Et sicut mel est in cera uirgine, sic anima Christi in corpore, que fuit dulcissima et operatione apis formata et spiritus, scilicet: et non ex semine, nam apes non generantur ex semine, etcetera. Et sic in receptione illius uasis, id est, corporis Christi, in conceptione uirgo Maria fuit magis dulcorata. Figura huius habetur quarto Regum secundo, quando illi qui habitabant intra ciuitatem Hiericho uenerunt ad Heliseum et dixerunt ei quod: *habitatio ciuitatis illius erat optima, sed non possunt ubi uiuere homines, quia aque pessime sunt et terra sterilis*. At ille ait: *afferte mihi uas nouum et mittite in illud sal*. Et sic iuit ad fontem et misso sale in uase aqua posita dulcorata fuit, et mediante illa omnis alia aqua fontium, et sic sanauit aquas et dixit: *non erit amplius mors neque sterilitas*, etcetera. Hiericho secundum Hieronymum interpretatur “luna”, Heliseus «Deus dominus» uel «Dei mei salus». Et sic habitantes infra lunam in mundo moriebantur propter amaritudinem aquarum, quod erat peccatum originale, quod traducitur in aqua seminali. Ideo Hippius et sui sequaces dixerunt animam esse aquam, ut dicit Philosophus in primo De Anima. Ideo erat quia genitura erat aquea, scilicet: semen, etcetera. Et quia peccatum originale traducitur cum semine, amaritudine illius aque moriebantur omnes qui erant sub concauo lune, scilicet: in Hiericho. Et ideo petierunt Deum ut dulcoraret aquas mundi, qui fecit illud sumendo uas nouum, scilicet: corpus Christi, quod fuit nouum tripliciter.

60 Primo, nouum sine uetustate peccati.

Secundo, nouum quo ad continentiam, quia non solum animam sed diuinitatem continebat.

Tertio, nouum quia nouiter productum operatione spiritus sancti. Et sic Hieremias dicebat: *nouum creauit dominus super terram, femina circumdabit uirum*, Hieremie tricesimo primo. Igitur in hoc uase positum fuit sal sapientie diuine, scilicet: filius Dei et uerbum. Et sicut aqua propinqua illi fuit facta dulcis primo et postea illa mediante omnis aqua Hiericho, sic uirgo Maria magis propinqua Christo: primo fuit dulcis facta sine peccato et illa mediante remota amaritudo peccati originalis in toto mundo. Et sic illi qui prius moriebantur hac amaritudine aque, postea receperunt uitam.

70 Tertio, dulcoratur per attractionem radiorum. Et sicut nubes a tribus radiis solis fuit ducta ad medium intersticiu aeris, sic uirgo Maria non remansit in inferiore regione aeris, in qua erat nebula peccati obscura, nec fuit eleuata usque ad supremam regionem aeris, in qua spiritus subtiles eleuantur, qui dicuntur “exalationes”, ex quibus impressiones ignite generantur. Nam sicut in aere sunt tres regiones, scilicet: hec suprema, infima et media, sic in mundo suprema beatorum cum spiritibus angelorum; infima mundi peccatorum et in nulla istarum, sed eleuata ad mediam, scilicet: inter uiatores et comprehensores. Nam uiatores habent unum bonum, scilicet: posse mereri, sed aliud malum habent, scilicet: posse peccare. Comprehensores habent unum bonum, scilicet: non posse peccare, sed aliud malum uel defectum habent, scilicet: non posse mereri. Sed uirgo Maria fuit media inter istos, quia de superioribus habuit non posse peccare, cum inferioribus habuit posse mereri, quod fuit maximum priuilegium in illa. Eleuata autem fuit a triplici radio, scilicet: a recto, incorporato et reflexo. Radius rectus sursum fuit pater; radius incorporatus in nube fuit filius; reflexus radius fuit spiritus, scilicet: qui est amor reflexus de patre ad filium. Et sic

---

48-49: IV Rg. 2, 19-20. | 51: IV Rg. 2, 21. | 64: Ier. 31, 22.

52: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, NT, Mt., I. PL 23, 842B; VT, Rg., E. PL 23, 821A. | 55: cf. Th. Aq., *Comm. De Ani.* (vol. 6), I, 5, 10, (405b1), p. 8.

85 pater dedit illi potentiam, filius sapientiam, spiritus sanctus gratiam. Et sic quo ad hoc uirgo Maria dicitur recte “nubes”.

90 Secundo, dicitur “nubes” quo ad formam, nam ut dicit Beda, nubes quo ad partem superiorem est spherica et figure rotunde. Quo ad partem inferiorem est illius figure cum quo adiungitur. Et sic ratione illius figure recepit in se lumen et mittit illud ad nos maxime mane et uespere. Sic uirgo Maria fuit spherica quo ad partem superiorem, scilicet: uersus  
 95 celum, nam perfectissima et capacissima figura est spherica. Et sic uirgo fuit perfectissima creaturarum in parte superiori, scilicet: ut mater Dei. Nam licet meliorem creaturam facere posset quam suam matrem absolute, non autem comparata ad Deum et relata ad ipsum, ut dicit sanctus Thomas in primo, distinctione quadragesima quarta, tertio, obiectione; et in tertio, distinctione decima tertia, etcetera. Et fuit capacissima omnium, quia: «quem celi  
 100 capere non poterant suo gremio contulit», ut cantat ecclesia. Ideo dicit Bernardus in sermone: «o uenter capatior celis, diffusior terris, latior elementis, qui illum continere uoluit, quem totus orbis comprehendere non potuit». Et sic ipsa media circularis fuit filius suus perfecte sphericus, qui scientiam, gratiam, etcetera, infinitam habuit, quia: *non ei datus spiritus ad mensuram*. Sed uirgo in parte inferiori, scilicet: uersus mundum, fuit illius figure cui  
 105 applicabatur, unde Bernardus sermone octogesimo tertio dicit: «Maria omnia omnibus facta est sapientibus et insipientibus debitricem se fecit, ut de plenitudine eius accipiant uniuersi, captius redemptionem, eger curationem, tristis consolationem, peccator ueniam, iustus gratiam, angeli letitiam», etcetera. Et sic ratione huius letitie, licet sit transparens et spongiosa in se, recepit tamen lumen et dat mundo mane, id est, in principio legis gratie. Et sic dedit ipsi Iohanni et Elisabeth antequam «ortus esset sol iustitie Christus Deus noster». Item sero quando est absens sol a peccatore, ipsa recipit illud lumen in se et illuminat peccatores et ducit illos ad penitentiam. Et sic patet hoc.

110 Tertio, dicitur “nubes” quo ad effectum tripliciter, quia nubes tria facit. Primo, mitigat ardorem solis; secundo, facit solem uisibilem; tertio, irrigat et fecundat terram, quia in se ingrosatur uapor et descendit ad terram.

115 Sic uirgo Maria temperauit rigorem solis. Nam sicut quando sol maxime eleuatur et mittit radios suos ut sagittas ad nos, ut fit quando est in Leone in mense Iulii, sed si ponitur sub nube temperatur rigor eius, sic in statu nature fuit rigurosus Deus, ut patet in diluuiio et in Sodomis, etcetera, unde Psalmi quadragesimo quarto: *sagitte tue acute populi sub te cadent*.  
 120 Hoc malum pene fit a tota trinitate, quia opera trinitatis quod ad extra sunt indiuisa. Ille qui percutit est pater, arcus est filius, sagitta est spiritus, scilicet: nam pater percutit mediante arcu, et sic mediante filio. Sagitta est a percutiente mediante arcu, et sic spiritus sanctus a patre et filio procedit. Sed ex quo arcus fuit extensus in utero uirginali et assumpsit nostram miseriam fuit temperatus rigor sagittarium, unde Psalmi septimo: *arcum suum tetendit et parauit illum*. Tetendit in utero uirginali et parauit illum in die passionis contra demonem, quando dixit: *nunc princeps mundi huius eiicietur foras*. Fuit extensus in uirgine sumendo nostram naturam, unde Apostolus ad Titum tertio: *apparuit benignitas et humanitas saluatoris nostri*, etcetera. Et sic arcus fuit extensus in utero uirginali et quasi a contrario uersus, ut patet in arcu Turcorum, qui quando paratus, uertitur in contrariam partem. Sic Deus in

98-99: Io. 3, 34. | 114: Ps. 44, 6. | 119-120: Ps. 7, 13. | 121: Io. 12, 31. | 122-123: Tit. 3, 4.

86: cf. Bed., *De Nat. Rer.*, XXXII. PL 90, 252B-253A. | 93: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 2), lib. 1, dist. 44, q. 1, a. 3, p. 898; (vol. 5), lib. 3, dist. 13, q. 1, a. 1, p. 662. | 94-95: cf. Pseu. Bern. Cl., *Vit. Mys.*, IV, 12. PL 184, 644B. | 96-97: Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Nic. Cl., *In Nat. Dom.*, II, 2. PL 184, 834B. | 100-103: cf. MF. Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, II. PL 183, 430D. | 105: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, in Ev. PL 78, 802C.

113: Diluuiio] X diluculo.

125 utero sicut ante erat creator, tunc in se creaturam uniuuit. Ideo cum esset immortalis, factus  
 fuit mortalis; cum impassibilis, tunc factus passibilis; cum eternus, tunc temporalis et infans  
 unius diei, etcetera. Et sic uersus in contrariam partem, sed in die passionis fuit contra  
 demonem paratus in cruce, licet in utero fuerit extensus, unde Psalmi decimo septimo:  
 130 *posuisti ut arcum ereum brachia mea*. Et sic paratus percussit inimicum demonem et sic nobis  
 factus fuit benignus et demoni seus. Figura huius habetur Genesis nono: *statuam pactum*  
*meum inter te et omnem animam*, etcetera. *Hoc est signum federis quod do inter me et uos et ad omnem*  
*animam uiuentem, que est uobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus celi et*  
 135 *erit signum federis inter me et terram*. Hic arcus positus in nube, scilicet: in uirgine Maria, fuit  
 Christus filius Dei, nam corda fuit diuinitas rectissima, lignum flexibile fuit humanitas. Et  
 sicut ante incarnationem et ante aduentum in nube erat superius diuinitas et hic in terra  
 humanitas, postquam fuit in nube positus est econuerso, quia diuinitas est nobiscum in  
 sacramento altaris et humanitas in celo, quia tali die ascendit. Et sic cessauit rigor diuine  
 ultionis mediante hac nube.

Secundo, mediante nube sol est uisibilis, sic mediante uirgine Deus. Vnde ante erat Deus  
 140 absconditus, ut dicit Isaie quadragesimo quinto capitulo: *tu es Deus absconditus*, sed positus in  
 nube fuit factus uisibilis, unde Hiezechielis tricesimo secundo: *solem nube tegam*. Et sic dicit  
 Baruch tertio: *est post hec in terris uisus est et cum hominibus conuersatus est*.

Tertio, fecundat terram in se ingrossando uapores, sic uirgo Maria. Nam ante eius  
 aduentum terra erat arida per peccatum Ade. Ideo illi dixit Deus: *puluis es et in puluerem*  
 145 *reuerteris*, Genesis tertio. Et Daud dicit, Psalmi centesimo quadragesimo secundo: *anima*  
*nostra sicut terra sine aqua*. Sed ex quo uapor hic et spiritus, scilicet: filius Dei, positus fuit in  
 nube uirginea, ingrossatus descendit fecundans terram. Figura huius habetur tertio Regum  
 decimo octauo, quando propter peccatum regis Achab, quod comisit persuasione uxoris  
 sue regine Iezabel, non pluit super terram tribus annis cum dimidio. Et clamans ad Heliam  
 150 misit seruum suum supra montem Carmeli et sex uicibus nihil uidit, sed uice septima dixit  
 quod uidebat *nubeculam paruam quasi uestigium hominis ascendentem de mari*. Et sic mox fuit  
 pluuia in terra. Hic rex Achab significat regem Adam, qui persuadente Eua, uxore sua,  
 peccauit, propter quod non pluit gratiam supra terram tribus annis cum dimidio.

Primus fuit annus ignorantie post peccatum, scilicet: ante repromissionem Abrahe.

155 Secundus fuit annus repromissionis, scilicet: patriarcharum.

Tertius fuit annus prefigurationis, scilicet: prophetarum usque ad conceptionem  
 Iohannis Baptiste, in quo fuit terminus prophetarum, quia omnis propheta usque ad  
 Iohannem. Et sic post medium annum a Iohannis conceptione Christus conceptus fuit,  
 unde dicit Luce primo: *mense autem sexto missus est angelus Gabriel*, etcetera. Et sic nec Adam  
 160 nec Noe nec Abraham nec Moses nec Daud nec Zorobabel in secundo templo hanc  
 nubem uiderunt, sed sacerdos Symeon uidit nubeculam ad se uenientem et statim pluit  
 gratiam, quia: *uidimus eum quasi unigenitum a patre plenum gratia et ueritate, de cuius plenitudine nos*  
*omnes accepimus gratiam*, Iohannis primo, etcetera.

Et sic in lege nature non potuit hec gratia haberi, quia erat rigurosus Deus per defectum  
 165 nubis, nec tempore patriarcharum, quia nondum erat uisibilis, nec tempore prophetarum,  
 quia non ingrossatus, nec receptus in nube. Sed nunc si recte queritur habebitur, quia nunc  
 iam *nubes suscepit eum*. Ad hanc igitur recurramus dicendo: aue, etcetera.

---

129: Ps. 17, 35. | 130-133: Gn. 9, 9-13. | 140: Is. 45, 15. | 141: Ez. 32, 7. | 142: Bar. 3, 38. | 144-145: Gn. 3,  
 19. | 145-146: Ps. 142, 6. | 151: cf. III Rg. 18, 44. | 159: Lc. 1, 26. | 162-163: Io. 1, 14-16. | 167-168: cf. Act.  
 1, 9.

<THEMA> *Nubes suscepit eum*, ubi supra.

170 Due partes erunt in hoc sermone. Prima thematis introductiua et declaratiua et aliquantulum speculatiua. Secunda materie prosecutiua et hec erit practica.

In declaratione prime partis tractabimus questionem quandam, quam beatus Thomas mouet et tractat in tertia parte, questione quinquagesima septima, primo, obiectione; et in tertio, distinctione uicesima secunda, questione tertia, primo, obiectione; et in Compendio Theologie, quem misit ad fratrem Reginaldum, capitulo ducentesimo quadragesimo  
175 septimo, et est talis: «utrum fuerit conueniens Christum ascendere in celum post resurrectionem suam?» Et uidetur alicui quod non fuit conueniens, nam si esset, hoc esset aut ex parte Christi aut ex parte nostra. Sed nec sibi nec nobis fuit conueniens, igitur, etcetera. Primo, non sibi, quia omnis motus sit propter aliquam indigentiam, sed ascendere dicit motum. Indigentia non potest esse in beatis, cum beatitudo sit status omnium  
180 bonorum, etcetera. Si in beatis non est indigentia, multo minus in Christo, qui est dominus beatorum omnium. Item dato quod in illo esset indigentia, sine motu illam haberet, nam ut dicit Philosophus in secundo Celi et Mundi, illa que optimo modo se habent, possident suum bonum sine motu. Sed Christus optime se habuit, nam secundum quod Deus est summum bonum, et secundum naturam humanam est summe glorificatus, igitur, etcetera.  
185 Item si esset conueniens ei aut secundum naturam aut diuinam. Non secundum diuinam, quia, ut Deus, ubique est, nec secundum humanam, quia Christus dixit Nicodemo, Iohannis tertio: *nemo ascendit in celum nisi qui descendit filius hominis, qui est in celo*. Sed secundum naturam humanam non descendit, sed illam in utero uirginis assumpsit, igitur, etcetera, unde Apostolus ad Ephesios quarto dicit: *qui descendit ipse est qui ascendit* et de persona Christi. Item, si sibi fuisset conueniens, non differret illud post quadraginta dies, sed  
190 immediate post resurrectionem ascenderet, etcetera. Non fuit nobis conueniens, primo, quia ipse descendit ut liberaret nos a morte et daret nobis uitam per meritum suum, sed hoc impletum fuit in passione et resurrectione, unde ecclesia dicit: «mortem nostram moriendo destruxit et uitam resurgendo reparauit». Igitur ascensio eius non conuenit nobis. Item  
195 magis nobis fuisset utilis presentia sua corporalis, nam instrueremur per ipsum et miracula sua solidarent nos, etcetera. Dicendum quod ut dicunt sanctus Thomas et Alexander de Ales, conueniens fuit Christum ascendere et propter ipsum et propter nos.

Primo, propter ipsum tripliciter, scilicet: propter animam, propter corpus et propter diuinitatem suam.

200 Primo, propter animam et meritum eius, nam cum iusta et conueniens sit retributio meritorum, cum Christus exaltationem meruit, conueniens fuit quod eam reciperet. Sed notandum quod Christus non meruit secundum naturam diuinam, sed solum secundum naturam humanam. Et secundum illam meruit ab ipso primo instanti et deinceps in  
205 quolibet actu suo. Non enim meruit ea que erant intrinseca illi, scilicet: diuinitatem nec gloriam anime nec gratiam nec uirtutes, sed solum gloriam exteriorem corporis, scilicet: immortalitatem et exaltationem corporis. Et illud meruit ante passionem et mortem quando fuit secundum corpus et anime sensus et potentias sensitivas, et etiam secundum portionem intellectus inferiorem uiator. Nam post mortem fuit comprehensor secundum

---

187: Io. 3, 13. | 189: Eph. 4, 10.

175-176: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 57, a. 1, p. 438; *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 22, q. 3, a. 1, p. 1140; *Comp. Th.*, I, c. 240, p. 186. | 182: cf. Auctor. Arist., *De Cael. Et Mun.*, II, 45, 284a14-15, p. 163. | 193-194: cf. Gre. Mag., *Lib. Sacr.*, in die San. Pasc. PL 78, 92B. | 196-197: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 57, a. 1, p. 439; cf. Alex. Hal., *S. Th.*, (vol. 4), lib. 3, inq. 1, trac. 7, q. 1, p. 290.

171: Partis] M partes.

210 portionem superiorem et inferiorem et tunc non potuit mereri, ut dicit Scotus in tertio, distinctione decima octava. Et sic non meruit gratiam et gloriam sibi, sed nobis solum. Illa autem que sibi meruit, meruit secundum humilitatem, nam ipse dixerat: *qui se humilitat exaltabitur*, Luce decimo quarto. Cum ipse maxime se humiliaverit, maxime debuit exaltari. Fuit autem Christus dupliciter humiliatus. Primo, summendo nostram naturam passibilem et in illa passus et secundum illam mortuus. Secundo, fuit humiliatus, quia post mortem  
 215 descendit secundum corpus ad sepulchrum et secundum animam ad inferos, ut patres eriperet, quod solo iussu uel mandato poterat illos extrahere, et noluit nisi mediante anima sua sacratissima presentialiter. Et sic secundum primam humiliationem fuit exaltatus per resurrectionem; secundum secundam de loco fuit exaltatus per ascensionem. Ideo dicit Apostolus: *exinanivit semet ipsum formam*, etcetera, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem*  
 220 *crucis, propter quod et Deus exaltauit illum*, etcetera, ad Philippenses secundo. Hec sunt uerba sancti Thome in Compendio suo Theologie, capitulo ducentesimo quadragésimo septimo. Et sic postquam meruerat ante mortem, conueniens fuit quod post resurrectionem reciperet exaltationem in celum.

225 Secundo, hoc fuit conueniens ex parte corporis, nam sicut naturaliter corpora perfectiora sunt suprema, sic in gloria, quia: «gloria non destruit naturam, sed perficit eam». Et cum hoc corpus excedat omnia alia corpora, ut diximus, quia operatione sancti spiritus formatum, et excelentissima gratia et gloria dotatum et diuinitati unitum, sequitur quod debuit collocari supra omne aliud corpus.

230 Tertio, conuenit ei secundum diuinitatem, ut ostenderet se uerum Deum et filium naturalem patris. Et sic ostendit potentiam diuinam in tribus.

Primo, quia sicut primus omnium resurrexit, sic primus omnium ascendit.

Secundo, quod propria uirtute ascendit, unde Isaie sexagesimo tertio querentibus angelis: *quis est iste qui uenit de Edom*, etcetera? Respondetur per angelos superiores: *iste formosus in stola sua gradiens in multitudine uirtutis sue*.

235 Tertio, quia ascendit super omnes celos, unde: *ascendit super celum celi ad orientem*, Psalmi sexagesimo septimo. Similiter Apostolus ad Ephesios quarto: *ascendit super omnes celos*, et non solum super omnes celos corporeos, sed super omnes spiritus angelorum. Vnde Psalmi decimo septimo: *ascendit super cherubin et uolauit, uolauit super pennas uentorum*. Non sic de Helia nec de aliquo alio, nam ille non ascendit in celum ethereum, sed aereum, unde: *uolucres celi*,  
 240 etcetera, Psalmi octauo, nec ascendit propria uirtute. Vnde dicitur quarto Regum secundo: *cum leuare uellet dominus Heliam*, etcetera, nec super angelos, immo ab angelis eleuatus.

Conueniens fuit etiam quo ad nos tripliciter.

Primo, ut nos in uirtutibus confirmaret, scilicet: in fide, spe et charitate.

245 Secundo, ut nos in possessionem mitteret, nam tria sunt de ratione beatitudinis: primum fruitio et contemplatio diuinitatis, hoc dedit in descensu ad inferos; secundum est corporis glorificatio et hoc dedit in die resurrectionis; tertium est decentia loci, hoc dedit hodie.

---

211-212: Lc. 14, 11. | 219-220: Phil. 2, 7-9. | 233-234: Is. 63, 1. | 235: Ps. 67, 34. | 236: Eph. 4, 10. | 238: Ps. 17, 11. | 239: Ps. 8, 9. | 241: IV Rg. 2, 1.

209: cf. Dun. Scot., *In Lib. Sent.* (vol. 14), III, dist. 18, q. 1, p. 670. | 221: cf. Th. Aq., *Comp. Th.*, I, c. 203, p. 159. | 225: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 8, 199a16, p. 86; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 1, a. 8 ad 2, p. 11.

Tertio, fuit nobis conueniens ut in celis pro nobis aduocaret, unde prima Iohannis secundo capitulo dicitur: *aduocatum habemus apud patrem Christum Iesum*, etcetera. Item Bernardus dicit: «securum habes, o christiane, accessum ad patrem, ubi filius ante patrem et ostendit illi latus et uulnera», etcetera.

Ad rationes igitur apparentes respondendo.

Ad primam dico quod illud quod habet optimum esse est Deus et ille nullo modo mouetur. Sed humanitas Christi, licet unita fuerit creatori, non definit esse creaturam et sic potest moueri. Et quando dicis nullam habet indigentia, igitur non mouetur. Dicendum quod secundum sanctum Thomam: «nihil accreuit Christo in ascensione quo ad esse glorie, sed bene quo ad locum, et bene esse et de illo gaudium habuit». Non nouiter gauisus fuit, sed nouo modo gauisus, sicut de re completa, ut dicit Alexander de Ales, quod motus iuit aliquando propter indigentiam et aliquando ad ostendendum uirtutem propriam, ut patet in illo qui saltat uel currit. Aliquando propter hoc quod lucretur illud quod non habet, aliquando coram rege ad ostendendum uirtutem. Et isto ultimo modo motus erit in beatis.

Ad secundum dicendum quod natura humana mouetur a diuina. Quando dicit: *non ascendit nisi qui descendit*, refertur ad suppositum diuinum. Exemplum: si homo spoliatus descendit de camera et uestitur infra et iterum ascendit, diceremus quod ille qui descendit ascendit, sed descendit nudus et ascendit uestitus. Sic in proposito, filius Dei descendit de celo, non localiter, sed quia: *exinaniuit semet ipsum formam serui accipiens*. Sicut quando rex accipit filiam pauperis in sponsam, dicimus quod descendit per humilitatem, sic Christus descendit per nouum effectum incarnationis, sed non dimisit celos secundum diuinitatem. Exemplum: radius exiens a sole recipit nubem in terra illuminando illam et atrahendo, et si nubes ascendit et radius in illa, non dimittit radius terram, licet in nube ascendat, nec uadit in nube ad locum in quo non est, quia radicitur in sphaera solis, sed per nouum effectum descendit et ascendit, nubes uero localiter ascendit. Sic humanitas Christi mouebatur a diuinitate.

Ad tertium dico quod fuit conueniens ascendere et quod quadragesima die ascenderet, nam conueniens fuit quod articulum resurrectionis probaret, qui est difficilior articulo ascensionis, quia ille secrete factus. Hic aperte uidentibus omnibus, mors probata fuit sufficienter in triduo, sed resurrectio per multa argumenta, ut dicit Lucas in lectione hodierna.

Ad quartum dico quod licet omnia impedimenta essent remota in passione et uita data in resurrectione, conueniens fuit quod ipse collocaret nos in realem possessionem, et hoc per suam ascensionem.

Ad quintum dicendum quod presentia corporalis Christi nobis non conueniebat, quia derogabat fidei, qui est «de non uisis». Item spei, cum uideremus ipsum hic in mundo. Item charitati in quantum ascensione carnali ad illum moueremur. Item reuerentie Christi, quia non ut Deum et hominum omnium stimaremus ut erat. Et quia dimiserat nobis sacramentum eucharistie, in quo est presentia sua, abstulit a nobis propter bonum suam corporalem presentiam.

248: I Io. 2, 1. | 261-262: cf. Io. 3, 13. | 265: cf. Phil. 2, 7.

249-250: Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Ern. Bon., *De Lau. B. M. V.*, 1. PL 189, 1726C. | 255-256: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 57, a. 1 ad 2, p. 439. | 257: cf. Alex. Hal., *S. Th.*, (vol. 2), lib. 2, inq. 2, trac. 3, sect. 2, q. 2, tit. 2, a. 1, p. 234. | 282: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 7, a. 4, p. 65.

Et ascendendo ostendit se esse uerum Deum et dominus totius mundi et rerum omnium que in illo sunt.

290     Iam ostenderat se dominum celi quando in baptismo suo celi aperti fuerunt, et dominum rerum celi quando angeli uenerunt ad suam natiuitatem.

Iam ostenderat se dominum inferni quando ad illum ut dominus descendit, et rerum inferni quando sanctos patres ex illo eduxit.

Ostenderat se dominum paradisi quando illum uisitauit, et rerum illius quando ab illo Heliam eduxit.

295     Ostenderat se dominum terre quando a sepulchro suscitauit, et rerum terre quando multa corpora sanctorum surrexerunt cum illo.

300     Ostenderat se dominum aque quando super illam siccis pedibus ambulauit, et hominum rerum elementi aque quando pisces ad apostolos iussit uenire, et thesauri illius quando precepit Petro ut acciperet piscem, qui stateram habebat in ore, et tributum de illo pro ambobus soluit. Restabat igitur ut ostenderet se dominum medii elementi aeris, et ad hoc conueniens fuit ut per illum (ut dominus) ambularet, unde Psalmi decimo septimo: *ascendit super cherubin et uolauit super pennas uentorum*. Et ut ostenderet se dominum eorum que sunt in aere quando ascendebat, *nubes suscepit eum*. Quo ad primam partem.

305     Secunda pars practica est hec: Christus, sicut in uita mortali non habuit locum nec domum certam, ut ipse dixit, Luce nono: *filius hominis non habet ubi caput reclinet*, sic dum fuit in uita beata et immortalis nullum determinauit sibi locum certum. Et ratio huius fuit, nam ostendit ex hoc quod beatitudo non consistit in aliquo corporali, quia locus est quid corporeum cum sibi determinet dimensiones certas.

310     Item ostendit quod beatitudo non determinat sibi de necessitate locum determinatum, licet ex decentia habeat locum separatum et remotum a transmutatione, ut celum empireum. Sed non de necessitate, quia angeli sic sunt beati dum sunt in hoc mundo, sicut in celo. Vnde: *angeli eorum qui sunt in hoc mundo semper uident faciem patris, qui in celis est*, etcetera, Matthei decimo octauo.

315     Tertio, hoc facit ut ostenderet se esse uerum Deum, qui non determinat sibi locum, cum sit ubique. Et sic non habuit locum determinatum, sed aliquando uisitabat matrem, aliquando apostolos, aliquando sanctos patres, quos ab inferno eduxerat. Nam sancti patres erepti ab inferis fuerunt collocati in paradiso terrestri usque ad diem ascensionis domini, qui cum essent immortales et beati, nullus erat locus in mundo illis conueniens, nisi paradisos a transmutatione remotus. Et sic in illo loco manserunt, ut dicit sanctus Thomas in tertio, distinctione uicesima secunda. Et sic Christus isto tempore uisitabat matrem continuo et apostolos aliquando et sanctos patres etiam aliquando. Et sic hodie, scilicet: die quadragesimo a resurrectione Christus, summo mane uenit ad patres existentes in paradiso et dixit illis: “*ascendo ad patrem meum et patrem uestrum Deum meum et Deum uestrum*, ad illum qui est pater meus naturaliter et uester per adoptionem, pater meus ex natura, uester ex gratia”.  
320  
325     Et dixit illis: “estote parati, quia hodie introducam uos in regnum glorie uobis promissum”.

---

301-302: Ps. 17, 11. | 303: Act. 1, 9. | 305: Lc. 9, 58. | 312: Mt. 18, 10. | 323: cf. Io. 20, 17.

319-320: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 22, q. 2, a. 2, p. 1134.

303: *Post partem X add.* etcetera.

Et illis dimissis, uenit in Hierusalem ad cenaculum. Et cum esset alta dies, inuenit apostolos recumbentes, et sic dicit Marcus: *nouissime recumbentibus undecim discipulis apparuit illis dominus Iesus*. Dicit “nouissime” post multas alias apparitiones fuit hec non ultima, sed penultima, nam ultima apparitio fuit in monte Oliueti. Et cum essent in mensa ordinatim et uirgo Maria in capite, ut regina domina et magistra, illi dum ipsum uiderunt, uoluerunt a mensa surgere. Ipse uero noluit, sed sedit circa pretiosam eius matrem. Et cum comederet cum illis ad probandam eius ueritatem humanitatis et ad amorem et charitatem illos inducens, finaliter post prandium dixit matri sue in conspectu discipulorum: “o mater dignissima, *tempus est ut reuertar ad eum qui me misit*”. Tunc mater Christi, licet diligeret triumphum Christi, sed (quia mater erat naturalis) de absentia filii commota fuerunt uiscera eius dicens: “o fili mi, tam tarde notus immortalis, tam cito recedis a me? Nonne sicut fuisti mortalis triginta tribus annis totidem immortalis ad nostri consolationem hic permanere debetis?” Dicit: “o uirgo beata, omnia mysteria a patre meo imperata sunt iam impleta. Si quadraginta horas tristitiam ex morte mea habuistis, quadraginta diebus consolationem uobis dedi, et sic diem pro hora. Vos eritis domina et magistra apostolorum. Vado uobis parare locum et sedem. Hodie festum est mei totum, nil de festiuitate pro uobis remanet. Sed in die assumptionis uestre maius festum uobis seruatur. Nam omnes sancti et sancte et omnes chori angelorum erunt uobis obuiam. Item ego festinus adueniam et sic opus uos pro nunc remanere hic in mundo, ego ad patrem pergam”. Et sic uirgo Maria in uoluntate conformis dixit: “fili, fiat uoluntas uestra”.

Tunc discipuli audientes recessum Iesu dicunt illi: “o domine, nos pro societate uestra electi fuimus, igitur nunc uobiscum ascendere debemus. Fuimus socii in passione, esse debemus etiam in consolatione et glorie uestra”. Tunc dicit Christus: “ego non pro mea utilitate sed pro uestra et totius mundi uos elegi. Vnde: *ego elegi uos ut eatis et fructum afferans et fructus uester maneat*, etcetera, Iohannis decimo quinto. Si dicitis quod in passione fuistis, certe etiam fidem perdidistis in illo triduo”. *Et sic exprobanit incredulitatem illorum*: “nec Magdalene nec Petro nec discipulis in Emaus nec mihi credidistis, quia estimabatis spiritum uidere”. Ideo dicit: *et duritiam cordis, quia his qui uiderant*, etcetera. “Cum mater mea nunquam a mente perdiderit me in illis quadraginta horis, ideo ego cotidie in quadraginta diebus illam consolauit, sed uos qui usque ad tertium diem non me credidistis, tredecim uicibus in his diebus uobis apparui, scilicet: de tertio in tertium die. Nam ter tredecim sunt triginta nouem et hodie dies quadraginta. Et quia pro predicatione uos elegi: *ite ergo et predicate euangelium omni creature, qui crediderit et baptizatus*”, etcetera. Dixerunt apostoli tunc: “domine, ne derelinquas nos orphanos”. Et illi qui aduenerant dixerunt: “domine, si in tempore hoc restitues regnum Israhel”, scilicet: de possessione romanorum, uel regnum Israhel, id est, uidentium Deum, scilicet: dando electis gloriam in fine mundi, quia putabant usque ad finem mundi ibi remansuros ad predicandum. Tunc dixit illis: “*non est uestrum nosse tempora uel momenta*”, etcetera. Et: “*non relinquam uos orphanis*, quia mater mea erit mater uestra, pater uester erit spiritus sanctus”. Ideo: “*accipietis uirtutem ex alto non post multos hos dies et eritis mihi testes in Hierusalem*”, etcetera.

Et tunc dixit matri et omnibus aliis ut irent in montem Oliueti uersus Bethaniam, quia ille esset in breui cum ipsis et illis dimissis iuit in paradisum. Et sic dicunt doctores quod apostoli et alii iuerunt cum uirgine Maria, et erant cum illa alie mulieres cum uiris, etcetera. Et cum Christus esset in paradiso dixit patribus: *uenite benedicti patris mei, percipite regnum quod paratum est uobis*, etcetera. Et accepit Adam de manu et omnes alii secuti sunt eum. Cum

327-328: cf. Mc. 16, 14. | 334: cf. Tb. 12, 20. | 349-350: Io. 15, 16. | 351: cf. Mc. 16, 14. | 353: cf. Mc. 16, 14. | 357-358: cf. Mc. 16, 15-16. | 362-363: cf. Act. 1, 7. | 363: cf. Io. 14, 18. | 364-365: cf. Act. 1, 8. | 369-370: cf. Mt. 25, 34.

332: Amorem] X mortem.



autem essent in porta paradisi Enoch et Helias, dixit Enoch: “domine, iam sunt anni tres mille septingenti quadraginta quinque quibus hic sto, supplico ut post te me trahas”. Item dicit Helias: “domine, iam sunt anni nongenti quadraginta quattuor quibus hic sto. Et ex quo audiui uerba tua cum Mose in die transfigurationis et uidi eadem die gloriam tuam, hoc  
 375 breue tempus factum fuit mihi et uisum ac si esset mille annorum. Igitur supplico tuam maiestatem ut ego et socius meus ascendamus tecum”. Dixit illis Iesus: “non licet uos ascendere nunc, nec quo ad me, nec quo ad mundum, nec quo ad uos. Non quo ad me, quia statutum meum est ut homines prius moriantur quam in gloriam ascendant. Nec quo  
 380 ad mundum, quia uos, ut testes eorum que uidistis, opus predicare mundo in ultimo iudicio tempore antichristi. Nec quo ad uos, quia nunc non cum multo merito ascenderetis, sed tunc ibitis cum coronis gloriosi martyrii, nam antichristus interficiet uos”, etcetera.

Et sic illi contentissimi osculati fuerunt pedes et manus Christi et in paradiso remanserunt, ubi nunc sunt. Cum autem Christus uenisset in montem Oliueti, inuenit illic uirginem cum discipulis et aliis, et sancti patres osculabantur manus uirginis et regine  
 385 angelorum. Et Christus positus fuit circa uirginem et illam amplexabatur, et apostolos recepit ad osculum pacis. Deinde ascendit super lapidem magnum, in quo etiam usque in hodiernum diem uidentur uestigia Christi, maxime pedis dextri, in quo loco nunc est capella in qua iacet Sancta Maria Egiptiaca, et ut dicit Sulpicius, nunquam pauimentum potuit concludi in parte illa per quam Christus ascendit. Dum esset supra lapidem, tres hierarchie  
 390 angelorum ordinate fuerunt ad dexteram et tres chori hominum, scilicet: legis nature, scripture et gratie ad sinistram.

Et tunc Christus benedixit omnibus et eleuatis manibus ferebatur in celum, etcetera. Tunc citharedus Dauid cum cithara sua cepit cantare illud Psalmum quadragesimo sexto: *omnes gentes plaudite manibus*, etcetera. Et angeli ceperunt cantare canticum nouum tripliciter,  
 395 ut dicit Voragine, scilicet: uocibus, tubis et cytharis, unde: *ascendit Deus in iubilatione dominus in uoce tube*. Item: *in tympano et choro in cordis*, etcetera. Et sic erat iubilatio que uoce non potest exprimi, nam erit non huius mundi, sed alterius glorie. Vnde: *nec oculus uidit nec auris audiuit*, etcetera, Isaie sexagesimo quarto. Et dum Christus ascenderet et esset circa locum  
 400 ubi erat nubes parata in obsequium eius: *ecce duo angeli in uestibus albis, qui et dixerunt: “uiri galilei quid statis aspicientes?”* Et cum omnes angeli intenderent in solemnitate Christi, isti duo fuerunt missi ad instruendum mundum de tribus, scilicet:

de causa ascensionis, cum dicit: “quid statis?”

Secundo, de societate cum dicit: “aspicientes in celum”.

Tertio, de iudicio, cum dicit: “sic ueniet”, etcetera. Dicunt angeli: *quid statis, o uiri galilei?*  
 405 Id est, transmigrationis huius mundi. Nam stare est esse erectum et altum et eleuatum et non humiliatum. Vnde cum Christus ascenderet mediante humilitate, instruxit nos quod ascendere non possumus nisi humiliemur.

Sic Christus humilis factus fuit, et sic debemus nos humiliare secundum tria que Christus fecit.

410 Primo, descendit ad mundum, sic nos non debemus per superbiam in altum uolare, sed descendere ad mundum inferiorem et considerare illius deffectum, ut contemnatur a nobis.

---

394: Ps. 46, 2. | 395-396: Ps. 46, 6. | 396: Ps. 150, 4. | 397-398: Is. 64, 4. | 399-400: cf. Act. 1, 10-11. | 404: cf. Act. 1, 11.

388: Sulpicius] *NI*. cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, LXXII, p. 319. | 395: cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, LXXII, p. 321.

Debemus considerare pericula maxima illius, considerare delectationes illius esse momentaneas, diuitias esse transitorias.

415 Et si hoc non sufficit, debemus descendere in sepulchrum, ut Christus fecit, considerando breuitatem uite nostre, quia: «tam ducibus quam principibus mors communis habetur». Illi qui non contentatur uestire sericum nec deauratum, in breui cum modica tela sunt in sepulchro. Non contentatur de tribus uel quattuor regnis, in breui sunt in spatio decem palmorum. Non in titulis altitudinis nec in pompis instrumentorum musice, sed in spatio unius anni periiit memoria eorum cum sonitu. Et licet in tubis ductilibus in tympano  
420 et choro, etcetera, sed ultimo dicit Dauid: *in cimbalis*. Conclisit psalterium suum, quia erit ultima campanarum musica ad sepulturam, etcetera. Et sic considerando illud humiliatur quis, etcetera.

Tertio, si hoc non sufficit, debemus descendere per considerationem ad infernum et cogitare penas illius et sic contemnemus mundum. Et hoc dicebat Apostolus: *que sursum*  
425 *sunt querite, ubi Christus est, non que super terram*, etcetera, ad Colossenses tertio.

Secundo, dicit: “aspicientes in celum”, inducens nos ad considerandum societatem Christi, nam ad sinistram erant patriarche pleni fide et pietate.

Secundo, martyres pleni patientia et fortitudine.

Tertio, confessores et uirgines casti et sobrietate pleni, ut credamus quod infideles nec heretici nec male de fide sentientes non ascendunt cum Christo.  
430

Secundo, pro maioribus, ut consideremus quod impatientes, inconstantes, etcetera, non ascendunt cum Christo.

Tertio, ut consideremus quod gulosi, luxuriosi et similes non ascendunt ad dexteram. Debemus considerare angelos laudantes cum tuba, per quam exit anhelitus a corde cum  
435 uoce ab ore. Cum aliis instrumentis a manibus tactis ostendit quod nos debemus hodie Deum laudare corde, id est, tuba, uoce et opere misericordie. Quia septem instrumentorum genera, qui manu tanguntur, significant septem opera misericordie, et sic in precipuis festiuitatibus largiter sunt danda, etcetera.

Tertio, instruit nos de die iudicii.

440 Si ista hic non facimus, quam strictam rationem illi dabimus? Et sic dicit: “sic ueniet” quo ad se, quo ad societatem, et quo ad apparatus et locum. Ideo ueniet in potestate magna et maiestate. Sic ostendet cicatrices ingratis et illum recipere non uolentibus. Sic ueniet cum societate sanctorum et angelorum. Sic ueniet in illa distantia et in nube sedebit et dabit malis penam eternam et bonis gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, qui cum  
445 patre et spiritu sancto, etcetera.

---

420: cf. Ps. 150, 5. | 424-425: Col. 3, 1-2.

415-416: cf. Pseu. Bern. Cl., *Carm. Par.* PL 184, 1308A.

419: Periiit] X petiit. | 445: Post spiritu M *omm.* sancto.

SERMO OCTVAGESIMVS SECVNDVS ET SECVNDVS IN EODEM DIE ASCENSIONIS DOMINI  
NOSTRI IESV CHRISTI

<THEMA> *Sicut aquila prouocans ad uolandum pullos suos et super eos uolitans*, Deuteronomii tricesimo secundo.

5 Tanta fuit excellentia et singularitas uirginis gloriose quod soli illi inter puras creaturas uerba thematis conuenire possunt, excepto filio suo glorioso. Tria que in themate scribuntur illi conueniunt, scilicet: esse aquila, prouocare pullos suos ad uolandum, et super eos uolitare.

10 Primo, quod fuerit aquila probatur tripliciter, scilicet: primo, ratione dignitatis; secundo, ratione habitationis; tertio, ratione acuminis uisus.

Primo, ratione dignitatis, nam ut dicit Albertus Magnus in libro De Animalibus, aquila est domina et regina omnium uolatilium. Sic uirgo Maria: «domina mundi et regina celi», ut dicit Bernardus.

15 Secundo, ratione habitationis in altum, nam in altis habitat et nidificat. Nunquam enim quesuiit in mundo aliquid, sed contemplantur celestia, unde Apostolus: que *sursum sunt querite non que super terram*, ad Colossenses tertio, sic uirgo Maria.

Primo, habitauit in altum per contemplationem.

Secundo, nidificauit in altis thesaurizando in celis, nihil in mundo retinens, sed pauperem uitam ducens.

20 Tertio, quo ad modum nidificandi, nam ut dicit Albertus: «ponit aquila duo oua et inter illa ponit lapidem ethitem sine cuius potentia oua uiuificari non possunt. Sicut enim hic lapis habet sexaginta colores lapidum, sic et uirtutes plurimas. Hic pueros incolumes seruat, pregnantas iuuat ne abortum faciant nec in partu grauiter laborent». Sic Maria uirgo peperit filium, in quo duo fuerunt, scilicet: anima et corpus. Sed in medio lapis pretiosus diuinitatis,  
25 in quo omnis uirtus fuit, animam uiuificauit naturaliter, quia sine uirtute uiri factus uiuus operatione spiritus sancti et quo ad gratiam, etcetera.

Corpus etiam, quia in sepulchro ab ipsa diuinitate conseruabatur et multo tempore conseruaretur ac si iuncta esset anima.

30 Secundo, matrem conseruauit a libidine in concipiendo, a grauitate in portando, a dolore in pariendo.

Tertio, puerum preseruauit ab Herode et a iudeis, donec uoluit pati, etcetera.

35 Tertio, ratione acuitatis uisus, unde Isidorus: «aquila ab acumine uisus dicta». Videt enim (ut ait Albertus) que non sunt nobis manifesta, ut pisciculos in mari; uidet minima animalia super terram; uidet insuper solem in rota et sphaera sua propria, que alia animalia non possunt. Sic uirgo Maria:

3: Dt. 32, 11. | 15-16: Col. 3, 1-2.

11: cf. Alb. Mag., *De Animal.*, XXIII, 9, pp. 439bsq. | 12: Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328A. | 20-23: cf. Alb. Mag., *Min.*, II, 2, 5, p. 35b; cf. Alb. Mag., *De Animal.*, XXIII, 9, p. 440a-441b. | 32: Isid., *Ety.*, XII, 7, 10. PL 82, 460B. | 33: cf. Alb. Mag., *De Animal.*, XXIII, 9, p. 440b.

23: Abortum] M aborsum, X arborsum. | 32: Tertio] X tertia.

primo, uidet occulta subueniendo in purgatorio animalibus existentibus in lacu inferiori, ut cantat ecclesia: “de profundo lacu libera eas”.

Secundo, uidet necessitates nostras in terra, nam: *in altis habitat et humilia respicit*, etcetera, Psalmi centesimo decimo secundo.

40 Tertio, uidet spheram et radium solis, nam cum habeat maiorem gloriam ceteris sanctis et beatitudo consistat in clara Dei uisione, sequitur quod ipsa clarius uideat ceteris sanctis, excepta anima pretiosissima Christi, etcetera.

Secundo, prouocat ad uolandum pullos suos, quo ad tria.

45 Primo, cibum illis ostendendo antequam applicet ad nidum. Quando pulli sunt magni, illis ostendit predam ut a nido uolent, sed antequam illos nutriat, probat illos, ut dicunt Albertus et alii doctores. Nam aquila accipit pullum suum et ponit illum ad radium solis, et si uidet quod ille respicit radium sine oculi clausura, illum nutrit, si autem claudit oculum lacrimando, illum deserit et moritur. Sic uirgo Maria ostendit nobis cibum nostram, scilicet: filium in quo est refectio nostra, quia: «nobis datus, nobis natus ex intacta uirgine», etcetera.  
50 Si autem uidemus eum ut redemptorem, ipsa nutrit nos; si autem non, deserit nos et perimus, unde Bernardus dicit de Maria: «sicut a te despectus et auersus necesse est quod pereat, sic ad te reuersus et a te respectus impossibile est quod pereat. Filioli, hec peccatorum scala, hec mea maxima fiducia, hec tota ratio spei mei», etcetera. Sic igitur uirgo Maria prouocat ad uolandum ostendendo cibum, ut faciunt falconarii ostendendo cibum  
55 uerum uel apparentem, ut patet in simulachro quod uulgariter dicitur “senyuelo”.

Secundo, alas preparando, ut faciunt falconarii, qui preparant alas falconum. *Sic aquila facit filiis suis et ipsa expandit alas suas*, etcetera. Sic uirgo Maria facit, nam ipsa habuit duas alas, quibus mediantibus fuit eleuata in matrem Dei. Iste fuerunt uirginitas et humilitas, de quibus dicit Bernardus quod: «Maria uirginitate placuit, sed humilitate concepit». Ista erant  
60 necessaria ad matrem Dei, scilicet: quod Deo placeret et filium suum conciperet. De isto habetur a Iohanne, Apocalypsis duodecimo: *signum magnum apparuit in celo, mulier amicta sole*, etcetera. (Infra): *date fuerunt mulieri due ale aquile, ut uolaret in desertum*. Sic uirgo Maria, his mediantibus, uolauit in desertum, quia desertum dicitur “quasi derelictum”. Sic a prima muliere fuit gratia derelicta et gloria et diuinitas, quia deseruit Deum et secuta fuit  
65 demonem. Sed uirgo Maria econuerso, quia his mediantibus uolauit in filium Dei, quem habuit suum. Et sic, cum esset ille dator gratie et glorie, uolauit in illa. Et sic non solum recepit in se Deum, sed gratiam et gloriam abundantem.

Tertio, super humeros portando per uirtutem misericordie, unde cantat ecclesia: “lapsos erige, errantes corrige, trementes corrobora, pusillanimes conforta”, etcetera. Item  
70 Bernardus: «de plenitudine eius accipiunt uniuersi, captiuus redemptionem, eger curationem, tristis consolationem, peccator ueniam, iustus gratiam, angeli letitiam et denique tota», etcetera. Et sicut aquila portat super humeros pullos suo, sic uirgo Maria per pietatem et misericordiam portat peccatores et tolerat donec conuertantur, etcetera.

---

38: Ps. 112, 5-6. | 56-57: cf. Dt. 32, 11. | 61: Apc. 12, 1. | 62: Apc. 12, 14.

46: cf. Alb. Mag., *De Animal.*, XXIII, 9, pp. 439b-440a; cf. Isid., *Etym.*, XII, 7, 11. PL 82, 460B. | 49: cf. Th. Aq., *Off. Cor. Christ.*, p. 275. | 51-53: cf. MF. Ans., *Orat.*, LII. PL 158, 956C; cf. Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 7. PL 183, 441D. | 59: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, I, 5. PL 183, 59B. | 70-72: cf. MF. Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, II. PL 183, 430D.

43: Volandum] M, X bolandum.

75 Tertio, aquila uolat super pullos suos. Sic Maria uirgo uolat tripliciter super suos alios. Primo, quo ad meritum; secundo, quo ad exemplum; tertio, quo ad subsidium.

80 Primo, quo ad meritum, quia habuit excellentiorem gradum glorie. Nam sicut aquila uolat usque ad spheram igneam et in uetustate (ut dicunt doctores, maxime Albertus) penne eius comburuntur, sic uirgo Maria non solum super angelos et archangelos, sed etiam super cherubin et seraphin, qui est ignitus, exaltata fuit. Vnde ecclesia: «exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum», etcetera.

Secundo, quo ad exemplum, quia in gestu, uerbo et facto semper dedit exemplum aliis, ut dicit Ambrosius in libro De Virginitate dicens: «taliter fuit Maria, ut eius uita omnium fuerit disciplina».

85 Tertio, uolauit supra per subsidium. Vnde aquila est huius conditionis quod ita abundanter recipit predam et cibum quem dat omnibus inferioribus auiibus, que cibum querere non possunt a se. Sic uirgo Maria, que sic abundanter recipit gratiam quod dat illam omnibus qui a se habere non possunt, solum sperent in ea et sint sub se.

90 Igitur, si nos gratiam a nobis habere non possumus, ad hanc recurramus, que est *sicut aquila prouocans ad uolandum pullos suos*. Igitur in principio sermonis humili mente et pia dicamus: aue Maria, etcetera.

<THEMA> *Sicut aquila prouocans ad uolandum*, etcetera, loco et capitulo ubi supra.

Duo sunt uidenda in presenti sermone, ideo due partes. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda materie prosecutiua.

95 Circa prima, notandum quod sententia est omnium catholicorum doctorum quod omnes uirtutes gratie et singularitates, que in omnibus creaturis fuerunt disperse, in Christo fuerunt congregate et unite et excellentius communicate.

Patet hoc in herbis, nam sicut per appositionem alicuius herbe in aliquo uulnere sanatur uulnus, sic per contactum Christi, unde Matthei octauo de leproso dicitur quod: *tetigit eum dominus dicens: "uolo mundare", et confestim mundata est lepra eius*.

100 Secundo, sicut ex suco alicuius herbe sanatur quis, sic ex saliuia Christi, ut patet Iohannis nono de ceco a natiuitate, quia mediante sputo, etcetera.

105 Tertio, sicut herbe sine contactu reali per solum contactum uirtualem sanant multiplicando uirtutem in medio, ut patet in odore per montes, etcetera, sic Christus solo uerbo, quia uox multiplicatur in aere, etcetera. Et ut ostendatur excellentia uirtutis Christi ad alias creaturas, patet quia uirtus finita in tempore agit, et quanto est maior ceteris paribus tanto minori tempore agit. Exemplum de ballista mittente sagittam: quanto potentior tanto in minore tempore mittit. Et sic uirtus infinita in non tempore, sed in instanti, quia: «finiti ad infinitum nulla est proportio», ut Philosophus dicit in octauo Physicorum et primo Celi. Ideo Christus sanabat in non tempore, quia infinita erat eius uirtus, sed alia in tempore per

---

88-91: cf. Dt. 32, 11. | 98-99: Mt. 8, 3. | 100: cf. Io. 9, 6.

77: cf. Alb. Mag., *De Animal.*, XXIII, 9, p. 440b-441a. | 79-80: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Anti. unde supra. In primo nocturno. PL 78, 798D. | 82-83: Ambr., *De Virg.*, II, 2, 15. PL 16, 210D. | 107-108: cf. Arist. Lat., *Phys.*, VIII, 1, 252a13, p. 282; cf. Auctor. Arist., *De Cael. Et Mun.*, I, 22, 274a7-8, p.161.

107: Sed] M, X scilicet.

110 uirtutem communicatam ab eo. Et quod diximus de herbis hoc idem est de lapidibus et animalibus. Et sic in sacra scriptura Christus pluribus animalibus comparatur, sed precipue tribus: primo, agno; secundo, leoni; tertio, aquile.

Si dicitis: quare istis potius quam aliis? Dicendum quod ratio est ista: quia ista animalia notant totam uiam Christi, que fuit a celo in terram et iterum ad celum, unde Psalmi  
115 decimo octauo: *a summo celo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius*, etcetera. Et ipse dixit: *exiui a patre et ueni in mundum et iterum relinquo mundum et uado ad patrem*, Iohannis decimo sexto. Et sic prima uia fuit passionis a die natiuitatis usque ad mortem. Secunda fuit quietis in sepulchro et resurrectionis. Tertia fuit ascensionis in celum.

Et sic quo ad primum comparatur agno, scilicet: quo ad passionem, unde Isaie  
120 quinquagesimo tertio, ubi loquitur de Christi passione dicitur: *quasi agnus coram tondente obmutuit*, etcetera, et Hieremie undecimo et quinquagesimo primo: *quasi agnus qui portatur ad uictimam*. Item Iohannis primo: *ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*.

Secundo, quo ad rationem comparatur leoni, unde Genesis quadragesimo nono, quando  
125 Iacob benedixit filiis suis, dum uenit ad Iudam de qua tribu sperabatur Christus, dixit: *catulus leonis Iuda ad predam ascendisti, requiescens accubuisti, ut leo quis suscitabit eum*, etcetera. Item Iohannis Apocalypsis quinto capitulo dicit: *uicit leo de tribu Iuda*, etcetera.

Tertio, quo ad ascensionem comparatur aquile, unde Prouerbiorum penultimo dicit  
130 Salomon: *tria sunt mihi difficilia et quartum penitus ignoro, uiam aquile in celo*, id est, «ascensionem Christi», ut dicit glosa Nicholai et aliorum. Et ut notaret quod uirtutes aliorum animalium sunt in Christo uniti spiritui sancto, comparauit Christum herodio, id est, grifio, in quo sunt  
135 ista tria animalia, unde Psalmi centesimo tertio: *cedri Libani quas plantauit, illic passeret*, id est, aues secundum aliam translationem, *nidificabunt*, scilicet: in alta Libano, in qua omnes sancti debent habitare. Vnde hoc fuit ostensum Nabuchodonosor, Danihelis quarto dicit: *uidebam et ecce arbor in medio terre*, scilicet: in monte Caluari, quia: *operatus est salutem in medio terre*,  
140 Psalmi septuagesimo tertio. *Magna arbor et fortis et proceritas eius contingens celum et aspectus eius usque ad terminos uniuerse terre, folia eius pulcherrima et fructus eius nimirus et esca uniuersorum in ea, subter ea habitabant animalia et bestie, in ramis eius conuersabantur uolucres celi*, etcetera. Hec arbor alta erat crux dominica, subter eam erant animalia, id est, iudei, animalium uitam ducentes, nihil de spiritu curantes. Bestie, id est, agareni, bestialem uitam ducentes. Isti non  
145 ascenderunt arborem crucis, sed solum aues et uolucres celi, id est, christiani contemplatiui, etcetera, et sic dicit Psalmi centesimo tertio quod: *illic passeret nidificabunt et illic erat domus herodii*, id est, grifantis, scilicet: Christi, *qui est dux eorum*, scilicet: sanctorum omnium. Nam crux fuit domus domini, quia aues nidificant in aliena arbore. Sed crux fuit domus propria Christi, nam Matthei octauo, quando ille scriba dixit: *domine, sequar te quocumque ieris*. Quasi  
150 dicat: usque ad domum tuam. Christus respondit illi dicens non habere hic domum, sed: *uulpes foveas habent et uolucres celi nidos, filius hominis non habet ubi caput suum reclinet*. Et sic in mundo domum non habuit nisi in cruce, in qua inclinato capite emisit spiritum. Et sic herodius habet tria animalia iam dicta: nam est similis agno in cruribus, est similis leoni in posteriori parte corporis, est similis aquile in anteriori parte et capite. Et sic Christus fuit agnus quo ad passionem, unde ecclesia dicit: «ipse enim uere est agnus qui abstulit peccata

115: Ps. 18, 7. | 116: Io. 16, 28. | 120-121: Is. 53, 7. | 121-122: Ier. 11, 19; 51, 40. | 122: Io. 1, 29. | 125: Gn. 49, 9. | 126: Apc. 5, 5. | 128: cf. Prv. 30, 18-19. | 131-132: Ps. 103, 16-17. | 133-134: Dn. 4, 7. | 134: Ps. 73, 12. | 135-137: Dn. 4, 8-9. | 141-142: Ps. 103, 17. | 144: Mt. 8, 19. | 146: cf. Mt. 8, 20.

128-129: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 3), Prv. 30, 19, f. 338r. | 150-151: cf. Gre. Mag., *Lib. Sacr.*, in die San. Pasc. PL 78, 92B.

145: Sed] M scilicet.

mundi». Fuit leo quo ad rationem, unde ecclesia isto tempore canit: “surgit Christus cum trophæo, iam ex agno factus leo”, etcetera. Fuit aquila quo ad ascensionem, in qua nobis dedit exemplum qualiter ascendere debeamus. Et sic dicunt uerba thematis quod Christus fuit: *sicut aquila pronocans ad uolandum pullos suos et super eos*, etcetera. Quo ad primum.

155 In secunda parte uidebimus duas conclusiones. Prima quod Christi ascensio fuit nobis utilis et prouocatiua ad ascendendum in celum, unde dicit: “sicut aquila prouocans”, etcetera. Secunda conclusio est quod conueniens fuit ut ipse prius ascenderet et nos sequeremur eum, unde dicit: “super eos uolitans”, etcetera.

160 Prima conclusio probatur, nam quod nobis fuerit magis utile Christum ascendere in celum quam presentialiter hic remanere probatur tripliciter, quia magis incitauit nos ad ascendendum in celum. Primo, uirtutem corroborando; secundo, alas extendendo; et tertio, cibum ostendendo.

165 Primo, uirtutes corroborando. Non cardinales, que sunt uirtutes huius uite, in quibus uita uersatur et non remanent in patria quo ad materialem, sed tantum quo ad formale, ut dicit sanctus Thomas in prima secunde, questione sexagesima septima, primo, obiectione; et in quarto, distinctione decima quarta, questione prima, articulo tertio, questiuncula tertia, obiectione, sed uirtutes theologales que faciunt nos in celum uolare.

170 Primo, igitur in ascensione fuit fides firmata, quia uidentes eum in forma hominis, in qua erat minor patre, non sic crederent eum esse equalem patri, et sic dicit Augustinus: «ideo substraho formam istam in qua pater maior me est, ut Deum specialius cognoscere possitis». Et sic qui uiderunt propria uirtute eum ascendere crediderunt esse Deum, et qui non uiderunt illud credendo meruerunt. Vnde: *beati qui non uiderunt et crediderunt*, Iohannis uicesimo. Exemplum de pueri ablactatione: ut intendat iam in alium cibum, abscondit mater mamillam, sic in proposito fuit.

175 Secundo, roboratur spes, unde Apostolus ad Hebreos quarto: *habentes pontificem qui penetrauit celos Iesum, teneamus spem nostre confessionis*. Ideo dicit Hieronymus quod ascendente domino, spem teneamus quod: «ubi caput est, ibi erit corpus». Nam: *ubicumque fuerit corpus illic congregabuntur et aquile*, Matthei uicesimo quarto.

180 Tertio, charitatem, quia si ibi esset, non eum spiritualiter, sed carnaliter diligeremus. Nunc econuerso magnam charitatem ostendit in conceptione, maiorem in passione, sed maximam in ascensione. Et sic patet primum.

185 Secundo, alas extendendo. Duas enim alas ostendit Christus in ascensione: prima puritatis; secunda humilitatis. Fuit prima puritatis, nam ideo ascendit, quia peccatum non fecit, unde dicit Gregorius in homilia quod puritas sit causa ascensionis. Patet, quia quanto maior est puritas, tanto est maior ascensus. Patet nam: «Enoch, quia per coitum genitus et per coitum generans est translatus. Sed raptus est Helias, qui per coitum genitus, sed non per coitum generans et in celum aereum. Sed assumptus est Christus neque per coitum generatus neque per coitum generans». Igitur ubi maior puritas maior ascensus fuit, quia: «aucta causa, augetur effectus». Exemplum huius habemus, quia omnia impura ad  
190 elementum terre, impurum tendunt, omnia pura ad sursum. Sic in oleo purum oleum

154: cf. Dt. 32, 11. | 172: Io. 20, 29. | 175-176: Hbr. 4, 14. | 177-178: Mt. 24, 28.

165: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 67, a. 1, pp. 416-417; *Sup. Sent.* (vol. 8), lib. 4, dist. 14, q. 1, a. 3, p. 66. | 169-170: cf. Aug. Hipp., *Serm.*, CXLIII, 3-4. PL 38, 786B-787A; cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, LXXII, p. 325. | 177: cf. Pseu. Hier., *Comm. In Ep. Ad Eph.*, II. PL 30, 827C. | 185-188: cf. Gre. Mag., *Hom.*, XXIX, 6. PL 76, 1217BC. | 189: cf. Th. Aq., *Qu. De Mal.*, q. 11, a. 3, p. 90.

ascendit, impurum uero descendit, ut feces. Igitur prima ala Christi ascensionis fuit puritas. Secunda fuit humilitas, que est causa ascensionis in omnibus.

195 Primo, in Christo, unde Apostolus: *exinaniiuit semet ipsum*, etcetera, *et factus obediens usque ad mortem*, etcetera, *propter quod et Deus exaltauit illum et donauit illi nomen quod est super omne nomen*, etcetera, ad Philippenses secundo.

Secundo, patet hoc in uirgine Maria, que dicit quod *respexit humilitatem ancille sue*, et Bernardus dicit quod «facta est Marie humilitas scala celestis, per quam Christus descendit» et ascendit et nos ascendere debemus.

200 Tertio, de aliis patet, nam dicit ipsa ueritas: *omnis qui se humiliat exaltabitur*, et sic nulla exaltatio potest esse nisi humiliatio precedat. Patet hoc in uolente proiicere lapidem in altum, qui non potest nisi prius manum humiliet. Et uolens proiicere barram ferri non potest in altum eleuare, nisi manum humiliet, etcetera. Et sic iste due ale sunt necessarie, quas nobis ostendit Christus. Nam sicut auis non potest cum una sola ala uolare, sic nos non possumus cum una tantum istarum ascendere, sed requiruntur due, ut patet in saltante,  
205 qui tenet in manu duos lapides: si unum solum haberet, non bene saltaret. Et sic nunc nec humilitas sine puritate, nec puritas sine humilitate prodest, ut dicit Bernardus de uirgine quadam superba, etcetera.

210 Tertio, prouocauit nos ad uolandum et ascendendum cibum ostendendo tripliciter, scilicet: ostium aperiendo, locum preparando ad dexteram patris, ut aduocatus sedendo, et gratiam spiritus sancti mittendo, unde dicit: *si non abiero, paraclitus non ueniet ad uos; si autem abiero, mittam eum ad uos*, etcetera, Iohannis decimo sexto.

Secunda conclusio patet in practica, pro qua notandum quod tam sancti patres in paradiso quam apostoli in Hierusalem dubitabant utrum Christus ascendisset in celum et illos dimitteret in mundo.

215 Primo, sancti patres nocte precedente altercabant inter se et facti fuerunt diuisi, scilicet: prophete ad unam partem et alii patriarche ad aliam. Et posuerunt Heliam et Enoch in medio et dicebant de ista conclusione isti duo quod cum ille locus esset quietus et amenus, quod certe erat locus beatorum. Item dicit latro quod ille non promiserat celum, sed paradisum, igitur, etcetera. Tunc dicunt patriarche quod certe ducendi erant in celum,

220 nam dicit primo Iacob: “ego dixi de eo: *catulus leonis Iuda, ad predam ascendisti*, etcetera. Sed leo non dimittit predam captam, preda fuimus nos in hoc mundo”.

225 Secundo, dicit idem Iacob: “hoc in figura accidit mihi, nam Genesis tricesimo secundo, postquam fui peregrinus a terra mea apud Labam, dum ab illo reuerterer, duxi mecum duas turmas et dixi: *in baculo meo transiui Iordanem*. Nunc cum duabus turmis egredior, in omnibus ego illum figurauit, qui aduena fuit a celo et peregrinus in mundo transiuit Iordanem passionis in baculo crucis. Sed reuersus in celum debet duas turmas, scilicet: uirorum et mulierum secum ducere, igitur non dimittet nos in isto mundo”, etcetera.

---

193-194: Phil. 2, 7-9. | 196: Lc. 1, 48. | 199: Lc. 14, 11. | 210-211: Io. 16, 7. | 220: cf. Gn. 49, 9. | 224: Gn. 32, 10.

197: Bernardus] *Auctor err.* cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCVIII, 10. *PL* 39, 2133C. | 206: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. *PL* 183, 62D.

204: Saltante] M saliente. | 205: Saltaret] M salieret.



230 Tertio, dicit Moses: “certe sic erit, quia adducet nos in celum. Nam ego dixi in illo cantico, in quo multa futura predixi, Deuteronomii tricesimo secundo: *pars autem domini populus eius*, etcetera. Nam alia pars fuit demonis in inferno, (infra): *expandit alas suas et assumpsit eum atque portauit in humeris suis, solus dominus eius fuit*. Et sic duplex populus erat in inferno, scilicet: populus domini et demonis. Sed Christus expandit alas in cruce, apprehendit populum suum a limbo et portauit illum propria uirtute in celum. Igitur si ipse erit dux noster, secum attrahet nos”, etcetera.

235 Secundo, dicunt prophete: “sic etiam nobis fuit reuelatum”,

nam dicit Dauid: ego dixi Psalmi sexagesimo septimo: *ascendisti in altum, cepisti captiuitatem*. Igitur nos eramus captiui, igitur si nos accipiet, secum ascendemus”.

Secundo, dicit Abacuc: “ego dixi: *super excelsa deducet me uictori in Psalmis canentem*. Igitur si ipse fuit uictor et secum ducet nos”, etcetera.

240 Tertio, dicit Micheas: “et ego dixi de ipso secundo capitulo: *ascendet iter patens ante eos*. Igitur ipse primo et nos sequemur eum”.

Tunc dixerunt sancti patres: “si ipse ascendet ante et nos postea, forte non assumet nos usque in finem seculi”. Dixerunt Helias et Enoch: “nos hic dimisit usque in diem iudicii, credo quod sic erit de uobis”.

245 Dicunt patriarche quod non, sed die quadraginta erant ascensuri in celum.

Primo, dicit Noe: “quadraginta diebus pluit tempore meo et tunc eleuata est arca in sublime, sed illa arca figurabat illud corpus sacratissimum, igitur”, etcetera.

250 Secundo, dicit Moses: “ego ieiunauit quadraginta diebus et postea fui satiatus, sic uita presens est ieiunii et famis, sed *satiabor in gloria*, ut dicit Dauid in Psalmo decimo sexto, igitur”.

255 Tertio, dicit discipulus suus Iosue quod quadragesima die erant ascensuri, nam dicit: “ego qui Iesus uocor, ut ipse illum figurauit. Et sicut quadraginta duobus mansionibus per desertum usque ad terram sanctam deambulauit post mortem agni et spoliationem pharaonis, sic post mortem Christi et spoliationem limbi prima mansio fuit in cruce, secunda in sepulchro, postea quadraginta dies in mundo post resurrectionem, igitur”, etcetera.

Secundo, hoc idem dicunt prophete.

260 Primo, Helias dicit: “postquam comedi panem angelorum, ambulauit quadraginta diebus usque in montem Dei Horeb. Sic erit de meo redemptore et de nobis. Postquam recepimus gloriam que ante solum erat cibus angelorum, ascendemus in montem altum celi empirei post quadraginta dies”.

Secundo, dicit Hiezechiel: “sic ego fui in latere sinistro per quadraginta dies, sed postea in dextero. Sic uita huius mundi est sinistra, sed quadragesima die in dextera patris erit”, etcetera.

---

229-230: Dt. 32, 9. | 230-231: Dt. 32, 11-12. | 236: Ps. 67, 19. | 238: Hab. 3, 19. | 240: Mi. 2, 13. | 249: Ps. 16, 15. | 262: cf. Ez. 4, 6.

265 Tertio, Ionas propheta dicit: “ego illum figuraui et sicut de ligno proiectus fui in mare et receptus in uentre ceti et postea predicauit quadraginta dies penitentie postquam exiui, sic Christus de cruce in amaritudinem mortis et positus in limbo, exiens predicauit informando mundum de sua resurrectione per quadraginta dies”, etcetera.

270 Postremo uenit Symeon sacerdos et dixit: “quid hic statis immorando? Nam sicut exiens ab utero clauso uirginis, post quadraginta dies presentabitur in templo celesti, scilicet: celi empirei”.

275 Sicut isti extimabant quod ascendissent iam in celum, sic apostoli ista nocte in cenaculo uidebant quod in die resurrectionis et octauo nouem uicibus illis apparuit. Primo, matri; secundo, Magdalene; tertio, tribus Mariis; quarto, Petro flenti; quinto, Iacobo uouenti non manducare, ut dicit Hieronymus; sexto, Ioseph ab Arimathia in carcere misso propter sepulturam Christi; septimo, duobus euntibus in Emaus; octauo, decem discipulis sine Thoma in cenaculo; nono, in die octauo undecim discipulis. Postea non nisi bis: primo, septem discipulis piscantibus; secundo, undecim cum multis aliis, ut dicunt Mattheus et Paulus, plusquam quingentos, ut dicit Nicholaus de Lyra. Erat eadem hec in monte Thabor, 280 et quia amplius illum non uiderant, credebant iam ad celos ascendisse.

Et sic hodie, qui fuit dies quadragesima, summo mane uenit Christus ad paradysum ad patres illic existentes et uisitans eos dixit: *ascendo ad patrem meum et patrem uestrum*, etcetera. Dixit illis quod se prepararent, quia hec est dies in qua in possessionem celorum intrarent. Dicit Adam: “domine, et in qua hora?” Dicit Christus quod in meridie, quando sol in 285 medio celi et maxima claritas in mundo. Sic uidentibus omnibus ascenderet in celum. Tunc dicit Adam: “tali hora per uos fuimus uisitati et tali hora ego fui expulsus a paradiso et omnes per me, sic decet ut restituatis nos in illum celestem”. Et sic, cum esset alta dies, uenit in Hierusalem. Et sic dicit Marcus in euangelio quod erat hora prandendi quod *recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Iesus*. Et sic, cum intraret per cenaculum erant 290 undecim in mensa et uirgo Maria in capite mense. Intrans dicit illis: *pax uobis*. Illi, cum uellent a mensa surgere, precepit illis ut sederent et ipse sedit in capite iuxta matrem suam et exprobrauit incredulitatem eorum et duritiam cordis. Illi uero propter eius aduentum et propter tristitiam increpationis cessauerunt a comestione, et tunc Christus excitauit illos ut comederent. Ipse etiam Christus comedit cum illis, ut dicit Lucas Actuum primo: *et conuescens cum illis*, etcetera. Et sic uoluit cum illis comedere familiariter, sicut solebat ante, ut illos confirmaret in fide, sed in fine prandii dixit Christus matri sue: *tempus est ut reuertar ad eum qui me misit*. Et dixit uirgo Maria illi: “o fili charissime, si triginta tribus annis mortalis mihi fuistis, immortalis totidem debetis manere”. Dicit Christus: “non. Iam omnia sunt impleta que pater meus dedit mihi ut facerem”. Dicit uirgo Maria: “igitur pergam in celum uobiscum?” Dicit Christus: “non potest esse hoc, nec conuenit uobis, o mater dulcissima, quia eritis cum apostolis ut domina in loco meo, ut mundo ostendatur quod uos estis 300 mediatrix inter mundum et me. Et sic mitteris apostolos ad predicandum, ut omnis gratia sacramentorum et alia quecumque sit mediante uestra intercessione impetretur. Item, mater mea, non debetis ascendere, quia *uado parare uobis locum*, sicut uos parastis mihi uentrem purissimum dum ueni in mundum. Item festiuitas hodierna est pro me, uos de illa nihil reciperetis si nunc ascenderetis. Sed ueniet dies uester festus, in qua parabo uobis festum excellentius, et in quo ero presens et omnes sancti et omnes angeli mecum”, etcetera. Apostoli uoluerunt supplicare ut duceret illos secum, dixit illi: *ego elegi uos ut eatis ad*

278-279: cf. Mt. 28, 16; cf. I Cor. 15, 5-6. | 282: cf. Io. 20, 17. | 289: cf. Mc. 16, 14. | 290: cf. Io. 20, 19. | 294-295: Act. 1, 4. | 296-297: cf. Tb. 12, 20. | 304: cf. Io. 14, 2. | 308-309: cf. Io. 15, 16.

275: cf. Hier., *De Vir. Ill.*, II. PL 23, 613A. | 279: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 6), I Cor. 15, 5-6, ff. 57rv.

310 *predicandum et fructum afferatis*, etcetera. Et precepit illis quod irent in montem Oliueti uersus Bethaniam, quod ipse esset immediate cum eis.

315 Interim quod illi perrexerunt in montem Oliueti, Christus reuersus fuit in paradysum et accipiens Adam de manu dixit: *uenite, benedicti patris mei*, etcetera. Dum hoc audirent Helias et Enoch, qui erant iuxta portam, exierunt festinanter extra, ut illos intra paradysum non relinqueret. Christus autem precepit illis ut redirent, dicunt illi: “nonne maledicti sumus nos, quia benedictos uocastis?” Dixit Christus: “non, sed uoco beatos istos. Vos prius debitum mortis debetis soluere et tempore antichristi predicare et illius errores extirpare et cum gloria martyrii ascendere”.

320 Et sic illis relictis in paradiso in ictu oculi uenerunt in montem Oliueti, et inuenerunt uirginem Mariam et alios apostolos et discipulos congregatos. Christus recepit matrem et illos ad osculum pacis et postea ascendit super lapidem. Sancti patres prostrarunt se ad pedes uirginis et multa uerba explicarunt Maria et Eua, que pro presenti relinquuntur. Tunc apostolis dixerunt Christo: “*domine, si in tempore hoc restitues regnum Israhel?*” Dixit illis Christus: “*non est uestrum nosse tempora uel momenta*”, etcetera. Querebant autem de fine mundi, et tunc dicit illis Iesus ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissum patris, etcetera.

325 Et sic eleuatis manibus ferebatur in celum et benedixit eis. Quando autem fuit in illa altitudine, ad quam aque diluuii peruenerunt, *nubes suscepit eum*, et sic disparuit. *Et ecce duo uiri*, scilicet: angeli, in spem uiri *astiterunt iuxta illos in uestibus albis, qui et dixerunt: “uiri galilei”*, id est, transmirationis, scilicet: uiri huius seculi, in quo est continua transmigratio, in quo semper est pena et infirmitas, in quo est continua miseria, etcetera. “*Quid statis aspicientes in celum?*”.

330

In persona horum dixit omnibus hic stantibus igitur: “o uos charissimi, quid statis? Et non laboratis uolare in celum preparando alas puritatis et humilitatis? Si tempore quadragesime uos humiliastis ad pedes sacerdotis, purificastis conscientiam uestram. Nunc si est aliqua impuritas in uobis, iterum alas preparate. Et si sunt debiles ad uolandum, illas

335 per gratiam et indulgentiam in hac cruciata uobis concessa fortificate. Nam si restat aliquid purgandum, in celum non potestis uolare, sed solum ad purgatorium, sed cum indulgentia hac plenaria fortificati potestis in celum uno ictu uolare, unde Isaias capitulo quadragesimo dicit: *qui sperant in domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquile, uolabunt et non deficient*, etcetera”.

340 Et sic dixerunt angeli: “hic Iesus qui assumptus est a uobis in celum. Sic ueniet quemadmodum uidistis illum euntem. Sic ueniet in eadem potestate et in humilitate glorificata. Sic ueniet in eadem comitiua sanctorum et angelorum. Sic ueniet cum eadem nube et in eodem loco pronuntiabit sententiam iudicii dando malis penam crudelem et dando bonis gloriam sempiternam, quam nobis concedat ille Dei filius, etcetera”. Amen.

---

312: cf. Mt. 25, 34. | 322-323: cf. Act. 1, 6-7. | 326-330: cf. Act. 1, 9-11. | 338: Is. 40, 31.

SERMO PRIMVS IN DIE PENTHECOSTES, QVEM INVENIES VICESIMVM TERTIVM FACTVM  
CONTRA AGARENOS. FOLIVM .L.III.

## SERMO OCTVAGESIMVS TERTIVS ET SECVNDVS IN DIE PENTHECOSTES

<THEMA> *Repleti sunt omnes spiritu sancto, Actuum secundo.*

5 Sententia est catholicorum doctorum quod repletio spiritus sancti in uirgine Maria fuit maior quam repletio cuiuscumque sancti. Et hoc ostendit tripliciter. Primo, ratione persone; secundo, ratione priuationis contrarii; tertio, ratione diffusionis illius.

Primo, ratione persone sue tripliciter.

10 Primo, ratione sue maxime sanctitatis. Cum sanctificatio fiat mediante gratia spiritus sancti, ubi plena et maxima sanctificatio est, ibi maior plenitudo gratie spiritus sancti. Sed in uirgine Maria fuit, nam sicut Christus est *sanctus sanctorum*, Danihelis nono, sic uirgo Maria est sanctorum sanctissima, ut dicit Augustinus. Et sic dicit ipsa Ecclesiastici uicesimo quarto: *in plenitudine sanctorum detentio mea*. Et hoc dicit Bernardus scribens canonicis Lugdunum: «puto quod copiosior sanctificationis», etcetera. Similiter Machometus tenet  
15 hanc conclusionem in primo libro Alchorani, azora tertia, que est Ioachim, alea quadragesima secunda. Dixit angelus Marie: ‘o Maria, Deus elegit te et purificauit te et posuit te super omnes mundi mulieres’.

20 Secundo, ratione preparationis, maxime in matrem Dei. Nam sicut illud donum fuit maximum et supra totam naturam, sic supranaturaliter debuit preparari a spiritu sancto. Et sic ad hoc requisita fuit maxima plenitudo spiritus sancti. Exemplum: quando fluuius aliquis debet repleti aqua, sufficit ad hoc causandum nubes aliqua, sed quando tota terra debuit impleri aqua, ut in uniuersali diluuiio, non hoc suffecit, sed omnes fontes terre et etiam coniunctiones planetarum in aquario uel huiusmodi. Vnde Genesis septimo, tanguntur tria.  
25 Primo: *rupti sunt fontes aquarum*; secundo, *catbaracte celi aperti sunt*; tertio, *facta est pluuia super terram*. Et sic plenitudo causarum concurrat ad plenitudinem effectus, quia ad maximum effectum concurrunt maxime cause. Sic in proposito, cum eleuari et preparari in matrem esset maximum quid attributum creature, sequitur quod ad hoc requirebatur maxima plenitudo spiritus sancti.

30 Tertio, ratione continentie fontis gratie, nam si debuit et fuit repleta non solum in mente, sed in uentre plenitudine diuinitatis, sequitur quod esset plena gratia spiritus sancti. Exemplum: si quis impleret aliquod uas aqua fontis, diceremus quod esse magnum. Sed si quis impleret uas ex ipso fonte, maxima esset talis plenitudo. Ex his patet quod licet aliqui sancti essent pleni gratia, uirgo Maria fuit plena ex fonte gratie, scilicet: diuinitate. Hec tria tanguntur ab angelo, Luce primo, dicendo: *auē gratia plena*, quo ad primum. *Spiritus sanctus  
35 superueniet in te*, quo ad secundum. *Et uirtus altissimi obumbravit tibi*, quo ad tertium. Has duas rationes tangit Bernardus homilia tertia Super Missus Est dicens: «legimus Stephanum plenum gratia et apostolos spiritu sancto repletos, sed longe similiter a Maria, quia neque illi conceperunt de spiritu sancto, neque in illo habitauit gratie plenitudo». Et hic quo ad personam propriam in uirgine Maria fuit maxima plenitudo.

4: Act. 2, 4. | 11: Dn. 9, 24. | 13: Sir. 24, 16. | 24-25: Gn. 7, 11-12. | 34: Lc. 1, 28. | 34-35: Lc. 1, 35.

12: Augustinus] *NI*. cf. Bern. Cl., *In Anti. Sal. Reg.*, I, 3. *PL* 184, 1063AB. | 14: Bern. Cl., *Ep.*, CLXXIV, 5. *PL* 182, 334C. | 16-17: cf. Q 3, 42; cf. Io. And., *Conf.*, c. XI, p. 212. | 36-38: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 2. *PL* 183, 72A.

40 Secundo, patet ratione priuationis communis impedimentis gratiam, quod est peccatum.  
 Nam: «peccatum originale et mortale expellunt gratiam et peccatum ueniale tollit feruorem  
 charitatis», ut dicit sanctus Thomas in Questionibus De Malo, questione septima, secundo,  
 obiectione, et in multis aliis locis. Vnde dicit in tertio Contra Gentiles, capitulo centesimo  
 45 quinquagesimo nono: «hii soli gratia priuantur qui impedimentum apponunt». Igitur que  
 nullum habuit impedimentum maxime fuit plena gratia; igitur illi qui habuerunt huiusmodi  
 peccata, non fuerunt uere pleni spiritus, scilicet: gratia. Exemplum: camera, in qua est  
 aliquod lignum arce uel huiusmodi, non potest repleti frumento, quia una quantitas alteri  
 repugnat, cum non sit dare penetrationem corporum uel dimensionum, ut dicit  
 Philosophus in libro De Celo et Mundo. Igitur cum sola uirgo fuerit ab omni peccato  
 50 separata, sequitur quod illa fuerit magis plena spiritu sancto.

Si dicis: sanctificati ut Hieremias uel Iohannes non habuerunt peccatum mortale, igitur  
 cum ueniale non tollat gratiam nec charitatem, sed solum feruorem charitatis, sequitur quod  
 illi sic fuerunt pleni. Dicendum quod illi habuerunt peccatum originale, quod totaliter  
 expellit pro illo tempore. Et si fuerunt sanctificati mediante gratia spiritus sancti, sed  
 55 habuerunt peccata uenialia, que tollunt feruorem charitatis, et sic ueram plenitudinem  
 gratie. Exemplum olie bullientis, in qua, dum est aqua frigida, expellit omnem caliditatem,  
 sed dum feruet, si ponatur in ea modica aqua frigida, licet calorem non perdat, sed perdit  
 plenitudinem, nam feruor minuitur. Sic est de peccato ueniali, nam licet non tollat gratiam,  
 nec charitatem que replebant animam, sed tollunt feruorem, etcetera. Et sic cum in uirgine  
 60 nullum fuerit unquam peccatum, sequitur quod ipsa habuerit maximam plenitudinem.

Tertio, patet hoc ratione effusionis in alios, quia ipsa fuit causa plenitudinis aliorum  
 dando illum qui fuit maxima plenitudo et principalis causa repletionis aliorum, scilicet:  
 Christum, unde est Topica Aristotelis: «propter unum quodque tale et illud magis». Sed  
 Christus fuit principalis causa plenitudinis aliorum, unde Iohannis primo: *uidimus eum quasi*  
 65 *unigenitum*, etcetera, *plenum gratia et ueritate, de cuius plenitudine nos omnes accepimus gratiam*,  
 etcetera. Et cum uirgo Maria fuerit causa media illius plenitudinis, sequitur quod fuerit  
 magis plena.

Si dicis contra: quia pura creatura non potest dare spiritum sanctum, ut dicit Magister et  
 doctores in quarto, distinctione decima quarta. Dicendum quod creatura pura non potest  
 70 dare spiritum sanctum principaliter et auctoritatie, sed bene ministerialiter, ut sunt  
 sacerdotes. Sic autem uirgo Maria excellentius ministravit, quia purissima. Ideo maior  
 potestas ei data fuit, unde dicitur: *in Hierusalem potestas mea*, Ecclesiastici uicesimo quarto.  
 Nam sicut Christus «non habuit alligatam sacramentis uirtutem», ut dicunt doctores in  
 quarta, sic nec uirgo Maria habuit certum modum impetrandi nec communicandi gratiam  
 75 spiritus sancti, sicut apostoli in sacramentis, in quibus erat certa uerborum forma, et sic  
 maior uirtus et potestas. Exemplum: maior potestas conceditur alicui cui non datur  
 instructio negotiandi determinata quam illi cui conceditur certus modus determinatus. Vt  
 quando mittitur cursor cum littera, minorem habet potestatem quam quando mittitur  
 legatus plene, etcetera. Sic in proposito. Et sic uirgo Maria fuit ministra excellentior, nam  
 80 sicut presbyteri non concedunt spiritum sanctum nisi uirtute sacramentorum et sic uirtute  
 uerborum prolatorum, et sic licet sint peccatores, nihilominus concedunt, conferunt uel

64-65: Io. 1, 14-16. | 72: Sir. 24, 15.

41-42: cf. Th. Aq., *Qu. De mal.*, q. 7, a. 2, p. 163. | 44: cf. Th. Aq., *Con. Gent.* (vol. 14), lib. 3, c. 159, p. 465. |  
 49: cf. Auctor. Arist., *De Cael. Et Mun.*, I, 39, 283b4-5, p. 162. | 63: cf. Pseu. Bed., *Sent. Phil. Ex Arist. Coll.*, I,  
 P. PL 90, 1032D. | 68: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 8), lib. 4, dist. 14, q. 1, a. 5, p. 82. | 73: cf. Petr. Lom., *Sent.*,  
 IV, 2, 2. PL 192, 842A; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 7), lib. 4, dist. 2, q. 2, a. 4, p. 182.

57: Feruet] X fuerit.

85 dant, nam sic uirgo Maria, que fuit causa media dandi toti mundo per puritatem suam, qua fuit digna ministra Iesu Christi. Vnde Ecclesiastici uicesimo quarto dicit ipsa: *in habitatione sancta coram ipso ministravi*, scilicet: intra sacratissimum corpus suum incontaminatum omni peccato.

Primo, intra corpus ministravit per consensum suum quem desideravit Deus et mundus dicens: *ecce ancilla domini, fiat mihi secundum uerbum tuum*, Luce primo. Item quando administravit substantiam suam purissimam, ut uestiretur nostra fragilitatem.

90 Secundo, in habitatione sancta coram ipso ministravit in mundo dando ei lac pretiosum et uestes, etcetera.

Tertio, in habitatione sancta celi empirei coram ipso ministravit, dum stat a dextris filii Iesu ministrando gratiam toti mundo, unde Bernardus in sermone dicit de ipsa: «totius boni plenitudinem contulit in Maria, ut si quid uirtutis, si quid spei, si quid gratie in nobis est, totum ab ea nouerimus redundare».

95 Igitur hodie ad hanc recurramus, postquam ea mediante *repleti sunt omnes spiritu sancti*. In principio igitur sermonis, etcetera.

<THEMA> *Repleti sunt omnes spiritu sancto*, loco et capitulo ubi supra.

100 In presenti sermone erunt due partes. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda materie prosecutiua. Et sic uidebimus duas conclusiones. Prima erit talis: quod spiritus sanctus est uerus Deus et dicere esse creaturam est hereticum. Et erit prima pars. Sed quia hec conclusio probata est in sermone uicesimo tertio, in eodem die contra agarenos, ideo uideatur ibi. Secunda conclusio erit quod sicut spiritus sanctus procedit a patre et filio, sic mittitur in mundum a patre et filio. Et hec erit secunda pars. Hec secunda conclusio declaratur, sed dimittendo materiam de processione, nunc uideamus de eius  
105 missione. Et notandum primo quod triplex differentia est inter processionem et missionem.

Prima quod processio dicitur eternaliter, missio autem temporaliter.

110 Secunda est quod processio dicit “terminum a quo”, missio autem “terminum ad quem”. Exemplum: si sol esset creatus ante mundum et proiiceret radios suos, diceremus quod radii solis procedunt a sole, sed non mittuntur ad aliquem locum, quia nondum erat  
115 aliquis locus. Sed si crearentur elementa iam radii mitterentur ad terram. Sic ante mundi constitutionem filius procedit a patre et spiritus sanctus a patre et filio, sed in tempore filius fuit missus in mundum et spiritus sanctus. Exemplum in ballista: quando sagitta est in nuce, dicitur quod procedit a nuce, sed nondum mittitur. Sed dum uadit ad signum, quod est terminus ad quem, dicitur mitti. Ideo processio est eterna, missio temporalis. Item  
115 processio dicit “terminum a quo”, missio “terminum ad quem”.

120 Tertia differentia est, quia processio includitur in missione, nam solum mittitur persona que ab alia procedit. Et ideo dicit Augustinus secundo De Trinitate: «pater nunquam legitur missus», nam ab aliquo non procedit. Sed solum mittitur filius uel spiritus sanctus, nam filius est a patre, spiritus sanctus ab utroque. Et sic sicut radius illuminans et radius calefaciens procedunt a sole et illuminant et calefaciunt mediante sole et non recedentes a sole, quia sphaera fixa stat, et radii in illa et ab illa procedunt et ad nos mittuntur et quilibet

83-84: Sir. 24, 14. | 87: Lc. 1, 38. | 95-97: Act. 2, 4.

92-94: Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 6. PL 183, 441AB. | 117-118: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, II, 5, 8. PL 42, 849C.

125 talis effectus est a tribus et ab uno solo, sic in proposito. Est sic quod illuminare intellectum attribuitur filio et inflamare uoluntatem spiritui sancto. Et sicut radius, ex quo illuminat per reflectionem, causat calorem, ut perspectiui dicunt, sic amor reflexus inter patrem et filium est spiritus sanctus, etcetera.

130 Secundum notabile est quod missio diuinarum personarum est duplex: quedam est inuisibilis, alia uisibilis cum aliquo signo. Sicut missio solis radiorum aliquando sit inuisibiliter, ut tempore nubis, aliquando uisibiliter, ut tempore claro, inuisibilis missio semper fuit facta a principio mundi et sic nunc. Sed uisibilis non semper, sed in nouo  
135 testamento et in primitiua ecclesia, unde filius inuisibiliter semper fuit missus ad illuminandum patriarchas et prophetas, et tamen uisibiliter solum fuit missus in carnem in tempore plenitudinis, unde ad Galatas quarto: *cum uenit plenitudo temporis misit Deus filium suum*, etcetera. Item spiritus sanctus semper inuisibiliter fuit missus inflammando affectum sanctorum, sed uisibiliter solum in principio noui testamenti: bis super Christum, scilicet: in  
140 forma columbe in baptismo et in forma nubis in transfiguratione eius; et bis super apostolos: primo, in forma et specie flatus dicens eis: *accipite spiritum sanctum*, etcetera, et iterum in forma ignis et linguarum hodie.

140 Est autem triplex differentia inter apparitiones Christi et apostolorum. Prima, quia filius apparuit in natura rationali, spiritus sanctus in natura irrationali. Secunda, filius semel, spiritus sanctus pluries, quia quater. Tertia, filius in unitate suppositi, spiritus sanctus solum ut in signo.

145 Ratio prime differentie est quia filius uenit ut mediator. Et quia mediator debet sapere naturam extremorum, cum filius eternaliter esset, Deus factus fuit in tempore homo, ut sicut nature erant unite in ipso, sic hominem iungeret Deo, sed spiritus sanctus non, ut in illa mediaret, sed solum ut creatura illa plenitudinem gratie in illo significaret, quod poterat  
150 facere creatura irrationalis.

150 Ratio secundi est quod unus Deus fuit ostensus, unus homo offendit, scilicet: Adam, et *per unum peccatum*, ut dicit Apostolus, et reconciliandi sunt unum in natura infecta. Et ideo opus quod: *unus esset mediator Dei et hominum homo Christus*, ut dicit Apostolus prima ad  
155 Timotheum secundo. Sed cum sint plura dona spiritus sancti, et oportet quod sint plura illa representantia. Nam plura possunt unum significare, quia notant alium et alium effectum.

Ratio tertii est, quia mediator debuit satisfacere et mereri, igitur non sufficiebat quod  
160 appareret in hominem, sed quod esset homo. Sed spiritus sanctus non oportebat quod esset columba uel nubes, sed quod illis appareret sicut in signo.

155 Sed queritur de speciebus illis: utrum fuerint imaginarie aut corporales? Dicendum quod fuerunt corporales, quia uidebantur simul a multis, et quod est in imagine unius non uidetur alteri nec apparet illi, unde Luce tertio: *descendit spiritus sanctus super ipsum corporali specie, sicut columba*, etcetera. Et species ille fuerunt causate ab angelis, sicut sua corpora. Sed corpus Christi a spiritu sancto propter dignitatem, quia uniebatur in unitate suppositi, alia uero  
160 sicut in signo solum. Exemplum: corpus nostri et uestes nostre, etcetera. Item dico quod ille species non erant uere, sed apparentes, quia ille ignis non comburebat, nec illa columba uiuebat, nec uolabat, etcetera. Et sic expleto officio destructa sunt, ut dicit Augustinus, secundo De Trinitate, capitulo quinto. Non autem sic de humanitate, quia: «quod semel assumpsit nunquam dimisit».

---

132-133: Gal. 4, 4. | 136: cf. Io. 20, 22. | 148: cf. Rm. 5, 12. | 149: I Tim. 2, 5. | 157-158: Lc. 3, 22.

162: Volabat] M uolebat.

165 Queritur: quot uicibus uisibiliter apparuit spiritus sanctus? Dicendum quod quater: bis super Christum et bis super apostolos.

Primo, super Christum in baptismo in specie columbe, Luce tertio. Nam sicut columba est animal fecundum, significabat quod per institutionem sacramentorum multos filios spirituales procrearet, sicut fecit.

170 Secundo, in speciem nubis, Matthei decimo septimo. Nam nubes rorida notat doctrinam et sic significabat quod erat uerus doctor. Ideo uox patris dixit: *ipsum audite*, etcetera.

Item bis apostolis; primo in flatu, Iohannis uicesimo, insufflauit dicens: *accipite spiritum sanctum*, ut per sacramenta per illos ministrata gratia in alios redundaret. Ideo dixit: *quorum remisieritis peccata, remittentur*, etcetera.

175 Secundo, in linguis igneis, que sunt instrumenta per que transfertur doctrina a magistro in discipulos, ut notaret quod apostolorum officium erat duplex, scilicet: ministrare sacramenta et predicare uerbum Dei. Ideo hoc debent facere episcopi et alii predicatorum, maxime cum infidelibus illos attrahendo ad fidei cognitionem, unde Christus dixit: *alias oues habeo que non sunt ex hoc ouili, quas opus me adducere*, Iohannis decimo. Sic debet dicere  
180 episcopi, maxime postquam nostris temporibus sunt extra et remoti ab ouibus propriis, saltem laborent attrahere oues alienas. Ideo ego hodie uocaui istos proximos meos agarenos, ut si conuertuntur lucrentur ipsi et ego; si uero non, saltem ego. Nam in iudicio finali non mihi imputabitur, etcetera.

Si forte dicis: si bis apparuit super Christum et bis super apostolos, igitur equaliter  
185 habuerunt illi spiritum sanctum sicut Christus. Dicendum quod non, quia: *non fuit datus ei spiritus ad mensuram*. Ideo Christus apparuit in perfecto animali, apostolis uero in parte, ut est flatus uel lingua, etcetera. Item Christo in nube lucida, illis in flatu, etcetera, quia Christus, ut Deus, dabat spiritum sanctum ut homo uero recipiebat. Item habuit potestatem excellentie instituendo sacramenta, quod apostoli facere non poterant. Item non uirtute  
190 alligatam sacramentis. Item infinitatem gratie.

Si dicis: qualiter hodie eis apparuit spiritus sanctus? Dico quod cum Christus ascenderet, dixit discipulis suis quod: *ab Hierosolymis ne discenderent, sed expectarent*, etcetera. Et quia dixit: *non post multos hos dies*, credebant quod mitteret saltem in triduo sicut resurrexit, et sic expectarunt usque ad diem dominicam. Et in tali die dominica consueuerant congregari in  
195 unum, quia illam solemnizabant in honore resurrectionis domini nostri, sicut fecerunt in prima dominica post resurrectionem domini, quando Thomas fuit reductus. Et sic dum starent cum uirgine Maria, illi dixerunt ei qualiter spectauerant et timebant quod non mitteret eis promissum spiritum sanctum. Tunc illa consolabatur eos et dixit quod: *non est Deus ut homo ut mentiatur*, Numeri uicesimo tertio. Et per totam hebdomadam Petrus,  
200 Iohannes et Iacobus, qui principaliores erant inter illos et uiderant iam spiritum sanctum in forma nubis, in transfiguratione domini consolabantur illos et die lune dicit Petrus: “forte hodie mittet, quia tali die factum fuit firmamentum et nos debemus firmari per spiritum sanctum”. Dum non mitteret Iohannes dicit die martis: “forte hodie mittet, quia tali die producte fuerunt plante ad producendum fructum, sic nos per spiritum sanctum debemus  
205 esse firmi et roborati”. Sed cum non ueniret illa die accesserunt discipuli et dixerunt: “quid

167: cf. Lc. 3, 22. | 171: cf. Mt. 17, 5. | 172-174: Io. 20, 22-23. | 178-179: Io. 10, 16. | 185-186: cf. Io. 3, 34. | 192-193: cf. Act. 1, 4-5. | 198-199: Nm. 23, 19.

162-163: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, II, 5, 10. PL 42, 851BC. | 163-164: cf. Petr. Lom., *Sent.*, III, 22, 2. PL 192, 803CD; cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orb.*, III, 27. PG 94, 1098AB.



est quod non uenit?” Et hoc die mercurii, tunc dixit Iacobus: “forte ueniet hodie, quia tali die factus fuit sol et producta luna. Igitur cum sol sit fons caloris et luna significet mundi gubernationem, nos debemus illuminari ad mundum gubernandum, credo quod hodie ueniet”. Sed peracta die illa dixerunt Petro in die iouis si sciret quando ueniret. Dicit ille: 210 “credo quod hodie, nam tali die nos perdidimus suam presentiam”. Sed peracta illa die in die ueneris dixerunt Iohanni: “quando ueniret?” Dixit ille: “certe credo quod hodie ueniet, nam tali die nos habuimus maximum dolorem in eius passione, sed cum spiritus sanctus sit paraclitus, tali die debemus consolationem sumere”, unde Psalmi nonagesimo tertio: *secundum numerum dolorum meorum in corde meo consolationes tue letificauerunt animam meam*. Sed 215 peracta die ueneris dixerunt discipuli illis tribus qualiter non ueniebat. Dicit Iacobus: “credo quod hodie, qui est dies sabbati, ueniet, nam illo mediante nos debemus congregari in unum et tali die post passionem nos fuimus dispersi”, igitur, etcetera. Dum autem esset sero die sabbati et uidentes discipuli quod non uenerat spiritus sanctus, dixerunt Petrus, Iohannes et Iacobus inter se: “iam non est aliquid dicendum istis, quia promisimus spiritum sanctum uenturum et non uenit. Eamus ad uirginem matrem nostram et dicamus quid est hoc”. Et sic uespere in sabbato dixerunt omnes uirgini: “quid est hoc quod non uenit spiritus sanctus promissus? Credimus quod non mittet magister noster”. Dicit uirgo Maria: “*non est Deus ut homo ut mentiatur*, etcetera. Estote igitur parati filii, quia iam impletum est tempus sui aduentus. Nam hodie sciatis quia ueniet et cras uidebitis gloriam eius”. Et sic 225 dixit: “sciatis quia tempus est iam perfectum, nam sicut expletis quadraginta nouem annis, in quinquagesimo fiebat annus iubilei, Leuitici uicesimo quinto. In quo anno fiebat remissio captiuorum, debita remittebantur, exules in patriam reuocabantur, hereditas amissa reddebatur, serui liberati donabantur. Sec cum omnia hec fiant per spiritum sanctum, quinquagesima die debent fieri. Hoc captiui diaboli soluuntur, debita peccatorum remittuntur, exules in patriam reuocantur, uite eterne hereditas perdita per peccatum Ade recuperatur, serui peccatorum fiunt liberi”. Item dicit uirgo Maria: “non scitis quod quinquagesima die ab exitu Egipti recepit populus legem in monte Sinai? Igitur ut clare uideatur quod hec lex succedit illi. Sic etiam quinquagesima die ab exitu sanctorum patrum a captiuitate limbi debet dari, que erit die crastina, quia nunc sunt quadraginta nouem dies”, 230 etcetera. Item dicit illis: “ut ostendatur quod in hac lege includitur et continetur perfectio, et nulla alia ei succedit post quadraginta nouem dies, et in die quinquagesima debet dari. Nam in numero septenario dierum impletur omne tempus, et si septenarius in se ducatur notat omnem perfectionem, tam rerum quam temporis. Et quia septem septies faciunt quadraginta nouem, ideo cras dabitur que erit dies quinquaginta”.

240 “Nam in hac lege continentur septem septenarii, scilicet: septem uirtutes, quattuor cardinales et tres theologales. Secundo, continentur septem ordines. Tertio, septem articuli fidei pertinentes ad diuinitatem. Quarto, septem articuli pertinentes ad humanitatem. Quinto, septem sacramenta. Sexto, septem beatitudines. Septimo, septem dona spiritus sancti”.

245 “Igitur cum septem septies sint quadraginta nouem, cras mittetur uobis spiritus sanctus. Item cras erit dies dominica, in qua lux fuit producta expellens omnes tenebras. Igitur tali die debet dari spiritus sanctus illuminans mundum et expellens tenebras ignorantie. Item dies creationis patris fuit dominica et dies reparationis filii ad gloriam fuit dominica, in resurrectione conuenit quod dies recreationis uel innouationis spiritus sancti sit etiam 250 dominica”. Tunc dicit uirgo Maria apostolis: “eatis et quiescite, quia magna nox est, mane uenite ad me”. Et sic discipuli fecerunt. Et summo mane ueniunt ad uirginem, quia

214: Ps. 93, 19. | 223: cf. Nm. 23, 19. | 226: cf. Lv. 25, 11.

219: Inter] M intre. | 234: Captiuitate] M captiuitati.

putabant quod qua hora resurrexerat tali spiritum sanctum mitteret. Et uirgo dixit illis quod prepararentur per deuotam orationem, nam hora tertia illum reciperent, quia tali hora Adam perdidit gratiam, igitur. Item ut notaretur quod hec lex sequebatur, proficiebat et euacuabat legem Mosi, nam illa data fuit in crepusculo, ideo ista danda erat hora tertia, que illi sequitur. Item illa habebat aliquid tenebrarum, ista in uera luce debebat resplendere. Et sic apostoli positi fuerunt in oratione dicendo: “ueni sancte spiritus, reple tuorum corda fidelium”, etcetera. Et tunc etiam uirgo Maria orando dixit: *emitte spiritum tuum et creabuntur et renouabis faciem terre*, Psalmi centesimo tertio. Et cum hoc dixisset: *factus est repente de celo sonus tamquam aduenientis spiritus*, etcetera; *et apparuerunt illis dispertite lingue tamquam ignis seditque supra singulos eorum et repleti sunt omnes spiritu sancto et ceperunt loqui uariis linguis*. Et sic datum fuit eis donum linguarum, quia predicaturi erant per uniuersum mundum. Ex quo sequitur quod Machometus non solum non fuit spiritus sancti, sed nec apostolus pro toto mundo, ut ipse asserit. Nam dicit in Alchorano quod ipse solum sciuit linguam arabicam, igitur non mittebatur toti mundo.

Sed forte dicent machometi: si lex christianorum fuit spiritus sancti, quare non mittitur in illa spiritus sanctus uisibiliter, ut nos credamus? Dicendum quod non opus est nunc mitti uisibiliter, quia ratio naturalis dictat ut per uisibilia et ad inuisibilia ueniamus. Ideo christianis adhuc rudibus uisibilia signa dabantur et nunc non oportet, quia ex quo scripta sunt. Si illis non credimus, nunc nec crederemus. Tunc enim nouiter plantabatur ecclesia ut uinea domini. Ideo, ut dicit Gregorius in homilia, quando palmites ponuntur in uinea, quia sunt fragiles, ponitur ad radicem illorum aliquod lignum ut sustententur, sed ex quo fiunt uites fortes, tolluntur illa ligna. Sic in proposito, tunc illud dabatur ad comprobendam et firmandam fidem ecclesie, qua probata et firmata nunc non requiruntur. Tunc erant pauci quasi seminaria fidei, nunc iam multi et euidentia sunt facta, sed missio inuisibilis semper fit in ecclesia.

Si dicis: quomodo cognoscitur? Dicendum quod nullus potest cognoscere certitudinaliter nisi per reuelationem, unde Paulus dicit: *sic curro non quasi incertus*, prima Corinthiis nono, quia ei dictum fuit sufficit tibi gratia mea. Sed per coniecturas quilibet potest cognoscere habere illam per signa que data fuerunt a Deo.

Primum signum fuit columba. Quando igitur tu habebis proprietatem columbe, crede quod habes spiritum sanctum. Columba enim est animal simplex sine felle malitie; homo igitur homicida, bellicosus et rixosus est leo; homo gulosus et luxuriosus est porcus; homo usurarius et latro est lupus, quia destruit oues Christi. Sed homo mitis, benignus, mansuetus est columba et potest credere quod habet spiritum sanctum quando faciliter homo dimittit iniurias assimilatur columbe.

Secundum signum est nubes que habet molliciem et rorem. Qui igitur habet cor molle non durum nec lapideum, sed molle ad sermonem et doctrinam Christi, et faciliter uertitur in lacrimas contritionis, compassionis et pietatis. Signum est quod habet spiritum sanctum in se.

Tertium signum est lingua ignea cum flatu uerborum, et ostendit uerba salutaria cum charitate. Non lingua ardens, quia ignis ille lucebat et non comburebat. Lingua ardens est blasphemi susurronis et rixosi, sed lingua ignea spiritus sancti est quando dicit uerba salutaria, quando instruit per charitatem, consiliatur per Dei amorem.

---

258-259: Ps. 103, 30. | 259-261: cf. Act. 2, 2-4. | 278: I Cor. 9, 26.

264: cf. Q 16, 103. | 271: cf. Gre. Mag., Ep., IX, 33. PL 77, 969B.

295 Isti qui talia signa habent *repleti sunt omnes spiritu sancto*, quia recipiunt hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

---

295: cf. Act. 2, 4.

## SERMO OCTVAGESIMVS QVARTVS ET TERTIVS IN EODEM DIE PENTHECOSTES

<THEMA> *Repleti sunt omnes spiritu sancto, Actuum secundo.*

Originaliter recitatiue autem in lectione presentis solemnitatis, etcetera.

5 Tres conditiones uel proprietates reperiuntur in gratia spiritus sancti, que ostendunt suam dignitatem et excellentiam. Prima est necessitas; secunda uirtuositas; tertia est quantitas illius.

10 Prima est necessitas ipsius gratie, nam ut dicunt doctores, tanta est necessitas gratie in creatura rationali quod nunquam aliqua illarum potuit esse grata nec accepta Deo, nisi gratia mediante. Nunquam creatura angelica fuit accepta sine illa nec etiam creatura aliqua humana, sed ad hoc fuit necessaria gratia gratum faciens. Ideo dicit Apostolus, ad Romanos sexto: *gratia Dei uita eterna.*

15 Secunda est uirtus illius, nam tante uirtutis est quod sufficit ad eleuandum creaturam usque ad creatorem, ut iungatur illi. Et sic dicunt doctores quod gratia est quodammodo infinite uirtutis eo quod iungit nos infinito Deo. Ex quo sequitur quod gratiam solus Deus potest causare, quia nullum infinitum potest esse a potentia finita. Ideo dicit Psalmi octogesimo tertio: *gratiam et gloriam dabit dominus*, etcetera.

20 Tertio est quantitas gratie, nam una scintilla gratie sufficit ad sanctificationem alicuius, ut dicit sanctus Thomas in tertia, questione septuagesima, articulo quarto. Et sic quelibet creatura rationalis per minimam gratiam dicitur effecta sancta, ut sunt omnes sancti existentes in gloria. Sed quando Deus uult aliquos ordinare in aliqua misteria altiora, dedit illis magnum gratie abundantiam, et sic illos uocat scriptura sancta plenos spiritus sancti gratia. Et inter omnes creaturas fuit maxime repleta uirgo Maria.

Quod autem ipsa fuerit magis et abundantius plena patet tripliciter. Primo, ratione dantis gratiam; secundo, ratione recipientis; tertio, ratione ipsius gratie.

25 Primo, patet ratione dantis, scilicet: Dei. Nam cum Deus liberaliter det gratiam ex mera uoluntate, quia si ex operibus uel meritis daretur: *iam non esset gratia*, ut dicit Apostolus, ad Romanos undecimo. Igitur dat cui uult, nam: *unicuique data est gratia secundum mensuram*, id est, secundum uoluntatem diuinam, que est mensura ipsius, ut dicit glosa ad Ephesios quarto. Sequitur quod cum magis dilecta fuerit uirgo Maria a sanctissima trinitate, quod  
30 maiorem gratiam illi dederit super puras creaturas, etcetera. Quod autem fuerit magis dilecta a trinitate patet,

primo, pater eam tantum dilexit quod uoluit ut esset mater illius «cuius ipse solus erat pater», ut dicit Bernardus in tertia homilia Super Missus Est.

35 Secundo, tantum illam dilexit filius Dei quod uoluit in suo utero habitare et de eius carne uestire et, quod maius est, semper illi ex amore obedire, nam: *erat subditus illi*, ut dicit Lucas in capitulo secundo. Hoc autem fuit maximum signum amoris: ut ille cui mundus totus erat subditus, esset matri obediens, etcetera.

---

2: Act. 2, 4. | 11: Rm. 6, 23. | 16: Ps. 83, 12. | 26: Rm. 11, 6. | 27: Eph. 4, 7. | 35: Lc. 2, 51.

18: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 70, a. 4, p. 569. | 28: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 6), Eph. 4, 7, f. 93v. | 32-33: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 8. PL 183, 75B.

40 Tertio, fuit dilecta a spiritu sancto, in tantum quod in suo utero conceptionem Christi faciens solum illam admisit secum ut uirtus spiritus sancti esset actiue in illa et uirtus uirginis etiam actiue, saltem ad materiam preparandam, quod nulli pure creature fuit concessum nisi illi.

Secundo, patet hoc ex parte recipientis, scilicet: uirginis Marie, nam propter tria aliquis non recipit illud quo indiget.

45 Primo, quia habet in se impedimentum, ut quando infirmus habet malum humorem intra se, sanitatem recipere non potest nisi expellatur humor contrarius.

Secundo, si non disponit se ad illud. Sic scientia non acquiritur dormiendo, etcetera, sed per multam uigilantiam.

50 Tertio, si non habet uas in quo recipiatur illud. Patet hoc quarto Regum quarto, de uxore Abdie prophete uidua, que semper recepit oleum dum uasa uacua habuit, de cetero non. Similiter quando quis uult aquam et diligenter uadit ad fontem, sed non habet uas in quo recipiat illam. Sic in proposito, dico quod ista tria ad gratiam recipiendam excellenter fuerunt in uirgine.

55 Primo, omnes alie creature habuerunt impedimentum ad gratiam uel ex peccato actuali, saltem ueniali in sanctis et ex peccato originali in omnibus. Sola uirgo Maria nullum tale impedimentum habuit, cum illa nec aliquod peccatum actuale nec originale habuerit.

60 Secundo, illa habuit maximam preparationem ad gratiam ex maxima charitate, nam mensura gratie est duplex: una dantis, et illa est uoluntas diuina, ut prediximus; alia recipientis, et illa est charitas. Nam habens maximam charitatem et maximam recipit gratiam. Sed cum in uirgine fuerit maxima charitas, que a pura creatura in uia possit haberi, sequitur, etcetera.

65 Tertio, de uase patet, nam uas dicitur plenum et occupatum per elationem superbie, ut patet in Adam et Eua. Sed uacuum est per humilitatem, unde Aristotelem dicitur scripsisse Alexandro, ut illum humilem redderet dicens: «o Alexander, paratus est Deus tibi dare gratiam, sed illam recipere non potes, cum superbia plenus sis». Sed cum in uirgine Maria fuerit maxima humilitas, sequitur quod habuerit uas preparatissimum ad gratiam. Et sic maxime fuit plena gratia inter omnes sanctos et sanctas, etcetera, nam: *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam*, Iacobi quarto capitulo. Igitur magis humilibus maiorem dat gratiam, igitur, etcetera.

Tertio, patet hoc ex ratione uel ex parte gratie tripliciter.

70 Primo, ex eius effectu, qui est sanctificare. Nam a posteriori patet hoc, quia ubi fuit maxima plenitudo sanctificationis, ibi fuit maxima plenitudo gratie. Cum effectus arguat suam causam, ubi maior effectus, maior causa, sicut «ubi intense calidum maior caliditas reperitur». Quod in uirgine Maria fuerit maior quam in ceteris sanctis patet per Bernardum in epistola ad Canonicos Lugdunum. Etiam patet hoc ratione temporis, nam nullum instans

---

48: cf. IV Rg. 4, 5. | 66-67: Iac. 4, 6.

63-64: cf. Bon., *Serm.*, XXX, 2, p. 87. | 72-73: cf. Alb. Mag., *Post. Anal.*, I, 2, 5, p. 31b. | 73-74: cf. Bern. Cl., *Ep.*, CLXXIV, 5. PL 182, 334C. | 75: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 95, a. 1, p. 678; *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 20, q. 2, a. 3, p. 982; (vol. 4), lib. 2, dist. 29, q. 1, a. 2, p. 414.

46: Sic] X si.

75 fuit in quo non haberet gratiam. Quia si hoc concedit sanctus Thomas de Eua, multo  
fortius de uirgine Maria. Nam si de angelis dicit Augustinus quod «simul erat condens  
naturam et largiens gratiam», multo magis de regina angelorum est dicendum. Item patet  
hoc ratione expulsionis peccati, nam in ceteris expulit peccatum, sed in uirgine non permisit  
80 ut conciperet sanctum sanctorum, igitur ipsa fuit sanctorum sanctissima, ut dicit  
Augustinus. Et sic requisita fuit maxima plenitudo gratie ad hoc, ut digna mater fieret filii  
Dei.

Secundo, patet hoc ratione continentie aliarum plenitudinum. Ratio est quia illa que in se  
omnes alias plenitudines recepit, magis plena fuit, sed uirgo Maria alias in se plenitudines  
85 recepit, igitur, etcetera. Patet hoc, nam tres plenitudines legimus preter suam. Prima  
martyrum ut firmarentur, sic ut mortem tollerarent pro Christo. Nam cum: «mors sit  
ultimum terribilium», requirebatur ad hoc insolitum plenitudo gratie firmantis eos, et sic  
habetur Actuum sexto: *Stephanus plenus gratia et fortitudine*, etcetera. Nam cum esset primus  
90 martyr, oportuit quod esset sic gratia firmatus, ut non solum pro Christo firmiter pateretur,  
sed etiam esset exemplar aliis. Secunda plenitudo fuit in apostolis, ut uerbum Dei  
seminarent et etiam mortem tollerarent, ut patet in uerbis thematis. Tertia plenitudo fuit  
maior omnium istarum, scilicet: plenitudo Christi, Iohannis primo: *uidimus eum plenum gratia*,  
etcetera. Et hec fuit plenitudo quasi infinita, nam: *non fuit illi datus spiritus ad mensuram*,  
Iohannis tertio. Omnes istas plenitudines uirgo in se habuit.

95 Primo, martyrum cum ipsa excelleret omnes martyres, ut dicit Hieronymus, et fuit prima  
ante Stephanum circa crucem domini.

Secundam habuit, scilicet: apostolorum, nam ipsa fuit magistra apostolorum, ut dicit  
etiam Hieronymus.

Tertiam, scilicet: Christi in se habuit, quando Christum in eius utero concepit, nam:  
100 «quidquid continet continens, continet etiam in eo contenta». Plenitudo autem illa non erat  
in uirgine sicut in Christo, nam in Christo fuit unita habitualiter ratione unionis hypostaticae,  
sed in uirgine solum sicut in uase. Exemplum: quodcumque “algalia” uel “alimisque” est  
in aliqua urna uel in aliquo uase uitreo, est in illo liquor ille unitus. Sed quando uas illud  
105 continetur in sinu alicuius, redundat odor in illa persona, licet liquorem illum non tangat.  
Sic in proposito, nam quando Elisabeth continebat in utero filium suum Iohannem  
sanctificatum gratia spiritus sancti, plenitudo illius in matrem redundabat, et sic fecit  
matrem prophetissam. A fortiori igitur plenitudo Christi redundauit in matrem, cum esset  
maior plenitudine Iohannis. Et sicut de Christo per excellentiam dicit Apostolus quod: *in*  
*ipso habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter*, ad Colossenses secundo capitulo, sic de uirgine  
110 dicitur a Bernardo, homilia tertia Super Missus Est dicens: «legimus Stephanum plenum  
gratia et apostolos spiritu sancto repletos, sed longe dissimiliter a Maria, quia neque in illo  
habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter ut in Maria, neque illi conceperunt de spiritu  
sancto ut ipsa». Igitur Maria fuit uas plenitudinis omnium plenitudinum gratiarum. Ideo  
dicit Ecclesiastici quadragesimo tertio: *uas admirabile opus excelsi*.

---

88: Act. 6, 8. | 92: Io. 1, 14. | 93: Io. 3, 34. | 108-109: Col. 2, 9. | 114: Sir. 43, 2.

76-77: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XII, 9, 2. PL 41, 357A. | 81: Augustinus] *Nl.* cf. Bern. Cl., *In Anti. Sal. Reg.*, I, 3. PL 184, 1063AB. | 86-87: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, III, 9, 15a25, p. 191. | 95: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 14. PL 30, 138A. | 98: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 4. PL 30, 125D. | 100: cf. Arist. Lat., *Phys.*, III, 6, 207a20, p. 129. | 110-113: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 2. PL 183, 72A.

115 Tertio, patet hoc ratione diffusionis, nam bonum est diffusiuum suipsius et cum gratia, si maius bonum uie sequitur. Sed diffunditur principaliter a Christo ut Deus, auctoritatie ut homo, ut instrumentum coniunctum, sed a uirgine ministerialiter. Ideo Christus dicitur “flumen gratie” irrigans totum mundum et ecclesiam, in quo est cibus omnium iustorum. Apostoli dicuntur “riuuli minores”, quibus irrigatur totus mundus ministerialiter. Sed uirgo

120 Maria est media inter Christum et ecclesiam, ideo dicitur “pelagus”, in quo immediate cadit flumen, et illa mediante sumunt riuuli, id est, apostoli et ceteri, unde Psalmi sexagesimo quarto: *flumen Dei repletum est aquis*, scilicet: gratiarum, *parasti cibum illorum*, id est iustorum, *quoniam ita est preparatio eius*, id est, ad hoc fuit paratum flumen, sequitur: *riuos eius inebrians*, id est, apostolos minores riuulos. Ideo in hebreo et in translatione Hieronymi habetur: «sulcos eius», qui sunt quasi riuuli, etcetera. In stillicidiis eius letabitur germinans, id est, Maria, que Christum flumen gratiarum germinauit, quia uirgo Maria fuit media inter Christum et apostolos et totam ecclesiam, et sic, ut pelagus, a quo stillauit gratia in ipsos. Ideo dicitur Canticorum quarto: *fons hortorum puteus aquarum uiuentium que fluunt impetu a Libano*, id est, a celo. Nam flumen qui Christus est totam ecclesiam irrigauit, sed mediante uirgine Maria, unde Psalmi quadragesimo quinto: *fluminis impetus letificat ciuitatem Dei*, id est, ecclesiam, sed prius *sanctificauit tabernaculum suum altissimus*, scilicet: uirginem Mariam. Sic hodie apostoli, Maria mediante, receperunt spiritum sanctum, quia illa in medio ut in centro. Alii uero circum circa stantes in oratione. Venit spiritus sanctus ut globus igneus super Mariam, et de illa diuisus fuit in partes, sicut si essent lingue. Exemplum: quando quis proiicit lapidem in

135 pelago, ubi ad modum circuli multiplicantur usque ad extremum ripe, sic in proposito. Et non solum apostoli illa mediante fuerunt repleti, sed totus mundus, unde Bernardus in sermone: «de plenitudine eius accipiunt uniuersi», etcetera.

Si nos igitur hanc gratiam uolumus, illa mediante, recipere debemus, quia mediante illa *repleti sunt omnes spiritu sancto*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

140 <THEMA> *Repleti sunt omnes spiritu sancto*, ubi supra.

Dimissa introductione thematis causa breuitatis, sola una conclusio est in presenti sermone uidenda, que est talis: quod spiritus sanctus conuenienter missus est tali die. Et hec conuenientia probabitur tripliciter, si tempus affuerit. Primo, ex parte Dei; secundo, ex parte legis; tertio, ex parte legislatoris, scilicet: Christi et apostolorum, etcetera.

145 Primo, probatur ex parte Dei, nam ut dicit sanctus Thomas in prima parte, questione quadragesima tertia, et fundatur in dicto beati Augustini in secundo De Trinitate, solum due persone in sanctissime trinitate mittuntur, scilicet: filius et spiritus sanctus. Ratio est quia in missione duo importantur: primum est habitudo missi ad eum a quo mittitur et habitudo ad terminum ad quem mittitur. Et sic qui mittitur procedit a mittente secundum

150 dominium aut concilium aut secundum originem. Secundum dominium non potest esse in personis diuinis, cum sint equales. Et licet dicat Hilarius in libro De Trinitate: «auctoritate dantis pater maior est, sed filius non est minor, cui idem esse donatur». Et sic illa auctoritas reseruatur in patre in quantum non procedit ab aliquo. Et sic non mittitur ab aliquo, nec est per modum consilii, quia consilians maior est eo qui consilium recipit. Quod in diuinis esse

155 non potest, cum scientia patris et sapientia sint equaliter in filio et spiritu sancto. Nam non differunt ab essentia et illa est una et eadem in omnibus, igitur, etcetera. Solum igitur tertio

122-123: Ps. 64, 10-11. | 128: Ct. 4, 15. | 130-131: Ps. 45, 5. | 139-140: cf. Act. 2, 4.

124-125: cf. Hier., *Lib. Psal.*, LXV, 11. *PL* 28, 1175A. | 137: cf. MF. Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, II. *PL* 183, 430D. | 145: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 43, a. 8, p. 319. | 146: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, II, 5, 7. *PL* 42, 848D-849A. | 151-152: Hil., *De Tr.*, IX, 54. *PL* 10, 325A.

150: <sup>2</sup>Secundum] M secundus.

modo est in diuinis, nam mittens procedit a mittente per modum originis, et sic dicimus quod radius procedit a sole et flos ab arbore. Ex quo sequitur quod cum pater non procedat ab aliquo, alie due persone procedant, quod pater non potest dici quod mittatur, bene tamen filius et spiritus sanctus. Sequitur etiam quod missio non est processio nec econuerso, sed differunt tripliciter.

160 Primo, quia processio est eterna, missio uero temporalis. Nam processio in diuinis semper fuit, missio uero non, sed fuit post mundi constitutionem. Exemplum: si sol esset eternus, ut dixit Aristoteles, licet falso, sed in tali casu ab eterno procederet radius a sole, sed non mitteretur ad aliquem locum, cum nullus locus esset ponendo quod terra non esset  
165 creata. Sed mox ut tempus esset in quo terra esset facta, diceremus quod sol non producit radium, sed etiam quod mittit illum ad terram. Similiter de arbore: si esset arbor florida eterna, diceremus quod flos procedit eternaliter ab arbore, sed non mittitur. Sed si produceretur arbor, mox flos mitteret speciem ad oculum et odorem ad olfactum.

170 Secunda differentia est quod processio dicit solum terminum a quo, sed missio etiam terminum ad quem.

Tertia differentia est quod in processione non includitur missio, sed econuerso in missione includitur processio.

175 Sed si dicis: cum aliquando dicatur quod filius mittitur et non spiritus sanctus, aliquando econuerso et pater (ut dicitis) quod non mittitur, igitur separantur persone inter se. Dicendum quod non separantur, nam cum filius semper generatur et est genitus a patre et spiritus sanctus semper procedat, nunquam separatur ab inuicem. Ideo dixit Christus: *pater in me est et ego in patre*, Iohannis decimo quarto. Sed, cum duo sint in creatura rationali, quibus Deo coniungitur, scilicet: intellectus et affectus, quia coniungitur intelligendo et  
180 amando, ideo: «quando persona diuina mittitur alicui, opus quod fiat assimilatio illius ad personam que mittitur per aliquod donum gratie, sit autem ad personam filii per donum intellectus, ad spiritum sanctum per donum charitatis, et ideo per donum intellectus attenditur missio filii inuisibilis. Et secundum donum charitatis attenditur missio inuisibilis spiritus sancti», ut dicit sanctus Thomas primo, distinctione decima quinta; et prima parte,  
185 questione quadragesima tertia, articulo quinto. Et ideo quando una persona mittitur, omnes ibi assunt, qui in omnibus est una essentia et una operatio ad extra, secundum Augustinum, sed ratione effectus alius et alius, dicitur alia et alia persona mitti. Exemplum: in igne sunt tria considerata, scilicet: substantia ignis, lux et calor. Quando aliquis stat ad ignem et fit facies eius lucida, dicimus quomodo lux resplendit in faciem illius, etcetera. Non quod in luce non sit ignis et calor, sed quia talis effectus attribuitur luci. Item quando inflamantur facies, dicimus qualiter inflammat facies a colore, non quod non fuerit ibi etiam lux, etcetera. Sic in proposito. Item ab arbore procedet flos et a flore et arbore procedit odor, sed species floris et euaporatio odoris simul sunt. Nam in quocumque puncto medii oculus per speciem uidet florem et odoratus sentit odorem et licet simul sint, tamen immutare odoratum attribuitur odori et immutari uisum attribuitur colori. Sic in proposito, illuminare intellectum attribuitur filio, qui procedit ut uerbum, et inflammare affectum attribuitur spiritui sancto, qui procedit, ut amor, a uoluntate. Et sic ubicumque est filius, est spiritus sanctus et pater. Sed filius et spiritus sanctus mittuntur, pater uero est presens, sed non mittitur uel potest dici quod pater uenit per nouum effectum, sed non est missus, cum non  
190 procedat ab alio. Exemplum: si congregatur concilium in aliquo loco, episcopus de  
195  
200

---

177-178: Io. 14, 11.

164: cf., Arist. Lat., *Met.*, XII, 8, 1073a31, p. 216. | 180-184: cf. *Sup. Sent.* (vol. 1), dist. 15, q. 4, a. 2, p. 768 ; *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 43, a. 5, p. 314. | 186: cf. Aug. Hipp., *Con. Fau. Man.*, XV, 6. PL 42, 308A.



205 prouincia Francie et episcopus de prouincia Hispanie dicentur mitti, sed non papa, cum non procedat ab alio. Et sic, si fuerit Rome congregatio dicitur esse presens et non mitti. Si autem in alium locum congregatur, dicitur uenire ad concilium, sed non mitti, unde dicit Christus, Iohannis decimo quarto de tota trinitate: *ad eum uenimus et mansionem apud eum faciemus*, etcetera.

210 Sed dices: si mittuntur in mundum, igitur non erant in loco illo ante, sed cum proprium sit Dei esse ubique, sequitur quod non possunt mitti. Dicendum quod non mittuntur ad locum in quo ante iam non fuerint, sed non erant secundum illum nouum effectum. Exemplum: aliquis ciues huius ciuitatis qui mittitur commissarius in aliqua causa a papa dicitur missus, licet ante iam erat in hac ciuitate, sed non intendebat in illa causa, sicut nunc nouiter facit, sic in proposito. Ideo Luce primo: *missus est angelus Gabriel a Deo*, scilicet: a tota trinitate, dicens uirgini Marie: *ue gratia plena, dominus tecum*, quia dominus pater, dominus filius, dominus spiritus sanctus. Non tres domini, sed unus est Deus. Igitur mittitur a trinitate, et iam est trinitas in uirgine Maria, quia pater dat ei potentiam accipiendi, filius illuminat intellectum eius et spiritus sanctus inflamat affectum per charitatem. Sed dicit Augustinus: *«spiritus sanctus superueniet in te*, scilicet: per nouum effectum conceptionis filii. Et dicit iterum: *uirtus altissimi*, scilicet: filius, *obumbrabit tibi*, id est, umbram faciet in te», recipiendo corpus in tuo utero.

220 Et sic licet antea ibi essent, sed nouiter uenerunt per nouum effectum. Sed notandum quod missio filii et spiritus sancti dicitur fieri dupliciter, scilicet: inuisibiliter et uisibiliter. Inuisibiliter a principio mundi; uisibiliter solum in nouo testamento. In principio mundi filius missus ad illuminandum intellectum Ade et Eue, et postea patriarcharum et prophetarum, etcetera. Similiter spiritus sanctus ad uoluntatem per charitatem, sed hoc inuisibiliter et sine signo uisibili, sed in nouo testamento iam uisibiliter fuerunt missi. Ratio quia erat tempus plenitudinis, unde Apostolus dicit ad Galatas quarto: *ubi uenit plenitudo temporis misit Deus filium suum*, etcetera. Nam cum signo uisibili notat plenitudinem, quia inuisibiliter datur ad sufficientiam persone unius, sed uisibiliter ad utilitatem totius ecclesie. Exemplum signi hospitii domus quod dicit sufficientem mansionem pro aliquo et familia sua, sed signum hospitii dicit mansionem esse pro omnibus uenientibus, sic in proposito. Sic igitur ante tempus plenitudinis fuit missio inuisibilis, que non est sic plena, postea uero uisibilis. Exemplum: dies illuminantur in aurora, sed imperfecte sine uisione radiorum solis, in die plena iam uisibiliter per radios uisibiles, tunc est plenitudo lucis, etcetera.

235 Si dices: quare prius fuit missus uisibiliter filius quam spiritus sanctus? Dicendum quod rationabiliter fuit factum, quia operatio intellectus precedit uoluntatem, unde dicit Augustinus quod: *«nihil uoluit nisi precognitum»*. Sed cum filius procedat per modum intellectus, spiritus sanctus per modum uoluntatis, prius debuit mitti uisibiliter filius quam spiritus sanctus. Et hoc est quod dicit Iohannes capitulo septimo: *nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus*. Nam cum quadruplex fuerit glorificatio Christi: prima in conceptione quando animam habuit perfecte gloriosam; secunda in transfiguratione quando illam gloriam apostolis ostendit; tertia in resurrectione quando illa gloria in corpus redundauit et corpus gloriosum habuit; quarta fuit in die ascensionis quando ad locum glorie ascendit ad dexteram patris, et sic spiritus sanctus apparuit uisibiliter quater post istas glorificationes Christi. Nam post natiuitatem in baptismo, Matthei tertio, Luce tertio, apparuit in specie columbe; post transfigurationem in specie nubis, Matthei decimo

204-205: Io. 14, 23. | 211: Lc. 1, 26. | 212: Lc. 1, 28. | 216-217: cf. Lc. 1, 35. | 225-226: Gal. 4, 4. | 237-238: Io. 7, 39. | 243: cf. Mt. 3, 16; Lc. 3, 22. | 244: cf. Mt. 17, 5.

216-217: cf. Aug. Hipp., *En. In Psal.*, LVII, 21. PL 36, 826AD. | 235: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, X, 1, 2. PL 42, 973A.

245 septimo; post resurrectionem in specie flatus dicens: *accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata*, etcetera, Iohannis uicesimo, insufflauit et dixit: *accipite spiritum sanctum*, etcetera. Post ascensionem autem tali die sicut hodie in forma ignis misit spiritum sanctum et *repleti sunt omnes spiritu sancto*. Quo ad primum.

250 Secundo, probatur hec sufficientia ex parte legis, nam triplex fuit lex uel status legis, scilicet: nature, scripture et gratie.

Prima attribuitur patri, nam immediate post creationem data fuit et quia creatio ratione potentie attribuitur patri. Item quia per illam cognitus fuit pater, nam ratione naturali etiam philosophi cognouerunt unum esse Deum, licet ille non cognitus fuit sub ratione patris.

255 Secunda lex scripta attribuitur filio ratione doctrine, que ad intellectum pertinet, et etiam quia ad filium ordinabatur et illum figurauit et prophetauit, etcetera.

Tertia attribuitur spiritui sancto, ideo dicitur lex gratie. Nam licet Christus aliam impleuit et ad istam legem disposuit mundum per predicationem et doctrinam suam, sed hanc in scriptis non dedit.

260 Primo, propter excellentiam doctoris, ut ostenderet se esse Deum, qui poterat in cor homini aliquid scribere et stampare. Non hoc fecit Aristoteles nec Pythagoras nec alii magistri, unde de eo dicitur quod: *erat docens sicut potestatem habens*, Matthei septimo.

Secundo, hoc fecit propter excellentiam doctrine que litteris continentur, non poterat et si in scriptis daretur, nihil aliud ibi contineri crederent homines.

265 Tertio, hoc fecit ad differentiam alterius legis scripte, nam quia illa dabatur populo rudi et sensibili, ideo in lapide data et cum litteris sensibilibus. Sed quia ista dabatur populo spirituali, ideo in spiritu et corde erat danda. Ideo dicitur Hieremie capitulo tricesimo primo: *ecce dies uenient –dicit dominus– et feriam domui Israhel et domui Iuda fedus nouum non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, quando egressi sunt de Egipto*, etcetera, *post dies illos –dicit dominus–: “dabo legem meam in uisceribus eorum et in corde eorum scribam eam”*, etcetera. Et  
 270 sic, licet dispositio huius legis et principium fuerit a Christo, sed perfectio et complementum fuit a spiritu sancto. Et sic in presentia Christi illam non considerabant, quia adhuc carnales erant, et sic absentauit se et dixit: *si enim non abiero, paraclitus non ueniet ad uos, si autem abiero, mittam eum ad uos*, Iohannis decimo sexto. Et sic fecit ut nutrices faciunt pueris suis, quia absentant eos a lacte ut alios cibos sumant. Quod autem complementum  
 275 fuerit a spiritu sancto patet, nam Christus dixit, Iohannis decimo sexto: *docebit uos omnem ueritatem*. Item dicit Iohannis decimo quarto: *paraclitus autem spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia*. Non simpliciter omnia, sed omnia necessaria ad salutem, ad impugnationem errorum et ad gubernationem ecclesie. Item docuit omnia que Christus dixerat dando illis intelligere uerum a quo multa audierant, que pro tunc non intellexerunt.  
 280 Item sugessit eis omnia, id est, reduxit ad memoriam omnia que Christus illis dixerat, quorum multa obliti erant nec poterant memorie commendare. Quomodo enim Iohannes Euangelista poterat uerba memoriter tenere et post sexaginta annos in euangelium scribere sine spiritus sancti reuelatione? Ideo spiritus sanctus dedit complementum legis.  
 285 Exemplum: sicut qui scribit cum succo narange uel cepe uel huiusmodi, et littera in papiro alba non uidetur nec potest legi et intelligere quod in illa erat. Sic in proposito, Christus multa impressit in cordibus discipulorum, sed illi tunc non legebant nec intelligebant, sed

---

245-246: Io. 20, 22-23. | 247-248: cf. Act. 2, 4. | 261: Mt. 7, 29. | 267-269: Ier. 31, 31-33. | 272-273: Io. 16, 7. | 275-276: Io. 16, 13. | 276-277: Io. 14, 26.

adueniente tamen igne spiritus sancti, omnia aperta uiderunt, etcetera. Sic igitur patet quod conuenienter fuit data hec lex postquam fuit alter impleta. Primo, patet quo ad tempus, nam sicut post quinquaginta dies ab agno paschali receperunt legem, sic quinquagesima die a uero agno qui Christus est. «Ipse enim uerus est agnus qui abstulit peccata mundi», etcetera, ut dicit ecclesia. Sicut illa in monte Sinai, hec in monte Sion, quia dixit propheta Isaias capitulo secundo: *de Sion exiit lex*, etcetera. Et cum sono ambe, sed differentia est inter istas: illa data in nocte, quia in crepusculo, hec autem in die; illa in fumo, hec autem in igne; illa ab angelo et data uni solum, hec autem a Deo et data centum uiginti hominibus, nam Actuum primo ante electionem Mathie fuerant centum uiginti, etcetera, et recte ostenditur perfectio legis. Illa autem scripta data fuit uni, scilicet: Mosi, tamquam imperfecta, quia unitas non est numerus, sed principium numeri. Item uni ut ostenderetur quod ordinabatur ad unum, scilicet: ad Christum, unde Psalmi decimo tertio: *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, id est, «usque ad Christum», ut glosa dicit. Sed ista data centum uiginti, nam notat perfectionem, quia numerus centenarius est numerus quadratus ex perfecto numero, scilicet: denario, nam decem decies sunt centum. Et quia in hac lege quattuor euangeliorum continentur quidquid in quinque libris Mosi promittebatur, etcetera, ideo uiginti insurgunt ex quattuor in quinque, quia quater quinque sunt uiginti, etcetera. Item ex tempore notatur perfectio huius legis, nam hec lex impletur in septem septenariis.

Primus est septem uituli ad Deum et quattuor ad proximum; secundus est septem operum misericordie ex istis; tertius est septem sacramentorum; quartus septem articulorum diuinitatis; quintus septem articulorum humanitatis; sextus est septem beatitudinum; septimus est septem donorum spiritus sancti et quia septies septem faciunt quadraginta nouem, ut ostenderetur quod hoc erat ab uno spiritu sancto. Nam dicit Apostolus, prima Corinthiis duodecimo: *omnia hec operatur unus et idem spiritus*, etcetera. Igitur post quadraginta nouem in die quinquagesimo missus fuit spiritus sanctus. Missus fuit etiam conuenienter quo ad diem dominicam, nam in dominica die incepta creatio quo ad patrem; in dominica die resurrectio et glorificatio, que fuit reparatio quo ad filium. Igitur in die dominica reformatio quo ad spiritum sanctum, unde Psalmi centesimo tertio: *emitte spiritum tuum et creabuntur et renouabis faciem terre*. Item quo ad tempus conuenienter, scilicet: quo ad horam tertiam tripliciter.

Primo, quia lex nature in principio creationis incepit, ideo in hora noctis, nam: *tenebre erant super faciem abyssi*, etcetera, Genesis primo. Secunda lex scripta de mane, scilicet: in crepusculo. Igitur tertia que illi succedit dari debuit hora tertia.

Secundo, quia Adam hora tertia perdidit gratiam, igitur tali hora debet restitui.

Tertio, quia sicut apostoli in hora tertia receperunt spiritum, scilicet: sic etiam nos. Si uolumus illum habere, in tertia hora debet esse. Prima hora est contritionis. Secunda hora est confessionis in tali die. Peccata enim rememorata et nouiter facta post quadragesimam debent nunc confiteri. Tertia hora est satisfactionis, nam debet penitentia non completa nunc compleri.

Et sic qui hoc facit, hic habet gratiam et in futuro gloriam, ad quam nos perducatur, etcetera. Amen.

---

292: Is. 2, 3. | 295: cf. Act. 1, 15. | 298-299: Ps. 13, 1. | 310: I Cor. 12, 11. | 314-315: Ps. 103, 30. | 317-318: Gn. 1, 2.

290: cf. Gre. Mag., *Lib. Sacr.*, in die San. Pasc. PL 78, 92B. | 299: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Psal., 13, 1. PL 113, 863C.

## SERMO OCTVAGESIMVS QVINTVS IN FERIA SECVNDA PENTHECOSTES

<THEMA> *Emitte spiritum tuum*, Psalmi centesimo tertio.

Originaliter recitatiue, etcetera.

5 Quia homo ad beatitudinem eleuari non potuit sine gratia, ideo in principio creationis  
fecit unum fontem gratie, scilicet: Adam, qui filios procrearet cum iustitia originali et per  
consequens cum gratia, quia iustitia originalis non erat sine gratia, ut patet per sanctum  
Thomam prima, questione centesima, primo, obiectione. Sed per primum peccatum hoc  
principium gratie siccatum fuit et deinde semper fuit penuria gratie in mundo. Nam licet  
daretur gratia personalis aliquibus, quia semper ab Abel fuit aliquis cum gratia, in quo  
10 incepit ecclesia per Augustinum, decimo quinto De Ciuitate Dei. Et sic continua fuit  
ecclesia, quam uocat “ciuitatem Dei”, sed gratia spiritus sancti nunquam in aliquo requieuit  
sicut in fonte usque ad aduentum uirginis Marie, quia gratia personalis que erat in iustis  
aliquando interrompebatur per peccatum. Figura Genesis octauo, primo misit Noe  
15 columbam de arca et: *cum non inuenisset ubi requiesceret pes eius, reuersa est. Rursus expectatis septem  
diebus, iterum misit columbam et iam reuersa est portans ramum oliue.*

Spiritualiter per Noe intelligitur Deus pater, qui de arca celorum misit columbam, id est,  
spiritum sanctum, prima uice, scilicet: in ueteri testamento. Sed non inuenit ubi requiesceret  
pes eius, quia licet apparuissent cacumina montium, id est, uiri excellentes sicut Abel, Noe,  
Abraham, Isaac, Iacob, etcetera, sed non requieuit in illis, scilicet: sine interruptione gratie  
20 spiritus sancti. Et sic non potuerunt esse fontes pro aliis, quia de ratione fontis est quod  
continuo manet, sed expectatis septem diebus, scilicet: in nouo testamento, nam «numerus  
septenarius notat perfectionem». Fuit iterum missa columba, id est, gratia spiritus sancti, et  
inuenta oliua portauit ramum illius.

Hec oliua fuit uirgo Maria, unde Ecclesiastici uicesimo quarto de ea dicitur: *quasi oliua  
25 speciosa in campis*. Ramus sumptus de ea fuit caro corporis Christi, super hunc requieuit  
spiritus domini, unde Isaie undecimo: *requieuit super eum spiritus domini*, etcetera, quia: *non  
datus fuit ei spiritus ad mensuram*. Hec uirga oliue fuit uirgo Maria, flos filius eius, unde:  
*egredietur uirga de radice Iesse*, Isaie undecimo. Solus igitur Christus fuit fons et uena gratie,  
unde Psalmi tricesimo quinto: *apud te est fons uite*, etcetera. Hic fons irrigauit totam ecclesiam  
30 a principio usque ad finem, quia nullus fuit saluus, nisi in fide mediatoris. Figura de isto  
fonte Genesis secundo, ubi dicitur quod: *fons egrediebatur de loco uoluptatis habens quattuor capita*.  
*Primum Phison irrigans terram ubi nascitur aurum; secundum Gion terram Ethiopie; tertium Tigris  
terram Syrie; quartum Eufrates terram Babilonie*, a qua fuerunt reducti sancti patres post  
captiuitatem. Fonte iste est latus Christi, de quo Apocalypsis uicesimo secundo: *et ostendit  
35 mihi fluiuium aque uiue splendidum tamquam christallum procedentem de sede Dei et agni*. De isto fonte  
satiantur peccatores, unde Apocalypsis uicesimo primo: *sitienti dabo bibere de fonte aque uiue*.

Hic fons secundum quattuor capita, id est, secundum quattuor status, satiauit et irrigauit  
totam ecclesiam, quia fons est latus Christi, quattuor capita, quattuor alie plage que a corde  
procedunt.

2: Ps. 103, 30. | 14-15: Gn. 8, 9-11. | 24-25: Sir. 24, 19. | 26: Is. 11, 2. | 26-27: cf. Io. 3, 34. | 28: Is. 11, 1. |  
29: Ps. 35, 10. | 31-33: Gn. 2, 10-14. | 34-35: Apc. 22, 1. | 36: Apc. 21, 6.

7: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 100, a. 1, pp. 698-699. | 10: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XV, 1, 2. PL 41,  
437D. | 21-22: cf. Gre. Mag., *Hom.*, V, 15. PL 76, 994B.

40 Primum irrigat terram, ubi aurum nascitur, id est, statum innocentie ante peccatum, nam ut dicit Ouidius primo Methamorphosis: «prima etas aurea fuit», etcetera.

Secundum terram Ethiopie, scilicet: statum post peccatum, nam ille status ante legem fuit niger per peccatum, quia usque ad tempus Abrahe quasi non fuit Deus cognitus.

Tertium terram Syrie, quasi statum legis, quia in Syria data et seruata fuit lex.

45 Quartum Eufrates, qui significat statum gratie, nam Eufrates secundum Hieronymum significat: «crescens aut frugifer», quia in hoc statu creuit numerus electorum per Christi presentiam et fecerunt fructum bonarum operationum, et liberati fuerunt sancti patres a captiuitate, etcetera. Et de isto fonte fuerunt repleti duodecim riui, scilicet: apostoli, Exodi  
50 decimo quinto, quia apostoli per legis obseruantiam erant amari, sed dulcorati fuerunt per gratia spiritus sancti. Et sic isti duodecim fontes irrigauerunt totam ecclesiam, scilicet: Petrus Antiochiam et Romam; Marcus Egiptum, scilicet: Alexandriam; Thomas Parthiam et  
55 Indianam; Andreas Syriam et Acaiam; Mattheus Ethiopiam; Simon et Iudas Persiam; Bartholomeus Armeniam; Philippus Syriam; Iacobus Hierosolymam. Sed una cisterna, scilicet: uirgo Maria, irrigauit totam ecclesiam, nam licet Christus principaliter hoc fecerit, sed hec fecit hoc instrumentaliter, quia tam familiaris fuit spiritus sancti, quod dictus fuit  
60 “suus” singulariter propter tria. Primo, ratione inuentionis; secundo, ratione manationis; tertio, ratione diffusionis.

Primo, ratione inuentionis, nam ipsa sola inuenit gratiam, quam totus mundus perdiderat. Ideo dicit illi angelus: *inuenisti gratiam apud Deum*, unde Bernardus: «inuenisti gratiam, quam querebas, inuenisti quod ante nemo inuenire potuit, scilicet: gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei et hominum pacem, mortis destructionem, uite reparationem».

Secundo, fuit suus spiritus sanctus ratione emanationis, nam sicut aqua dicitur “fontis”, quia continue manat ab illo, sic gratia spiritus sancti fuit Marie, quia continue ab illa manauit, non solum una gratia, sed omnis gratia, unde Hieronymus: «ceteris per partes  
65 prestatur. Marie autem tota se infudit plenitudo gratie», etcetera.

Tertio, fuit suus ratione diffusionis per totum mundum, unde Iohelis tertio: *fons de domo domini egrediebatur*. Et licet ad sanctos et apostolos possemus recurrere, sed securius ad Mariam et specialius, unde Bernardus: «queramus gratiam, sed per inuentricem gratie Mariam». Nam si alii habuerunt gratiam, hac mediante receperunt et illam non quasi suam,  
70 sed uirgo habet quasi suam. Ideo illi soli possumus dicere inter puras creaturas: o uirgo Maria, *emitte spiritum tuum*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Emitte spiritum tuum*, ubi supra.

Dimissa introductione thematis erit unica conclusio in presenti talis: quod conuenienter spiritus sanctus uisibiliter apparuit super Christum et super apostolos suos. Que conclusio  
75 probatur: est autem triplex differentia inter apparitionem uisibilem filii et spiritus sancti. Prima secundum naturam assumptam; secunda secundum modum assumendi; tertia secundum numerum uel iterationem illarum.

---

48-49: cf. Ex. 15, 27. | 59: cf. Lc. 1, 30. | 66-67: Ioel. 3, 18. | 71-72: cf. Ps. 103, 30.

41: cf. Ov., *Meta.*, I, v. 89, p. 4. | 46: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, VT, Gn., E. PL 23, 778A. | 59-61: Bern. Cl. *De Lau. Virg. Matr.*, III, 10. PL 183, 76B. | 64-65: cf. MF. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. PL 30, 127A. | 68-69: Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 8. PL 183, 442A.

41: Fuit] M fluit. | 53: Syriam] M, X Siciam.

Prima secundum naturam assumptam tripliciter.

80 Primo, natura assumpta a filio fuit rationalis, quia animam et carnem humanam assumpsit. Spiritus sanctus uero assumpsit naturam irrationalem et hoc rationabiliter factum. Nam filius apparuit ut mediator inter Deum et hominem. Et sic cum medium debebat scire naturam extremorum, cum esset ab eterno Deus, factus fuit homo in tempore, etcetera. Sed spiritus sanctus non uenit ut mediator, igitur non opus fuit ut naturam rationabilem assumeret.

85 Secundo, filius accepit naturam a Deo immediate, sed spiritus sanctus accepit ab angelis, sicut angeli formant sibi corpora ex elementis, sic formauit illas species, etcetera.

Tertio, illud quod accepit filius semper permansit, nam ut dicit Damascenus: «quod semel assumpsit nunquam dimisit», sed quod spiritus sanctus accepit mox peracto officio conuersum fuit in preiacentem materiam.

90 Secunda differentia fuit, quia quod filius assumpsit fuit illi unitum in unitate suppositi, sed quod assumpsit spiritus sanctus non, sed sicut in signo. Ratio est, quia filius non solum illa accepit ut in illis se uisibilem ostenderet, sed quod ut mediator satisfacere debebat in illis patiendo et moriendo et nobis merendo, etcetera, sed spiritus sanctus non, sed solum ut tamquam in signo uisibili nobis ostenderetur.

95 Tertia differentia fuit quod filius semel uisibilis apparuit, sed spiritus sanctus pluries. Ratio est, quia sicut unus Deus fuit offensus, unus homo offendit, una natura erat reconcilianda, sic una reconciliatio ab uno erat fienda. Sed spiritus sanctus fuit missus pluries, ut alium et alium effectum representaret.

100 Si dicis: quotiens uisus fuit? Dicendum quod quater, scilicet: bis supra Christum et bis supra apostolos.

Bis super Christum, primo, in forma columbe, Luce tertio, in baptismo, quia columba est animal fecundum ad significandum redundantiam gratie Christi per modum operationis in nos, quia in baptismo: «uim regeneratiuam contulit aquis» et sic multos filios procreauit.

105 Secundo, in forma nubis in transfiguratione, Matthei decimo septimo, ad insinuandam gratie redundantiam Christi per modum instructionis et doctrine. Ideo dixit pater: *ipsum audite* ut doctorem uerum, etcetera.

Item bis super apostolos, primo, in speciem flatus super apostolos, Iohannis uicesimo, dicendo: *quorum remisistis peccata*, etcetera, ad insinuandum gratie redundantiam per modum operationis in administratione sacramentorum.

110 Secundo, ibi in speciem linguarum ad insinuandum redundantiam gratie ab ipsis per modum instructionis doctrine, etcetera.

115 Si dicis: postquam bis apparuit super Christum et bis super apostolos, igitur equaliter fuit in apostolos et in Christo? Dicendum quod non, sed abundanter super Christum. Ideo super ipsum in perfecto animali, scilicet: in columba, et super apostolos in parte animalis, scilicet: in lingua, et in ipso nube totali et perfecta, sed super apostolos in aliquo nubis,

101: cf. Lc. 3, 22. | 105-106: cf. Mt. 17, 5. | 108: Io. 20, 23.

87-88: cf. Petr. Lom., *Sent.*, III, 22, 2. PL 192, 803CD; cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, III, 27. PG 94, 1098AB. | 103: cf. Bed., *Exp. In Ev. Lc.*, I, 3. PL 92, 358B; cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 38, a. 5, p. 292.

scilicet: in flatu condensato, quia nubes non est nisi aer spissatus. Ratio istorum fuit ut notaretur quod Christus habebat potestatem excellentie in sacramentis et poterat illa instituire et sine illis gratiam conferre et quod haberet gratie infinitatem. Ideo in animali perfecto. Sed hoc non erat in apostolis, sed aliquid communicatum ab eo, ideo in parte  
120 animal uel in aliquo animalis, scilicet: in flatu.

Secundo, quo ad doctrinam ad insinuandum quod Christi scientia erat lucida et plena, ideo in nube lucida. Sed apostoli solum erant instrumenta predicationis, nam dixit: *non estis nos qui loquimini*, etcetera. Ideo apparuit in illis in lingua, que est instrumentum uerbi.

Sed forte dices: si forma lingue ostendebat modum participationis gratie spiritus sancti,  
125 cum equaliter hodie apparuerit super apostolos et super uirginem Mariam, quia in utrisque in spe lingue, igitur equaliter participarunt de gratia apostoli et uirgo Maria? Dicendum quod non, sed uirgo Maria fuit plenior gratia. Et sic tota plenitudo linguarum apparuit super ipsam, cum esset in medio apostolorum. Et postea ab ipsa fuerunt lingue partiales ad apostolos, ut notaret globus igneus super uirginem plenior gratiam et quod ab ipsa et per  
130 ipsam illi recipiebant. Sed nota quod sancti nec dant nec dare possunt spiritum sanctum, cum donatio sit dicta processio. Si daretur a creatura, tunc procederet ab illa, ut dicit Magister in primo Sententiarum, distinctione decima quarta, et ideo Augustinus decimo quinto De Trinitate, dicit de Christo: «scriptum est quod accepit spiritum sanctum et effuderit; accepit quidem ut homo, effudit ut Deus. Nos accipere possumus, effundere uero  
135 minime», etcetera. Vnde apostoli, Actuum octauo, orabant ut ueniret in illos super quos manus imponebant dicendo: *emitte spiritum tuum*, etcetera. Sed uirgo Maria aliter fuit mediatrix dandi gratiam spiritus sancti quam alii sancti. Vide latius.

Queritur: quare in igne illis apparuit? Dicendum quod propter hoc:

140 primo ut notaretur quod erat Deus, unde Deuteronomii quarto: *Deus noster ignis consumens*. Et sicut ignis est inuisibilis in propria natura et non uidetur nisi in materia aliena, sic spiritus sanctus cum sit Deus non uidetur nisi in effectibus.

Secundo, ut ostenderetur quod debebant esse feruidi in predicatione fidei secundum quattuor proprietates ignis, nam: «purgat corda, urit peccata, illuminat ignorantiam, calefacit corporem».

145 Tertio, ut ostendat septem dona spiritus sancti in septem proprietatibus ignis.

Primo, semper ascendit. Sic spiritus sanctus ascendere facit per donum sapientie in contemplatione.

Secundo, illuminat. Sic spiritus sanctus per donum scientie.

150 Tertio, ignis in omnibus agit et nihil eum transmutat, quia formalius et quasi nullam materiam habens, cum actio sit a forma et passio a materia. Sic spiritus sanctus per donum consilii facit hominem spiritualement, unde prima Corinthiis secundo: *spiritualis omnia indicat*, etcetera.

---

122-123: cf. Mt. 10, 20. | 135: cf. Act. 8, 15. | 136: Ps. 103, 30. | 139-140: Dt. 4, 24. | 151: I Cor. 2, 15.

133-135: cf. Petr. Lom., *Sent.*, I, 14, 5. *PL* 192, 558D; Aug. Hipp., *De Tr.*, XV, 26, 46. *PL* 42, 1094AB. | 143-144: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Act., 2, 3. *PL* 114, 430D.

144: Corporem] M, X torporem. | 145: Tertio] X tertio.

Quarto, per ignem omnia transformantur et nouam formam accipere possunt. Sic per spiritum, scilicet: per donum fortitudinis, unde Iohannis primo: *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, dum sunt potentes ad omnia uincendum.

Quinto, ignis nutritur humido et calido et extinguitur a sicco et frigido, sicut aceto et aqua. Sic spiritus sanctus per donum pietatis.

Sexto, ignis omnia purgat, etiam metalla. Sic spiritus sanctus per donum pietatis omnia peccata.

Septimo, ignis omnia incinerat. Sic spiritus sanctus per donum timoris redigit hominem in cinerem humilitatis, unde: *quid superbis cinis*, etcetera?

Sed queritur: quare in linguis apparuit? Dicendum quod propter multa. Primo, pater manifestus in creatione, quia ratione naturali etiam philosophi cognouerunt illum. Filius in carnis assumptionem, sed quia (ut dicit Gregorius): *notus in Iudea dominus et in Israhel magnum nomen eius*, Psalmi septuagesimo quinto. Debit etiam uniuerso mundo manifestari et quia uerbum maxime per linguam manifestatur, ideo, etcetera.

Secundo, ratione unionis, nam sicut una ecclesia in principio fuit diuisa per superbiam in septuaginta duas linguas in turri Babilonie, sic per humilitatem uniretur per septuaginta duas linguas in una ecclesia.

Tertio, ratione saluationis, nam sicut mediantibus uerbis in lege gratie habenda erat gratia spiritus sanctus, sic uerba mediante lingua proferuntur.

Quarto, quia legatio sua erat ad predicandum per uniuersum mundum. Ideo requirebatur lingua cuiuslibet religionis, quia: *fides ex auditu*, ad Romanos decimo. Item quia legem igneam, que est lex amoris, et per uerba ignita erat mundo predicanda, etcetera. Item uenit in lingua, quia cum sit maxime mobilis et immediatum instrumentum cordis, ideo difficilis ad domandum, nisi uirtute spiritus sancti, et facilis ad peccandum, unde Iacobi tertio: *omnia animalia domantur ad hoc, linguam autem domare non potest*, etcetera. Item ut dare exemplum predicatoribus quorum lingua debet esse mollis per benignitatem et humilitatem sermonis. Item colorata per honestatem, rubea per charitatem, quia debet dirigi ad charitatem proximi. Debet esse uertibilis secundum diuersitatem personarum, debet esse acuta per correctionem, ideo habet formam gladii. Debet esse clausa, quia tarda ad loquendum et clauditur duplici clausura, scilicet: labiorum et dentium, quia nihil debet dicere contra Deum nec contra proximum. Fuit autem missus spiritus sanctus uisibiliter in columba, nube et igneis linguis et flatu ad ostendendum quid debet habere ille qui est in gratia spiritus sancti, que sunt tria.

Primum in columba, que caret felle, et sic est remissio iniuriarum.

Secundum in nube, nam sicut «adueniente Austro nubes resoluuntur, sic adueniente spiritu sancto mentes in lacrimas conuertuntur».

Tertium est in flatu et in linguis igneis, quia notant desiderium supernorum et in tali contemplatione loqui semper uerba salutaria et honesta. Nam qui ista habet et sic facit, hic recipit gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

154-155: Io. 1, 12. | 161: cf. Sir. 10, 9. | 164-165: Ps. 75, 2. | 173: Rm. 10, 17. | 176-177: Iac. 3, 7-8.

164: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Dom. Pasc. ad san. Mar. PL 78, 678C. | 187-188: cf. Iac. Var., (1760) *Serm. Aur.* (vol. 1), In die San. Pent., I, p. 149.



## SERMO OCTVAGESIMVS SEXTVS IN DOMINICA TRINITATIS

<THEMA> *Tres sunt qui testimonium dant in celo: pater, uerbum et spiritus sanctus. Et hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua et sanguis. Et hi tres unum sunt, prima Iohannis quinto.*

5 Originaliter uerbum reperi quod assumpsi.

Inter uirginis Marie excellentias due sunt precipue, scilicet: esse matrem Dei omnipotentis et esse aduocata totius mundi, maxime peccatorum. Prima est comparandum illam ad Deum. Alia est comparando illam ad mundum. Prima fuit illi magnum dignitatis. Secunda nobis maxime utilitatis. Et licet in his nullus deuotus possit dubitare, tamen de  
10 prima habemus in celo tres testes, scilicet: patrem, filium et spiritum sanctum, de quibus dicitur: “tres sunt”, etcetera. De secunda habemus in terra tres alios testes, de quibus dicitur quod: “tres sunt qui testimonium dant in terra”, etcetera.

Primo, pater dat testimonium de digna maternitate uirginis Marie tripliciter uel in tribus locis.

15 Primo, in Christi baptismo, Matthei tertio: *et uox patris audita est, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Et si dicis: hoc testimonium conuenit Christo et non dicitur de matre. Dico quod sic, nam cum pater dicat et testificet quod ille est filius suus dilectus et in illo complacuit dando illi naturam, substantiam et essentiam suam, et per consequens quod est filius illius  
20 naturalis, cum ille idem sit quem uirgo Maria concepit et substantiam dedit et nutriuit, etcetera. Et quidquid uera mater proprio filio naturali dat, illi dedit. Et per consequens suus filius naturalis fuit, sicut fuit naturalis patris. Sed patris eternaliter secundum causam diuinam, uirginis Marie temporaliter secundum naturam humanam. Et per consequens uirgo Maria in illo cum patre communicauit, ex quo magnam dignitatem acquisiuit, quia  
25 sicut pater in illa ineffabili generatione filii remansit uirgo et pater, sic mater etiam fuit uirgo et mater. Vnde ecclesia de illa dicit: «unum est in quo nec primam similem uita est nec habere sequentem, gaudium matris cum uirginitatis honorem», etcetera. Et sic fuit magna dignitas quo ad modum maternitatis, sed etiam maior fuit respectu maternitatis in se, unde dicit Bernardus in sermone numerando uirginis Marie excellentias dicit: «o si considerans  
30 cuius est mater, uidebis te amplius admirari non posse».

Secundo, testificat pater de uirgine Maria in filii transfiguratione, Matthei decimo septimo, quando uox patris audita est: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, etcetera. In quo eadem uerba dixit que dixerat in baptismo: “bene” et “ipsum audite”. In illo “bene” ratificauit dictum et in eo quod dixit “ipsum audite” dedit illum in  
35 doctorem et magistrum totius mundi, et per consequens, uirginem Mariam in magistram illius, ut audiremus ipsam sicut et filium suum.

Tertio, pater dedit testimonium uirginis Marie in ipsius assumptione, quando illam super choros angelorum collocauit ad dexteram filii, et coronam excellentis glorie illi imposuit et dedit.

---

2-3: I Io. 5, 7-8. | 15-16: Mt. 3, 17. | 32-33: Mt. 17, 5.

26-27: cf. Bern. Cl., *In Vig. Nat. Dom.*, I, 1. PL 183, 87C; IV, 4. PL 183, 102A. | 29-30: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, I, 7. PL 183, 59D.

40 Secundo, filius dedit testimonium de uirgine Maria in tribus et spiritus sanctus similiter, sed ne tempus detineamus in eisdem locis, uidemus illos de uirgine Maria testari. Nam in baptismo dum pater dixit: *hic est filius*, etcetera, etiam erant filius et spiritus sanctus illud approbantes, quia apparuit spiritus sanctus in forma columbe et filius erat qui baptizabatur. Item in transfiguratione, licet uox patris esset illud testificans, sed ibi affuit nubes, que  
 45 notabat spiritum sanctum, et filius, qui in forma gloriosa apparuit. In assumptione etiam, licet pater uirginem in celo reciperet, tamen filius illam conducebat et ibi spiritus sanctus aderat. Cum opera trinitatis quo ad extra sint indiuisa, sed hi tres unum sunt in hoc testimonio, nam angelus Gabriel missus fuit ad producendum hos testes et notarius fuit Lucas Euangelista. Et sic angelus dedit cedulam horum testimonum dicendo uirgini Marie:  
 50 *auē*. In principio cuius cedule sunt hi tres: primo, per “A” notatur pater, nam est prima et nobilior littera et prima uocalium. Secundo, “V” notat uerbum, quod est secunda persona. “E” notat spiritum, scilicet: spiritum sanctum. Et sic ad dignitatem et maternitatem protulit hanc cedulam testium cum exordio illorum trium. Postea explicat magis et declarat angelus illos dicens uirgini Marie: *spiritus sanctus superueniet in te et uirtus*, id est, *filius altissimi*, id est, patris, *obumbrabit tibi*. In his igitur tribus testimonium perhibet trinitas de uirgine Maria in  
 55 baptismo, unde gratiam sumimus ut illa ostenderetur mater gratie in transfiguratione, ut ostendatur mater glorie et magistra in celo, ut ostendatur aduocata nostra in curia. Ecce tres testes ad uirginis Marie maternitatem iunctos ad hoc, ut secunda persona diuina incarnaretur, ideo dicit angelus quod: *enim nascetur ex te sanctum uocabitur filius Dei* incarnatio.  
 60 Et sic facta uera mater filii Dei. Et sic quo ad hanc dignitatem tres sunt, etcetera, et hi tres unum sunt.

Secundo, sunt tres qui testimonium dant in terra de ipsa uirgine Maria quo ad mediationem mundi et peccatorum.

Primo, spiritus, id est, anima Christi sacratissima in tribus.

65 Primo, in conceptione, quando illa dicente: *fiat mihi*, immediate affuit anima Christi. Non enim spectauit quadragesimum uel quinquagesimum diem, ut in aliis mulieribus, sed mox aduenit tripliciter.

Primo, propter infinitam uirtutem agentis, scilicet: spiritus sancti, quia non fiebat conceptio mediante causa naturali, qui tempore indiget, sed mediante uirtute spiritus sancti,  
 70 que instanti operatur.

Secundo, hoc fuit ut ostenderet se esse uerbum Dei, qui erat uenturus in uentrem uirginis. Nam spiritus sanctus, qui uirginem preparauerat, dedit ei in arram filii sui proprietatem, quia sicut ipse dixit *et facta sunt omnia*, mandauit et creata sunt uniuersa, sic matre dicente illico facta essent. Vnde per uerbum suum immediate sanctificatus fuit  
 75 Iohannes in utero matris, nam Elisabeth dixit, Luce primo: *ut facta est uox salutationis tue in auribus meis, exultauit infans in utero meo*, etcetera.

Tertio, hoc fuit ut mundus cognosceret quod illi omnia obediunt in petitione sua, nam dicendo: “fiat”, factum est.

80 Secundo, anima Christi dat testimonium in passione quando impletum fuit illud Symeonis: *tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Luce secundo. In quo ostenditur quod tam

---

42: cf. Mt. 17, 5. | 50: cf. Lc. 1, 28. | 54-55: cf. Lc. 1, 35. | 59: cf. Lc. 1, 35. | 65: cf. Lc. 1, 38. | 73: cf. Ps. 32, 9. | 75-76: Lc. 1, 44. | 80: Lc. 2, 35.

52: Spiritum] M spiratum.

iuncta fuit anima mediatrix cum anima mediatoris, quod idem gladius ambas pertransiuit et non potuit gladius passionis Christi suam animam pertransire sine hoc quod etiam animam uirginis pertransiret ratione propinquitatis.

85 Tertio, anima Christi dat et dedit testimonium de mediatione uirginis in resurrectione, maxime in die ascensionis Christi in celum. Nam non solum in die resurrectionis anima impassibilis primo ad uirginem uenit, sed etiam in die ascensionis illius omnes animas, quas de limbo extraxerat, uirgini matri presentauit ut ostenderet quod illa mediante illi de limbo erepti et liberati essent.

Secundo, aqua dat testimonium de uirgine tripliciter.

90 Primo, aqua seminalis que non fuit digna illam uirginem tangere. Nam cum quecumque mulier ex illa aqua seminali tacta fieret immunda et cum macula peccati, hec mediatrix que pro peccatis omnium intercedere debuit ab omni peccato munda debuit esse, et sic concepit: «non mediante aqua seminali, sed mystico spiramine», etcetera.

95 Secundo, aqua baptismi dedit testimonium de uirgine Maria quod sine peccato esset, nam illa ordinata fuit ad remedium peccati originalis, et ex quo uirgo Maria illud non contraxit nec illa aqua indiguit, sed de Iohanne dicitur: *ille baptizat aqua, nos autem baptizamini spiritu sancto non post multos hos dies*. Et sic beata uirgo inter apostolos prius et plenius spiritum sanctum recepit ad hoc ut plena gratiarum esset. Et si postea fuit aqua baptismi baptizata, non propter necessitatem, sed ad aliorum exemplum, ut fuit de filio suo pretioso.

100 Tertio, testimonium dedit aqua de uirginis mediatione in nuptiis, Iohannis secundo, quando illa mediante factum fuit miraculum. Et illa suppleuit defectum discumbentium, ut ostenderetur quod illa mediante fiunt in mundo omnia miracula. Nam in illa fuit factum miraculum miraculorum, scilicet: incarnatio filii Dei, quod fuit miraculum ad quod omnia  
105 miracula ordinata fuerunt, ut dicit sanctus Thomas in Summa Contra Gentiles quarto, capitulo uicesimo septimo, primum; et tertio, distinctione tertia, questione secunda, capitulo secundo. Et etiam ut ostenderetur quod uirgine mediante omnes necessitates mundi debent reparari.

Tertio, sanguis dedit testimonium uirginis Marie in mediatione tripliciter.

110 Primo, in Christi conceptione, nam nulla alia creatura digna fuit materiam sanguinis Christi preparare: non angeli nec archangeli nec cherubin nec seraphin, sed sola uirgo Maria, ut dicit sanctus Thomas in tertia parte, questione tricesima secunda, quarto, obiectione; et in tertio, distinctione tertia, questione secunda, obiectione.

115 Secundo, sanguis dedit testimonium in passione quando uoluit dominus quod dolor uirginis Marie esset ad mortem sufficiens sine sanguinis effusione, notans quod pretium redemptionis ab illa sumpserat. Et sicut ipse *mediator Dei et hominum*, sic ipsa mediatrix inter mundum et Christum.

Tertio, sanguis dedit testimonium in cruce, quando effusionem illius sola uirgo Maria recepit, ut illa que illum ministrauerat esset etiam que illum receperat pro toto mundo. Et

---

96-97: cf. Act. 1, 5. | 100: cf. Io. 2, 3. | 115: I Tim. 2, 5.

93: cf. Ambr., *Hymn.*, IV. PL 16, 1410D. | 104-106: cf. Th. Aq., *Con. Gent.* (vol. 15), lib. 4, q. 27, p. 108; *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 3, q. 2, a. 2, p. 196. | 111-112: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 32, a. 4, p. 249; *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 3, q. 2, a. 1, p. 184.

120 non solum ab ipso in cruce pendente illum recepit, sed dum in brachiis suis illa recepit eum, maximam sanguinis effusionem recepit.

125 Et sic hi tres unum fuerunt in hac probatione in uirgine Maria. Iuncta ista tria, dum staret circa crucem et propinquor omnibus, quando filius animam patri dedit et sanguinem et aquam ex latere fluxit, que uirgo Maria recepit. Et sic notabatur quod testimonium in baptismo recepit, in quo nos gratiam recipimus; testimonium in transfiguratione, in qua  
130 gloriam ostendit, ut ostenderet non solum uirginem esse matrem gratie, sed ad gloriam perducere; testimonium in assumptione, ut reginam celi illam ostenderet, et testimonium in morte Christi, quando illam sanguinem et aquam recepit, quia gratia nobis acquiritur per passionem Christi, que notatur in sanguine, et per baptismum, qui notatur in aqua. Et sic notauit quod quocumque modo esset, illa mediante habebatur gratia, et sic ut illus dubitaret  
135 quod ipsa esset excellentior omni creatura pura, et quod illa mediante gratia recipiebatur. *Tres sunt qui testimonium dant in celo: pater, uerbum et spiritus sanctus, et hi tres unum sunt, et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum sunt.* Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

135 <THEMA> *Tres sunt qui testimonium dant in celo: pater, uerbum et spiritus sanctus, et hi tres,* etcetera, ubi supra.

Due erunt partes in presenti sermone. Prima thematis introductiua. Secunda materie prosecutiua.

140 Tanta est excellentia trinitatis quod nullus magister, doctor uel predicator potest illam tractare uel declarare sine timore et trepidatione, ut dicit Magister Sententiarum in primo, distinctione secunda, et hoc dicit de mente Augustinus dicens: «de hac re summa et excellentissima cum modestia et timore agendum est». Si igitur illi sapientissimi sine timore de trinitate loqui non poterant, quid ego loqui potero, cum sim fauilla et cinis respectu illorum? Tria namque sunt que timorem in aliqua materia expellunt.

145 Primum est consuetudo. Illi enim qui ante regem loqui consueuerunt, perdiderunt timorem.

Secundum esse docti in aliqua facultate, nam ille talis est certus et non timet loqui.

Tertium est habere ingenium acutissimum, nam talis loqui non timet, scit enim quod licet in locutione deficiat, ingenii acuitas supplebit.

Sed hec tria nec aliquod istorum in me reperitur.

150 Non primum, quia nunquam recordor de hac materia in tali die predicasse.

Nec secundum, quia propter maximas occupationes parum legi.

Nec tertium est in me de ingenio, et licet foret, nihil in hac re profuisset, quia ingenium seruit ad illa que ratione naturali adipisci possunt.

155 Sed hec transcendunt ratione naturalem. Omnes autem doctores, qui de hac materia scripserunt in principio sententiarum, in hoc concordant quod intelligentia et notitia trinitatis non potest haberi ratione naturali.

---

131-134: cf. I Io. 5, 7-8.

140-141: cf. Petr. Lom., *Sent.*, I, 2, 1. PL 192, 525D; cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, I, 2, 4. PL 42, 822AB.

Primo, propter improportionem nostri intellectus ad illam. Nam illa est altissima, intellectus noster infirmus, cum sit collocatus in horizonte eternitatis et: «se habeat ad manifestissima nature, sicut oculus noctue ad lumen solis», ut dicit Philosophus secundo  
160 Metaphysice.

Secundo, propter modum nostrum intelligendi, nam ex sensibilibus ad intelligibilia et ex creaturis ad creatorem procedit. Sed cum creare sit commune trinitati, solum ex creaturis essentiam diuinam et unitatem Dei habere possumus.

Tertio, etiam qui ratione naturali illam uult demonstrare derogat magnitudini fidei, nam  
165 ex illo dicit fidem esse sic infimam quod ratione comprehendi potest, quod est falsum. Et sic notitia perfecta trinitatis solum habetur per reuelationem ipsius trinitatis; notitia imperfecta et manuductiua potest haberi ex creaturis mundi. Et sic de perfecta loquitur prima pars thematis dicens: *tres sunt qui testimonium dant in celo: pater, uerbum et spiritus sanctus, et hi tres unum sunt*. De alia imperfecta loquitur secunda pars thematis quando dicit: *et tres sunt*  
170 *qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum sunt*. Due erunt hic partes.

Prima qualiter pater, filius et spiritus sanctus dant testimonium huius, scilicet: unitatis diuine essentie et trinitatis personarum.

Secundo, uidebimus hoc de infimis rebus huius mundi, quia anima, aqua et sanguis, etcetera. In probatione unitatis non est multum insistendum, nam post Christi aduentum  
175 nullus pluralitatem deorum ponit nec iudeus nec agareus, quia ratione naturali illud habetur, ut patet per Philosophum, octauo Physicorum et duodecimo Metaphysice. Item Socrates tam firmiter tenuit quod propter confessionem illius mortuus fuit. Item Plato unum Deum confitetur creatorem omnium naturarum.

Primo, igitur pater dat testimonium de trinitate, maxime in tribus locis, de quibus iam  
180 quasi diximus.

Primo, in baptismo Christi, ubi uox patris et filius baptizatus et spiritus sanctus in forma uel specie columbe, etcetera, Matthei tertio.

Secundo, in transfiguratione eadem uox patris audita, filius qui transfiguratus erat et spiritus sanctus in forma nubis, Matthei decimo septimo.

Tertio, pater dat testimonium, ut refert Iohannes Baptista, Iohannis primo, dicens quod a patre habuit reuelationem trinitatis dicens: *qui misit me ille mihi dixit: "super quem uideris spiritum descendentem et manentem, ille baptizat spiritus sanctus et ille est filius Dei"*, igitur, etcetera.  
185

Secundo, filius dat testimonium de ipsa trinitate in tribus locis.

Primo, in Isaia capitulo quadragesimo octauo, qui prophetia loquitur in persona filii incarnati dicens: *dominus misit me et spiritus eius*. Non quod filius mittatur a spiritu sancto, sed econuerso in quantum Deus, sed bene fuit missus in quantum homo. Et sic dicit ipsemet  
190 Isaias sexagesimo primo: *spiritus domini super me eo quod unxit me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde et predicarem captiuis indulgentiam*. Et sic fuit missus in mundum ad predicandum, etcetera. Si dicis: filius loquitur de patre et spiritu sancto, sed non de se.

---

168-170: cf. I Io. 5, 7-8. | 182: cf. Mt. 3, 16. | 184: cf. Mt. 17, 2. | 186-187: Io. 1, 33. | 190: Is. 48, 16. | 192-193: Is. 61, 1.

158-159: cf. Arist. Lat., *Met.*, II, 1, 993b10, p. 37. | 176: cf. Arist. Lat., *Phys.*, VIII, 6, 258b10sq., pp. 306sq; *Met.*, XII, 7, 1072a23, p. 213.

195 Dicitur quod ipse dixit, Iohannis decimo: *ego et pater unum sumus; pater in me et ego in patre*, Iohannis decimo quarto, igitur, etcetera.

Secundo, filius dedit testimonium, Iohannis decimo quarto, dicens: *spiritus paraclitus quem mittet pater in nomine meo*, etcetera. Vbi aperte ponit trinitatem. Missum dicit spiritum sanctum a patre et filio, quia “in nomine meo”, unde ipse dixit in alio loco, scilicet: 200 Iohannis decimo sexto: *ipse me clarificauit qui de meo accipiet*, etcetera.

Tertio, filius testificat post resurrectionem, Matthei ultimo, dicens discipulis: *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti*. “In nomine” dicit ut notet unitatem, sed trinitatem aperte ponit.

205 Tertio, spiritus sanctus testificat hoc in tribus, non quod ipse a seipso loquatur, quia non unitus fuit in unitate persone sicut filius, sed uenit in cordibus hominum et unitus sicut in signo. Et sic homines inspirati locuti sunt, ut dicit beatus Petrus, secunda Petri primo capitulo, dicens: *spiritu sancto inspirati sunt sancti Dei*. Et omnes qui per reuelationem locuti sunt de trinitate, siue in lege nature siue scripture siue gratie a spiritu sancto locuti sunt. Adducamus igitur tres testes ex quacumque istarum legum.

210 Primo, in lege nature habemus: *in principio*, id est, in uerbo, *creauit Deus celum et terram et spiritus domini ferebatur super aquas*, Genesis primo. Ecce trinitatem unde Deus creauit, ecce unitatem; est enim principium Deus et spiritus ecce trinitatem. Et ad sanctificandam trinitatem personarum in nomine Dei habetur “*Heloym*”, quod est in plurali, non quod sint plures dii, sed plures persone in eadem essentia, substantia et natura, scilicet: in deitate una, 215 etcetera.

Secundo, patet hoc quando dixit Deus: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Non dixit “ad imagines” in plurali, sed “ad imaginem” in singulari, ut notaret unitatem essentie, quia eadem imago est patris et filii et spiritus sancti, sed dixit “faciamus” et “nostram” ut notaret pluralitatem personarum.

220 Tertio, hoc habetur Genesis decimo octauo, quando Abraham uidit tres et unum adorauit dicendo: *domine, si inueni gratiam*, etcetera. Vnus ratione essentie, tres ratione personarum.

Secundo, hoc demonstratur in lege scripta.

225 Primo, in Psalmo tricesimo secundo: *uerbo domini celi firmati sunt et spiritu oris eius omnis uirtus eorum*, etcetera. In quo loco aperte ponitur trinitas personarum.

Item secundo, ponitur in Psalmo sexagesimo sexto, ubi dicitur: *benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus et metuant eum omnes fines terre*. Vnde ter Deus notat trinitatem personarum, cum notat unitatem essentie diuine.

230 Tertio, patet Isaie sexto, quando dicitur quod seraphin clamabant: *sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus*, etcetera. In tribus uicibus “sanctus” notatur trinitas, in eo quod dicit “dominus et Deus” essentie unitas.

---

195-196: Io. 10, 30; 14, 11. | 197-198: Io. 14, 26. | 200: Io. 16, 14. | 201-202: Mt. 28, 19. | 207: II Pt. 1, 21. | 210-211: Gn. 1, 1-2. | 216-217: cf. Gn. 1, 26. | 221: Gn. 18, 3. | 224-225: Ps. 32, 6. | 226-227: Ps. 66, 7-8. | 229-230: Is. 6, 3.

226: Sexagesimo sexto] M, X uicesimo sexto.

Tertio, in lege gratie per infinitos doctores et sanctos et per infinita miracula et reuelationes, que causa breuitatis relinquuntur. Patet igitur quod: *tres sunt qui testimonium dant in celo*. Quo ad primam partem huius.

235 Secundo, ostenditur quod cognitione imperfecta et deficiente ostenditur hic per omnes creaturas, quia in omnibus creaturis aliquo modo uestigium trinitatis apparet, unde Augustinus in sexto libro De Trinitate et adducitur a Magistro in prima, distinctione tertia: «oportet ut creatorem, per ea que facta sunt, intellectu conspicientes, trinitatem intelligamus. Huius enim trinitatis uestigium in creaturis apparet, ut sunt doctrine uel artes  
240 animarum». Exemplum: sicut pictor uel scriptor alicuius libri ex manu cognoscitur artifex. Et in quacumque scriptura cognoscitur si est una manus scribentis, et si est una, et si est bona, tunc dicitur: “hec est talis artificis et tota et una ab ipso”. Item est uera, quia a uero procedit. Item bona de uirtutibus, etcetera, quia a bono. Econuerso, si est malus et hereticus, dicitur falsa. Et quia a malo et peruersa est dicitur mala, et de malis rebus  
245 confecta, ecce igitur per unum intelligitur pater, per uerum filius, per bonum spiritus sanctus, et sic in omni re ista tria apparent, etcetera. Sunt autem ad hoc probandum tres testes in terra, scilicet: anima, aqua et sanguis.

Primo, anima dupliciter, scilicet: per operationes anime, que sunt artes et scientie, et per naturam anime. Primo, per scientias, in quibus inuenitur trinitas et unitas. Primo, enim  
250 scientia diuiditur in tres partes, scilicet: in naturalem, rationalem et moralem, ecce unitas et trinitas. Item scientia naturalis diuiditur in physicam, metaphysicam et mathematicam, nam omnes res naturales aut habent formam in materia, et de his tractat physica naturalis, aut forme sunt abstracte totaliter a materia, et de his tractat metaphysica, aut habent formam in materia et considerantur abstracto modo per intellectum, et sic de his est mathematica. Si  
255 autem accipiatur physica naturalis, que est una, hec habet tria principia, et in hoc omnes conueniunt, primo Physicorum.

Item tractat de unico mundo, nam: «non sunt plures mundi», secundum Philosophum in De Celo et Mundo. Tamen hic unus mundus diuiditur in tres partes, scilicet: in superiorem etheream, in mundialem, que est media, et infernalem, que est infima.

260 Item tractat de celo. In celo est una essentia que dicitur “quintaessentia” a philosophis. Tamen illa diuiditur in tres partes, scilicet: in superiorem, in qua nec est stella aliqua nec motus, scilicet: in celo empireo. Secunda est illa pars que non habet stellas, sed habet unicum motum, scilicet: celum christalinum. Tertia pars est inferior, que habet plures stellas et plures motus, ut octaua sphaera, que habet intra se septem planetas. In istis clare relucet  
265 unitas diuine essentie et trinitas personarum, nam in his est unitas essentie, ut diximus, et prima pars superior, scilicet: celum empireum, comparatur patri, qui est immobilis et inuisibilis, nam a nullo procedit nec mittitur, quia: «nusquam legitur missus», ut dicit Augustinus, nec in aliquo signo apparuit. Secundum celum christalinum significat secundam personam in trinitate, nam hoc solum mouetur ab oriente in occidentem, sic  
270 filius propter nos motus fuit, unde cantat ecclesia: «qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de celis». Et sic in incarnatione motus fuit ab oriente in occidentem, scilicet: a patre in mundum, unde dicit: *exiui a patre et ueni in mundum*, Iohannis decimo sexto. Et iterum in ascensione motus fuit ab occidente, unde dicit Iohannis decimo

---

233-234: cf. I Io. 5, 7. | 272: Io. 16, 28.

238-240: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, VI, 10, 12. PL 42, 932B; cf. Petr. Lom., *Sent.*, I, 3, 6. PL 192, 530A. | 256: cf. Arist. Lat., *Phys.*, I, 2, 184b19, p. 8. | 257: cf. Auctor. Arist., *De Cael. Et Mun.*, I, 26, 278a25-27, p. 161; cf. Th. Aq., *Comm. De Cael. Et Mun.*, I, 8, 16, p. 64. | 267: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, II, 5, 8. PL 42, 849C. | 270-271: cf. *Missa latina*. PL 138, 1321D.

275 sexto: *iterum relinquo mundum et uado ad patrem*, et sic in incarnatione dictus fuit “christallinus”, id est, Christus, etcetera.

Item metaphysica est una per essentiam, sed diuiditur in tria, nam tractat de angelis, que sunt turba una, scilicet: diuisa in tres hierarchias. Item quelibet hierarchia est una, sed diuiditur in tres ordines.

280 Item mathematica est una, sed diuiditur in tria. Primo, arithmetica de numero, sed: «numerus perfectus est ternarius», ut dicit Philosophus primo Celi et Mundi. Nam est numerus primus qui habet principium, medium et finem, et qui constat ex omnibus suis partibus.

285 Item geometria que est una, sed habet tria principia simplicia, scilicet: punctum, lineam et superficiem. Ex puncto fluit linea, ut filius a patre, et ex puncto et linea superficies, sicut spiritus sanctus a patre et filio. Si consideramus corpus de quo tractat, illud habet tres dimensiones, scilicet: longitudinem, latitudinem et profunditatem, ut dicitur apud omnes, etcetera.

290 Item rationalis uel sermotionalis scientia diuiditur in tres partes, scilicet: in gramaticam, dialecticam et rhetoricam. Nam omnes iste tres tractant de sermone. Grammatica de congruo uel incongruo; logica de uero et falso; rhetorica de sermone ornato et inornato. Item gramaticam, que est una quo ad essentiam, habet tria principia, scilicet: conuenientiam in substantiuo et adiectiuo. Item suppositum cum apposito. Item relatiuum cum antecedente. Item quodlibet nomen in litteram, syllabam et dictionem. Item quelibet oratio constat ex subiecto, copula et predicato, etcetera. Item omnes aliquam gramaticam  
295 inuenientes siue grecus, siue latinus, siue iudeus uel agareus, nunquam in illa posuerunt nisi tres personas. Prima que de se loquitur. Secunda ad quam prima loquitur. Tertia de qua sit sermo inter primam et secundam. Ecce hic habes trinitatem ab omnibus.

Item logica in silogismo quolibet habet maiorem, minorem et conclusionem, etcetera.

Item rhetorica, que etiam utitur silogismo persuasiuo.

300 Tertio, scientia moralis, que est una, in tres diuiditur, scilicet: in monasticam, economicam et politicam, etcetera. Et sic ex operationibus anime ostenditur unitas essentie et trinitas personarum.

305 Secundo, hoc patet ex anima, que in tres diuiditur, scilicet: in uegetatiuam, sensitiuam et intellectiuam. Item uegetatiua, que est una per essentiam, diuiditur in tres potentias, scilicet: in nutritiuam, augmentatiuam et generatiuam. Item anima sensitua, cum sit una secundum essentiam, totus corpus gubernat mediante triplici spiritu, scilicet: naturali, uitali et animali situatis in cerebro, corde et epate. Item ultimo anima intellectiua, cum sit una, continet in se tres potentias, scilicet: memoriam, intellectum et uoluntatem. Et sic ex his tribus potentiis cognoscitur trinitas uel potius ex effectibus istarum potentiarum. Nam memoria fecunda  
310 significat patrem, intelligentia filium, uoluntas spiritum sanctum. Vel sic: a memoria recipitur uerbum uel conceptus in intellectu tamquam a dicente, inter illa duo fit uel causatur amor, ut dicit sanctus Thomas prima parte, questione uicesima septima, et Scotus

---

274: Io. 16, 28.

280: cf. Auctor. Arist., *De Cael. Et Mun.*, I, 2 (268a9-24), p. 160; cf. Th. Aq., *Comm. De Cael. Et Mun.*, I, 2, 4, p. 7; *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 70, a. 2, p. 448. | 312-313: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 27, a. 4, pp. 211-212; cf. Dun. Scot., *In Lib. Sent.* (vol. 11), II, dist. 1, q. 1, p. 7.



315 in secundo Sententiarum, distinctione prima, questione prima. Nam ille conceptus intellectus secundum Augustinum, nono De Trinitate, homilia prima super Iohannem, uocatur uerbum intellectus in quantum producit et concipitur ab intellectu. Illud tale in nobis est accidens, sed in Deo non, nam nos intelligimus mediante speciem, que est accidens, sed Deus mediante essentia sua, et in Deo nihil est quod non sit Deus. Et sic ille conceptus est filius et amor patris ad filium, et econuerso est spiritus sanctus et quid subsistens et equalis patri et filio.

320 Secundo, dat testimonium de trinitate et diuine essentie unitate aqua, sed dupliciter dicitur aqua in sacra scriptura, scilicet: aqua superior celorum, que est lucida; secunda, aqua elementaris, que est glacialis, de quibus habetur Genesis primo: *diuisit aquas ab aquis*, etcetera. Item in Psalmo centesimo quadragesimo octauo habetur: *aque que super celos sunt laudent nomen domini*, etcetera. Et sic ille aque superiores lucide dant testimonium, nam a luce est procedens radius et a lumine et radio splendor. Et sic est unum luminosum, in quo sunt tria distincta et equalis uirtutis, potentie et durationis, etcetera. Et radius non dimittit lucem, nec splendor est sine luce et radio, etcetera.

330 Si dicis: hoc non uidetur a nobis, licet perspectiui illud sciant, etcetera. Accipe igitur exemplum in lumine participato in his inferioribus. Sumatur “hacha” uel “entorcha”, que, cum sit una, habet tres candelas in se unitas. Si igitur ab una illarum altera candela sumat lumen et ab illis duabus tres sumat lumen et hoc esset eternaliter, clarum est: dicemus quod, si esset eterna una lucerna sicut alia, et quod tantum dedit prima lucerna secunde quantum in se retinuit, et tantum due dederunt tertie quantum in se remansit, equalis essent uirtutis et equalis potentie, etcetera. Tamen non essent ibi multa lumina, sed unum solum lumen quo ad essentiam solum. Esset differentia quo ad originem, quia eternaliter secunda candela sumpsit a prima et tertia a duobus, etcetera. Sic in proposito, de isto lumine superiori habemus exemplum quod recitat Sigbertus: «cum inter Gallias arriana heresis pullularet, que filium et spiritum sanctum minores patre affirmabat, unitas substantie trium personarum euidenti miraculo demonstrata fuit. Nam dum episcopus in urbe Basacensi missam celebraret et ibi multi arriani adessent, uidit tres guttas clarissimas equalis magnitudinis de celo super altare emissas, que sibi paulatim appropinquantes unam gemmam pulcherrimam effecerunt, quam cum in medio cuiusdam crucis auree posuissent, alie gemme que ibi erant tantam eius excellentiam non ferentes subito ceciderunt. Immundis autem hominibus uidebatur terribilis et obscura, mundis autem et piis amabilis et clara, infirmis multis dabat sanitatem, et adorantibus crucem augebat uirtutem».

Tertio, dat testimonium in terra sanguis, qui sunt homines carnales et a spiritu sancto separati, unde Christus dixit Petro: *caro et sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus*, etcetera, Matthei decimo sexto. Sunt autem isti homines tales in triplici differentia. Primo, iudei talmutiste. Secundo, agareni Alchoraniste. Tertio, philosophi puri naturales.

350 Primo, igitur iudei aliquo modo cognouerunt trinitatem personarum in unica diuina essentia, unde in glosa Medras Tehillim, que est glosa Psalterii, queritur: «que est ratio quod Psalmista pluries tribus uicibus commemorat nomen Dei benedicti dicens: *Deus deorum dominus locutus est*, Psalmi quadragesimo nono? Et in multis aliis locis hoc idem?

---

322: Gn. 1, 6. | 323-324: Ps. 148, 4-5. | 347: Mt. 16, 17. | 352-353: Ps. 49, 1.

314: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, IX, 7, 12. PL 42, 967CD. | 337-345: cf. Sig., *Chr.*, anno 453. PL 160, 85AB. | 351-362: cf. *Med. Teh.* (vol. 1), Psal. I, 1, pp. 468-469; cf. Ray. Mar., *Pug. Fid.*, III, dist. 1, c. 4, p. 494; cf. Por., *Vict. Adv. Heb.*, II, c. 4, f. 65v.

323: Centesimo quadragesimo octauo] M, X centesimo decimo octauo. | 337: Sigbertus] M Signertus, X Siguertus.

355 Respondetur illic sic: hoc est ut ostenderet te quod cum istis tribus nominibus creauit Deus  
 seculum suum iuxta tres “Midoth”, id est, proprietates, quibus creatus est mundus, scilicet:  
 scientia, sapientia et prudentia, uel secundum alios: potentia, sapientia et bonitas. Sed ista  
 attribuuntur tribus personis, scilicet: potentia patri, sapientia filio, bonitas spiritu sancto,  
 igitur, etcetera. Item in glosa magna super Genesim, que dicitur Beresit Rabba, capitulo  
 360 quadragesimo secundo, sic habetur: rabbi Eliezer dicit: “non est creatus mundus nisi per  
 uerbum uel cum uerbo Dei sancti et benedicti”, nam sic dicitur in Psalmo tricesimo  
 secundo: *uerbo domini celi firmati sunt*, etcetera. Et sequitur ibidem, rabbi Symeon dixit:  
 “inspirauit uel sufflauit Deus spiritum suum et creatus est mundus”». Nam sic dicitur in  
 Psalmo eodem: *spiritu oris eius omnis uirtus eorum*, ubi aperte ponitur trinitas personarum, quia  
 365 uerbum distinguitur realiter a proferente et spiritus ab inspirante, et hi tres unum sunt. De  
 quo propheta statim in singulari dicit, Psalmi tricesimo secundo: *congregans sicut in utre aquas  
 maris*, etcetera. Vnde cum mediante uerbo creata sint omnia, non potest dici creatura, sed  
 Deus. Idem dicitur de spiritu sancto, igitur. Hoc confirmat Augustinus De Christi  
 Incarnatione Contra Iudeos dicens: «iudee, citharam respice, in qua tria pariter sunt ad  
 melodiam, scilicet: ars manus et corda, et tamen unus auditur. Ars dictat, manus tangit,  
 370 corda resonat. Tria pariter operantur». Sed sicut manus et corda uidentur, pater non, sicut  
 ars, etcetera, quia pater inuisibiliter operatur, manus et corda uisibiliter apparuerunt,  
 etcetera. Et sola manus uestitur carne, sed a tribus, scilicet: a patre, filio, et spiritu sancto.

Secundo, hoc patet per agarenos in libro qui dicitur Alchoran, in quo libro pluries fit  
 mentio de patre, sed de filio habetur in libro primo, azora tertia, alea quadragesima quinta,  
 375 ubi habetur quod ‘angelus nuntiavit Marie uerbum Dei’, etcetera, scilicet: Deus pater misit  
 angelum ut nuntiaret Marie uerbum suum, quem concepit, cum in Deo nihil aliud sit nisi  
 Deus. Iam habemus patrem et filium. De spiritu sancto habetur in Alchorano, quando  
 Deus dixit ipsi Machometo: «tibi quidem, qui legem et librum ignorabas, nostrum spiritum  
 mittentes lucem prebuimus’. Item alibi habetur: ‘cum hoc tibi diuinitus misso spiritus  
 380 benedictus, penitus, iustus cor tuum penetrauit, ut cum eo castiges arabice’, etcetera. Iterum  
 alibi dicitur: ‘Jesus Marie filius Deique nuntius suusque spiritus et uerbum Marie celitus  
 missum existit’. Item alibi: ‘ipse namque Deus et suus spiritus benedictus hunc Alchoran  
 librum ueracissimum composuerunt’». Sed cum arabes habeant et teneant et credant  
 firmiter quod Alchoran est immediate a Deo compositus, clarum est quod coguntur dicere  
 385 spiritum sanctum esse Deum. Vnde cum spiritus Dei non possit dici creatura et missus  
 spiritus non sit a se missus, igitur erit tertia in trinitate persona et missus a patre et filio,  
 quia dicit in plurali: “mittentes”, etcetera. Et sic patet quod agareni coguntur ponere  
 trinitatem.

Tertio, per philosophos tripliciter,

390 unde Hermes Themegistus siue Mercurius Egiptius dicit in libro Definitionum Dei:  
 «Monas gignit Monadem et in seipso suum reflectit ardorem», id est, pater gignit filium et  
 spiritus sanctus in ambobus amor reflectitur.

Secundo, Plato, sicut dicit Augustinus in septimo libro Confessionum: «formati mihi,  
 domine, quosdam platoniorum libros a greca lingua in latinum uersos, ibi legi non eisdem  
 395 uerbus, sed eisdem sententiis quod: *in principio erat uerbum et uerbum erat apud Deum*, etcetera,

361: Ps. 32, 6. | 363: Ps. 32, 6. | 365-366: Ps. 32, 7. | 395: cf. Io. 1, 1.

368-370: cf. MF. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCXLV, 2. PL 39, 2197A. | 375: cf. Q 3, 45. | 378-383: cf. Nic. Cus., *Crib. Alc.*, lib. II, c. 11, p. 903. | 378-379: cf. Q 42, 52. | 379-380: cf. Q 26, 192-195. | 381-382: cf. Q 4, 171; cf. Io. And., *Conf.*, c. VII, p. 173. | 382-383: cf. Q 16, 102. | 391: Hermes Themegistus] NI. cf. Al. Ins., *Cont. Haer.*, III, 4. PL 210, 405D. | 393-396: Aug., Hipp., *Conf.*, VII, 9, 13. PL 32, 740CD.

usque ad *uerbum caro factum est*, quod non legi ibi». Ecce quod, si illud quod dicitur in principio Iohannis primo, in capitulo Plato scripserat, cum ibi de trinitate agatur, sequitur quod ipse trinitatem nouerat.

400 Tertio, Macrobius, qui super somno Scipionis togata, id est, patrem et Noym e Deo natum posuit. Aliqui addunt quartum, id est, Aristotelem, qui in primo Celi et Mundi dicit: «hoc numero ternario adhibuimus nos manifestare Deum». Sed Aristoteles, secundum commentatores, secutus est leges Pythagore, qui precepit Deos in tribus uenerari, scilicet: genuflexione, sacrificiis et laudibus. Sed hoc non est contra dicta nostra, nam genuflexio attribuitur patri, unde Apostolus dicit ad Ephesios tertio: *flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo est omnis paternitas*, etcetera.

405

Secundo, sacrificia significant personam filii, nam omnia sacrificia figurabant illud sacrificium Christi in ara crucis. Et sic gentiles in sacrificiis protestati sunt aduentum Christi liberatoris, nam sine fide mediatoris nullus saluus fuit nec liber a peccato originali. Et sic quadam reuelatione perceperunt sacrificia figurasse illud uerum sacrificium in cruce faciendum.

410

Tertio, per hymnos qui spiritu uocali fiunt figurabatur spiritus sanctus, et sic dicit bene Aristoteles, quod in tribus uenerabatur Deus in quibus erat uestigium trinitatis.

Habeas igitur, o christiane, firmissimam et certissimam conclusionem quod Deus est trinus et unus: unus in essentia et trinus in personis. Noli curiose subtilitates trinitatis inquirere, sed firmiter credere; non damnaueris quia non intellexisti, sed quia non credidisti, unde dicit Augustinus in sermone huius festiuitatis quod: «periculosa est in hac materia disputatio lutum et uas de creatore disputat et ad nature sue rationem non potest peruenire et curiose querit scire de misterio trinitatis, quod angeli in celo scire non possunt. Vis scire naturam Dei? Hoc scito, quod nescias, considera quod uoceris fidelis non rationalis». Idem Bernardus in sermone De Trinitate dicit: «inquirere de trinitate peruersa curiositas est, credere et tenere sicut sancta ecclesia tenet fides et securitas est, uidere autem eam sicut est, summa felicitas est». Dicit igitur Apostolus ad Romanos duodecimo: *nolite sapere plusquam oportet*. Sed quilibet christianus debet tria facere.

415

420

Primo, purgare mentem a peccatis, unde dicit Augustinus primo De Trinitate: «quod purgatissimis mentibus cernitur».

425

Secundo, dimittere errores et credere quod sancta mater ecclesia credit, et de illo firmam habere fidem, unde Augustinus: «mentis humane acies inualida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei mundetur». Quia nisi credideritis non intelligetis, ut ait Christus.

430 Tertio, debet coram Deo humiliari et non esse plenum in tumore scientie, sed postulet. Postquam reuelatione acquiruntur, dicat: “o domine, infunde mihi tanti sacramenti intelligentiam, ut sic possim te laudare et uenerari et amare, ut hic habeam gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat”. Amen.

---

396: Io. 1, 14. | 404-405: Eph. 3, 14-15. | 422-423: Rm. 12, 3.

399: cf. Macr., *Comm. In Som. Sci.*, I, 2, 14, p. 6; cf. Petr. Ab., *Th. Chris.*, I, 5. PL 178, 1144A. | 401: cf. Auctor. Arist., *De Cael. Et Mun.*, I, 2 (268a9-24), p. 160; cf. Th. Aq., *Comm. De Cael. Et Mun.*, I, 2, 4, p. 7; *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 70, a. 2, p. 448. | 416-419: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCXXXII, 1-2. PL 39, 2173BC. | 420-422: Bernardus] cf. MF. NI. | 424-425: Aug., Hipp., *De Tr.*, I, 2, 4. PL 42, 822A. | 427-428: cf. MF. Aug., Hipp., *De Tr.*, I, 2, 4. PL 42, 822AB.

## SERMO OCTVAGESIMVS SEPTIMVS ET PRIMVS IN DIE SANCTI IOHANNIS BAPTISTE

<THEMA> *Magnificauit dominus misericordiam suam cum illa*, Luce primo.

5 Sententia est catholicorum doctorum precipue deuoti Bernardi in sermone, quod licet Deus magnas uirtutes communicauerit uirgini Marie, sed precipue magnificauit misericordiam in illa, quod patet tripliciter. Primo, ratione apparitionis. Secundo, ratione acumulationis. Tertio, ratione dispensationis illius.

Primo, ratione apparitionis, nam ante uirginem Mariam quasi misericordia non apparebat, sed uigebat rigor et seueritas iustitie. Ideo dicebatur: *Deus ultionum dominus*, Psalmi nonagesimo tertio. Patet hoc si discurremus per omnes etates.

10 In prima, post peccatum Ade patet, nam propter peccata destructus fuit mundus totus, solum octo animalibus permanentibus, in quo ostenditur rigor iustitie. Nam similia peccata sunt hodie in mundo et maiora, si consideramus reuelationem ueritatis in mundo et maius auxilium gratie, que data fuit mundo.

15 In secunda etate uidemus quod propter peccatum sodomie destructe fuerunt quinque ciuitates cum maxima multitudine personarum, non remanente nisi una domo, scilicet: Loth, et ex illa etiam domo mulier fuit perdita. Hodie utinam hoc peccatum non esset nisi in quinque ciuitatibus, sed per totum mundum dispersum est a capite usque ad pedes. In alia pro adoratione uituli mortui fuerunt uiginti tres milia, ut habetur Exodi tricesimo secundo. Item pro fornicatione cum filabus Amon mortui fuerunt uiginti quattuor milia, ut  
20 habetur Numeri uicesimo quinto. Etiam tempore Dauid pro peccato superbie in numeratione populi in triduo perierunt septuaginta milia, ut habetur secundo Regum uicesimo quarto: et cum uenisset angelus cum gladio, *ut disperderet ciuitatem Hierusalem et esset in area Areuna Iebusei, et misertus dominus super afflictione populi dixit angelo: "contine manum tuam"*. Et sic rigor iustitie durauit usque ad aream, et tunc fuit ostensa misericordia. Area ista  
25 figurabat uirginem Mariam, quia area est locus in quo preparatur frumentum. Sic in uentre uirginali preparatum fuit uerbum diuinum et indutum nostra moralitate, quia de eo dicitur ab eodem: *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, etcetera, Iohannis duodecimo. Venit igitur Gad ad Dauid dicendo quod sacrificet, ut Deus fieret placabilis, et sic Dauid uenit ad Iebuseum et uult emere arcam. Ipse dicit quod sine pretio daret illam ei. Ipse non  
30 uult, sed redemit illam sexaginta siclis. Et sic uirgo fuit redempta perfectissima redemptione, que per numerum senarium intelligitur. Qui numerus significat perfectionem mundi, quia constat ex omnibus suis partibus aliquotis, nam unum, duo et tria faciunt sex, et unum sexies sumptum faciunt sex, et duo ter sumpta sex, et tria bis sumpta faciunt sex, etcetera. Et sic cum numerus denarius sit perfectus, sexaginta erit perfectissimus. Et sic  
35 noluit aliquam creaturam Deus per potentiam eripere a Iebuseo, id est, demone, sed uoluit primo aream, id est, uirginem Mariam, perfectissima redemptione redimere, scilicet: antequam in peccatum incideret. Et redemit boues, id est, sanguinem ex uirgine sumptum quinquaginta siclis, id est, quinque decennis, nam decima est pretium ecclesie. Et sic sanguinem fudit per quinque uulnera per que dedit pretium et cibum ecclesie. Item nota  
40 quod emit boues in area existentes propter sacrificium, quia sanguinem pro sacrificio sumpsit in area uentris uirginalis. Emit currum et iugum, quia etiam crucifixo redemit, si uellent ipsi redimi. Plantatum fuit altare in area, id est, in uirgine, sic quod in sacrificio matutino sanguinem ab eo suscepit. Et in uespertino, scilicet: in die passionis, stabat iuxta crucem mater Iesu et amplexabatur crucem quasi in ea plantaretur. Nam currus et iugum

2: Lc. 1, 58. | 8: Ps. 93, 1. | 18: cf. Ex. 32, 28. | 20: cf. Nm. 25, 9. | 22-23: cf. II Sm. 24, 16. | 27: Io. 12, 24.

3: cf. Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, II. PL 183, 430D.

45 faciunt crucem. Sic igitur misericordia apparuit dum esset angelus in area, id est, iuxta uirginem. Quod autem uirgo Maria dicatur “area” patet Iudicum sexto, de Gedeone, qui accepit signum liberationis populi accipiens uellerem et ponens ipsum in area.

Et primo fuit uellus plenum rore celesti et nihil in arca.

50 Secundo, ros uel leris fusus fuit in area et ex concha per uniuersam terram. Vellus in area fuit Christus incarnatus in uentre uirginis Marie; ros gratie in uellere, et secundo in area et ex illa in toto mundo, quia Iohannis primo: *uidimus eum quasi unigenitum a patre plenum gratia et ueritate; de plenitudine cuius nos omnes accepimus gratiam*. Sed primo uirgo Maria accepit et post per ipsam totus mundus. Et sic patet quod in aduentu uirginis uisa est et apparuit misericordia, quia circa aream misertus dominus, etcetera.

55 Secundo, Deus magnificauit misericordiam suam in uirgine per accumulationem, quia congregauit illam in uirgine Maria. Exemplum: si quis uiderat lapides pretiosos dispersos, non dicet de aliquo illorum quod sit magnificus, sed si ponantur omnes in ordine in aliquo “ioello”, tunc diceretur quod illud sit res magnifica. Similiter: si uideat aliquos lapides  
60 dispersos in platea, non dicet de aliquo illorum quod sit magnificus, sed si ponantur et collocentur ordinate in aliqua domo uel in aliqua turri, tunc dicitur quod res magnifica est illa. Sic in proposito. Omnes misericordie que fuerunt in mundo fuerunt in uirgine  
collocate et multo plures que mundo non fuerunt communicate. Et sic fuit magnifica misericordia Dei in illa, quod patet in tribus.

65 Primo, per liberationem a peccato, nam cum Adam per peccatum suum obligauerit omnes ex eo descendentes per corpulentiam, substantiam et rationem seminalem, cum uirgo Maria sic ab eo descenderet, per iustitiam obligabatur illi peccato. Sed Deus per misericordiam illi obuiauit preseruando illam ab illo peccato.

70 Secundo, cum sic esset, obligabatur penalitatibus illius, sicut cum quis ponitur in carcerem et in ostio liberatur ab aliquo, licet liberetur a carcere per gratiam, iuste tamen meretur salarium carceris soluere. Sic in proposito, licet uirgo Maria esset preseruata a peccato, penam peccati debuit soluere, sed ex misericordia Deus liberauit illam ante peccatum et etiam a penalitatibus peccati, scilicet: a dolore partus, etcetera.

Tertio, cum esset pura creatura et defectibilis et per consequens ex natura peccabilis, Deus ex misericordia dedit illi tantam gratiam quod fecit illam impeccabilem.

75 Tertio, magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, quia uoluit quod omnes misericordie que redundarent in mundum mediante ea darentur, quod fuit maximum, scilicet: facere illam esse fontem misericordie, ut dicit Bernardus, sic quod omnes  
80 misericordie ante ipsam a principio mundi et omnes tempore suo et omnes usque ad finem mundi mediante ea reciperet mundus. Et sic quod misericordie ab initio mundi usque ad finem essent ea mediante, ut dicit Bernardus, quod tripliciter potest ostendi.

85 Primo, de his que ante aduentum suum fuerunt patet sic: quia tantum fuit peccatum Ade et Eue quod fuissent annihilati per ipsum, nisi quia Deus preuidebat ex ipsis esse oriundam pulcherrimam uirginem, que daret filium redemptorem mundi. Exemplum: quando agricola in tempore martii uel aprilis tollit palmites malos a uite, aliquando uidet aliquem habentem  
florem uue in se et illum dimittit propter uuam uenturam. Sic in proposito, peccatum

---

46: cf. Idc. 6, 37. | 51-52: Io. 1, 14-16.

77: cf. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 9. PL 183, 430A.

primorum parentum fuit sic graue quod minus quod posset dare illis Deus erat quod illos annihilaret. Nam cum facti fuissent quo ad animam ex nihilo, per inobedientiam et ingratitude reuertendi erant in nihil, nisi quia sicut uidet agriculator similitudinem uue in palmitate, sic uidet Deus clare que uentura sunt in mundo, quia: *uidet homo ea que patent, Deus autem intuetur cor*, primo Regum decimo sexto. Sic: *omnia sunt nuda et aperta oculis eius*, uocat ea que sunt sicut ea que non sunt. Similiter quando per diluuium destruxit mundum, solum remansit domus Noe, ex qua oriri debebat uirgo Maria. Similiter quando numerantur pericula ipsius Dauid, secundo Regum uicesimo primo, et dicitur quod quando exiuit in prelium contra philisteos et erat in prelio quidam de genere giganteo: *qui habebat ferrum aste quod appendebat trecentas uncias, et uoluit percutere Dauid et occidere eum, tunc iurauerunt serui Dauid quod non intraret cum illis in prelium dicentes: "iam non egredieris nobiscum in bellum ne extinguas lucernam Israhel"*. Quasi dicat: ne moriaris et lumen messie extinguatur quod a te speratur. Item patet hoc de Ezechia rege quando illi dixit propheta Isaias: *dispone domui tue, quia morieris*, etcetera, quarto Regum uicesimo et Isaie tricesimo octauo: *sed Ezechias conuersus ad parientem fleuit*, etcetera. Et dixit: *generatio mea ablata est et conuoluta est a me*, etcetera. Deus adiecit uite sue quindecim annos, quia sperabatur ex eo messias et nullum habebat filium, quia mox, quarto Regum uicesimo primo dicitur quod: *duodecim annorum erat Manasses filius suus cum regnare cepisset*. Igitur per triennium post habuit filium. Et licet secundum causas inferiores esset moriturus, secundum Dei uoluntatem dedit illi uitam annorum quindecim propter uirginem, que sperabatur ex eo esse oriundam, etcetera. Sic patet quod omnes misericordie ab initio mundi fuerunt propter uirginem.

Item secundo patet de tempore suo, nam dedit mundo ueram misericordiam, scilicet: fontem misericordie, hoc est redemptorem mundi, de quo Dauid in Psalmo quadragésimo septimo: *suscipimus Deus misericordiam tuam in medio templi*, id est, filium tuum, etcetera. Hec fuit maxima misericordia concessa mundo, et quod haberemus illam mediante ipsa et de ipsa et per ipsam, fuit maximam quod creatura pura poterat habere. Ideo Bernardus: «merito ad te respiciunt oculi totius creature, quia in te et per te et de te benigna manus omnipotentis quidquid creauerat recreauit». Hec ille.

Tertio, patet de tempore futuro, nam omnes misericordia mundi usque ad finem seculi ab ipsa et mediante ipsa speratur in mundo, ut dicit Bernardus, quia: «eius longitudo est usque ad finem seculi», etcetera. Sed cum gratia detur ex misericordia, quia si ex meritis uel iustitia daretur, non esset gratia, et illa multum indigemus. Si illam igitur uolumus habere, ad hanc recurramus, quia: *magnificat dominus misericordiam suam cum illa*. Igitur in principio sermonis illi dicamus: aue.

120 <THEMA> *Magnificauit dominus misericordiam suam cum illa*, ubi supra.

Dimissa introductione thematis causa breuitatis, solum ponitur una conclusio uidenda, que est talis: quod dimissa uirgine gloriosa magis magnificauit Deus misericordiam suam cum beato Iohanne Baptista quam cum aliquo alio sancto, id est, maiorem misericordiam illi obtulit quam alteri. Ad probandum hoc presupponitur quod omne illud quod dependet a uoluntate Dei dicitur esse ex misericordia illius, et ista quasi sunt tria. Primum, productio rerum ad extra; secundum, remissio peccatorum per gratiam; tertium, collatio glorie in futuro. Et sic tripliciter probatur conclusio ista secundum ista tria.

89-90: I Sm. 16, 7. | 90: cf. Hbr. 4, 13. | 94-97: cf. II Sm. 21, 16-17. | 98-100: cf. IV Rg. 20, 1; Is. 38, 1-2. | 100: cf. Is. 38, 12. | 102-103: IV Rg. 21, 1. | 109: Ps. 47, 10. | 118-120: cf. Lc. 1, 58.

112-113: cf. MF. Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328B. | 115-116: Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429A.

130 Primo, magna fuit misericordia diuina in Iohanne, qui non solum produxit ipsum hominem, sed maiorem omnium hominum qui essent in mundo. Hec conclusio non indiget probatione cum ipsa ueritas, et magister omnium doctorum dicat quod: *inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne.*

135 Contra: ipse Christus etiam fuit ex muliere natus. Dicendum quod non fuit, sed ex uirgine. Quod autem fuit maior Iohanne patet, nam ipse dixit: *qui uenit post me maior me est, cuius non sum dignus corrigiam calciamenti soluere.* Dicit Augustinus in sermone: «magnum testimonium domini de seruo, sed maius testimonium serui de domino, Iohannes est magnus homo, sed dominus maior et super homines est», etcetera. Dicit Augustinus: «ambo mirabiliter nati, prece et iudex, lucerna et dies, uox et uerbum, seruus et dominus». Hec ille. Quid dicemus de uirgine Maria, que nata fuit ex muliere per communem modum nascendi? Dicendum quod non dixit “inter nata”, sed “inter natos”, etcetera.

140 Sed dices: masculinum genus concipit femininum, igitur. Dicendum quod dixit Christus non surrexit, nam: «surgere presupponit casum in peccato», ut dicit Franciscus in sermone hodierno. Sed quia nec Christus nec uirgo habuerunt casum peccati, igitur illi non intelliguntur in testimonio Christi. Ceteri omnes ceciderunt in peccato originali, igitur Iohannes maior est ceteris, non autem maior istis, etcetera.

145 Secundo, magna fuit misericordia Dei in Iohannem quo ad progeniem. Licet ipsum produceret Deus magnum, posset hoc facere ex minima progenie, sed propter misericordiam suam uoluit quod esset ex maxima progenie que esset in mundo. Quod patet nam populus israheliticus fuit electus a Deo inter omnes populos et nationes, qui in duodecim tribus erat diuisus, sed inter illas tribus Leui erat maior et dignior, ex qua  
150 oriebantur sacerdotes, in quibus erat spiritualitas, igitur, etcetera.

Igitur: quare Christus fuit ex Iuda et Leui? Dicendum quod ratio erat nam Christus uenit in mundum ad illum regendum et gubernandum. Ideo debuit esse rex, et sic dicit Dauid in Psalmo secundo: *ego autem constitutus sum rex.* Et dicit ei pater: *et reges eos in uirga ferrea,* etcetera. Et dicit in Psalmo octogesimo octauo: *ego primogenitum ponam illum excelsum pre regibus terre.* Item debuit esse sacerdos, nam uenit ut redemptor per sacrificium proprium, etcetera. Ideo in Psalmo centesimo nono: *tu es sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech.*  
155 Sed Iohannes non uenit ad saluandum, sed ad predicandum Christum, ideo uenit de sacerdotali. Et licet non opus esset uenire de Iuda, sed dico quod ipse Iohannes uenit ex utraque sicut Christus, et hoc concessit illi ex misericordia, ut illum sublimaret. Quod ueniat ex utraque patet, quia ex Leui clarum est, nam pater suus fuit sacerdos summus et mater (dicit Lucas) *ex filiabus Aaron,* igitur, etcetera. Sed quod ueniat ex Iuda patet, nam mater sua Elisabeth uenit ex patre de Iuda, quia si ex patre uenisset de Aaron, euangelista dixisset “ex filiis Aaron” et non “ex filiabus”. Igitur, si non uenit ex patre de Leui, sequitur quod ueniat de Iuda, quia ut plurimum iste due tribus iungebantur, que erant inter alias excellentes, et in  
160 una erat potestas ecclesiastica et in alia secularis, igitur, etcetera.  
165

Si dices: hoc non constat de Elisabeth, licet presumatur. Dicendum quod patet hoc sic: nam cum ex ecclesia et doctoribus habeamus quod Anna descendit ex utraque tribu, sequitur quod etiam Hismeria eius soror. Anna descendit de Isachar, qui fuit de Leui secundum aliquos. Sed Damascenus, qui est magne auctoritatis, dicit quod descendit de

---

130-131: Mt. 11, 11. | 133-134: cf. Io. 1, 27. | 153: Ps. 2, 6-9. | 154-155: Ps. 88, 28. | 156: Ps. 109, 4. | 161: cf. Lc. 1, 5.

134-137: Aug. Hipp., *Serm.*, CCXC, 1. PL 38, 1312D. | 141: cf. Fra. May., *Sup. Sent.*, III, dist. 3, q. 2, a. 9, f. 166r. | 169: Damascenus] NI.

170 Iuda Isachar. Quidquid sit, omnes doctores in hoc conueniunt quod Anna erat ex utraque tribu et per consequens etiam Hismeria. Sed cum Anna peperit uirginem Mariam et Hismeria Elisabeth, sequitur quod erant iste cognate ex duabus sororibus. Et cum uirgo Maria peperit Christum et Elisabeth Iohannem Baptistam, Christus et Iohannes Baptista erant consobrini primi, et sic ex utraque tribu ambo. Propinquoos tamen Christo erant  
 175 Ioseph Iustus, Simon et Iudas, et duo Iacobi cum Iohanne Euangelista, nam erant cognati, scilicet: filii duarum sororum, etcetera. Et sic isti sex propinquoos erant Christo quam Iohannes Baptista.

Tertio, fuit magna misericordia cum Iohanne quo ad annuntiationem in mundum, scilicet: esse annuntiatum per eundem angelum per quem et Christus nuntiatus fuit, satis  
 180 esset per angelum aliquem inferiorem esse denuntiatum. Sed uoluit Deus quod archangelus Gabriel illum nuntiaret propter tria.

Primo, ut notaret quod erat mysterium magnum aduentus Iohannis, quia per superiorem archangelum solum magna mysteria reuelantur, ut dicit sanctus Thomas in tertio, distinctione tertia; et in tertia parte, questione tricesima.

185 Secundo, ut magis magnificaret Iohannem, nam ille idem qui conceptionem suam debebat nuntiare uoluit ut conceptionem Iohannis nuntiaret.

Tertio, ut ostenderet quod Iohannes ueniebat ad annuntiandum et preconizandum uerum messiam, nam omnia negotia ipsius messie et redemptoris fuerunt archangelo Gabrieli commissa. Et sic ille qui debebat nuntiare aduentum Christi uirgini gloriose, ille  
 190 idem nuntiaret tempus remotum Daniheli de septuagesimo hebdomadibus, Danihelis nono. Et etiam tempus propinquum ipsi Zaccharie, ut patet in euangelio hodierno.

Sed diceret aliquis: quare Iohannes nuntiatur patri, Christus uero nuntiatur matri? Dicendum quod hoc fuit propter tria.

195 Primo, quia ut dicit Apostolus: *uir est caput femine*, et cum Iohannes erat uenturus ex Zaccharia et Elisabeth, principaliori debuit nuntiar. Sed cum Christus ex sola matre erat oriundus, illi solum que locum habebat uiri erat nuntiandus.

Secundo, hoc est quia mysterium saluatoris exercebat Zaccharias orando pro eius aduentu, et sic dicit ei angelus: *exaudita est oratio tua*. Hoc idem uirgo Maria in secreto habitaculo suo orabat pro saluatoris aduentu.

200 Tertio, hoc fuit ut figura concordaret cum ueritate, nam ut dicit Hugo Cardinalis, super Lucam primo capitulo, quattuor conceptiones annuntiatas per angelum legimus. Due sunt in ueteri testamento et due in nouo. Sed ille que fuerunt in ueteri testamento figurabant illas que erant in nouo. Fueruntque in ueteri testamento conceptio Isaac et conceptio Samsonis. In nouo autem conceptio Iohannis et Christi. Sed conceptio Isaac figurabat conceptionem  
 205 Iohannis Baptiste et conceptio Samsonis figurabat conceptionem Christi. Quod patet de Isaac tripliciter.

---

190: cf. Dn. 9, 21. | 194: cf. Eph. 5, 23. | 198: cf. Lc. 1, 13.

183: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 3, q. 3, a. 2, pp. 204-206; *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 30, a. 2 ad 4, p. 227. | 200: cf. Hug. Card., *Ev. Sec. Lc.*, I. f. 127v.



Primo, quia: «Isaac dicitur risus uel gaudium», ut dicit Hieronymus. Sic Iohannes fuit gaudium, unde angelus dixit Zaccharie: *erit tibi gaudium et exultatio et multi in natiuitate eius gaudebunt*, Luce primo.

210 Secundo, quia in conceptione Isaac pater erat centenarius et mater nonagenaria et sterilis, ut habetur Genesis undecimo. Sed Zaccharias similiter et Elisabeth steriles, ut patet Luce primo.

215 Tertio, sicut in annuntiatione Isaac fuit dubitatio, sic etiam in annuntiatione Iohannis. Et sic hec annuntiatio figurauit Iohannis annuntiationem. Sed Samson dicitur «sol illuminans», ut dicit Hieronymus, et ideo figurauit natiuitatem uel conceptionem Christi, qui est uerus sol illuminans totum mundum. Et sic patet quod Isaac fuit nuntiatus patri Abrahe sicut Iohannes Zaccharie, et Samson fuit matri nuntiatus sicut Christus uirgini Marie. Et sic conueniunt figura et figuratum. Dixerunt aliqui quod annuntiatio Iohannis excellit annuntiationem Christi ratione loci et temporis, nam annuntiatio Iohannis facta fuit in templo et annuntiatio Christi in oraculo uirginis Marie. Item ratione temporis, nam  
220 annuntiatio Iohannis facta fuit in mense septembris, qui mensis totus erat festus, et etiam facta fuit in die magne festiuitatis, que dicebatur dies expiationis, propitiationis uel afflictionis, sed annuntiatio Christi non tali tempore. Sed salua gratia nesciunt quid dicunt, nam in omnibus excellit annuntiatio Christi.

225 Primo, in loco, nam templum erat locus excellens ratione continente, quia continebant arcam in qua illa tria erant recondita, scilicet: manna, tabule legis et uirga Aaron. Quod autem ratione continentie esset excellentia templi et non ratione edificii patet, nam cum esset templum Salomonis magnificum ratione edificii, excellentius fuit templum secundum rationem presentie Christi, unde habetur Aggei secundo: *–dicit dominus– loquere ad Zorobabel et ad Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum et ad reliquos populi dicentes: “quis in uobis est derelictus, qui uidit domum istam in gloria sua prima? Et quis uos uidetis hanc nunc? Numquid non ista est quasi non sit in oculis uestris? Et nunc confortare Zorobabel et confortare Iesu et omnis populus terre”, dicit dominus, etcetera. “Adbuc unum modicum et ego commouebo celum et terram, etcetera, et ueniet desideratus cunctis gentibus et implebo domum istam gloria, etcetera, magna erit gloria domus istius nouissime plusquam prime” – dicit dominus–, etcetera. Igitur si quo ad edificium domus templi  
230 secunda erat quasi nihil respectu domus prime, sed respectu contenti, scilicet: Christi, gloria secunde fuit maior quam gloria prime, sequitur quod locus est dignior ratione huius. Sed cum in camera uirginis erat uera arca, scilicet: ipsa uirgo, et dum dixit: *ecce ancilla domini, fiat*, etcetera, fuit uerum manna intra arcam, scilicet: in uentre uirginali, et ille rex erat et sacerdos, ut tabule legis et uirga notabant. Sequitur quod, cum ueritas sit excellentior figura et lux solis quam umbra, igitur in nobiliori loco fuit Christus nuntiatus quam Iohannes Baptista.  
235  
240*

245 Secundo, patet de tempore, nam si annuntiatio Iohannis fuit in mense septimo, annuntiatio Christi in mense primo, quando fuit pascha phase de liberatione Israhel de Egipto. Si annuntiatio Iohannis fuit facta in die expiationis, quando summus sacerdos intrabat in sancta sanctorum cum incenso et sanguine uitule et cinere, hoc totum erat in figura, quia in annuntiatione domini nostri fuit ueritas impleta, quando summus sacerdos, id est, Christus, intrauit in uentrem uirginis. Et illic fuerunt illa tria unita, scilicet: diuinitas, que per incensum notatur, et cinis, que significabat carnem ex Adam, et sanguis, que notabat animam, qui est sedes anime secundum physicos. Et sic uirgo Maria fuit uera Sarra  
250 que tria sata farine miscuit, scilicet: «eternum, nouum et antiquum», ut dicit Augustinus et

208-209: Lc. 1, 14. | 211: cf. Gn. 11, 30. | 212: cf. Lc. 1, 7. | 229-235: Agg. 2, 3-10. | 238: cf. Lc. 1, 38.

207: Hier., *De Nom. Heb.*, VT, Gn., I. PL 23, 780C. | 214: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, VT, Idc., S. PL 23, 811C.

etiam Bernardus. Si illa dies, scilicet: annuntiationis Iohannis, fuit dies propitiationis, quando fuit absolutio libera peccati adorationis uituli, dico quod in annuntiatione Christi, scilicet: uiginti quinque martii, fuit liberatio a peccato illo Ade, in quo totus mundus tenebatur. Si illa dies quando annuntiatus fuit Iohannes erat dies afflictionis, nam affligebatur totus populus a septem annis supra per illud ieiunium, maximum sic tali die annuntiationis Christi, scilicet: uiginti quinque martii, affligitur populus christianus per compassionem mortis Christi. Et sic ratione loci et temporis annuntiatio Christi excellit annuntiationem Iohannis.

260 Secundo, magnificauit dominus misericordiam suam cum Iohanne quo ad remissionem peccati originalis in sua conceptione. Et hoc tripliciter.

265 Primo, ratione accelerate liberationis a peccato. Minus enim fuit immersus in peccato originali quam aliquis sanctorum, quod patet nam libro de Hieremia, de quo tempus liberationis scribitur in scriptura, dicitur quod: *antequam exires de uentre sanctificauit te*. Liber ante dicit partem temporis immediatam exitui a uentre. Nam quando dicitur: “ante auroram uenit iste”, non intelligitur quod uenerit in principio noctis nec in media nocte, sed in parte temporis propinqua aurore, sic in proposito. Sed Iohannes fuit a peccato liberatus per tres menses ante exitum a uentre, quando uirgo conceperat filium, quod fuit mense sexto post conceptionem Iohannis, ut dicit Lucas in capitulo primo: *tunc exurgens Maria subiit in montanam cum festinatione et salutauit Elisabeth et tunc exultauit infans in presentia Christi et matris sue in utero Elisabeth*, quod non fuit sine gratia. Igitur remansit Maria cum Elisabeth mensibus tribus usque ad partum ipsius Elisabeth, et sic liberatus fuit in illa hora a peccato, igitur, etcetera.

275 Secundo, patet quia maiori gratia repletus, nam dicit angelus: *spiritui sancto replebitur, adhuc ex utero matris*, etcetera. Ostenditur hec gratie plenitudo, quia cum: «gratia perficiat naturam» et quanto est maior gratia magis naturam perficit, hec gratia fecit quod Iohannes cognosceret Christum antequam natura fuit disposita ad illud.

280 Tertio, patet quia Iohannes fuit magis a peccato separatus in tantum quod aliqui dixerunt illum nunquam peccasse, nec mortaliter, nec uenialiter. De mortali clarum est, nam nullus sanctificatus in utero peccauit mortaliter. Sed etiam illi dixerunt quod Iohannes nec uenialiter peccauit, et probatur illud per ecclesiam dicentem: “antra deserti”, etcetera. “Ne Leui saltem maculare uitam fame posses”. Et dicunt quod si non peccasset uenialiter, equaretur uirgini Marie. Sed salua gratia, nam licet Iohannes non peccasset uenialiter, non esset uirgini equalis, quia fuit in peccato originali conceptus et non uirgo Maria. Item, licet non peccaret, potuit tamen peccare Iohannes; uirgo autem nec peccauit nec aliquo tempore potuit peccare. Exemplum: sint duo homines, unus perfectus in uirtute castitatis, alius uero incontinens. Perfectus uirtute, licet fuerit inter mulieres, non tamen peccauit, sed incontinens uidens fragilitatem suam, fugit consortium mulierum et sic non peccauit.

290 Queritur: utrum isti sint equales postquam neuter illorum peccauit? Dico quod non, nam excellentior est uirtuosus altero, quia hic non peccauit propter habitum uirtus; alter uero non peccauit, sed potuit peccare, si non fugeret, quia non habuit uirtutem ad hoc inclinantem. Sic esset in proposito, nam uirgo habuit tantam uirtutem gratie quod aliquo

264: cf. Ier. 1, 5. | 269-271: Lc. 1, 39-40. | 274-275: cf. Lc. 1, 15.

251: cf. MF. Bern. Cl., *De Cons.*, V, 10, 23. PL 182, 801C. | 275: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 8, 199a16, p. 86; cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 1, a. 8 ad 2, p. 11.

251: Farine] X ferine.

295 peccato peccare non potuit, et sic immobiliter per illam gratiam firmata fuit. Sed Iohannes non habuit tantam gratiam quod firmatus esset ad non uenialiter peccandum. Et sic patet quod licet non peccasset Iohannes, non tamen equaretur uirgini Marie, sed teneamus uiam communem et dicamus quod uenialiter peccauit, sed minus peccauit quam aliquis alius peccatorum. Et sic fugit nec sepius nec grauius peccaret sicut ceteri, et sic fuit minus peccator inter peccatores.

300 Tertio, fuit magnificata misericordia Dei in Iohanne quo ad gradum glorie in quo collocatus fuit, nam habuit gradum glorie excellentiorem inter omnes sanctos, dimissa uirgine gloriosa. Hoc patet per regulam Augustini et aliorum doctorum dicens, quod gratia est mensura glorie, ita quod ubi maior gratia ibi maior gloria est et econuerso. Sed gratia Iohannis fuit maxima inter sanctos sanctificatos, ut patet quia dixit angelus: *spiritu sancto*  
 305 *replebitur*, etcetera. Et hanc gratiam nunquam perdidit, quia per solum peccatum mortale perditur. Hic autem nunquam mortaliter peccauit, et etiam hec gratia in illo semper creuit per uitam singularem (quam duxit) et austeram in omnibus, et sic semper meruit, et sic supremum gradum glorie habuit post uirginem Mariam. Et sic dixit Franciscus et multi alii quod fuit collocatus in illa sede in qua Lucifer locandus erat. Nam cum secundum  
 310 Augustinum et alios: «de quolibet ordine angelorum aliqui ceciderunt, et illa loca debeant per sanctos reparari», ut dicit Gregorius. Nam supremus ordo per superiores et excellentiores sanctos et inferior per inferiores. Cum ille fuerit supremus locus, debet restaurari per Christum aut per uirginem aut per sanctum maiorem. Non potest per Christum, qui secundum Apostolum est ad dexteram patris, nec per uirginem que  
 315 secundum Hieronymum et secundum ecclesiam: «est exaltata super omnes choros angelorum». Igitur debet reparari per Iohannem, quia per inferiorem illo non potest. Ex quo sequitur quod Iohannes clarius uidet diuinam essentiam et est magis propinquus illi et est familiaris et secretarius. Et omnes reuelationes inferiores ab ipso recipiunt et est situs ad pedes uirginis Marie. Nam sicut in hoc mundo habuit unum seruum consobrinum  
 320 Iohannem in seruitium suum, sic in uita gloriosa haberet alium.

Et sic, eius deuoti debent cum magna fiducia ad hunc recurrere, nam cum sit minus peccator, melius potest pro peccatoribus intercedere, dempta uirgine gloriosa. Item quia est magis propinquus et priuatus Deo et secretarius illius. Item quia omnes reuelationes ab ipso et per ipsum sunt, et si aliud non esset nisi experientia que docet hoc. Nam sicut pater erat  
 325 loquela priuatus et etiam gratia, quia fuit dubitans et incredulus, et accepta pugillari et scribens et nomen pronuntians non solum loquelam recepit, sed prophetie gratiam, unde prophetauit repletus spiritu sancto dicens: *benedictus dominus Deus Israhel*, etcetera, sic eius deuoti in necessitatibus ipsum inuocando et nomen pronuntians sint certi et credant quod illo mediante hic recipient gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius,  
 330 qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

---

304-305: cf. Lc. 1, 15. | 327: cf. Lc. 1, 68.

302: Regulam Augustini] *NI*. | 308: Franciscus] *NI*. | 310-311: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 63, a. 9 ad 3, pp. 446-447; cf. Ric. Med., *Sup. Sent.* (vol. 2), II, dist. 6, a. 2, q. 2, p. 84; cf. Gre. Mag., *Hom.*, II, 34, 11. *PL* 76, 1252C; cf. Aug. Hipp., *Ench.*, XXIX, 9. *PL* 40, 246BC; cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 9, 9. *PL* 192, 671D-672A. | 315-316: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 7. *PL* 30, 129B; cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Anti. unde supra. In primo nocturno. *PL* 78, 798D.

295: Tantam] M tanta. | 330: Post per M *Omm.* omnia secula seculorum. Amen.

SERMO OCTVAGESIMVS OCTAVVS ET SECVNDVS IN EODEM DIE SANCTI IOHANNIS  
BAPTISTE

<THEMA> *Non surrexit inter natos mulierum maior*, Matthei undecimo.

Originaliter.

5 Ad laudem gloriam et triumphum almi precursoris assumptum thema scribitur presens.

Tanta fuit excellentia et dignitas uirginis gloriose quod non solum omnibus natis ex muliere, sed maior fuit et excellentior omni pura creatura, quod probatur sic: illa persona que excellit omnes excellentes creaturas et magis appropinquat summo et excellentissimo Deo est maior omnibus, sed uirgo Maria est huiusmodi, igitur, etcetera. Quod autem sit  
10 maior omni excellenti pura creatura patet, nam hec est duplex, scilicet: creatura rationalis et creatura intellectualis, ut angelus. Sed uirgo Maria excellit omnes istas, igitur patet primo de rationi et, ne discurremus per singulas, accipiamus quod perfectius fuit in mundo, in quo fuerunt tres status. Primus ante peccatum; secundus post peccatum et ante remissionem peccati; tertius post redemptionem, scilicet: tempore gratie. In primo statu fuerunt due  
15 persone excellentes, scilicet: Adam et Eua. In secundo fuerunt sanctificati in utero, ut Hieremias, Samson et Iohannes Baptista. In tertio fuerunt excellentes apostoli et euangeliste et propinquiore Christo. Sed cum uirgo Maria sit excellentior omnibus his, sequitur quod sit maior.

20 Primo, probatur de primis parentibus, nam illi habuerunt tres excellentias. Prima quod fuerunt in gratia creati, scilicet: in gratia. Secunda quod fuerunt quodammodo fontes gratie respectu totius mundi. Tertia quod fuerunt parentes omnium qui fuerunt et erunt. Sed quod uirgo excellat in his tribus patet:

primo, isti fuerunt creati in gratia, ut dicit sanctus Thomas in multis locis, sed uirgo Maria creata etiam in gratia et in maiori gratia, quia ad altiora et maiora ordinabatur.

25 Secundo, si Adam fuit fons gratie, quia communicando naturam communicabat et gratiam omnibus, nam iustitia originalis non erat sine gratia et sic communicabat gratiam mediante Eua. Sed uirgo Maria fuit fons gratie, quia sicut Christus erat uena gratie pro toto mundo, illam communicauit mundo mediante uirgine Maria. Et sic uirgo Maria excellit in isto tripliciter.

30 Primo, quia fons Ade et Eue potuit sicari, sicut de facto siccati fuerunt quo ad gratiam, sed fons uirginis nunquam potuit sicari.

Secundo, quia Adam et Eua dabant gratiam semel tantum, sed uirgo Maria pluries communicabat illam.

35 Tertio, quia Adam et Eua solum gratiam communicabant descendentibus ex illis per carnem et rationem seminalem, quia illi qui creati fuissent ex lapide uel aliunde, sicut nunc, non contrahunt peccatum sic nec gratiam et iustitiam mediante illa haberet. Sed uirgo Maria est fons gratie non solum illis qui ex Adam et Eua oriuntur, sed etiam pluribus mundis si

---

3: Mt. 11, 11.

23: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 95, a. 1, p. 678; *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 20, q. 2, a. 3, p. 982; (vol. 4), lib. 2, dist. 29, q. 1, a. 2, p. 414.

2: Baptiste] M Baptisme.

40 essent, nam sicut Christus filius eius erat uena infinite gratie, sic ipsa medium proportionatum illi. De ista dicitur ab ecclesia: «*hortus conclusus et fons signatus* est sancta Dei genetrix». Hic fons habuit ista tria, unde Canticorum quarto, post uerba ista dicitur de illa: *fons hortorum puteus aquarum uiuentium*. Vnde si est aqua uiua, igitur siccare non potest; si est fons hortorum, igitur non solum huius mundi, sed plurium si essent. Item non semel dat, sed pluries sicut aqua a puteo exit sepe, etcetera.

Tertio, si Adam et Eua fuerunt parentes omnium, sic Maria, sed tripliciter excellit hec.

45 Primo, benignitate quia Eua fuit medium mortis filiorum suorum, unde Augustinus ait illis: «sicut omnium fuistis parentes, sic et omnium peremptores et quod infelicus est prius peremptores quam parentes». Sed uirgo Maria profuit filiis nondum natis, et non potuit illis nocere, sed prodesse.

50 Secundo, excellit uniuersalitate, nam Eua non fuit mater Ade, sed uirgo Maria fuit mater omnium simpliciter et uniuersaliter.

Tertio, excellit, nam Eua non potuit dare lac gratie filiis cum infirmitate peccati existentibus. Sed uirgo Maria potuit mediante filio liberare a peccato et sic dare lac gratie illis. Igitur, sicut mater que non solum posset filium lactare, sed etiam ab infirmitate sanare esset excellentior alter que solum illum lactaret, sic in proposito.

55 Secundo, post peccatum et ante reparationem peccati fuerunt excellentes sanctificati, ut Hieremias, Samson et Iohannes Baptista et ceteri, et isti habuerunt tres excellentias.

Primam fuit quod habuerunt fomitem ad peccatum inclinantem ligatum.

Secunda, quia isti nati fuerunt filii Dei, ceteri in natiuitate fuerunt filii ire.

60 Tertia, quia fuerunt immunes a peccato mortali. Sed uirgo Maria sicut fuit sanctificata nobiliori modo et pleniori gratia, sicut dicit Bernardus ad canonicos Lugdunenses scribens dicens: «puto quod copiosus munus sanctificationis in eam descenderit», etcetera.

Et sic Maria uirgo excellit in his tribus.

Primo, si illi habuerunt fomitem ligatum, hec nullum habuit fomitem, nam abundantia gratie tollit totalem inclinationem ad peccandum.

65 Item si illi nati fuerunt filii Dei, aliquando tamen fuerunt filii ire, scilicet: quando erant sub peccato originali. Sed uirgo Maria nunquam fuit filia ire, sed semper fuit filia Dei, cum nunquam esset subiecta peccato.

Tertio, si illi fuerunt immunes a peccato mortali, hec ab omni peccato immunis fuit. Et sic in omnibus tribus excellit.

70 In tertio statu post redemptionem peccati, scilicet: tempore gratie, excellentiores fuerunt apostoli et euangeliste, sicut Christo propinquiore. In tribus autem fuit illorum excellentia.

---

39: cf. Ct. 4, 12. | 41: Ct. 4, 15.

39-40: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, in Ev. PL 78, 799D. | 46-47: Augustinus] *Auctor err.* cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62B. | 61: Bern. Cl., *Ep.*, CLXXIV, 5. PL 182, 334C.

Primo, quia post peccatum primorum parentum populus electus fuit Israhel, unde Psalms centesimo quadragesimo septimo habetur: *non fecit taliter omni nationi*, etcetera, sed dictus seruus Dei, unde Isaie quadragesimo nono dicit: *seruus meus es tu Israhel, quia in te gloriabor*. Sed apostolis dicit Christus: *iam non dicam uos seruos, sed amicos, quia omnia que audiui a patre meo nota feci uobis*, Iohannis decimo quinto. Sed uirgo Maria electa non solum in amicam, sed in sponsam et in matrem, unde Canticorum quarto habetur: *ueni amica mea, sponsa mea*, etcetera. Et plura secreta reuelauit matri quam apostolis, quia illa *conseruabat omnia uerba conferens in corde suo*, ut suo tempore ipsa apostolis reuelaret. Et sic Lucas ab ipsa didicit omnia facta Christi, etcetera.

Secunda prerogatiua apostolorum fuit quod fuerunt principes totius orbis, unde Psalms quadragesimo quarto: *pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram*. Sed in ista etiam excellit uirgo domina nostra, nam fuit regina mundi, illi fuerunt principes alicuius prouincie uel si fuerunt non nisi terre, sed uirgo Maria celi et terre regina. Nam dicitur «regina celi et domina mundi», unde in eodem Psalmo quadragesimo quarto dicitur de ea: *astitit regina a dextris tuis*, etcetera, *circumdata uarietate*, nam omnes electi situantur ad pedes ipsius in gloria, etcetera.

Tertia excellentia apostolorum fuit quod habuerunt copiosius gratie munus quam ceteri, sicut magis Christo propinquiores, unde Apostolus ad Romanos octauo dicit: *nos primitias spiritus habentes*, etcetera. Sed uirgo in isto excellit, nam maiorem gratiam habuit cum fuerit Christo propinquissima, quia eius mater, et ad hoc maiorem gratiam necessariam habuit. Item sine peccato, alii uero cum peccato. Et sicut uas siccum indiget maiori aqua ad repletionem ipsius quam si esset humidum, sic peccator indiget maiori gratia, quia ad iustificandum et merendum, sic uirgo Maria, etcetera. Et hoc dicit Bernardus in quodam sermone dicens: «legimus Stephanum plenum gratia et apostolos spiritu sancto repletos, sed longe dissimiliter a Maria, quia neque in illo habitauit gratie plenitudo nec illi conceperunt de spiritu sancto». Et sic patet quod Maria uirgo excellit omnes creaturas rationales. Quo ad primum.

Secundo, excellit omnes creaturas intellectuales, ut sunt angeli. Maria uero fuit maior angelis non secundum naturam, sed secundum gratiam, et hoc tripliciter. Primo, maiori gratie; secundo perfectione illius; tertio, causalitate.

Primo, maiori gratia, nam maior fuit gratia uirginis quam angelorum, quia angeli receperunt gratiam secundum capacitatem nature, uirgo uero Maria secundum exigentiam misterii et officii. Vnde sicut Christum comparat Apostolus angelis, ad Hebreos primo, dicens: *tanto melior angelis effectus quanto differentius pre illis nomen hereditauit, cui enim angelorum dicit: "aliquando filius meus es tu? Ego hodie genui te?"* A simili potest de uirgine dici, tanto melior angelis effecta, quanto differentius pre illis hereditauit. Quis enim angelorum dicere potuit quod esset mater Dei? Quis preter illam dicere potuit de filio Dei: "ego hodie genui te, etcetera?" Nam sicut eternaliter fuit filius patris Christus, sic temporaliter fuit filius matris.

Secundo, uirgo excellit quo ad gratiam in perfectione, nam perfectior gratia fuit uirgini communicata quam angelis, quia gratia angelorum fuit amissibilis, sed gratia uirginis Marie non. Gratia angelorum non fuit post confirmationem meritoria, uirginis Marie sic. Item gratia angelorum non potuit augeri, uirginis autem sic, etcetera.

73: Ps. 147, 20. | 74-75: Is. 49, 9. | 75-76: Io. 15, 15. | 77-78: Ct. 4, 8. | 78-79: Lc. 2, 19. | 82: Ps. 44, 17. | 86: Ps. 44, 10. | 89-90: Rm. 8, 23. | 104-106: Hbr. 1, 4-5.

85: cf. Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328A. | 95-97: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 2. PL 183, 72A.

115 Tertia, causalitate, nam gratia angelorum non potuit esse causa reparationis ipsorum et mundi, uirginis autem sic, unde Bernardus dicit in sermone: «per te uirgo beata celum impletum est, infernus euacuatus, instaurate ruine celestis Hierusalem, expectantibus miseris, uita perdita data», etcetera. Et sic patet quod uirgo Maria excellit omnes puras creaturas, tam rationales quam intellectuales.

120 Tertium patet, scilicet: quod sit magis propinqua Deo, nam aliquid dicitur propinquum alteri tripliciter, scilicet: dispositione, scilicet: gratia; secundo, consanguineitate; tertio, loco.

125 Primum patet nam licet aliqua animalia sint homini propinqua in dispositione, ut simia, etcetera, sed illa que possunt conuenire cum homine in gratia sunt proxima, ut homo et angelus, ut dicit Thomas in epistola ad Romanos decimo tertio capitulo. Sic uirgo Maria cum fuerit ornata maiori gratia, nam gratia est uinculum uniens Deo, sicut peccatum separat ab eo.

130 Secundo, dicitur aliquid propinquum quo ad sanguineitatem et parentelam. Sic uirgo Maria est magis Deo propinqua quam aliqua alia pura creatura. Primo, patri, nam est mater in tempore illius, cuius prima in trinitate persona est et fuit eternaliter pater. Secundo, est mater naturaliter secunde persone, scilicet: filii Dei in quantum homo. Tertio, est propinqua spiritui sancto, quia affinis in primo gradum affinitatis. Et sicut inter affines in primo gradu est maxima amicitia, sic inter spiritum sanctum et uirginem, nam omnes gratias et singularitates illi communicauit, unde: «sacrarium spiritus sancti», etcetera. Nam: *ubi est thesaurus ibi et cor*, sic amor in uirgine.

135 Tertio, dicitur propinquus loco ut est uicinus, sic uirgo Maria fuit propinqua Deo, quia Deum et hominem in utero nouem mensibus portauit. Item ipso nato in brachiis duxit eum. Item ipso uiuente in gremio recepit. Item ipso mortuo in manibus tenuit. Item ipso resurgente illum amplexata fuit et ipsa in celum ascendente ab ipso recepta in manibus fuit et in celo collocata ad dexteram eius manet. Et sic semper propinqua illi fuit loco et sic dedit ei thronum et potentiam impetrandi gratiam pro nobis.

140 Et sicut curia celestis habebat Deum iudicem, sic haberet aduocatum Christum et procuratricem uirginem et sanctos. Et sicut mediator quanto maior et propinquior est iudici, tanto efficacius gratiam desideratam impetrat. Hodie licet possemus recurrere ad sanctos et sanctas pro gloria, ad hanc uirginem recurramus pro gratia, nam: *non surrexit inter natos mulierum maior*. Ad hanc igitur in principio sermonis recurramus dicendo: aue Maria.

145 <THEMA> *Non surrexit maior inter natos mulierum*, ubi supra.

In presenti sermone unam solam habebimus conclusionem, scilicet: quod Iohannes Baptista fuit maior omnibus sanctis demptis Christo et uirgine Maria. Hec conclusio probatur nam excellentia alicuius uel maioritas potest attendi in tribus, scilicet: in introitu in mundum et in uita et in morte. In omnibus his tribus Iohannes Baptista est maior cunctis.

150 Si forte dicis: quomodo excipiuntur Christus et eius mater, cum Christus simpliciter dicat “inter natos”, etcetera? Dicendum quod dixit “inter natos mulierum”, et sic non comprehenditur Christus, qui non ex muliere, sed ex uirgine natus fuit. Item non

132-133: Mt. 6, 21. | 143-145: cf. Mt. 11, 11.

115-117: cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429B-430A. | 123: cf. Th. Aq., *Sup. Rm.*, XIII, 2, p. 846. | 132: cf. Bed., *Hom.*, LXXI. PL 94, 453A.

120: Dispositione] M dispsitione.

comprehenditur uirgo, nam non dixit “inter natas”, sed “inter natos”. Item nullus istorum  
 comprehenditur, nam dixit “non surrexit”, surgere enim presupponit casum, unde Psalmi  
 155 centesimo uicesimo sexto: *surgite postquam sederitis*, etcetera. Sed in omnibus sanctis fuit casus  
 peccati preterquam in Christo et in uirgine. Et sic cum Iohannes Baptista ceciderit in  
 peccato originali, saltem sequitur quod non comprehenduntur Christus nec mater eius in  
 hac comparatione, sed comparat illum omnibus aliis sanctis. Et sic quod ipse sit maior  
 160 omnibus patet ex tribus, scilicet: quo ad ingressum mundi et quo ad uitam et quo ad  
 egressum, scilicet: ad mortem. Quod autem fuerit maior quo ad ingressum patet tripliciter.  
 Primo, quo ad annuntiationem; secundo, quo ad conceptionem; tertio, quo ad natiuitatem.

Quo ad annuntiationem patet sic: illa annuntiatio, que est simul nobiliori annuntiationi,  
 scilicet: Christi, est nobilior et excellentior aliis, sed Iohannis annuntiatio est huiusmodi.  
 Igitur pater hoc tripliciter. Primo, nuntio; secundo, loco; tertio, tempore.

165 Primo, nuntio, quia per eundem nuntium fuit nuntiatus per quem Christus, scilicet: per  
 angelum Gabrielem, nam Isaac fuit nuntiatus per angelum, sed non per istum, Genesis  
 decimo octauo, ubi habetur quod *apparuerunt tres angeli Abrahe*, etcetera. Sed unus istorum  
 dixit: *reuertens ueniam ad te tempore isto*, etcetera, *et habebit filium Sarra uxor tua*. Iste angelus non  
 fuit Gabriel, sed Michahel, secundum hebreorum doctores, qui dicunt quod isti tres angeli  
 170 fuerunt Michahel, Gabriel et Raphael. Quod Michahel erat principalior, alii uero assistentes,  
 et quando loquitur singulariter quod Michahel loquitur. Et ratio est quia erat princeps ueteri  
 testamenti, sed Gabrieli fuerunt comissa omnia pertinentia ad Christi aduentum, sicut patet  
 Danihelis nono, de tempore septuaginta hebdomadarum, et patet de precursore Iohanne,  
 Luce primo: *dixit angelus: “ego sum Gabriel”*, etcetera. Et sic ad uirginem Mariam: *missus est*  
 175 *angelus Gabriel*, Luce primo. Item Samson fuit per angelus nuntiatus Manue, Iudicum  
 decimo tertio, sed non per istum, nam *nomen eius erat admirabile*, scilicet: occultum, ut dicit  
 glosa. Et sic patet quod excellentia annuntiationis Iohannis fuit esse per angelum eundem,  
 per quem Christus nuntiatus fuit.

180 Secundo, loco est nobilior, scilicet: in templo Salomonis, et in nobiliori parte templi,  
 scilicet: in sancta sanctorum, in quo loco nullus audebat intrare nisi summus sacerdos et ille  
 non in omni tempore, sed in illa die quando incensum effundebat uel adolebat, scilicet: in  
 mense septimo.

185 Si forte dicis: igitur nobilior et excellentior fuit annuntiatio Iohannis quam Christi  
 ratione loci, nam Christus nuntiatus fuit in domo uirginis et Iohannes in templo. Igitur cum  
 nobilior fuerit templum Salomonis, sequitur, etcetera. Dicendum quod nobilior fuit cellula  
 uirginis, in qua orabat ipsa ad dominum, nam nobilior quod fuit in templo erat arca illa in  
 qua erant tria, scilicet: uirga Aaron et tabule legis et urna manne. Sed dum in oratorio illo  
 uirginis dixit ipsa: *ecce ancilla domini, fiat mihi*, etcetera, iam in uera arca, scilicet: in uentre suo,  
 fuit legislator et sacerdos in eternum et urna manne, nam manna significat “diuinitatem”,  
 190 terra illius urne humanitatem, etcetera.

Tertio, fuit nobilior ratione temporis, nam sicut Christus nuntiatus fuit in paschate, sic  
 Iohannes, sed in diuerso paschate, quia Iohannes in paschate tabernaculorum, scilicet:  
 uiginti quinque septembris, Christus uero in paschate azimorum, scilicet: uiginti quinque  
 martii. Et ratio huius diuersitatis fuit conueniens, nam pascha septimi mensis erat  
 195 peccatoris, scilicet: Ade et totius populi, quia in prima die septimi mensis erat festum

---

155: Ps. 126, 2. | 167: Gn. 18, 2. | 168: cf. Gn. 18, 10. | 173: cf. Dn. 9, 24. | 174: Lc. 1, 19. | 174-175: Lc. 1,  
 26. | 175: cf. Idc. 13, 13. | 176: cf. Ps. 8, 2. | 188: cf. Lc. 1, 38.

175: Manue] M Manne.



tubarum, scilicet: cornu, significans liberationem Isaac, qui figurabat ipsum Adam. Et in decima die erat festum ieiunii, scilicet: expiationis peccati totius populi, id est, mundi. Et sic in paschate peccatorum nuntiari debuit peccator minor inter peccatores, ut fuit Iohannes. Sed pascha primi mensis, scilicet: martii, significat redemptorem in pane azimo et agno  
 200 immaculato. Et sic in tali nuntiandus fuit Christus redemptor et *agnus qui tollit peccata mundi*. Et sic patet quod fuit Iohannes maior quo ad annuntiationem.

Secundo, fuit omnibus maior quo ad conceptionem, quod patet tripliciter. Primo, quia fuit miraculosa, ut Christi conceptio, non quod fuerit sine coniunctione uiri et femine, sicut Christi conceptio, sed per coniunctionem Zaccharie et Elisabeth. Sed fuit miraculosa ex  
 205 parte patris et matris, nam ex patre centenario et matre nonagenaria. Et sic quod naturaliter deficiebat de uirtute ad concipiendum, suppleuit uirtus spiritus sancti in illis et sic fuit Iohannes naturaliter conceptus, licet cum miraculo, ut patet de ceco a Christo illuminato, licet fuerit illuminatus supranaturaliter, sed ipse naturaliter uidebat, ut dicit Scotus. Secundo, fuit conceptio excellentissima, quia in utero mox sanctificatus excellentiori modo  
 210 quam alii sanctificati tripliciter.

Primo, prioritate temporis, nam alii sanctificati, ut Hieremias: *antequam exiret de uulua*, Hieremie primo, sed hic mox post animationem saltem in breui tempore post, scilicet: mensibus tribus, quia a conceptione ad animationem currunt nonaginta dies et mense sexto *ascendit Maria in montana*, igitur, sequitur, etcetera.

215 Secundo, maiori sanctificatione, scilicet: cum maiori gratia quam Hieremias nec alii, quia ad altiolem actum uel mysterium ordinabatur. Et sic dicit sanctus Thomas in multis locis quod sicut sanctificatio Marie excellit omnem aliam, sic sanctificatio Iohannis Baptiste omnem aliam preter sanctificationem Marie.

Tertio, nobiliori modo sanctificatus, nam fuerunt omnia requisita ad sanctificationem, ut  
 220 ad optimam scripturam requiruntur tria. Primum quod in anima sit habitus uel ars scribendi. Secundum quod manus, quod est organum coniunctum, sit apta ad hoc. Tertio, quod calamus, quod est organum separatum, sit bene dispositus et bene temperatus et scissus. Sic in proposito, sanctificatio est a diuinitate principaliter et sic in ueteri testamento a Deo fuit in Hieremia, etcetera. Sed ista Iohannis fuit mediante instrumento coniuncto,  
 225 scilicet: humanitate Christi, et mediante instrumento separato, puta mediante uirgine. Et sicut scriptura que sit mediante intellectu manu et calamo, sic de sanctificationibus fuit in nouo et ueteri testamento.

Tertio, patet ratione miraculi, nam in presentia Christi et matris eius infans in utero exultauit. Si in illo fuit accleratus usus rationis uel non, pro presenti dimitto. Satis est quod  
 230 cognouit messiam prius omnibus post uirginem Mariam.

Si dicis: non cognouerunt illum prius Elisabeth quando dixit: *unde hoc mihi ut ueniat mater domini mei ad me?* Dico quod prius *exultauit infans in utero matris* et mediante illa exultatione mater infans cognouit matrem domini et ipsum dominum, etcetera.

Tertio, fuit maior quo ad natiuitatem, quod patet tripliciter.

---

200: cf. Io. 1, 29. | 211: Ier. 1, 5. | 214: cf. Lc. 1, 39. | 231-232: cf. Lc. 1, 43-44.

208: Scotus] *NI*. | 216: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 1), lib. 1, dist. 17, q. 2, a. 4, p. 894; (vol. 2), lib. 1, dist. 44, q. 1, a. 3, p. 900; (vol. 5), lib. 3, dist. 3, q. 1, a. 1, qc. 2, p. 162; *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 81, a. 5, p. 535; (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 27, a. 2, p. 206.

225: 1<sup>o</sup> mediante] M mediante; 2<sup>o</sup> mediante] X mediante.

235 Primo, habuit uirginem Mariam in matrem spiritualem, quia (ut dicunt contemplatiui doctores) illum recepit in manibus dum nasceretur ex utero ipsius matris. Nam iam erant sex menses conceptionis Iohannis quando uirgo Christum concepit, et mox: *Maria abiit in montanam cum festinatione*, et dicit euangelista quod *mansit Maria cum Elisabeth mensibus tribus*. Igitur uirgo Maria presens fuit in partu Iohannis. Igitur si uirgo iuit ad Elisabeth, ut propter

240 humilitatem illi seruiret, in nullo potuit ipsi tantum seruire quam in partu. Et cum esset in montana et solitudine, in qua abundantia mulierum non erat, sequitur quod rationabiliter creditur quod illum recepit in manibus et sic quod fuerit eius filius spiritualis. Et ratio est quia non debuit carere uirgo Maria aliqua gratia filiationis et sic habuit triplicem filium, scilicet: natiuitatem Christum, spiritualem Iohannem Baptistam et legalem uel adoptiuum

245 Iohannem Euangelistam auctoritate principis dicentis in cruce: *ecce filius tuus*, etcetera. Item ratio fuit, nam sicut uirgo recepit Iohannem in manibus, sic ipse seruiuit Christo cum manu illum ostendendo dicens: *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*.

Secundo, fuit natiuitas eius excellens et sic ipse maior omnibus, quia in natiuitate fecit parentes prophetas, unde Chrysostomus dicit: «quis unquam prophetarum parentes fecit esse prophetas, ut Iohannes Baptista?» Quasi dicat: nullus.

250

Tertio, quia in natiuitate habuit nomen gloriosum a Deo datum, ab angelo nuntiatum et parentibus reuelatum. Vnde steriles hunc debent inuocare, nam si illum nominando pater eius recepit loquelam, a fortiori inuocando, unde Chrysostomus dicit: «considera Iohannem, quanta uis sit in eius uocabulo», etcetera.

255 Secundo, fuit maior omnibus in uita tripliciter. Primo, religione; secundo, reuelatione; tertio, officio.

Primo, elegit austeram uitam et religionem tripliciter: in loco, habitu et uictu.

Primo, in monasterio, nam cum esset annorum sex iuit uel fugit in desertum usque ad annos triginta, ut euitans consortia hominum euitaret peccatum. Non sic religiosi nostri

260 temporis, sed fugiunt desertum ut liberius in ciuitatibus peccare possint.

Secundo, in habitu, qui erat ex pilis camelorum. Sex enim in mundo fuerunt differentie uestium.

Prima honestitatis ad occultanda membra, ut habetur Genesis tertio, post peccatum: *fecerunt sibi perizomata ex foliis ficus*.

265 Secunda differentia est uestis significationis, ut sunt in ecclesia. Et sic angelus fecit Ade et Eue uestes pelliceas ex animalibus mortuis, ut notaret quod per peccatum mortalitatem incurrisset ambo, Genesis tertio.

Tertia species est ex lana pura et hec est necessitatis, quam primo reperit Nohema filia Lamech primi adulteri.

270 Quarta est uestis lasciuie ex cortice herbarum, scilicet: lini et canapi.

---

237-238: cf. Lc. 1, 39. | 238: cf. Lc. 1, 56. | 245: cf. Io. 19, 26. | 247: cf. Io. 1, 29. | 264: Gn. 3, 7. | 267: cf. Gn. 3, 21.

249-250: Chrysostomus] *NI*. | 253-254: Chrysostomus] *Auctor err.*, cf. Pseu. Ambr., *Serm.*, LI, 3. *PL* 17, 708CD.

262: Vestium] *M* festium.

Quinta est pompe ex serico et auro, etcetera.

Sexta est penitentie, ut silicium, etcetera. Iohannes autem non portabat uestem lasciuie nec pompe, sed honestitatis, necessitatis, significationis et penitentie, ut religiosus bonus debet portare.

275 Tertio, in uictu non comedens panem nec carnes, etcetera, nec bibens uinum nec siceram, sed cibos pauperum ad corporis sustentationem.

280 Secundo, in uita fuit maior cunctis reuelatione, quia illi primo reuelatus fuit uerus messias et cum signo certissimo. Vnde Iohannis primo dicit: *ipse qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: "super quem uideris spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto" et ego uidi et testimonium perhibui, quia hic est filius Dei*, etcetera. Habuit enim maiorem reuelationem cunctis prophetis et sic a Christo dicitur: *plusquam propheta*, Matthei undecimo. Fuit enim plusquam propheta multipliciter.

Primo, quia terminus prophetarum, Luce decimo sexto: *lex et prophete usque ad Iohannem*. Et cum terminus sit nobilior ceteris, sequitur, etcetera.

285 Secundo, quia officium prophete est promittere, iste quod alii promiserant dedit dicendo: *ecce agnus Dei*, Iohannis primo.

Tertio, habuit omnem differentiam prophetie, scilicet: de preterito, presenti et de futuro. Vnde dixit: *ante me factus est, qui post me uenturus est, cuius non sum dignus*, etcetera.

290 Quarto, fecit parentes esse prophetas, unde Chrysostomus: «quis unquam prophetarum parentes fecit esse prophetas, ut Iohannem, etcetera?».

295 Quinto, de se alii prophete prophetarunt, unde primus omnium Isaias dicit capitulo quadragesimo: *uox clamantis in deserto*, etcetera. Quod dicatur de Iohanne patet, nam Mattheus in capitulo tertio dicit: *uenit Iohannes*, etcetera. *Hic est de quo dictum est per Isaiam prophetam "uox clamantis"*, etcetera. Idem dicit Marcus, capitulo primo, et Lucas, capitulo tertio, et Iohannes, capitulo primo. Item ultimus prophetarum, Malachias, dicit capitulo tertio: *ecce ego mittam angelum meum*, etcetera. Quod dicatur de Iohanne patet per Christum secundum Mattheum capitulo undecimo: *quid existis uidere? Prophetam? Dico uobis plusquam prophetam, hic est enim de quo scriptum est. Ecce ego mitto angelum meum*, etcetera. Marcus in capitulo primo idem dicit et Lucas septimo capitulo. Item arca prophetarum Daudid dicit: *parauit lucernam christo meo*, Psalmi centesimo tricesimo primo. Quod hoc dicatur de Iohanne patet per Christum, Iohannis quinto, dicens: *uos misistis ad Iohannem*, etcetera, *ille erat lucerna ardens et lucens*. Et sic non solum prophete de illo prophetant, sed omnes euangeliste illud exponunt et quod maius est exponit de ipso Christus dominus prophetarum.

Tertio, fuit in uita maior officio, scilicet: predicatione.

305 Primo, iste predicauit regnum celorum dicendo: *penitentiam agite, appropinquabit*, etcetera, Matthei quarto, Marci primo. Iste Iohannes predicauit extra mundum, scilicet: in deserto, in mundo, in ciuitatibus, in limbo.

---

278-280: Io. 1, 33-34. | 281: Mt. 11, 9. | 283: Lc. 16, 16. | 286: Io. 1, 36. | 288: cf. Io. 1, 27. | 292: Is. 40, 3. | 293-295: Mt. 3, 1-3; cf. Mc. 1, 4; cf. Lc. 3, 4; cf. Io. 1, 23. | 296: Mal. 3, 1. | 297-298: Mt. 11, 9-10; cf. Mc. 1, 2; cf. Lc. 3, 4; cf. Io. 1, 23. | 300: Ps. 131, 17. | 301-302: Io. 5, 33-35. | 305: Mt. 4, 17; Mc. 1, 15.

289-290: Chrysostomus] NI.

Item secundo, officium habuit ministrandi sacramenta baptizando omnes, maxime Christum dominum omnium.

310 Tertio, officium doctoris instruendo discipulos suos et preparando illos ad Christum, et sic fuit magnus et maior omnium in uita.

Tertio et ultimo, fuit maior in morte tripliciter. Primo, in mundo; secundo, in limbo; tertio, in celo.

315 Primo, in mundo per triplicem auroram. Iam enim in uita habebat aureolam uirginitatis et aureolam confessorum per predicationem, quia: *confessus est et non negauit*. Noluit Deus ut a mundo exiret sine tertia aureola martyrum, que est maior aliis, et sic fuit martyrizatus ab Herode in ciuitate Maieronta propter ueritatem dicendam, quia illi dixit, Marci sexto: *non licet tibi habere uxorem fratris tui*, etcetera. Temporibus nostris predicatorum omnes uolunt esse confessores et non martyres, nolunt uitia increpare nec ueritatem manifestare, sicut fecit Iohannes. Non enim opus nisi ista sex uerba proferre dicendo cuilibet peccatori ea que ei non licet dicens superbis: “non licet tibi habere bona proximorum indebite”, etcetera. Item luxuriosis dicere: “non licet tibi, religioso clerico, etcetera, habere uxorem”. Item dicit omni christiano: “non licet tibi habere uxorem fratris”, scilicet: Christi, qui est frater noster excellenter, unde dicit in Psalmo uicesimo primo: *narrabo nomen tuum fratribus meis*. Item Iohannis uicesimo dixit Christus Magdalene: *uade ad fratres meos et dic eis*, etcetera. Et sic monialis est uxor et sponsa fratris, scilicet: Christi. Igitur non licet tibi christiano habere uxorem fratris, scilicet: Christi, uel uxorem fratris non licet habere, quia non licet habere consanguineam, etcetera, neque propinquam, uel dicit “uxorem fratris tui”, scilicet: mulierem uel sororem uel filiam amici, qui est frater tuus per amicitiam, uel socii uel serui, etcetera. Igitur predicatorum, qui debent gregem domini defendere, non debent propter metum silere, nam prelatum est pastor, populus grex, predicatorum canes. Vnde de his loquitur Isaias capitulo quinquagesimo sexto dicens: *canes muti non ualentes latrare*, et sic non taceant timore.

335 Item nec amore, quia debet Deo placere et non hominibus, unde ille magnus predicator Paulus dicebat: *si hominibus placerem, Christi seruus non essem*, ad Galatas primo.

340 Tertio, non ex uerecundia debet tacere, quia spiritus sanctus dat predicatori. Et sicut tuba non timet nec uerecundatur de aliquo, sic debet predicator, unde dicit Deus, Isaias capitulo quinquagesimo octauo: *clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuam et annuntia populo meo scelera eorum*. Sic fecit Iohannes coram Herode et non timuit regem nec prelatum, unde legitur de eo: «unum mirabile inter cetera», ut recitat Tostatus episcopus. Est enim circa ciuitatem Babilonie in Egipto quoddam monasterium in honorem sancti Iohannis Baptiste constructum, ubi sunt quedam reliquie ipsius in quodam scrinio non magno. Consuetudo est christianis et agarenis in festo ipsius frequentare monasterium ipsum et quolibet anno in tali die christiani cum agarenis portant scrinium per quinque leucas descendendo per flumen Nili ad aliam ecclesiam monachorum constructam similiter ad honorem beati Iohannis. Et peracto officio missarum ponunt predictum scrinium in flumine probare uolentes an beatus Iohannes uellit reliquias suas manere in hoc monasterio uel redire ad locum priorem. Sed mox uidentibus omnibus scrinium ipsum contra impetum fluminis Nili

---

315: cf. Io. 1, 20. | 317-318: Mc. 6, 18. | 324: Ps. 21, 23. | 325: Io. 20, 17. | 332: Is. 56, 10. | 335: Gal. 1, 10. | 338-339: Is. 58, 1.

340: Tostatus] *Nl*.

324: Vicesimo primo] M, X duodecimo. | Narrabo] M, X narrabis. | 330: Igitur] M iigitur. | 346: Officio] M afficio.

350 tanta uelocitate sursum currit et rediit ad locum suum priorem, quod nec hi qui in equis currunt possunt uelocius ad dictum monasterium peruenire. Et hoc fit singulis annis.

355 Secundo, fuit maior in limbo, nam fuit receptus a patriarchis, quia filius patriarche et ipse patriarcha. Item a sacerdotibus, quia filius summi sacerdotis et ipse maximus sacerdotum post Christum. Item recipitur a prophetis, quia filius prophetarum. Et ipse non solum propheta, sed plusquam propheta, et sic receptus honorifice ab eis. Et querunt dum in medio illorum esset, quid de redemptore mundi sciret. Qui dixit illis: “ego illum in utero matris cognoui et adorauit, ego in anno tricesimo baptizauit, ego illius excellentias populo predicauit et ostendi dicens: “*ecce agnus Dei*”, etcetera. Iam est annorum triginta duo, non potest tardare redimere totum mundum”, etcetera.

360 Tertio, fuit maior in celo, nam ruina angelorum per homines est reparanda, ut dicit Gregorius in homilia et Magister Sententiarum in secundo, distinctione nona. Et sic ruina Luciferi, qui maior fuit inter angelos, per aliquem hominum uel mulierum erat reparanda per patriarcharum aliquem, aut sacerdotum aut prophetarum ueteris testamenti. Hic maior est omnibus. Si per martyrem, confessorem, aut uirginem noui testamenti, hic maior est omnibus, igitur, etcetera. Secundo, cum ille Lucifer esset de maioribus, quia angelus quod nomen communiter de omnibus dicitur, debet igitur reparari per illum qui inter homines dictus fuit angelus, sed hic est Iohannes Baptista, quia: *ecce mittam angelum meum*, etcetera.

365

370 Tertio, si ille erat maior omnium angelorum, quia supremus seraphin, id est, charitate ardens, igitur debet per seraphin et maiorem omnium reparari. Iohannes autem dicitur “seraphin”, nam dixit Christus, Iohannis quinto: *ipse erat lucerna ardens*. Item est maior ille qui cecidit, igitur per maiorem debet reparari, non igitur per Christum, qui ad dexteram patris sedet, nec per uirginem Mariam, que «super choros angelorum est collocata».

Igitur debet reparari per maiorem aliorum, hic est Iohannes, de quo Christus dixit: *inter natos mulierum non surrexit maior*. Igitur sicut fuit maior in sede, sic est maior in illa excellenti gloria, quam nobis concedat ille Dei filius, qui cum patre et spiritu sancto, etcetera. Amen.

---

357: cf. Io. 1, 36. | 366: cf. Mal. 3, 1. | 369: Io. 5, 35. | 372-373: cf. Mt. 11, 11.

360: cf. Gre. Mag., *Hom.*, II, 34, 11. *PL* 76, 1252C; cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 9, 9. *PL* 192, 671D-672A. | 371: cf. Gre. Mag., *Lhb. Resp.*, Anti. unde supra. In primo nocturno. *PL* 78, 798D; cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 7. *PL* 30, 129B.

357: Iam] X item.

## SERMO OCTVAGESIMVS NONVS IN DIE BEATI PETRI APOSTOLI

<THEMA> *Super hanc petram edificabo ecclesiam meam*, Matthei decimo sexto.

Tres lapides reperiuntur in fundamento ecclesie, scilicet: diuinitatis, humanitatis Christi et uirginis Marie.

5 Primus lapis pretiosus fuit diuinitatis. Et hic est unus, sed triangularis, nam unus quo ad  
essentiam et trinus quo ad personas. De isto lapide habetur Apocalypsis uicesimo primo:  
*uidi ciuitatem sanctam Hierusalem*, etcetera. Infra: *in structura muri eius ex lapide iaspide*, etcetera.  
Comparatur autem diuinitas lapidi iaspidis quo ad tria. Nam prima iaspis «facit hominem  
tutum inter inimicorum pericula», ut dicit Arnaldus. Sic Deus est qui facit hominem tutum  
10 a periculis, etcetera. Secundo, iaspis resistit maleficiis et incantationibus demonum. Sic  
Deus solus est qui resistit demonibus, nam: *non est potestas super terram que ei ualeat resistere*,  
Iob quadragesimo primo. Tertio, dicit Dioscorides quod: «sicut iaspis habet omnes colores,  
sic habet omnes uirtutes». Sic omnes uirtutes sunt in Deo unite et in aliquo alio non. Et sic  
Galenus hunc lapidem uirtuosissimum portabat in digito.

15 Secundum lapis in fundamento ecclesie fuit Christus incarnatus, de quo habetur Isaie  
uicesimo octauo: *ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem, lapidem probatum pretiosum  
in fundamento fundatum*, etcetera. Hic lapis licet fuerit reprobatus a iudeis, sed electus a Deo  
patre, unde Psalmi centesimo decimo septimo: *lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus  
est in caput anguli*, quia in ecclesia coniunxit duos parientes, scilicet: duos populos, iudeorum,  
20 scilicet: et gentilium. Quod dicatur de Christo patet Matthei uicesimo primo, quando  
exposuit illis parabolam uinee dicit Christus: *nunquam legistis lapidem quem reprobauerunt?* De  
isto lapide habetur Apocalypsis quarto: *uidi ostium apertum*, etcetera. Infra: *sedes posita erat et  
supra sedem sedens et qui sedebat similis erat aspectui lapidis iaspidis et sardinis*. Nam Christus ut  
Deus erat iaspis, sed ut homo erat lapis qui dicitur “sardo”, quod patet tripliciter.

25 Primo, hic lapis (ut dicunt doctores) licet sit pulcher, sed ponitur infimus omnium  
lapidum. Sic Christus: *speciosus forma*, etcetera, sed: *exinaniuit semet ipsum formam serui accipiens*.  
Et sic uestitus fuit de ultimo elemento terre et sic mitis fuit et humilis corde.

Secundo, sardus lapis significat Christum, nam est sanguinei coloris, ut dicit Isidorus. Sic  
Christus quo ad humanitatem.

30 Tertio, hic lapis ualet contra incantationes et maleficia demonum, ut dicit Dioscorides.  
Sic Christus, nam ante illius aduentum idolatria et superstitiones regnabant in mundo per  
demonum operationes, sed ipso adueniente omnia expulsa fuerunt.

35 Tertius lapis fundamenti fuit uirgo Maria. De quo lapide habetur in cantico Mosi,  
Deuteronomii tricesimo secundo numerando beneficia data populo iudaico. Ne crederet  
quod propter meritum illius data fuerunt, sed propter hoc quod ab illo populo sperabatur  
quidam lapis pretiosus, de quo messias erat nasciturus, dicit: *ut surget mel de petra oleumque de  
saxo durissimo*. Vnde hoc est intelligendum spiritualiter, nam ut dicit Gregorius in glosa: «hoc

2: Mt. 16, 18. | 7: Apc. 21, 2. | Apc. 21, 18. | 11: Iob. 41, 24. | 16-17: Is. 28, 16. | 18-19: Ps. 117, 22. | 21: Mt.  
21, 42. | 22-23: Apc. 4, 1-3. | 26: cf. Ps. 44, 3. | cf. Phil. 2, 7. | 36-37: Dt. 32, 13.

8-9: Arnaldus] *NI*. cf. Diosc., *De Mat. Med.* (vol. 1), V, c. 149, p. 818; cf. Petr. Ber., *Reduct.*, XI, c. 84, p. 444. |  
12-13: cf. Diosc., *De Mat. Med.* (vol. 1), V, c. 149, p. 818; cf. Petr. Ber., *Reduct.*, XI, c. 84, p. 445. | 28: cf. Isid.,  
*Etym.*, XVI, 8, 2. *PL* 82, 573B. | 30: cf. Diosc., *De Mat. Med.* (vol. 1), V, c. 149, p. 818; cf. Petr. Ber., *Reduct.*,  
XI, c. 84, p. 444. | 37-38: cf. Gre. Mag., *Hom.*, II, 26, 3. *PL* 76, 1199B.

2: Petram] X patram. | 32: Operationes] M operarationes.

iuxta historiam nunquam legitur factum». Sed petra erat uirgo Maria, de qua exiuit Christus, qui habet duas naturas, scilicet: diuinam, que significatur per mel, et humanam per oleum, etcetera. Item de isto lapide, scilicet: Maria, dicit Isaie capitulo decimo sexto: *emitte agnum domine dominatorem terre de petra deserti ad montem filie Sion*, etcetera. Agnus fuit Christus, de quo Iohannes Baptista dicit: *ecce agnus Dei*. Hic fuit a lapide deserto ortus, nam uirgo fuit deserta quo ad demones, quo ad homines et quo ad mundum.

Desertum dicitur illud quod non est conculcatum. Sic uirgo Maria non fuit conculcata per aliquod peccatum, sicut fuerunt omnes alie pure creature.

Secundo, non conculcata a uiro, quia non ex uiri semine concepit, sed a spiritu sancto.

Tertio, desertum dicitur a “deserendo”, nam Maria deseruit diuinitas, delitias, pompam et gloriam mundi. Omnia hec reputans, ut stercora, ut lucri faceret Christum. De isto deserto loquebatur Isaia capitulo quadragesimo tertio: *ecce ego facio omnia noua, ponam in deserto uiam et in inuia flumina aquarum*, etcetera. In mundo ante uirginem non erat uia Dei, sed posita fuit in ipsa ille que de se dicit: *ego sum uia ueritas et uita*, Iohannis decimo quarto. Et fuit ad hoc preparata per flumina gratiarum, sic in illa fuit mare gratiarum, unde Psalmi septuagesimo sexto: *in mari uia tua*, etcetera. Et sic in deserto uirginis fuit positus Christus, qui est uia totius mundi.

Sed notandum quod uirgo Maria in hoc fundamento potest dici secundus lapis et potest dici tertius. Secundus post diuinitatem, quia precessit humanitatem Christi tempore. Potest dicit tertius, quia humanitas Christi precessit prioritate perfectionis. Quod uirgo Maria fuerit secundus lapis in ordine patet, nam ex ipsa fuit humanitas Christi sumpta, unde Danihelis secundo dicitur quod: *lapis scissus de monte sine manibus*. Fuit autem lapis Christus de monte lapideo uirginis scissus. Nam si solum esset assumptus ex illo monte, non sequeretur quod ille mons esset lapideus, sed dum dicit “scissus” arguit quod ille mons esset lapideus, de quod Christus lapis fuit scissus, etcetera. Et sic Maria fuit media inter Deum et Christum filium suum. Et sic fuit lapis bituminis, ut lapis calcis coniungens humanitatem diuinitati. Nam sicut lapis calcis efficitur albus per decoctionem et calorem ignis, sic uirgo Maria alba et purissima facta fuit per calorem spiritus sancti. Non sicut Eua, nam licet illa sic esset calefacta calore gratie spiritus sanctis, que fuit creata in gratia, ut dicit sanctus Thomas, sed fuit maxima differentia inter uirginem et Euam. Nam sicut unus lapis calcis, si in illo apponitur aqua, fumat et incenditur, sed si in altero apponatur oleum, mitigatur, sic in proposito. In lapide Eua apposita fuit aqua superbie et sic in ea fuit fumus elationis. Sed in uirgine oleum humanitatis, oleum misericordie, oleum filii Dei, de quo: *unxit te Deus, Deus tuus, oleo letitie pre consortibus tuis*, Psalmi quadragesimo quarto. Et sic fuit Maria mater benignissima et secundus lapis post Deum in ecclesia militanti, unde Ambrosius super Lucam dicit: «non mirum si redempturus Deus mundum operationem suam inchoauit a Maria, ut per quam salus omnibus parabatur, ipsa prius fructum salutis hauriret ex pignore». Figura huius habetur Genesis uicesimo octauo, quando Iacob egressus fuit de Bersabee et iret in Aram, dum in quodam monte pernoctasset et: *acciperet de lapidibus qui iacebant et supponens capiti dormisset. Vidit in somnis scalam super terram et cacumen illius tangens celum et angelos Dei ascendentes et descendentes et dominum innixum scale dicentem sibi: “ego sum dominus Deus Abraham patris tui et Isaac”*, etcetera. *Cumque euigilasset a somno dixit: “uere dominus est in loco isto et ego nesciebam quam terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei et porta celi*.

40-41: Is. 16, 1. | 42: Io. 1, 36. | 49-50: Is. 43, 19. | 51: Io. 14, 6. | 53: Ps. 76, 20. | 59: Dn. 2, 34. | 71: Ps. 44, 8. | 76-81: Gn. 28, 11-18.

67: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 95, a. 1, p. 678; *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 20, q. 2, a. 3, p. 982; (vol. 4), lib. 2, dist. 29, q. 1, a. 2, p. 414. | 73-75: cf. MF. Ambr. *Exp. Ev. Sec. Lc.*, II, 17. PL 15, 1559C.

*Surgens mane tulit lapidem quem supposuerat capiti et erexit in titulum fundens oleum desuper.* Iste locus uisionis, secundum doctores, fuit montis Moria, in quo pater suus Isaac fuit oblatus et postea ibi templum edificatum fuit. Et sic hec fuit reuelatio ecclesie militantis. Nicholaus autem de Lyra recitat doctores hebreorum dicentes quod fuerunt tres lapides suppositi capiti, et sic factus fuit unus mane. Et sic dicit primo: “tulit de lapidibus”; secundo dicit: “tulit lapidem et erexit in titulum”, etcetera. Tres lapides uniti in fundamento notant predictos tres qui (ut in principio diximus) uniti fuerunt in utero uirginali. Quia non solum debemus credere in Deum, sed in hominem et etiam in uirginem, sicut natus ex Maria uirgine, etcetera. Non sufficeret credere Christum natum sine hoc quod crederet ex Maria, etcetera. Scala, si consideratur a summo donec ueniat ad uirginem, notat Marie humilitatem, de qua Bernardus dicit: «facta est Marie humilitas scala celestis, per quam saluator descendit ad nos». Sed si consideretur a uirgine in celum, notat Christi humanitatem et diuinitatem. Ideo sunt duo latera, quia due nature gradus. De uno latere scale ad aliud sunt articuli fidei. Lapis uniens fundamentum notat uirginem, erectus in titulum uel in memoriam, quia ipsa dicit uel in persona sua dicitur Ecclesiastici uicesimo quarto: *memoria mea in generatione seculorum*. Et ipsa in cantico suo confirmat dicens: *ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes*. Oleum fustum notat plenitudinem gratiarum pro toto mundo, quam debent recipere omnes qui in ecclesia fuerunt fundati. Sed hanc gratiam sine uirgine habere non potest quis, nam si non habet illam nisi qui in ecclesia fundatur, et non fundatur nec unitur nisi uirgine mediante, quia sicut fuit lapis uniens fundamentum, sic etiam unit illi omnes fundatos, nam de ipsa dixit Deus: *super hanc petram edificabo ecclesiam meam*. Ad hanc igitur recurramus in principio sermonis dicendo: aue Maria, etcetera.

<THEMA> *Super hanc petram edificabo ecclesiam meam*, ubi supra.

Due erunt partes huius sermonis. Prima thematis introductiua. Secunda materie prosecutiua.

Circa primam partem est notandum secundum Augustinum, in libro De Ciuitate Dei, quod due sunt ecclesie a principio mundi. Nam cum ecclesia dicat “conuocationem multorum”, sic due societates fuerunt a principio mundi: una bonorum, alia malorum. De prima habetur in Psalmo centesimo quadragesimo nono: *laus eius in ecclesia sanctorum*. De secunda, que est malorum, habetur in Psalmo uicesimo quinto: *odini ecclesiam malignantium*, etcetera. Inter istas duas ecclesias est triplex conuenientia et triplex differentia.

Prima conuenientia est quod uterque fuit a principio mundi et uterque habet in se magnam multitudinem. Sed est maxima differentia inter istas, nam prima est congregatio bonorum, secunda malorum.

Secunda conuenientia est in fundamento, nam utraque fundatur in tribus lapidibus, scilicet: lapide spirituali, uirili et muliebri. Sed inter istos lapides est maxima differentia, nam bona fundatur mediante lapide diuino, ut in principio diximus; secunda mediante lapide spirituali, scilicet: primo angelo Lucifero. Sed lapis diuinus est infinitus, habet enim infinitatem ualoris, uirtutis et claritatis. Sed lapis Luciferi non sic infinitus, sed mere finitus et pauce uirtutis et ualoris.

Si dicis: Isaias capitulo decimo quarto dicit ipsum Luciferum, quia fert lucem et excellit alias stellas, etcetera. Dicit enim: *quomodo cecidisti de celo, Lucifer, qui mane oriebaris*, etcetera?

95-96: Sir. 24, 28. | 96-97: cf. Lc. 1, 48. | 101-103: cf. Mt. 16, 18. | 109: Ps. 149, 1. | 110: Ps. 25, 5.

83-84: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 1), Gn. 28, 11, ff. 89v-90r. | 91-92: Bernardus] *Auctor err.* cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCVIII, 10. PL 39, 2133C. | 106: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XV, 1, 2. PL 41, 438A.



125 Dicendum quod in hoc uidetur maxima differentia inter Deum et Luciferum, nam cum Deus sit immobilis, quod est de ratione fundamenti, Lucifer primo cecidit antequam edificaret. Si dicebatur Lucifer et ferens mundo lucem, hoc esset si non peccaret, nam post peccatum fuit obtenebratus. Et sicut fuisset lucidus naturaliter et supranaturaliter, post peccatum solum fuit lucidus quo ad naturam, et illa etiam aliquid tenebrosa. Et sic Lucifer est inter noctem et diem, quia aliquid tenebrosus et aliquid lucidus. Et sic, licet dicatur Lucifer, non tamen comparatur Deo, qui est lux uera indeficiens, etcetera.

130 Sed dices contra: Hiezechiel uicesimo octauo dicitur: *tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Sardius, thopacius et iaspis, chrisolitus et onix et berillus, saphirus et carbunculus et smaragdus.* Ponuntur proprietates omnium lapidum. Et sic perfectissimus fuit, maxime quia ponitur inter istos nouem lapides iaspis, qui significat diuinitatem, ut diximus. Dicendum quod Lucifer non  
135 equaliter Deo aliquo modo. Si ponuntur ibi nouem species lapidum, significat quod habuit perfectiones omnium nouem ordinum angelorum, cum fuerit excellentior cunctis. Et si ibi ponitur iaspis, est propter hoc: quod ille factus fuit ad imaginem Dei et non Deus. Item isti lapides, licet essent lucidi luce naturali, non tamen remanserunt uirtutes in illis qui ceciderunt. Et sic, licet iste Lucifer haberet lucem sapientie et scientie, etcetera, sed non  
140 remansit in eo lux gratie, quam perdidit per peccatum quando cecidit. Vnde dicitur infra: *in medio lapidum ignotorum ambulasti a die conditionis tue, donec inuenta est iniquitas in te; peccasti et eieci te de monte sancto Dei*, id est, de celo, ut dicit glosa. Et sic nulla est comparatio inter Deum et istum.

145 Secundo, magna est differentia inter secundum lapidem hominis in utraque ecclesia, nam Adam fuit causa peccati et mortis, sed Christus nullum habuit peccatum et preseruat a morte dando uitam, unde prima Corinthiis decimo quinto: *sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes uiuificabuntur.*

Et sic differentia est quo ad lapidis effectum.

150 Secundo, quo ad naturam lapidum, nam Adam fuit homo purus, sed Christus Deus et homo, unde Apostolus ibidem dicit: *factus est primus Adam in animam uiuentem, secundus, scilicet: Christus, in spiritum uiuificantem.*

Tertio, differunt quo ad lapidis preparationem, nam Adam factus fuit non tam miro modo sicut Christus, qui ex spiritu sancto formatus et conceptus, unde Apostolus ibidem dicit: *primus homo de terra terrenus, secundus de celo celestis.*

155 Tertio, inter lapides mulierum maxima fuit differentia, nam licet Eua fuerit pura in sui creatione, secundum Thomam, in gratia creata, sed perdidit illam gratiam per peccatum. Et sic Maria excellit in tribus, nam unus lapis calcis tripliciter differt ab alio. Primo, in puritate: si non est lapis solidus, sed arenosus. Secundo, in actione: si non est bene coctus, ut alius. Tertio, in mixtione uel in preparatione. Sic uirgo Maria excellit Euam in his tribus.

160 Primo, in puritate, nam puritas Marie excellit non solum puritatem aliarum mulierum, sed etiam puritatem angelorum. Et sic dixit Anselmus quod: «maior sub Deo non potest intelligi».

---

122: Is. 14, 12. | 130-132: Ez. 28, 12-13. | 140-142: Ez. 28, 14-16. | 146-147: I Cor. 15, 22. | 150-151: cf. I Cor. 15, 45. | 154: cf. I Cor. 15, 47.

142: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 4), Ez. 28, 16, f. 251v. | 156: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 95, a. 1, p. 678; *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 20, q. 2, a. 3, p. 982; (vol. 4), lib. 2, dist. 29, q. 1, a. 2, p. 414. | 161-162: Ans., *De Conc. Virg.*, XVIII. PL 158, 451A.

165 Secundo, in coctione spiritus sanctus, nam magis fuit uirgo preparata a spiritu sancto quam Eua, scilicet: maiori gratia et maiori munere sanctificationis. Item in modo preparationis, nam si unus lapis calcis preparatur mediante unda aque, ascendit fumus et incenditur ignis; sed si preparatur mediante oleo, humilitatur et efficitur suauis et etiam medicinalis. Sic in proposito, Eua fuit preparata mediante unda aque, scilicet: superbie, et sic ascendit immediate fumus elationis quando audiuit: *eritis sicut dii*, etcetera. Et sic fuit ignis incensus, qui non solum illam, sed totum mundum combusit. Sed uirgo Maria econuerso fuit preparata mediante oleo gratie spiritus sancti et mediante oleo salutari filii Dei, de quo in Psalmis: *unxit te Deus, Deus tuus, oleo letitie*. Et sic mediante isto salutari dedit medicinam mundo infirmo, etcetera. Et sic Augustinus dicit: «redditur femina pro femina, humilis pro superba, sapiens pro stulta. Eua occidendo obfuit, Maria uiuificando profuit, illa percussit, ista sanauit», etcetera.

175 Tertio, conueniunt in bitumine quo uniuntur, nam sicut lapides alicuius edificii uniuntur mediante quodam bitumine, quod uulgariter dicitur “argamassa”, et constat ex tribus, scilicet: ex arena, calce et aqua, sic lapides ecclesie ex uno bitumine constans ex tribus uirtutibus theologalibus, scilicet: ex spe, fide et charitate. Et in hoc conueniunt iste due ecclesie. Sed differunt, nam ecclesia bonorum habet ista tria uera, alia uero habet ista tria falsa.

180 Primo, ecclesia peccatorum habet spem falsam, nam sicut demon non sperauit in eo in quo erat sperandum, scilicet: in Deo, nec Adam et Eua non sperauerunt in Deo, sed omnes in propria uirtute, sic nec illi peccatores, qui illos sequuntur, habent ueram spem, sed iusti sperant in domino, unde Psalmi sexagesimo primo: *sperate in eo omnis congregatio populi*, etcetera.

185 Secundo, demon nec parentes primi non habuerunt ueram charitatem, sed ut dicit Augustinus in decimo quarto De Ciuitate, capitulo ultimo: «fecerunt duas ciuitates duo amores, scilicet: terrenam, scilicet: malorum, amor sui usque ad contemptum Dei». Sed ecclesia bonorum habuit uerum amorem, ut dicit Augustinus, quia in illa fuit: «amor Dei usque ad contemptum sui», etcetera.

Tertio, ecclesia malorum habuit falsam fidem, nam Adam et Eua crediderunt demoni potius quam Deo, et sic nunc peccatores et heretici. Sed ecclesia sanctorum credit Deo, etcetera. Et licet omnes pertinentes ad ecclesiam bonorum habuerint ista tria uera, sed Petrus, primus lapis, habuit ista excellenter.

195 Primo, spem, nam dicente Christo in quo erat sperandum dicendo: *nisi manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis uitam in uobis, qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet uitam eternam*, etcetera, Iohannis sexto, audientes hoc discipuli qui Christum sequebantur, dixerunt: *durus est hic sermo*, etcetera, et multi abierunt retrorsum. Tunc dicit Christus apostolis suis: “*uultis et uos abire?*” Respondit Petrus pro omnibus dicens: “*ad quem ibimus, domine? Verba uite eterne habes*, et sic non solum a te speramus uitam eternam, sed etiam uerba tua sunt uite eterne”.

Secundo, de charitate, nam dicente illi domino, Iohannis uicesimo primo capitulo: *Petre, diligis me plus his?* Respondit Petrus: *tu scis, domine, quia amo te*. Et sic omnes doctores concordant quod Petrus plus Christum diligit quam alii apostoli.

---

168: cf. Gn. 3, 5. | 171: cf. Ps. 44, 8. | 184: Ps. 61, 9. | 195-200: cf. Io. 6, 54-69. | 202-203: cf. Io. 21, 15.

172-174: Augustinus] *Auctor err.* cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62D; cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CXCVI, 2. PL 39, 2105B. | 187-190: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XIV, 28. PL 41, 436B.

205 Tertio, patet hoc de fide. Quando interrogati, etcetera, dicit ipse: *tu es Christus filius Dei uiui*. Respondit Petro Christus: *es tu Petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam*. Quo ad primam partem sermonis, etcetera.

In hac parte prosecutiua duo sunt uidenda, si tempus patietur. Primum quid debet habere persona que fundat ecclesiam, ut sunt prelati omnes. Secundum erit quid debet habere fundatus in ecclesia, ut sunt populares.

Dico quo ad primum quod secundum quod dicit Ambrosius in suo Pastoralis, inter illa que requiruntur ad prelatum bonum sunt tria principaliter. Primo, debet habere firmitatem fidei; secundo, serenitatem et bonitatem conscientie et uite; tertio, perfectionem scientie.

215 Primo, debet habere quilibet prelatus firmitatem fidei, nam est dispensator, unde Apostolus prima Corinthiis quarto dicit: *sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores ministeriorum Dei*. Et sic, cum ad dispensatorem pertineat principaliter esse fidelem, unde Apostolus dicit ibidem: *hic iam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inueniatur*, sequitur quod fides principaliter sit necessaria in prelate. Ratio est in promptu, nam non solum pro se debet credere, sed etiam pro aliis, ut alios possit inducere et dirigere ad recte credendum.

220 Quia sicut fides recta prelatorum uel doctorum predicatorum multum ad edificium ecclesie ualet, sic, si non est recta, multum nocet. Nam fides Arrii et Sabelli falsa per eorum predicationem multum nocuit. Fides falsa Macedonii episcopi Constantinopolitani et fides Nestorii, etiam episcopi Constantinopolitani, maxime nocuit ecclesie. Etiam fides falsa Diascori, episcopi Alexandrini, et fides falsa Iouiniani et Pelagii, qui religiosi fuerunt, ualde

225 nocuit ecclesie. Et sic prelati et predicator debent clarescere in fide, non solum pro se, sed pro populi utilitate. In hac autem fide claruit Petrus, qui primo confessus fuit Christum esse uerum Deum et hominem, dicendo: *tu es Christus filius Dei uiui*, quod nullus ante confessus fuit, etcetera.

Si dicis: Nathanael, Iohannis primo, dixit: *rabbi, tu es filius Dei et rex Israhel*. Dicitur 230 secundum Chrysostomum et Thomam non dixisse de filio naturali, sed de adoptiuo per gratiam. Vnde Psalmi octogesimo primo dicitur: *ego dixi: "dii estis et filii excelsi omnes"*. Si autem Nathanael credidisset Christum esse filium Dei naturalem, non dixisset illum "regem Israhel", sed totius mundi.

Secundo, prelati debent pollere sanctitate uite, unde Dionisius in libro suo De Ecclesiastica Hierarchia dicit quod dux Christi debet illi plus confirmari quam aliquis alius in sanctitate. Exemplum: sicut lapis qui circa alium lapidem debet firmari non potest recte quiescere nisi sit ductus ad figuram illius, sic in proposito. Cum prelati sint situati circa fundamentum, quod Christus est, sic debent illi conformari, unde Leuitici uicesimo primo dicitur: *homo habens maculam non offeret panes, nec accedat ad ministerium*, etcetera. Vnde Hieronymus in glosa: «non solum episcopi uel presbyteri et diaconi debent sanctitate pollere, sed etiam omnes inferiores ordines, nam ecclesia Dei destruit laicos esse clericis meliores». Sicut in ministerio regis non accedit aliquis non lotis manibus nisi prius lauet, sic in illo ministerio summi regis nullus debet accedere non lota conscientia. Et sic episcopus uel sacerdos, qui principaliter debet conficere, purget prius conscientiam suam. Etiam 245 diaconus, antequam euangelium legat, debet reconciliari Deo per confessionem et

205-206: Mt. 16, 16-18. | 215-216: I Cor. 4, 1. | 217: cf. I Cor. 4, 2. | 227: cf. Mt. 16, 16. | 229: Io. 1, 49. | 231: Ps. 81, 6. | 239: Lv. 21, 17-18.

211: Ambrosius] *Auctor err.* cf. Gre. Mag., *Reg. Past.*, II, 1-11. PL 77, 25D-50B. | 230: cf. Io. Chrys., *Hom. In Io.*, XXI, 1. PG 59, 128D; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 10, q. 2, a. 2, p. 578. | 234: cf. Pseu. Dio. Aer., *De Eccl. Hier.*, I, 1. PG 3, 371AB. | 240-242: cf. Hier., *Comm. In Ep. Ad Tit.*, II, 12. PL 26, 590BC.

penitentiam petere. Ratio est quia debet circa presbyterum immediate ministrare, reliquias  
 preparare et euangelium legere et recte pronuntiare. Sic fecit Petrus, maxime post  
 missionem spiritus sancti. Et dum in passione Christi per fragilitatem et timorem peccauit,  
 250 de illo peccato continuam et artissimam penitentiam fecit, ut dicit Clemens in Itinerario et  
 sanctus Thomas super Mattheum capitulo nono et super Iohannem capitulo decimo tertio  
 dicens quod quotiens recordabatur de Christi negatione resoluebatur in lacrimas, ita quod  
 genae eius uidebantur aduste et semper sudarium portabat in manu, et surgebat a lecto  
 dum cantum galli audiebat. Quid facimus nos, miseri peccatores, qui totiens peccamus et  
 255 peccando illum negamus et per horam non lacrimamur? Petrus uero per annos triginta  
 septem fleuit semper.

Tertio, prelati debent habere sufficientiam scientie, nam ad prelatos pertinet dubia  
 declarare, maxime ad illum principem prelatorum spectat interpretari uetus et nouum  
 testamentum. Debent prelati alios informare per lectionem uel predicationem; debent  
 hereticos coercere et ad omnia ista requiritur scientie sufficientia. Sic Petrus in missione  
 260 spiritus sancti recepit maiorem intelligentiam quam ceteri, cum esset caput aliorum, et sic  
 dictus “cephas”, quod interpretatur “agnoscens”. Et sic per se et aliis resecatis opinionibus  
 hereticis, scilicet: alii Hieremiam, alii Heliam, etcetera. Ille predicauit ueritatem dicendo: *tu*  
*es Christus filius Dei uiui*. Sic ad instar apostolorum prelati debent esse fundamentum ecclesie,  
 nam Apocalypsis uicesimo primo: *in muro ciuitatis ecclesie erant scripta nomina duodecim*  
 265 *apostolorum*. Et sic dicit Thomas quod primum fundamentum ecclesie, ut rupes, Christus est,  
 sed apostoli sunt lapides in illo fundati, unde Apostolus ad Ephesios secundo: *fundati super*  
*fundamentum apostolorum*, etcetera. Sed cum episcopi succedant apostolis sicut papa Petro, ut  
 dicit Thomas, opusculo decimo octauo et in secunda Corinthiis, et sic prelati, qui est  
 fundamentum et fundator ecclesie, debet tria habere.

270 Primo, constantiam et firmitatem. Exemplo beati Ambrosii episcopi, qui in tribus  
 ostendit maximam constantiam.

Primo: «contra Iustinam imperatricem matrem Valentiniani imperatoris ecclesiam  
 persequentem, ut habetur in Ecclesiastica Historia, libro undecimo.

275 Secundo, in tuitione ecclesie libertatis contra imperatorem, qui basilicam uolebat auferre,  
 ut habetur uicesima tertia, questione octaua, capitulo “Conuenire”.

Tertio, quando Theodosius uenit Mediolanum et ecclesiam intrare uellet, occurrit ei  
 Ambrosius ad ianuam eique aditum prohibuit dicens: “recede, imperator”, etcetera. Et sic  
 imperator gemens et flens ad regalia remeauit, cui dicit Rufinus, magister militum: “quid est  
 hoc, etcetera?” Dicit imperator: “o miser, seruis et mendicantibus aperta sunt templa, mihi  
 280 uero ad ea ingressus non est”. Sic publicam penitentiam imperator egit propter constantiam  
 beati Ambrosii, etcetera. Dum esset Constantinopolim dixit Theodosius: “Ambrosium  
 solum noui uocari pontificem, etcetera”. Propter ista in eius prefatione cantatur: “tanta  
 Ambrosium uirtute constantie solidasti”, etcetera.

285 Et sic patet quod prelati debent habere constantiam et firmitatem, ut non sit mollis ut  
 terra uel arena, nam Christus dicit, Matthei septimo: *qui audit uerba mea et non facit est similis*

262-263: cf. Mt. 16, 16. | 264-265: Apoc. 21, 14. | 266-267: Eph. 2, 20. | 285-286: Mt. 7, 24.

249-250: Clemens] *Nl.* cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, LXXXIX, p. 370; cf. Th. Aq., *Sup. Io.*, XIII, 2, 7, p. 330. | 265:  
 cf. Th. Aq., *Sup. Psal.*, XVII, 11, p. 69. | 268: cf. Th. Aq., *Sup. II Cor.*, I, 1, p. 20. | 272-283: cf. Iac. Var., *Leg.*  
*Aur.*, LVII, pp. 256-258; cf. Cas., *Hist. Tri.*, IX, 30. *PL* 69, 1145A-1146D | 273: cf. Ruf. Aq., *Hist. Eccl.*, II, 15.  
*PL* 21, 523BC. | 275: cf. Gra., *Decr.*, II, 23, 8, 21. *PL* 187, 1254B.

*uiro qui edificauit domum super arenam*, sed qui audit et facit similis est uiro qui edificauit domum super petram. Et sic de prelato constanti et firmo cantat ecclesia: «fundatus enim erat supra firmam petram».

Secundo, debet esse lapideus, non arenosus, ut diximus immediate.

290 Tertio, debet esse lapis cum uirtute. Et sic lapis pretiosus, in quo debent esse predictae tres uirtutes.

Primo, ut habeat uirtutem fidei in se et quod recte cognoscat delinquentes hereticos et corrigat. Vt campsor habet lapidem in manu mediante quo cognoscit monetam ueram et falsam, sic in manu prelati debet esse lapis Christus, in quo cognoscet credentes et non  
295 credentes.

Secundo, debet habere uirtuosam uitam, et si aliquando delinquit, quod immediate peniteat, et sicut fuit exemplum peccandi, sic etiam penitendi.

Tertio, debet pollere scientia in se et, si tantam non habet, saltem habeat doctores consiliarios. Sicut enim fit in concilio generali, sic in concilio prouinciali et in sinodo sui  
300 districti, in quo debet uocare doctos et sapientes, et primo tractare de gubernatione et regimine sue diocesis quam de seruitio pecunie, quod hodie fit econuerso. Et sic debet habere circa se homines doctos, unde Exodi decimo octauo dixit Iethro Mosi: *stulto labore consumeris; elige tibi uiros sapientes, timentes Deum, in quibus sit ueritas, nec sint auari*, etcetera. Hodie non queritur sapiens nec timens Deum nec qui ueritatem dicat. Nullus audet dicere  
305 nisi ea que placent prelato; omnes auari querentes pecunias pro se et pro domino suo, etcetera. Inter istos consiliarios debent unum optimum et summum ante oculos habere, scilicet: Christum, unde Ecclesiastici sexto: *sit tibi consiliarius unus de mille*. Ideo dicebat Dauid, Psalmi decimo quinto: *prouidebam dominum in conspectu meo semper*, etcetera.

Et sic quando consiliarii uotant, uidebit si discrepant a preceptis et consiliis Christi, illos  
310 non audiat. Si autem conformes erunt, illos recipat, et sic gubernando ecclesiam suam, hic habebit gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

302-303: Gn. 18, 18-21. | 307: Sir. 6, 6. | 308: Ps. 15, 8.

287-288: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, in primo nocturno. PL 78, 824D.

## SERMO NONAGESIMVS IN DIE ANGELI CVSTODIS

<THEMA> *Ascendit super cherubin et uolauit*, Psalmi decimo septimo.

5 Sententia est omnium catholicorum, maxime sancti Thome in prima secunde, questione quinta; et in Questionibus De Veritate, questione uicesima, quod homo uel natura humana fuit creata et directa ad finem sic eleuatum et altum, quod ad illum per sua naturalia eleuari non potuit, sed indigebat adiutorio extrinseco. Et sic data fuerunt illi tria iuuamina. Primum a Deo, quod fuit gratia; secundum supra se, scilicet: angelum custodem; tertium in natura sua, scilicet: patrem aut matrem. Exemplum: si aliquis rusticus haberet plures filios et uellet aliquem illorum eleuare in altum statum supra se, scilicet: si uellet eleuare filium in  
10 doctorem uel medicum, ista tria essent necessaria in illo eleuando.

Primo, eligeret filium qui haberet a Deo aliquam gratiam specialem, scilicet: claritatem intellectus uel capacitatem memorie uel aliquid tale.

Secundo, ad illum assignaret magistrum, scilicet: philosophum uel theologum.

15 Tertio, ipse pater et mater ei persuaderent quod semper in sua facultate laboraret, sed quia talis discipulis remaneret in libero arbitrio suo posset proficere uel non, his non obstantibus.

Sic natura humana habuit ista.

Primo, a Deo habuit gratiam.

Secundo, habuit angelum in magistrum et doctorem.

20 Tertio, patrem et matrem persuadentes et sollicitantes, sed quia remanserat in sua libertate, unde Ecclesiastici decimo quinto: *Deus ab initio constituit hominem et reliquit eum in manu consilii sui*, glosa: id est, «in libero arbitrio». Et sic peccauit, et perdendo primo gratiam Dei perdidit alia iuuamenta, scilicet: angelum et parentes, non quod ab eo angelus esset separatus nec pater et mater a persuasione cessarent, sed perdidit angelum frustrando illum  
25 ab operatione sua et etiam parentes. Nam angelus perditam gratiam illi dare non potuit nec parentes, unde Adam post peccatum illam filiis suis dare non potuit. Et sic, quia illam per peccatum superbie perdidit, uoluit Deus quod per humilitatem omnia illa recuperaret, scilicet: mediante infimo adiutorio, scilicet: sue nature. Et non solum mediante patre, sed mediante matre omnia illa recuperaret, scilicet: mediante uirgine Maria. Nam illa mediante  
30 inuenit gratiam perditam et inuenit Deum et hominem et magistrum angelum, unde: *elegit infima mundi ut destrueret fortia queque*, etcetera. Et sic, licet naturaliter mater esset infimum adiutorium, Deus illi contulit quod non solum homines, sed omnes angelos superaret. Vnde sanctus Thomas dicit in opusculo Super Salutationem Virginis quod ante aduentum Marie angeli excellebant in tribus omnes homines, scilicet: in puritate, in gratia et in  
35 familiaritate.

Sed postquam uirgo Maria fuit in mundo, in illis tribus omnes angelos excellit.

Primo, in puritate, quia puritas Marie excellit puritatem angelorum; purior enim fuit uirgo Maria quam aliquis angelorum.

---

2: Ps. 17, 11. | 21-22: Sir. 15, 14. | 30-31: cf. I Cor. 1, 27-28.

3: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 5, a. 6, p. 49; *Qu. De Ver.* (vol. 2), q. 20, a. 1, p. 573. | 22: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Sir., 15, 14. PL 113, 1199C. | 33: cf. Th. Aq., *In Sal. Ang.*, 1112, p. 239.

Si dicis contra: purior et perfectior est natura angelica quam humana, quia ut dicit  
 40 Philosophus octauo Metaphysice: «species sunt sicut numeri, nam sicut numerus superior,  
 cui additur aliqua unitas supra inferiorem est perfectior, sic species». Sed cum natura  
 angelica contineat in se maiorem gradum entitatis, igitur perfectionis et bonitatis, quia: «ens  
 et bonum conuertuntur», igitur, etcetera. Dicendum quod ut dicit sanctus Thomas in  
 45 primo, distinctione decima septima, questione secunda, quarto ad quartum; et distinctione  
 quadragesima quarta, tertio ad tertium: «puritas augetur per recessum a peccato, charitas  
 autem et bonitas per recessum ad terminum», scilicet: ad summum perfectum. Igitur, cum  
 uirgo Maria magis fuerit separata a peccato quam angeli, sequitur quod fuerit purior. Hoc  
 patet, nam angeli habuerunt possibilitatem peccandi in illa morula in qua alii peccauerunt,  
 scilicet: ante confirmationem eorum, quia sicut illi mali peccauerunt, tunc omnes peccare  
 50 potuerunt in aliquo instanti nec tempore, quia sicut ab originali peccato fuit preseruata, sic  
 ante potentiam peccandi fuit confirmata in gratia, igitur, etcetera. Angelus igitur habuit in se  
 defectibilitatem annexam et uirgo nullam.

Quando dicis de numeris quod: “species sunt sicut numeri”, etcetera. Dicendum quod  
 numerus quaternarius superior et sublimior est numero ternario, sed ternarius est purior et  
 55 perfectior illo dupliciter.

Primo, quia nullum imperfectum in se continet. Solum enim constat ex tribus unitatibus  
 significantibus: primum, medium et finem, sed nihil amplius habet in se. Igitur hic numerus  
 est perfectissimus. Ideo Philosophus in primo Celi et Mundi dicit quod: «omne et totum in  
 60 tribus ponimus», et ideo ternarius est multitudo perfecta. Nam quaternarius non habet  
 medium, quia nulla unitas mediat in quaternario, licet sit numerus superior ad ternarium. Et  
 sic, cum in ternario non sit nisi illud quod facit ad perfectionem suam, sequitur quod est  
 purior. Item quia ex illo constat numerus senarius, qui est perfectissimus, ut dicit sanctus  
 Thomas, secunda secunde, questione septuagesima, secundo capitulo, et super epistolam ad  
 Hebreos, capitulo quarto, columna tertia, quia constat ex omnibus suis partibus aliquotis,  
 65 scilicet: ex uno, duobus et tribus; nam unus, duo, tres sunt sex. Sic ex uirgine Maria exiuit  
 ille perfectissimus, scilicet: Christus eius filius. Et sic est uirgo Maria purior angelis, quia  
 sine admixtione possibilitatis peccati, et ex ea Christus, qui in sex diebus, ut Deus:  
 «mundum creauit, sexta etate uenit, sexta feria redemit», etcetera. Exemplum: licet materia  
 corporis humani sit perfectior materia celorum, cum ista informetur forma nobiliori,  
 70 scilicet: anima intellectiua, et hec materia est beatificabilis per redundantiam glorie anime in  
 corpus et materia celi minime, sed materia celi est simplicior et purior ista, cum in se non  
 habeat possibilitatem annexam, sic in proposito est. Vnde Anselmus in libro Cur Deus  
 Homo dicit de uirgine Maria: «deciuit ut uirgo ea puritate miteret, qua maior sub Deo nequit  
 intelligi». Si igitur maior esset puritas angelorum, cum illa sit sub Deo, non uera esset  
 75 dictum Anselmi. Et sic dicit sanctus Thomas in predicto libello quod, cum ante aduentum  
 uirginis angeli essent puriores hominibus, nunquam legimus quod hominibus inclinarentur  
 angeli, immo econuerso, ut patet in Abraham, Loth, etcetera. Sed uirgine adueniente, cum  
 angelus puritatem illius cognosceret, cum humiliatione et reuerentia coram illa dixit: “aue”,  
 etcetera.

---

40-41: cf. Arist. Lat., *Met.*, VIII, 3, 1043b34, p. 162; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 47, a. 2, p. 344. | 42-43: cf. Arist. Lat., *Met.*, IV, 2, 1003b31, p. 61; cf. Th. Aq., *Qu. De Ver.* (vol. 3), q. 21, a. 2, p. 596. | 45-46: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 1), lib. 1, dist. 17, q. 2, a. 4 ad 3, p. 894; (vol. 2), lib. 1, dist. 44, q. 1, a. 3 ad 3, p. 900. | 58-59: cf. Auctor. Arist., *De Cael. Et Mun.*, I, 2 (268a9-24), p. 160; cf. Th. Aq., *Comm. De Cael. Et Mun.*, I, 2, 4, p. 7; *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 70, a. 2, p. 448. | 63: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 70, a. 2, p. 448; *Sup. Hbr.*, IV, 1, p. 220. | 68: cf. Th. Aq., *Cat. Aur.* In Io., XII, 1, p. 494. | 73-74: Ans., *De Conc. Virg.*, XVIII. PL 158, 451A. | 75: cf. Th. Aq., *In Sal. Ang.*, 1112, p. 239.

74: Nequit] M, X ne quid.

80 Secundo, uirgo Maria excellit angelos in gratia, quod patet tripliciter: quia maior gratia uirgini fuit communicata quam angelis. Nam sicut angeli fuerunt in gratia creati, sic uirgo Maria fuit et cum maiori gratia. Secundo, quo ad modum concipiendi, quia angeli illam gratiam perdere potuerunt, non autem uirgo Maria. Tertio, ratione diffusionis. Nam gratia angelorum solum erat in spiritu, cum ipsi fuerint spirituales creature, sed gratia uirginis  
85 Marie non solum in spiritu eius, sed redundauit in carnem, scilicet: in corpus eius, de quo filius Dei erat induendus, ut dicit Thomas in libello predicto. Et non solum in corpus fuit diffusa, sed mediante ea in totum mundum. Et sic angelus dixit illi “gratia plena”, quod nunquam ante alteri fuit dictum.

90 Tertio, excellebat angeli in familiaritate, sed uirgine adueniente ipsa excellit, quod patet: nam illi sunt ministri, hec mater Dei, unde Apostolus ad Hebreos primo dicit de angelis: *omnes sunt administratorii spiritus et in ministerium missi*, etcetera. Sed uirgo fuit mater, unde de Christo dicit Apostolus ibidem: *tanto maior apostolis effectus, quanto differentius pre illis nomen hereditauit, cui enim angelorum aliquando dixit: “filius meus es tu”*, etcetera. Hoc idem possumus dicere de uirgine, cui enim, etcetera. Si uirgo dicitur mater illius, nunquam hoc angelus fuit  
95 concessum nec potuit concedi.

Si dicis: non potuit naturam angelicam assumere? Dicendum quod sic, et sicut nunc dicitur “Deus et homo”, tunc esset “Deus et angelus”. Sed hoc non obstante nullus angelus diceretur “mater Dei”, quia angelus non communicat naturam suam per modum conceptionis et generationis et natiuitatis, quod requiritur ad maternitatem, igitur, etcetera.  
100 Angeli igitur maximam familiaritatem habebant, sed non ut uirgo Maria, quia illi serui, hec mater; illi mittebantur ad homines, sed ipse ad hanc fuit missus, quia incarnatio est missio, ut dicunt doctores; illi ab ipso capiebat beatitudinem et illi libere ad illum intrabant, quod est maximum in palatio regis, sed ipse ad hac uenit, ut ad reginam. Ideo dixit angelus: “dominus tecum”, et non dixit: “tu cum domino”, etcetera.

105 Sicut igitur in his tribus excellebat in mundo, sic propter hec uel secundum hec excellit in celo.

Primo, propter puritatem, nam quanto puriora tanto superiora sunt corpora, ut patet de terra impura in inferiori loco et de celo empireo in superiori parte celorum. Ideo cum uirgo fuerit purior angelis, ad celum empireum iuit, unde dicit: “ascendit”.

110 Secundo, ratione gratie, quia si seraphin, qui sunt supra cherubin, dicuntur superiores, quia ardentis charitate et gratia. Cum uirgo in illa excedat, non solum ascendit, sed “super cherubin”.

115 Tertio, ratione familiaritatis. Illa que hic fuit tam familiaris Christi et filii Dei quod illum in uentre portauit et humanitatem et carnem pro salute totius mundi dedit, et ut illa mediante, mundus gratiam reciperet, non debuit in ordine seraphin remanere, sed ut thesauraria, ut regina, ut peccatorum aduocata debuit ad dexteram filii ascendere.

Et sic non solum dixit: *ascendit super cherubin*, sed: *uolauit*. Ad hanc igitur aduocatam in principio sermonis recurramus dicendo: aue, etcetera.

<THEMA> *Ascendit super cherubin et uolauit*, ubi supra.

91: Hbr. 1, 14. | 92-93: Hbr. 1, 4-5. | 117-119: cf. Ps. 17, 11.

86: cf. Th. Aq., *In Sal. Ang.*, 1117, p. 240.



120 Duo sunt in presenti sermone uidenda. Primum in generali usque ad quem terminum excedit perfectio angelorum, quia thema nostrum primo dicit: “ascendit super cherubin”. Secundo, uidere particulariter de angelo custode qualiter uenit ad nos cum multis suffragiis, quia dicit: “uolauit”.

125 Doctrina est trita omnium theologorum sequendo Magistrum in secundo Sententiarum, quod ad perfectionem uniuersi fuit necessarium quod Deus produceret angelos, nam sine productione illorum mundus non fuisset perfectus, quia ad illius perfectionem requirebatur quod in illo essent omnes creaturas possibles produci. Sed ille erant in triplici differentia, scilicet: pure corporales, pure spirituales et etiam mixte ex corporali et spirituali. Igitur si  
 130 essent corporales ut lapides, etcetera, et mixte ut homo in quo est corpus et spiritus, igitur conueniens fuit quod produceretur alia creatura que esset pure spiritualis: hec est angelus, igitur, etcetera. Non enim erat aliqua repugnantia in creatione istius, quod probatur: nam illud quod est naturale et per se est prius eo quod est per accidens. Sed cum non sit generale animam esse a corpore separatam, sed accidit esse separatam, igitur oportet dare spiritum cui conueniat per se esse a corpore separatum et per se subsistere: hic est angelus,  
 135 igitur, etcetera. Item patet nam perfectum est prius imperfecto et quo ad esse et quo ad operationem. Igitur si aliquis spiritus imperfectus reperitur qui est actus et forma materie, sic quod sine materia per se non habet esse completum, oportet quod prius reperiatur aliquis spiritus qui sit forma completa per se subsistens absque materia, et hic est angelus. Hoc idem patet quo ad operationem, quia modus intelligendi anime est imperfectus et obscurus,  
 140 cum sit cum fantasmate. Igitur oportet prius dare et esse intellectum qui intelligat clare et sine fantasmate, et hic est angelus, unde dicit Damascenus quod: «angelus est speculum clarissimum recipiens in se (si fas est dicere) totam essentiam Dei». Et sic patet quod in principio mundi angeli fuerunt a Deo creati.

Et in hac conclusione non oportet immorari, nam est clara apud omnes, sed est  
 145 discrepantia in numero illorum omnes illi qui fuerunt in statu legis nature, siue illi qui sola ratione naturali uixerunt, ut philosophi posuerunt angelos esse, ut Aristoteles, Plato, etcetera. Etiam illi qui non sola ratione naturali, sed etiam aliqua reuelatione uixerunt, ut patriarche: Abraham, Isaac, Iacob, etcetera. Item omnes illi qui fuerunt in lege scripta, ut Moses et prophete, etcetera. Item omnes qui in lege ueritatis et gratie fuerunt, illos  
 150 posuerunt. Item omnes illi qui fuerunt in secta damnata Machometi, illos posuerunt ut patet in libro primo Alchorani, in azora secunda, alea centesima septuagesima sexta, ubi dicit quod ‘angeli sunt credendi ad salutem hominum’. Item in libro eodem, azora secunda, alea prima dicit quod Deus precepit angelo Gabrieli ut loqueretur ipsi Machometo. Item in libro primo, azora secunda, alea uicesima nona habetur quod angeli dixerunt Deo quod  
 155 ‘non faceret ipsum Adam presidentem in mundo, quia destrueret mundum’. Item ibidem alea tricesima dicit quod ‘angeli didicerunt ab Adam omnia et quod nihil aliud intellexerunt’. Item quod angeli precepto Dei ‘adorauerunt ipsum Adam et, quia Lucifer noluit, ideo fuit damnatus’, ibidem alea tricesima secunda. Item quod angelus temptauit Adam et Euam ibidem alea tricesima quarta. Item in libro primo, azora tertia, alea  
 160 centesima uicesima quarta et centesima uicesima quinta, quod Deus promisit agarenis in quodam prelio ut mitteret illis ‘quinque milia angelos’, et sic fecit, etcetera, igitur patet. Et licet ab omnibus his ponantur angeli, sed in numero illorum est discrepantia, nam: «Aristoteles solum posuit angelos motores celorum secundum numerum spherarum, et primum mobile non plene cognouit», ut dicit sanctus Thomas in duodecimo Metaphysice.

---

124: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 2, 4. PL 192, 655C. | 141-142: Damascenus] *Auctor err.* cf. Pseu. Dio. Aer., *De Div. Nom.*, IV, 22. PG 3, 723B; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 12, a. 4, p. 73. | 152: cf. Q 2, 177. | 152-153: cf. Q 2, 97. | 155: cf. Q 2, 30. | 156-157: cf. Q 2, 32. | 157-158: cf. Q 2, 34. | 159: cf. Q 2, 36. | 161: cf. Q 3, 124-125. | 163-164: cf. Th. Aq., *Comm. In Met.*, XII, 9, 6, p. 503.

165 Plato autem posuit angelos secundum numerum specierum. Patriarche posuerunt multitudinem angelorum, ut patet de Iacob, qui: *uidit scalam usque ad celum et plures angelos ascendentes et descendentes*, ut patet Genesis uicesimo octauo. Item in lege scripta iam ponuntur plures, nam Danihel dicit in capitulo septimo quod: *milia milium ministrabant et decies centena milium assistebant ei*, etcetera. Item agareni posuerunt illos in maximo numero, nam (ut diximus ante) dicunt quod ‘Deus misit quinque milia angelos in auxilium suum’ in quodam prelio in libro primo, azora tertia, alea centesima uicesima quarta et centesima uicesima quinta. Item Auicena ponit illos secundum numerum animarum, nam dicit quod per intelligentias inferiores influuntur spiritus in intellectu nostro. Licet hoc fuerit falsum, sed ex isto sequitur uerum, scilicet: esse magnam angelorum pluralitatem. Sed lex ueritas, scilicet: christianorum, ponit multo maiorem multitudinem illorum, nam Strabus dicit quod «celum empireum mox creatum angelis fuit repletum», sed celum empireum est maioris capacitatis quam totum mundum residuum. Et sic Dionisius, Pauli discipulus, dicit quod angeli excedunt in numero omnia corporalia et ex reuelatione Pauli, eius magistri, posuit ordinem in illis, sic quod distinxit illos in tres hierarchias et in qualibet illarum tres assignauit ordines.

Prima hierarchia est illorum angelorum qui maxime Deo appropinquant, et dicit Egidius in secundo, distinctione nona, quod: «illi sunt angeli collaterales Dei et assistentes ministri». In secunda sunt prepositi operarii. In tertia executores operum. Et licet omnes Deo assistant in quantum Deus est obiectum beatitudinis, unde: *angeli eorum semper uident faciem patris*, etcetera, Matthei decimo octauo. Sed quantum ad actus hierarchicos illi soli dicuntur assistere Deo qui non mittuntur ad nos, et qui immediate uident in Deo decretum Dei secundum quod decreuit gubernare mundum et saluare electos. Et quia hi sunt illi qui per anthonomasiam sunt intimi Dei, ut seraphin uel secretarii Dei, ut cherubin uel familiares Deo, ut throni, merito hi tres ordines assignantur prime hierarchie.

190 In secunda et media hierarchia sunt prepositi operum qui se intromittunt de toto opere, quod non potest esse nisi tripliciter: uel que sunt agenda imperando, quod competit primo ordini huius hierarchie, scilicet: dominationibus, uel corporalia gubernando, quod competit secundo ordini, scilicet: uirtutibus, uel spiritualibus, principando quod conuenit potestatibus. Ideo hi tres ordines assignantur secunde hierarchie.

195 Sed forte dices: si uirtutes presunt corporalibus et potestates spiritualibus, cum spiritualia sint priora corporalibus, sic potestas erunt supra uirtutes. Dicendum quod licet preesse spiritualibus simpliciter sit maius quam preesse corporalibus, tamen quia uirtutes presunt corporalibus, ut etiam possint obuiare legibus nature, in quo ualde participant quid diuinum qui indidit leges illas. In his enim que nature sunt naturale est angelus iuuare se per naturalia coniungendo actiua passiuus et «adhibendo semina», ut patet per Augustinum nono super Genesim et tertio De Trinitate. Sed posse obuiare legibus nature est ualde magnum, et sic magnum officium contulit uirtutibus Deus, ut patet in miraculis, etcetera. Sed potestates presunt spiritibus bonis inferioribus se, quod eis competit quasi ex natura, quia naturale est quod superiora presint inferioribus. Presunt enim potestates spiritibus malis etiam superioribus se secundum naturam. Nam licet tales sint nobiliores, secundum naturam, ratione culpe facti sunt tamen inferiores quibuscumque spiritibus beatis, propter

166-167: Gn. 28, 12. | 168-169: Dn. 7, 10. | 184-185: Mt. 18, 10.

170: cf. Q 3, 124-125. | 172: cf. Avi., *Met.*, IX, 4, p. 932. | 176: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Gn., 1, 2. PL 113, 69C. | 177: cf. Pseu. Dio. Aer., *De Coel. Hier.*, VI, 2. PG 3, 199D-202A. | 182: cf. Aeg. Rom., *In Lib. Sent.*, par. 1, lib. 2, dist. 9, q. 2, a. 1, p. 442. | 200: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, III, 8, 13. PL 42, 875D; *De Gn. Ad Lit.*, IX, 3, 5. PL 34, 395BC; cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 115, a. 2, p. 789.

188: Anthonomasiam] M anthonomam.

quod non est magnum preesse talibus. Igitur in secunda hierarchia dominationes constituunt primum ordinem, uirtutes secundum et potestates tertium.

210 Tertia autem hierarchia continet tres ordines, scilicet: principatus, archangelos et angelos, nam immediate post eos qui se intromittunt de toto uniuerso, quasi prepositi sunt illi qui sunt executores. Et hoc potest esse tripliciter.

215 Primo, illi qui presunt populis et gentibus sunt superiores, qui dicuntur “principatus”. Ideo isti immediate se habent ad secundam hierarchiam. Alii sunt qui nuntiant maiora personis omnibus, et isti sunt archangeli, qui secundum ordinem huius tertie hierarchie constituunt. Alii sunt deputati ad singulares personas, ut sunt angeli, ideo dicit Hugo, quinto capitulo Super Angelicam Hierarchiam, quod: «angeli sunt nuntii, archangeli principales nuntii Dei, quoniam illi minora, isti uero maiora nuntiant».

220 Ideo circa homines primi «sunt angeli qui deputantur singulis animabus», ut dicit Hieronymus super Mattheum. Item hoc idem dicit Gregorius dicens quod: «angeli sunt qui minima nuntiant», etcetera.

Secundus ordo est archangelorum ascendendo, qui mittuntur ad aliquam personarum commune pro arduo negotio, sicut archangelus Gabriel missus fuit ad uirginem Mariam, etcetera.

Tertius ordo est principatum, qui presunt regnis et prouinciis et gentibus, etcetera.

225 Quartus est potestatum, qui presunt spiritibus totius mundi impetrando angelis bonis et resistendo malis.

Quintus uirtutum, qui presunt corporalibus, scilicet: mouendo celos, preparando elementa et disponendo miracula, etcetera.

Sextus dominationum, qui omnibus imperant circa regimen mundi generaliter.

230 Septimo, sunt throni qui sunt communes familiares Dei et circa ipsum uersantes.

Octauo, sunt cherubin, qui sunt secretarii Dei.

Nono, sunt seraphin, qui sunt persone priuate et intimi Dei et quasi in ipsum transformati.

235 Et sic opus esse nouem ordines et non potest terminari in cherubin, quod patet tripliciter.

240 Primo, auctoritate prophete Hiezechielis capitulo uicesimo octauo, ubi loquitur de Lucifero. Dicitur quod: *omnis lapis pretiosus erat cooperimentum eius*, et narrat nouem genera lapidum, ubi secundum Isidorum, intelliguntur nouem ordines angelorum. Qui omnes lapides operimentum erant Luciferi, quia ipse omnibus aliis clarior existebat. De omnibus his fit mentio in sacra scriptura, nam de seraphin Isaie sexto pluries; de cherubin habetur Genesis tertio et Hiezechielis decimo: *collocauit ante paradisum cherubin*, etcetera, quia Adam

---

237: Ez. 28, 13. | 240: cf. Is. 6, 2. | 241: cf. Gn. 3, 24; Ez. 10, 3.

216-217: Hug. Vic., *Exp. In Hie. Coel.*, V. PL 175, 1019C. | 218: cf. Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, III, 18, 10-11. PL 26, 130B; cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 1), I<sup>3</sup>, q. 113, a. 2, p. 774. | 219-220: Gre. Mag., *Hom.*, II, 34, 8. PL 76, 1250CD. | 238: cf. Isid., *Sent.*, I, 10, 15. PL 83, 556B.

peccauerat per inordinatum appetitum scientie, etcetera. Item tertio de thronis habetur ad Colossenses primo. Item dominationes principatus et potestates. Item nominat ad Ephesios primo uirtutes. Item in epistola Iude fit mentio de archangelo et ad Thessalonicenses quarto similiter. Ultimo, de angelis fit mentio in tota scriptura sacra, et sic sunt nouem.

Secundo, hoc ostenditur exemplo regum uel curie regum uel domus illorum, nam illi qui sunt in domo regia sunt in triplici differentia, quia omnes sunt domestici et familiares, ut throni. Sed hoc non sufficit ad domum regiam, sed opus quod alii sint consiliari uel secretarii regis, qui sunt sublimiores istis. Sic sunt cherubin et hoc non sufficit, sed opus quod sint alii multum intimi regis in amore et quasi in ipsum transformati, ut sunt priuati uel filii illius. Et isti sunt seraphin, id est, ardentes charitate et amore, etcetera.

Tertio, hoc patet ratione. In anima nostra sunt tria, sicut tres hierarchie.

Primo, in superiori parte anime, in qua sunt intellectus, uoluntas et memoria. Et sic iste potentie sunt propinquiores anime, sic prima hierarchia.

Secundo, in parte sensitua interiori sunt tria: fantasia, imaginatio et sensus communis, sic in media hierarchia.

Tertio, in parte sensitua exteriori sunt tria excellentia. Primo, uisus; secundo, auditus; tertio, tactus. Et licet sint quinque sensus, quasi ad ista tria reducuntur, nam: «gustus est quidam tactus», ut dicit Philosophus, secundo De Anima. Item odoratus reducitur ad auditum ratione distantie, nam ex illa distantia qua odoramus, ut plurimum audimus, etcetera. Quia sicut homo dicitur “microcosmos”, id est, “minor mundus”, secundum Aristotelem octauo Physicorum, sic in proposito.

Primo, igitur est sensus tactus, qui uersatur circa aliquod particulare et coniunctum, sicut gustus. Et sic est natura angelica in primo ordine, quia angelus circa aliquam determinatam personam et singularem.

Secundo, est sensus auditus, qui uersatur in aliquo loco uel ciuitate, in qua auditur obiectum suum, sicut etiam odoratus. Sic est de archangelis, qui circa aliquam ciuitatem uel personam communem uersantur, et hoc de ultima hierarchia.

Tertio, est sensus uisus, qui est uniuersalior et iudicat magis remota usque ad celum. Ideo dicit Philosophus quod: «plures rerum differentias nobis ostendit». Et sic est de principatibus qui circa aliquam prouinciam uel monarchiam uersatur. Secundo, sunt prepositi operum ad gubernationem mundi, sicut sensus interiores in corpore.

Primo, est sensus communis, qui est fixus, ut centrum respectu quinque sensuum exteriorum, et iudicat de omnibus quinque inferioribus. Nam isti sunt fixi et alii quinque ordines mittuntur ad regimen uniuersi, ut dicit Thomas in prima parte, questione centesima decima secunda, quarto capitulo; et in secundo, distinctione decima, tertio, obiectione, ubi dicit quod dominationes non assistunt nec mittuntur, sed ministrant imperatiue, et dicit

---

243: cf. Col. 1, 16. | 244: cf. Eph. 1, 21. | Iud. 1, 9. | 245: cf. I Th. 4, 16.

259-260: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, II, 97, (421a18-22), p. 182; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 78, a. 3 ad 4, p. 547. | 263: cf. Arist. Lat., *Phys.*, VIII, 2, 252b26, p. 285; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 2, a. 8, p. 22. | 271: cf. Arist. Lat., *Met.*, I, 1, 980a27, p. 7. | 276: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 112, a. 4, p. 772; *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 10, q. 1, a. 3, p. 500.

280 quod solis quinque ordinibus inferioribus a dominationibus conuenit mitti in ministerium, etcetera.

Secundo, est imaginatiua, que dicitur a philosophis “thesaurus formarum”. Sic uirtutes supra corpora, in que forme reconduntur.

285 Tertio, est fantasia que componit imagines cum imaginibus uel componere diuersas formas. Sic potestates faciunt resistendo malis spiritibus et imperando bonis. Et sic quartus ordo est dominationum, quintus uirtutum, sextus potestatum. Restat de tertia et superiori hierarchia, in qua opus esse tres alios ordines, sicut in superiori parte anime sunt tres potentie, scilicet: intellectus, uoluntas et memoria. Nam prima hierarchia, que est circa Deum, semper contemplatur intime ipsum. Et quia tres sunt actus contemplationis uel fruitionis, scilicet: tentio sempiterna et apprehensio firma; secundus est clare uidere; tertius est perfecte amare. Secundum primum perficitur memoria; secundum secundum perficitur intellectus; secundum tertium perficitur uoluntas. Septimus igitur ordo est penes memoriam, in qua conseruantur et quiescunt species. Sic sunt throni in quibus Deus sedet et quiescit. Octauus est cherubin, qui dicitur a plenitudine scientie, scilicet: ab actu uidendi clare ex parte intellectus. Igitur, cum sit alia potentia superior, scilicet: uoluntas, qua amamus et fruimur, secundum hac dicitur seraphin, qui est nonus ordo. Igitur non sistit perfectio angelorum in cherubin, sed ascendit ad seraphin.

290

295

Et sic, si queris: usque ad quem terminum progreditur perfectio et status uel ordo angelorum? Dicitur cum themate quod: *ascendit super cherubin*. Quo ad primam partem sermonis.

300 Secunda pars principalis est particulariter uidere de angelo custode, qui in auxilium nostrum a Deo ad nos uolauit, etcetera. Pro cuius introductione notandum quod illa angelorum multitudo in principio sue creationis inter se fuit diuisa. Nam primus omnium angelorum eleuauit se contra Deum per superbiam, ut dicit Thomas prima parte, questione sexagesima tertia, articulo septimo et octauo. Et iste supremus seraphin persuasit aliis angelis multis. Et sic multi illum sequendo, de quolibet ordine multi peccauerunt, prima, questione sexagesima tertia, octauo et articulo nono; et secundo, distinctione sexta, secundo, obiectione. Et sic facta fuit inter bonos et malos pugna maxima: boni sequebantur uoluntatem Dei; mali uero uoluntatem primi seraphin. De quo prelio habetur Apocalypsis duodecimo: *factum est prelium magnum in celo, Michabel et angeli eius*, etcetera. Et sic proiecti fuerunt in aere tenebrosus mali et boni remanserunt in celo et cuilibet anime, sicut bonus angelus deputatur ad custodiam, sic alius malus ad exercitium, ut dicit Thomas, secundo, distinctione undecima, questione secunda, quinto capitulo. Et similiter cuilibet prouincie assignantur duo angelis: unus bonus, alter malus. Ibidem pugnant isti angeli inter se ut sit in aliquo castro ab inimicis, et sic immittunt cogitationes oppositas. Per corpora assumpta possunt sensus et intellectum illuminare, sicut magister discipulum, sed sine corporalibus non possunt agere nisi confortando intellectum et illustrando fantasmata, ut dicit Thomas Quodlibet octauo uel nono, questione quarta, quinto capitulo. Sed boni angeli possunt imprimere in intellectu nostro, non autem mali, secundo, distinctione octaua, quinto, sexto, septimo; et prima secunde, questione octogesima, secundo capitulo; Contra Gentiles, tertio,

305

310

315

---

298: cf. Ps. 17, 11. | 309: Apc. 12, 7.

303: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 63, a. 7-8, pp. 444-446. | 305-307: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 63, a. 8-9, pp. 445-447; *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 6, q. 1, a. 2, p. 310. | 311: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2 dist. 11 q. 2 a. 5, p. 562. | 316-317: cf. Th. Aq., *Qu. Quodl.* (vol. 10), IX, q. 4, a. 5, p. 318. | 318-322: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 8, q.1, a. 5sq, p. 410sq; *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 80, a. 2, p. 526; *Con. Gent.* (vol. 14), lib. 3, c. 154, p. 449; *Qu. De Ver.* (vol. 1), q. 5, a. 10, p. 170; *Qu. De Mal.*, q. 3, a. 4, pp. 74-75; q. 16, a. 11, p. 329.

320 capitulo centesimo quinquagesimo quarto; De Veritate, questione quinta, decimo capitulo;  
et Questiones De Malo, questione tertia, quarto capitulo, et questione decima sexta,  
undecimo, obiectione. Hoc est uerum confortando, non autem imprimendo lumen. Demon  
facit hoc mouendo humores, sed angelus sedando et quietando. Exemplum: imago hominis  
uidetur in aqua, sed si aqua mouetur, non recte uidetur; si quietatur, rectius uidebitur,  
325 etcetera. Angeli boni orant pro nobis et orationes presentant Deo. Exemplum: sicut illi qui  
presentant supplicationes regi et etiam orant pro illis qui tales supplicationes mittunt regi.  
Vnde: habent angeli ut orent pro nobis? Dicendum quod a tribus.

Primo, propter diuinum preceptum, unde: *angelis suis Deus mandabit de te ut custodiant te*,  
etcetera, Psalmi nonagesimo.

330 Secundo, hoc faciunt propter sui reparationem et propter premium accidentale eorum.

Tertio, hoc faciunt propter charitatem quam habent erga nos, nam sunt concius.  
Figura: in templo Salomonis erant duo angeli, tertio Regum sexto, et erant de ligno oliue et  
habebant alas extensas ostendendo quod ex charitate, que per oliuam significatur, uolant ad  
nos protegendo et auxiliando. Et si illi erga nos habent charitatem, similiter nos debemus  
335 habere mutuam charitatem, maxime circa angelum custodem, qui habet curam specialem.  
Non solum dico de angelo personali, sed de angelo prouinciali huius regni et ciuitatis.

Si dicis: illum cognoscere non possumus, quomodo igitur diligemus? Quia ut dicit  
Augustinus: «ignota amare non possumus». Dicendum quod determinate non potest  
cognosci quis est, nisi ex reuelatione. Sed sicut confuse cognoscimus, sic etiam amare  
340 possumus. Exemplum: si esset aliquis curialis Rome qui multa per me fecerit, licet illum  
non cognoscam, sed ex effectibus illum cognosco, et sic debeo ad illum mittere litteras et  
munera, sic in proposito. Ideo certitudinaliter sciri non potest, sed per coniecturas  
credendum est quod est ipse Michahel aut alius qui est sub imperio suo et inferior eo. Nam  
angelus custos huius ciuitatis uel regni, aut est de numero archangelorum aut principatum,  
345 quia angeli inferiores, ut diximus, solum de personis singularibus habent curam. Et sic  
Michahel aut est de numero archangelorum aut principatum. Nam Thomas non se  
determinat de quo istorum sit, sed sub dubio relinquit illud in prima, questione centesima  
decima quarta, tertio capitulo, quia Danihel decimo dicitur “princeps”, ubi habetur: *Michahel*  
*unus de principibus*, etcetera. Item Danihelis duodecimo dicitur: *consurget Michahel princeps*  
350 *magnus*, etcetera. Sed dicitur “archangelus” in epistola Iude, quando dicitur: *cum Michahel*  
*archangelus disputaret cum diabolo de corpore Mosi*, etcetera. Sed creditur quod fuerit Michahel,  
nam sicut ante fuit princeps synagoge, ut dicunt doctores, nunc post Christi passionem est  
princeps ecclesie. Sed prima ecclesia in Hispania fuit hec beate uirginis Marie a sancto  
Iacobo facta et precepto uirginis Marie, igitur. Item in captione huius ciuitatis Cesaraguste  
355 uisus fuit Michahel inter fluuium Huerue et castrum, qui olim fuit iudeorum, in qua parte  
erant in obsidione Nauarri, in quo loco fuit fundata ecclesia sancti Michahelis, que etiam  
permanet. Et isto anno mille quadringenti nonaginta octo fuit destructa turris antiquissima  
que tunc fuit facta. Item ostendit hoc parrochia principalis huius ciuitatis, que est sancti  
Michahelis in sede. Item capella que est in domo rectorum ciuitatis, que est sub inuocatione  
360 sancti Michahelis archangeli, etcetera. Igitur hodie ciuitas uniuersalis uenit ad hunc  
principem triplici ex causa.

328: Ps. 90, 11. | 332: cf. III Rg. 6, 23. | 348-349: Dn. 10, 13. | 349-350: Dn. 12, 1. | 350-351: Iud. 1, 9.

338: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, X, 1, 2. PL 42, 973A. | 346: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 114, a. 3, p. 783.

328: Mandabit] M, X mandauit. | 348: Decimo] M, X nono. | 355: Huerue] M Orbe.

## Sermo XC

Prima est ne uideamur ingrati de tantis beneficiis receptis eo mediante. Ideo uenimus omnes ad gratias reddendum.

365 Secundo, uenimus ad exorandum ut eo mediante impetremus sanitatem serenissime regine Isabelle. Nam postquam ipse est princeps christianitatis, debet pro ista principe christianissima intercedere, etcetera.

Tertio, uenimus ut ipse tamquam custos huius ciuitatis et regni illuminet mentes serenissimorum regum, ut in hac curia, in qua de reformatione legum agitur, sic leges condantur et reparentur, quod sint ad exaltationem fidei et ad iustitiam exercendam.

370 Et quod sint leges tales quod illi illas constituendo et nos illas seruando, omnes hic habeamus et recipiamus gratiam et in futuro gloriam, ad quam nos perducatur, etcetera. Amen.

SERMO NONAGESIMVS PRIMVS IN DIE IVSTE ET RVFINE IN QVO ECCLESIA  
CESARAGVSTANA FACTA FVIT METROPOLIS CORAM SERENISSIMO REGE FERDINANDO

<THEMA> *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei*, Psalmi octogesimo sexto.

5 Sententia est doctorum, maxime deuoti Bernardi in sermone tertio Super Salue Regina,  
quod uirgo Maria non solum dicitur ciuitas, sed Dei et gloriosa de ea dicuntur et narrantur.  
Quod sit ciuitas patet tripliciter secundum triplicem acceptionem ciuitatis.

Primo, ciuitas fuit dicta multitudo habitantium sub aliquo muro, et hoc in lege nature,  
unde Genesis undecimo: *faciamus nobis ciuitatem*, etcetera, quod de Babilonia dicitur.

10 Secundo, in lege scripta fuit dicta ciuitas non solum talis, sed que habitaretur pacifice,  
unde Isidorus: «ciuitas est concors hominum multitudo societatis uinculo adunata».

Tertio, in lege gratie dicta fuit ciuitas in qua erat sita cathedra pontificis.

His tribus modis dicitur uirgo Maria ciuitas.

15 Primo, in qua fuerunt multi habitantes ut uirtutes gratie, etcetera, unde: *sicut letantium  
omnium habitatio est in te*, Psalmi octogesimo sexto. Fuerunt ista sub muro, ideo Isaie  
uicesimo sexto: *urbs fortitudinis Sion, saluator ponetur in ea murus et antemurale*, etcetera. Vnde  
murus Ade fuit terre et sic murus aliarum creaturarum. Nam fuit ruptus per modicam  
temptationem, sed murus in Maria fuit ipsemet saluator. Item Maria habuit antemurale et  
nulla alia pura creatura illud habuit. Nam antemurale ponitur ad hoc ut inimici non possint  
20 ad murum accedere. Sic fuit in uirgine, nam antemurale fuit preservationis a peccato. Et sic  
nunquam inimicus ad eam potuit accedere, ut murum rumpet, nec aliquis potuit illam  
concupiscere.

25 Secundo, Maria uirgo dicitur ciuitas propter secundum respectum, quia ciuitas quasi  
ciuium unitas. Sic in uirgine nulla fuit rebellio carnis nec fomes peccati, de quo Apostolus  
dicebat: *caro concupiscit aduersus spiritum et spiritus aduersus carnem*, ad Galatas quinto, sed omnia  
fuerunt peccata. Ratio est quia in ea erat uenturus *princeps pacis*, ut dicit Isaias capitulo nono.  
Vnde: *ecce in pace factus est locus eius et habitatio eius in Sion*, Psalmi septuagesimo quinto.

30 Tertio, dicitur ciuitas ratione sedis summi sacerdotis, nam in uirgine fuit sedes Christi  
summi sacerdotis et pontificis, unde Apostolus ad Hebreos quarto: *habentes pontificem*,  
etcetera, *qui penetravit celos Iesum*, etcetera. Solus ille fuit summus, quia pontifices ueteris  
testamenti figurabant illum et noui facti ab illo. Item ille solus factus fuit pons ad gloriam  
paradisi. Item ille est eternus, alii temporales, unde Apostolus ad Hebreos septimo: *plures  
facti sunt sacerdotes secundum legem*, etcetera. Sed hic in eternum, unde Psalmi centesimo nono:  
*sacerdos in eternum*, etcetera. Et sic hic sacerdos posuit thronum suum in Maria, unde Psalmi  
35 octogesimo octauo: *thronus eius sicut dies celi*; et: *thronus eius sicut sol*. Figura tertio Regum  
decimo de throno Salomonis de ebore, etcetera, de quo Apostolus ad Hebreos quarto:  
*adeamus cum fiducia ad thronum gratie eius*, etcetera.

Secundo, Maria fuit ciuitas Dei tripliciter, quia a Deo fundata, a Deo ampliata et a Deo  
possessa.

---

3: Ps. 86, 3. | 8: Gn. 11, 4. | 13-14: Ps. 86, 7. | 15: Is. 26, 1. | 24: Gal. 5, 17. | 25: Is. 9, 6. | 26: Ps. 75, 3. |  
28-29: Hbr. 4, 14. | 31-32: Hbr. 7, 23. | 33: Ps. 109, 4. | 34: Ps. 88, 30-38. | 35: cf. III Rg. 10, 18. | 36: Hbr.  
4, 16.

5: cf. Pseu. Bern. Cl., *In Anti. Sal. Reg.*, III, 2. PL 184, 1069B. | 10: Isid., *Etym.*, XV, 2, 1. PL 82, 536B.



40 Primo, fuit a Deo mirabiliter fundata, nam licet alii fuissent a Deo, sed Maria uirgo specialiter a Deo, quia pater dedit ei potentiam Christum concipiendi, filius sapientiam, spiritus sanctus gratiam. Et sic sicut Salem dicta fuit Hierusalem, Salem quia ab eo edificata, et Alexandria ab Alexandro Magno et hec ciuitas a Cesare Augusto, etcetera, sic Maria ciuitas Dei, quia a Deo edificata.

45 Secundo, dicitur Dei, quia a Deo ampliata sicut Salem quando fuit ampliata et sanctificata per Salomonem ponendo in ea templum dicta fuit Hierosolyma. Sic uirgo Maria quando fuit a Deo ampliata et sanctificata in filii Dei conceptione, quando habuit maximam prerogatiuam inter puras creaturas et tunc fuit ualde sanctificata, unde Ecclesiastici uicesimo quarto: *et in ciuitate sanctificata similiter requieui*, etcetera. Et tunc uerus Salomon posuit in ea templum, quia: «Maria est templum domini, sacrarium spiritus sancti», ut cantat  
50 ecclesia.

Tertio, dicitur ciuitas Dei, quia a Deo possessa et nunquam ab inimico ut alie pure creature, nam sicut Christus dixit: *uenit enim princeps huius mundi et in me non habet quicquam*, Iohannis decimo quarto. Sic nec in uirgine Maria nihil habuit demon, unde dicit Canticorum secundo: *dilectus meus mihi et ego illi*. Ideo in canticis totiens eam uocat suam  
55 dicendo: *soror mea, columba mea, formosa mea*, etcetera. Vnde sicut filius fuit totus solus matris, sic mater tota fuit filii, nam etiam uirum non habuit, etcetera.

Tertio, de ista ciuitate dicta fuerunt multa gloriosa, maxime tria pro nunc. Primo, ad principem fundatorem; secundo, quo ad modum fundandi; tertio, quo ad fertilitatem ciuitatis. Que tria faciunt aliquam ciuitatem gloriosam.

60 Primo, quo ad principem dupliciter, scilicet: si a magno principe fundatur, ut Alexandria a Magno Alexandro et Cesaragusta a Cesare Augusto. Alio modo si ex ea exeat dux magnus, unde Michee quinto dicitur: *et tu Betleem effrata nequaquam minima es in*, etcetera, *ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israhel*. Igitur Maria hanc gloriam habuit, que non solum fuit fundata a Deo, ut diximus, sed de ea exiuit magnus princeps filius Dei. Et non  
65 solum exiuit, sed qui illam creauerat natus fuit in ea, quod nunquam de aliqua ciuitate dictum fuit. Vnde: *qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*, Ecclesiastici uicesimo quarto. Item in Psalmo octogesimo sexto: *homo natus est in ea et ipse fundauit eam altissimus*. Et sic ille idem qui fundauit eam natus fuit in ea. Sed fundauit eam altissimus, id est, Deus, et natus fuit in ea homo, et sic ille fuit uerus Deus et homo, et fundauit et creauit eam ut Deus et  
70 natus fuit in ea ut homo.

Secundo, dicitur aliqua ciuitas gloriosa quo ad modum foundationis et ad situm, ut patet de Venetiis quo ad situm, scilicet: in fundamentis et portis, etcetera. Sic Maria uirgo, ideo dicitur in eodem Psalmo: *fundamenta eius in montibus sanctis, diligit dominus portas Sion super omnia tabernacula*, etcetera. Vnde uirgo Maria fuit fundata in montibus sanctis quo ad corpus,  
75 scilicet: «in patriarchis et regibus et ducibus», ut patet Matthei primo: *liber generationis Iesu Christi filii Dauid*, etcetera. Item fuit fundata in tribus montibus quo ad animam, ut patet de Hierusalem, unde in Psalmo quadragesimo septimo: *fundatur exaltatione mons Sion latera aquilonis ciuitas regis magni*. Et sic Hierusalem erat fundata in tribus montibus, scilicet: in Sion, in Moria et Oliueti, et usque ad planiciem uel fundum uallis Iosaphat, sic Maria.

---

48: Sir. 24, 15. | 52: Io. 14, 30. | 54: Ct. 2, 16. | 55: cf. Ct. 2, 10; 5, 2. | 62-63: Mi. 5, 2. | 66: Sir. 24, 12. | 67: Ps. 86, 5. | 73-74: Ps. 86, 1-2. | 75-76: Mt. 1, 1. | 77-78: Ps. 47, 3.

49: cf. Bed., *Hom.*, LXXI. PL 94, 453A. | 75: cf. Bed., *Exp. In Ev. Mt.*, I, 1. PL 92, 11B.

55: Solus] M solius.

80 Primo, in Sion per fidem, in quo monte est cenaculum, in quo apostoli symbolum compilauerunt.

Ad latus aquilonis est mons Moria qui significat uirginitatem, quia ad partem frigidam. Item descendebat ad uallem et profunditatem quod significabat eius humilitatem, nam «uirginitate placuit, sed humilitate concepit». Et sic descendendo usque ad profundum  
85 ueniebat torrens Cedron usque ad eius murum. Sic propter descensum humilitatis uirginis uenit ad eam torrens diuinitatis, scilicet: uerbum Dei.

Item sicut Hierusalem habebat ante se montem Oliueti uel oliuarum, sic uirgo habebat ante se misericordiam que per oleum in scriptura significatur ut nunquam obliuisceretur querentes se, unde Bernardus: «quis misericordie tue, o uirgo beata, longitudinem,  
90 latitudinem», etcetera. Item quo ad portas, unde dicitur: *diligit dominus portas Sion*, etcetera, Psalmi octogesimo sexto. Porte huius ciuitatis exteriores fuerunt quinque sensus corporei et fuerunt in uirgine pulchriores quam in aliqua creaturarum. Porte uero interiores, ut sunt in ciuitate, fuerunt in uirgine Maria tres, scilicet: intellectus, uoluntas et memoria. Porta memorie, in qua conseruantur species, fuit in uirgine pulchra et singularis, unde Luce  
95 secundo: *Maria uero conseruabat omnia uerba hec conferens in corde suo*, etcetera. Item de intellectu ibi: *cogitabat qualis esset ista salutatio*, Luce primo, de uoluntate quo ad consensum: *ecce ancilla domini, fiat*, etcetera, Luce primo.

Tertio, dicuntur de ea gloriosa quo ad fertilitatem et ubertatem, nam ciuitas que ubertatem non habet non potest esse gloriosa, quia si in se fertilis non est, saltim situatur  
100 circa mare uel circa fluuium magnum, ut per illum possit habere necessaria, sic uirgo Maria.

Primo, fuit fertilis quo ad aquam fluminis gratie, unde Psalmi quadragesimo quinto: *fluminis impetus letificat ciuitatem Dei*. Et sic prima fertilitas fuit ex aqua gratie.

Secundo, ex pane, mediante isto fluuio gratie portauit panem uiuum hominum et angelorum mundo, de qua dicitur Prouerbiorum ultimo: *facta uelut nauis institoris de longe  
105 portans panem suum*, scilicet: de celo in mundum. De quo ipse dicit, Iohannis sexto: *hic est panis uiuus, qui de celo descendit*, etcetera.

Tertio, dicta fuerunt gloriosa de ea quo ad alia uictualia necessaria, maxime quo ad oleum. Vnde: *a fructu frumenti uini et olei*, Psalmi quarto. Sic in uirgine Maria fuit oleum misericordie pro toto mundo. Ideo dicit Bernardus: «totius boni plenitudinem contulit in  
110 Maria, ut si quid gratie, si quid uirtutis uel spei in nobis est, totum ab ea nouerimus redundare». Igitur si: *uita ista est militia super terram*, ut dicit Iob septimo capitulo, et nos sumus famelici et inermes gratie, et quando sunt aliqui famelici tendunt ad patriam opulentam, quando in pugna ad ciuitatem fortem. Sic igitur nos in hac pugna uitiorum demonum ad hanc gloriosam ciuitatem in principio sermonis recurramus dicendo humili  
115 mente et pia: aue dulcissima Maria, etcetera.

<THEMA> *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas sancta, ubi prius.*

---

90: Ps. 86, 2. | 95: Lc. 2, 19. | 96: Lc. 1, 29. | 96-97: Lc. 1, 38. | 102: Ps. 45, 5. | 104-105: Prv. 31, 14. | 105-106: Io. 6, 50. | 108: Ps. 4, 8. | 111: Iob. 7, 1. | 116: cf. Ps. 86, 3.

84: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, I, 5. PL 183, 59B. | 89-90: cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429A. | 109-111: Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 6. PL 183, 441AB.

101: Quadragesimo quinto] M, X octogesimo sexto. | 113: Opulentam] M, X Opulentem.

Conclusio est in sacra scriptura quod ecclesia dicitur “ciuitas”, tam in ueteri quam in nouo testamento. In ueteri, Psalmi quadragesimo septimo: *magnus dominus et laudabilis nimis in ciuitate Dei*, etcetera, id est, in ecclesia. Item in nouo, Apocalypsis uicesimo primo: *uidi ciuitatem sanctam*, id est, ecclesiam. Quod ecclesia dicatur “ciuitas” ratione assignat sanctus Thomas super Psalmum quadragesimo quinto, dicit quod: «ecclesia est ciuitas, quia est multitudo liberorum per se sufficiens et unita». Notandum etiam quod ecclesia sumitur dupliciter, scilicet: pro ecclesia uniuersali, que est congregatio omnium fidelium, et sic sumit ecclesiam Apostolus cum dixit: *uiri diligite uxores uestras, sicut Christus dilexit ecclesiam*. Et quod  
 125 Christus est caput ecclesie et pro ecclesia particulari alio modo, ut dicit prima Corinthiis primo: *Paulus apostolus Iesu Christi*, etcetera, *ecclesia Corinthii*. Item Petrus, prima Petri quinto: *salutat uos ecclesia, que est in Babilonie*, etcetera. Et sic sumitur ecclesia, uicesima quarta, questione prima, “Loquitur”. Et isto modo loquendum est de ecclesia, scilicet: particulari, in presenti sermone, scilicet: de ecclesia Cesaragustana, de qua sumpta sunt uerba thematis:  
 130 *gloriosa dicta sunt*, etcetera.

Tractabitur autem hec conclusio quod inter omnes et super omnes ecclesias Hispanie gloriosa dicta sunt de ciuitate Cesaragusta. Sed pro declaratione eius est supponendum quoddam dictum Casiodori super Psalmos dicens quod: «ecclesia a Christo fundatur, martyrum sanguine irrigatur et confessorum doctrina illustratur».

Fundatio autem ecclesie uniuersalis fuit a Christo, ideo fuit ante per prophetas promissus lapis, unde Isaie uicesimo octauo: *ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem probatum pretiosum, qui crediderit*, etcetera. Hic lapis fuit Christus *scissus de monte sine manibus*, unde Apostolus, prima Corinthiis decimo: *petra autem erat Christus*. Habuit quattuor angulos, tres ad diuinitatem pertinentes, scilicet: patrem, filium et spiritum sanctum, unde  
 140 Iohannis decimo quarto: *pater in me et ego in patrem*, et ubi pater et filius illic spiritus sanctus. Et sic cum opera trinitatis quo ad extra sint indiuisa, talis fundatio facta fuit a tota trinitate, licet filio approprietur, qui fuit incarnatus ad predicandum, patiendum, etcetera. Et sic tres angeli fuerunt tres persone; quartus uero angelus fuit humanitas in Christo. De ista fundatione loquebatur Apostolus illis de ciuitate Corinthiorum, qui dicebant: *ego sum Pauli*,  
 145 *ego sum Cephe*, etcetera. Dicit ipse: *fundamentum enim aliud nemo potest ponere preter id quod positum est, Christus Iesus*, prima Corinthiis tertio. Ideo dixit Christus Petro, Matthei decimo sexto, dum dixit: *ego credo quod tu es Christus filius Dei uiui*. Respondit Christus: *super hanc petram*, scilicet: super confessionem tuam, *edificabo ecclesiam meam*. Sed licet immediate sit fundata a Christo uniuersalis ecclesia, apostoli tamen fuerunt coadiutores illius in fundatione ecclesie particularis, unde apostoli dicebant: *Dei enim coadiutores sumus*, prima Corinthiis tertio. Ideo illis dixit, Marci decimo sexto: *ite in mundum uniuersum et predicate euangelium omni creature*,  
 150 etcetera. Ideo dixit Iohannes de hac fundatione de angelo, qui dixit, Apocalypsis uicesimo primo: *ueni, ostendam tibi*, etcetera, *et ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem, in qua duodecim fundamenta erant, duodecim lapides in quibus nomina duodecim apostolorum scripta*, etcetera. Hec autem ecclesia Cesaragustana principaliter fundata a Christo sicut alie, sed specialiter ad hanc fundandam non misit unum de septuaginta duobus discipulis, sed unum de duodecim apostolis, et non Philippum uel Bartholomeum, etcetera, sed unum de principalioribus, scilicet: Iacobum, qui erat consobrinus Christi Iesu. Qui missus in Hispaniam singulariter hanc ecclesiam per suam sanctissimam predicationem fundauit, et quia maiorem fructum in  
 160 ipsa fecit, ut mandatum fuit ei a uirgine Maria, ecclesiam in ea fundauit et edificauit, que

118-119: Ps. 47, 2. | 119-120: Apc. 21, 10. | 124: cf. Eph. 5, 25. | 126: I Cor. 1, 1-2. | 127: I Pt. 5, 13. | 130: cf. Ps. 86, 3. | 136-137: Is. 28, 16. | 137-138: Dn. 2, 34. | 138: I Cor. 10, 4. | 140: Io. 14, 11. | 144-145: I Cor. 1, 12. | 145-146: I Cor. 3, 11. | 147-148: Mt. 16, 16-18. | 150: I Cor. 3, 9. | 151: Mc. 16, 15. | 153-154: Apc. 21, 9-14.

121-122: cf. Th. Aq., *Sup. Psal.*, XLV, 3, p. 117. | 127-128: cf. Gra., *Decr.*, II, 24, 1, 18. PL 187, 1271B. | 133-134: cf. MF. Cas., *Exp. In Psal.*, praefatio, XVI. PL 70, 22C.

dicta est Sancta Maria de Pilari uel Columna. Et sic licet Iacobus in tota Hispania sua predicatione ecclesiam fundauerit, singulariter hoc fecit in ciuitate Cesaraguste, ut patet.

165 Secundo, irrigata martyribus, nam ibi tota ciuitas fuit martyrizata non solum clerus, sed rectores ciuitatis et officiales et mulieres, paruuli et infantes usque ad interitum illorum quos matres portabant in uentre. Si in aliqua ciuitate fuerunt plures martyres facti non omnes sicut in hac, unde de Roma dicitur in hymno: «o Roma felix, que tantorum martyrum», etcetera. Sed in illa aliqui rectores fuerunt contra Christum, ut cesares et prefecti, etcetera, sed in hac nullus ciuitatis contra Christum, sed solum romani fuerunt.

170 Tertio, decorata doctorum doctrina inter omnes alias ciuitates, unde in ciuitate Legionis fuit episcopus sanctus Froilarius; in ciuitate Toletana sanctus Ildefonsus; in ciuitate Hispalensi archiepiscopus sanctus Isidorus; in ciuitate Carthaginensi episcopus sanctus Fulgentius; in ciuitate Almerie episcopus sanctus Andaletius, unus de illis qui fuerunt conuersi per sanctum Iacobum in hac nostra ciuitate. Et propter hoc rex Sancius Quartus Aragonum duxit corpus predicti a ciuitate Almerie in regnum nostrum et posuit illud in  
175 ecclesia sancti Iohannis de Pinna, quod uulgariter dicitur “San Juan de la Peña”, ubi nunc etiam residet in ciuitate Barchinonensi; in ciuitate Tirasonensi sanctus Gaudiosus et Prudentius; in ciuitate Tarraconensi sanctus Fructuosus.

Sed in ciuitate Cesaragustana plures fuerunt sancti, ut patet de Valerio, Braulio et de Tayo, cui fuerunt reuelata Moralia sancti Gregorii Rome. Nam cum anno domini sescenti  
180 quadraginta septem cepisset regnare in Hispania Cindasuyndus, rex gothorum, Rome autem papa Deodatus, imperator uero Constantinus Quartus, tunc electo in archiepiscopum Toletanum sancto Eugenio in Septimo Concilio Toletano, in quo fuerunt quattuor archiepiscopi et triginta episcopi. Et per omnes fuit missus Romam Tayus episcopus Cesaraguste, ut peteret Moralia Gregorii, que in Hispania tunc non inueniebantur. Et cum papa illa non inueniret propter multitudinem librorum, episcopus  
185 Tayus uisitauit ecclesiam apostolorum Petri et Pauli et dum uigilaret et deuote orationem faceret, ut dominus illa Moralia sibi monstraret, in media nocte apparuerunt illi Petrus et Paulus et in medio illorum beatus Gregorius cum magna claritate et dederunt ei signa in quo loco reperiret librum quem querebat. Et dum hoc retulisset sancto patri, ille diligenter  
190 quesiuit locum illum. Et sic inuenit Moralia et portauit in Hispania et creditur quod sint illa que hodie sunt in bibliotheca Sancte Marie de Pilari Cesaraguste. Item in hoc fuit episcopus Petrus, cui beatus Valerius apparuit et illi corpus sancti Braulionis reuelauit, etcetera. Si autem loquamur de dignitatibus huius ecclesie, fuit in ea gloriosus Vincentius archidiaconus et in generali persecutione omnes dignitates et canonici martyres et totus clerus. Vltimo  
195 autem temporibus nostris magister Epila martyrizatus pro fide Christi, dum esset inquisitor heretice prauitatis in ecclesia Cesaraguste. De minoribus autem infans dominicus a iudeis interfectus et martyr effectus et sic in irrigatione floret. Dum autem esset hec ecclesia sic insignis inter omnes alias ecclesias, nihil ei deficiebat nisi quod esset metropolis et gubernaret et regeret alias et illa ab aliis non regeretur.

200 Et sic factum fuit tempore Ildefonsi anno domini mille centum septemdecim, capitur Cesaragusta et eligitur episcopus primus Petrus; secundus episcopus Garsias; tertius Bernardus; quartus Petrus Secundus; quintus Raymundus; sextus Sancius; septimus Bernardus; octauus Arnaldus de Peralta, era domini mille trecentis quindecim; nonus Vincentius; decimus Rodericus; undecimus Petrus Tertius; duodecimus Fortunius;  
205 tredecimus Hugo; decimus quartus Ximenus de Luna, qui postea fuit factus archiepiscopus

166: cf. Pau. Aq., *Hymn.*, II, v. 31. PL 99, 489A.

160: Fundauit et edificauit] M fundauit et edificauit.

Tarraconensis; quindecimus anno mille trecentis triginta duo facta fuit hec ecclesia metropolitana, dum eligeretur in archiepiscopum dominus Petrus Lupi de Luna, qui obiit anno domini mille trecentis quadraginta tres; secundus archiepiscopus Cesaraguste fuit Lupus Ferdinandi de Luna, qui obiit anno domini mille trecentis octoginta duo; tertius archiepiscopus Cesaraguste fuit dominus Garsias Ferdinandi de Heredia, qui obiit prima iunii anno domini mille quadringentis undecim; quartus fuit Franciscus Clementis; quintus Alfonsus frater minor obiit anno mille quadringentis uiginti nouem; sextus fuit dominus Dalmatius de Mur, speculum prelatorum Hispanie, qui obiit anno domini mille quadringentis quinquaginta sex, duodecim septembris; septimus fuit illustrissimus dominus Iohannes de Aragonia, qui obiit anno domini mille quadringentis septuaginta quinque; octauus fuit illustrissimus dominus Alfonsus de Aragonia, qui nunc regit ecclesiam et illum dominus conseruet et illuminet, ut sic illam regat et gubernet quod habeat uitam eternam, etcetera.

Et sic hec ecclesia habuit multas excellentias, sed inter alias fuit hec ut in illa nasceretur spiritualiter et baptizaretur illustrissimus Hispaniarum princeps Ferdinandus Secundus, rex et imperator Hispanie et reformator totius ecclesie et hereticorum destructor et infidelium dissipator.

Et sic speramus, illustrissime princeps, quod mediante iustitia uestra Cesaragusta fiet ciuitas que nunc manet dissipata discordia ciuium que nulla regnat et fiet Dei. Sicut dissipastis hereticos et iudeos, sic etiam reducetis ad fidem Christi agarenos in illa existentes. Tertio, mediante regimine uestro gloriosa de illa dicentur, non illa que de mala ciuitate dicuntur, ut dicitur Psalmi quinquagesimo quarto: *uidi iniquitatem et contradictionem in ciuitate*. Item: *labor in medio eius et iniustitia*. Item: *non defecit de plateis eius usura et dolus*.

Et sic omnia ista debent refecari mediante uestro glorioso regimine, fiet iustitia quia iniustitia est labor pauperum et labor uestre serenitatis, usura etiam expelletur et dolus in contractibus illicitis. Et sic hoc mediante, hic habebitis gratiam et in futuro gloriam, quam nobis, etcetera. Amen.

---

227-228: Ps. 54, 10-12.

## SERMO NONAGESIMVS SECVNDVS IN DOMINICA SEPTIMA POST PENTHECOSTES

<THEMA> *Arbor bona fructus bonos facit*, Matthei septimo.

Originaliter, etcetera.

5 Sententia est catholicorum doctorum quod paradisu terrestris non solum figurabat ecclesiam triumphantem, sed etiam ecclesiam militantem quo ad tria.

Primo, hortu deliciarum dicebatur quo ad diuinitatem in quo sunt omnes delectationes.

10 Secundo, quo ad fontem in medio eius in quattuor flumina diuisum, Genesis secundo, significabat enim humanitatem Christi, in cuius latere fons sanguinis fuit in quattuor flumina diuisus, scilicet: in quattuor uulnera pedum et manuum, unde de his dicitur Psalmi tricesimo quinto: *inebriabuntur ad ubertate domus tue et torrente uoluptatis tue potabis eos*.

Tertio, quo ad tres species arborum que in eo erant, scilicet: arbor scientie boni et mali et arbor uite et arbores refectionis quo ad alimentum commune.

Arbor scientie boni et mali figurauit Adam et Euam, nam licet essent duo supposita, non erant nisi una arbor, quia Eua ex latere Ade fuit quasi ramus ex arbore, etcetera.

15 Secundo, arbores refectionis et alimenti significabant electos, scilicet: patriarchas, prophetas, apostolos, martyres, confessores et uirgines.

20 Tertia arbor uite. In medio istarum figurabat beatam uirginem, a quo orta uita in mundo. Et ista excellit alias multipliciter. Si uolumus differentiam uidere, consideremus fructum istarum, quia Christus dicit hodie quod differentia arboris cognoscitur ex fructu. Et sic arbor uite excellit arborem scientie boni, etcetera, in tribus.

Primo, fructus Ade fuit maledictionis, unde Genesis tertio: *maledicta terra in opere tuo*. Sed fructus uirginis fuit benedictionis, unde Luce primo, dicit Elisabeth: *benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus uentris tui*.

25 Secundo, fructus Ade et scientie boni fuit mortis, unde Genesis secundo: *in quacumque die comederis morte morieris*. Sed fructus Marie fuit uite, unde Iohannis sexto dicit ipse: *ego sum panis uite*. Et non solum fuit cibus uite quo ad humanitatem, sed ipsa uita quo ad diuinitatem, unde Iohannis decimo quarto: *ego sum uita*, etcetera.

30 Tertio, fructus scientie, et Ade fuit ueneni et infirmitatis. Sed fructus Marie fuit salutis et uirtutis. De primo patet, nam ex morsu illius cibi fuit infecta omnis posteritas Ade ex eo descendentes ex sanguine seminis. Nam semen est sanguis albus quo ad frigiditatem uasis, et sicut quando mediante uipera uel aliquo alio ueneno inficitur sanguis, optimum remedium est ligare aliud membrum, ne transeat uenenum in illud. Sic infecto sanguine Ade non fuit infectus Christus cum «non ex uirili semine, sed mystico spiramine» fuerit conceptus, nec etiam infecta uirgo Maria, quia fuit preuenta ligatura et sic preseruata per  
35 potentiam diuinam. Et sic his exceptis omnis posteritas Ade fuit inuenenata peccati infirmitate. Et sic ex illo primo peccato fuit omne peccatum, nam ut dicit Iohannes in canonica sua, prima Iohannis secundo: *quidquid est in mundo aut est concupiscentia carnis aut*

2: Mt. 7, 17. | 7: cf. Gn. 2, 10. | 10: Ps. 35, 9. | 21: Gn. 3, 17. | 22-23: Lc. 1, 42. | 24-25: Gn. 2, 17. | 25-26: Io. 6, 48. | 27: Io. 14, 6. | 37-38: I Io. 2, 16.

33: cf. Ambr., *Hymn.*, IV. PL 16, 1410D.

40 *concupiscentia oculorum aut superbia uite. Et sic ab ista triplici radice oritur omnem malum peccati. Sic in illo pomo Ade fuit primo odor, secundo sapor, tertio color. Odor ascendens ad caput notat superbiam et elationem Ade, sapor gulam, color cupiditatem oculorum. Et sic in illo peccato fuit superbia in elatione et inobedientia. Secundo, fuit gula in comestione; tertio, fuit cupiditas in appetitu scientie in ordinato, quando ei dixit serpens: eritis sicut dii, etcetera. Sed in fructu Marie uirginis econuerso omnis sanitas uirtutis.*

45 Primo, meriti nostri, quia nobis meruit in passione, unde Psalmi primo: *erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit tempore suo.*

Secundo, dedit nobis gratiam in sacramento eucharistie, nam eucharistia dicitur bona gratia, unde Psalmi centesimo decimo: *memoriam fecit mirabilium suorum, etcetera, escam dedit timentibus se.*

50 Tertio, dabit nobis gloriam in futuro, unde Psalmi centesimo uicesimo sexto: *cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas domini filii merces fructus uentris*, scilicet: uirginis Marie. Si autem consideretur ad alias arbores et ad alios sanctos, magna est etiam differentia.

55 Primo, excellit causalitate, quia fructus uirginis fuit causa bonitatis aliorum arborum, unde Bernardus homilia secunda Super Missus est dicit: «benedicta tu, quia fructus tuus benedictus», etcetera. A fortiore alie arbores, nam si uiderunt et cognouerunt hunc fructum, totum fuit mediante uirgine, quia illa mediante fuerunt illuminati. Figura de Zaccheo, Luce decimo nono, qui cupiens Christum uidere, ascendit in contemplationem uirginis Marie per deuotionem, etcetera.

60 Secundo, excellit efficientiam, nam suauitas aliorum est a suauitate Christi mediante uirgine, unde ecclesia cantat: «nobis natus, nobis datus ex intacta uirgine», etcetera. Ideo dicit Iohannes, Apocalypsis secundo: *uincenti dabo edere de ligno uite*, etcetera.

65 Tertio, excellit uniuersalitate, nam licet alii sancti impetrent aliqua nobis, sed Maria uirgo omnia pro omnibus et sancti sine illa nihil impetrant. Figura Danihelis quarto: uidit Nabuchodonosor *arborem magnam in medio terre altam usque ad celum et latitudo eius usque ad terminos orbis terrarum, fructus eius nimius et esca uniuersorum in ea, subter eam habitabant animalia et bestie et in ramis eius conuersabantur uolucres celi et ex ea uescebatur omnis caro*. Bestie erant existentes in limbo; animalia existentes in mundo; uolucres celi angeli. Nam omnes isti in uirgine inuenerunt auxilium, unde Bernardus in sermone nonagesimo octauo: «per te uirgo beata celum impletum est, infernus euacuatus, instaurate ruine celestis Hierusalem, expectantibus miseris uita perdita data».

70 Igitur si fructum gratie perdimus, non hodie ad alios sanctos curramus, quia illi sine ista non impetrant. Igitur ad hanc arborem et non ad Adam et Euam, quia illi cum superbia, nos econuerso humiliemur ad pedes huius, nam ista sicut produxit fructum gratie, sic nobis faciet fructum misericordie, quia *arbor bona fructus bonos facit*. Ad hanc igitur in principio sermonis presentemus, etcetera.

75 <THEMA> *Arbor bona fructus bonus facit*, ubi supra.

---

42: cf. Gn. 3, 5. | 44-45: Ps. 1, 3. | 47-48: Ps. 110, 4-5. | 49-50: Ps. 126, 2-3. | 55: cf. Lc. 19, 3. | 60: Apc. 2, 7. | 63-65: cf. Dn. 4, 8-9. | 73: cf. Mt. 7, 17. | 75: cf. Mt. 7, 17.

53-54: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 5. PL 183, 73C. | 59: cf. Th. Aq., *Off. Cor. Christ.*, p. 275. | 67-69: cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429B.

44: Erit] X et.

Due erunt partes in presenti sermone. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda sancti euangelii expositiua et declaratiua.

80 Sententia est Magistri in secunda, distinctione prima, quod homo factus fuit propter Deum et mundus propter hominem, unde dicit quod: «fecit Deus creaturam rationalem ut summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret et possidendo frueretur». Et sic homo fuit ordinatus ad Deum ut in finem et totus mundus propter hominem, unde Aristoteles dicit, secundo Physicorum: «sumus enim nos quodammodo finis omnium». Nam spiritualia ut angeli licet principaliter essent propter Dei contemplationem, sed secundo fuerunt propter hominem, ideo dicit Christus: *angeli eorum*, scilicet: hominum, *semper uident faciem*, etcetera. Vnde dicit Hieronymus super Mattheum libro tertio: «magna est dignitas animarum, etcetera, ut deputetur angelus ad earum custodiam». Et sicut spiritus fuerunt propter animam, Psalmi centesimo decimo tertio: *terram autem dedit filiis hominum*, sic omnia corporalia fuerunt propter corpus hominis. Et ideo omnes arbores et mineralia posita fuerunt in terra, sed homo plantatus fuit in celo, 90 unde Aristoteles dicit quod: «homo est arbor euersa. Et sic grece dicitur “antropos”, id est, arbor econuerso posita», quia alie in terra plantate, sed homo in celo. Nam os habet rationem radices, ut dicit Philosophus, quia de celo debet spectare alimentum, unde dixit Christus: *non in solo pane uiuit homo*, etcetera, Luce quarto capitulo. Sed tria debet habere ad hoc ut sit bona arbor et tria alia ad fructum.

95 Primo, debet habere arbor radices in bono loco, quia his mediantibus sumit alimentum, et si in bono loco sunt site, bonum humorem sument. Et sic si radices hominis sunt affectiones, si sunt in terra, erunt terreni humores, quod esse non debet. Nam: *qui de terra est de terra loquitur*, Iohannis tertio. Vnde auari sunt huiusmodi, de quibus dicit Psalmi decimo sexto: *oculos suos statuerunt declinare in terram*. Item luxuriosi habent radices in aqua, unde 100 Apocalypsis decimo septimo: *ueni et ostendam tibi damnationem meretricis magne, que sedet super aquas multas*. Item superbi habent radices in aere, irati et uindictiui in igne, etcetera. Sed homo debet habere affectiones non in aliquo elementorum, sed in celo, unde ad Colossenses tertio: *que sursum sunt querite*, etcetera. Item ad Philippenses tertio: *nostra conuersatio in celis est*.

105 Secundo, debet habere arbor cor, id est, medullam immaculatam, quia si maculatur, mox perdit uitam. Sic in homine medulla cordis est fides, unde: *corde creditur ad iustitiam*, etcetera, ad Romanos decimo.

110 Tertio, debet habere rectitudinem conscientie, nam arbor debet esse recta. Ideo cum ligno ei iuncto dum parua est conseruatur in rectitudine, sed solum homo inter animalia est rectus, unde Ouidius: «cetera cum prona spectent animalia terra, os homini sublime dedit celumque tueri, iussit et erectos ad sidera tollere uultus». Hec ille. Et sic cum secundum Euclidem: «rectum sit cuius medium non exit ab extremis», ut patet in linea, nam si medium concordat cum primo puncto et ultimo, dicimus quod est linea recta, et sic in uirga uel in aliquo recto prospicitur, et sic iustus concordat cum extremis, sed peccator exit ab illis. 115 Exemplum: principium nostrum est natiuitas, finis est mors, sed superbus exit secundum

---

84-85: cf. Mt. 18, 10. | 88: Ps. 113, 24. | 93: Lc. 4, 4. | 97-98: Io. 3, 31. | 99: Ps. 16, 11. | 100-101: Apc. 17, 1. | 103: Col. 3, 1. | 103-104: Phil. 3, 20. | 106: Rm. 10, 10.

79-81: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 1, 4. PL 192, 653B. | 82-83: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 2, 194a35, p. 54. | 86-87: Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, III, 18, 10-11. PL 26, 130B. | 90-91: Aristoteles] *Nl.* cf. Ran. Hig., *Poly.* (vol. 2), II, 1, p. 182. | 92: Philosophus] *Nl.* | 110-111: cf. Ov., *Meta.*, I, vv. 84-86, p. 4. | 112: Euclidem] *Nl.* cf. Alb. Mag., *Post. Anal.*, I, 2, 9, p. 40b.

110: Animalia] M, X animantia.



medium uite ab extremis, unde Iob decimo septimo: *putredini dixi, pater meus es, mater mea et soror mea uermibus*. Et sic de omnibus est, unde Sapientie septimo: *unus est omnibus introitus ad uitam et exitus*. Si igitur homo uel mulier consideraret principium suum et finem, non superbiret considerando genus uel pulchritudinem, etcetera, unde Ecclesiastici decimo: *quid superbis terra et cinis?* Discordat igitur medium a principio et fine. Secundo, auarus si consideraret principium et finem, non poneret animum in diuitiis, unde Iob primo: *nudus egressus sum de utero matris mee et nudus reuertar illuc*. Ecce principium et finis, sed ille ponit animum suum in diuitiis.

Si dicit: igitur diues non potest saluari? Dicendum quod si recte acquiruntur et licite dispensantur prosunt, ut dicit Christus, Matthei quinto: *beati pauperes spiritum*. Nam cipressus dicitur recta arbor, licet rami exeant ab extremis, quia tendunt in finem, sic diuitie si ordinantur in seruitium Dei, unde Psalmi sexagesimo primo: *diuitie si affluant nolite cor apponere*. Exemplum mercatoris qui antequam accipiat ducatos consignat alteri, sic diues consignando pauperibus illos non habet in spiritu, licet habeat in marsupio, etcetera. Item peccator debet semper dolere et flere peccata sua, nam principium uite est fletus et finis, scilicet: mors, cum fletu est. Igitur media uita similiter debet esse cum fletu, etcetera. Si gaudetur et delectatur in uita, exit ab extremis, unde Iob uicesimo primo: *tenent tympanum et citbaram et gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt*. Sed quo ad fructum debet habere alia tria.

Primo, quod recipiat lumen solis, nam si est magne spissitudinis nisi scindantur rami et recipiat solem, non fructificabit, sic homo sine lumine gratie nihil potest facere.

Et si dicis: illam debet dare Deus, quia Psalmi octogesimo tertio: *gratiam et gloriam dabit dominus*, igitur si illa non dat, non debet mihi imputari. Dicendum quod sic, nam: «illi soli gratia priuantur qui impedimentum apponunt», ut dicit sanctus Thomas, tertio Contra Gentiles, capitulo centesimo quinquagesimo nono. Nam sicut *sol oritur super bonos et malos*, sic gratia fluit a Deo, et sicut claudens fenestram non recipit lumen solis propter sui culpam, sic de gratia. Et ideo debet ramos superfluos amputare et remouere peccata, ut solis radium, id est, gratiam recipiat.

Secundo, facere fructus misericordie hic in uita presenti, ideo habet manus et pedes uersus terram, quia hic debet operari bona, ut recipiat in futuro, unde de ficulnea infructuosa ait dominus: *ut quid terram occupat?* Ideo Psalmi quadragesimo primo: *in die mandauit dominus misericordiam suam et nocte canticum eius*. Nam in die presentis uite debet facere bonum, quia ut dicit Augustinus: «in futuro nullus est famelicus nec nudus», etcetera, sed in futuro erit canticum quando dicet Christus: *nudus fui*, etcetera. Ideo: *uenite benedicti patris mei*, etcetera.

Tertio, debet habere illos fructus cum calore charitatis, nam fructus terre frigide non maturescunt. Ideo sine charitate nihil sunt, ut dicit Apostolus, prima Corinthiis decimo tertio: *si habuero, et si distribuero, etcetera, et si distribuero, etcetera*. Et sic de tali arbore loquitur Christus in predictis uerbis cum dicit: *arbor bona fructus bonos facit*. Quo ad primam partem sermonis.

---

116-117: Iob. 17, 14. | 117-118: Sap. 7, 6. | 119-120: Sir. 10, 9. | 121-122: Iob. 1, 21. | 125: Mt. 5, 3. | 127-128: Ps. 61, 11. | 132-133: Iob. 21, 12-13. | 137-138: Ps. 83, 12. | 140: cf. Mt. 5, 45. | 146: cf. Lc. 13, 7. | 146-147: Ps. 41, 9. | 149: cf. Mt. 25, 34-36. | 153: I Cor. 13, 3. | 154: cf. Mt. 7, 17.

138-139: cf. Th. Aq., *Con. Gent.* (vol. 14), lib. 3, c. 159, p. 465. | 148: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm. Ad Fr. In Er.*, XLIV. PL 40, 1319D.

120: Principio] M princidio. | 132: Vicesimo primo] M, X decimo nono.

155 Sequitur secunda pars, que est euangelii, ut in presenti euangelio tria facit.

Primo, quia dixerat: *arta est uia que ducit ad uitam*, et loquebatur de die iudicii in fine quando dicit: *multi dicent in die illa: "domine, in nomine tuo prophetauimus"*, etcetera. Ideo primo ostendit impedimenta que erunt ante diem iudicii dicens: *attendite a falsis prophetis*, etcetera.

Secundo, ostendit conditiones arborum dicens: *arbor bona bonos*, etcetera.

160 Tertio, ostendit qui sunt illi qui intrabunt in gloriam et qui non dicens: *non omnis qui dicit domine, domine*, etcetera, *sed qui facit uoluntatem patris mei*, etcetera. Dicit autem Hugo Cardinalis quod ante diem iudicii erant uenture quattuor persecutiones in ecclesia: «prima persecutio tyrannorum; secunda deceptio hereticorum; tertia simulatio falsorum fratrum; quarta astucia antichristi» et ponuntur a Iohanne, Apocalypsis sexto, loquente de apertione sigillorum.

165

Primo, dicit: *ecce equus albus et qui sedebat super eum habebat arcum*. Ecce heretici quia uulnerant a longe, nam Arrius una scintilla fuit in Africa et totum mundum consumpsit, ut habetur uicesima quarta, questione tertia, capitulo "Resecande"; et quadragesima quinta distinctione, capitulo "Sed illud".

170 Secundo, dicit quod: *exiuit alius equus rufus et qui sedebat super eum habebat gladium magnum*.

Tertio: *ecce equus niger et sedens super illum habebat stateram in manu sua*.

175 Quarto: *ecce equus palidus et qui sedebat super eum nomen illi mors et infernus sequebatur eum et data est illi potestas super quattuor partes terre*, etcetera. Prima persecutio erit hereticorum. Secunda tyrannorum. Tertia falsorum fratrum. Quarta et ultima antichristi, que iam uidetur propinqua, quia tres alie iam pullulant, maxima ista hereticorum erat uentura ante antichristum et nunc uiget, de qua redemptor dicit: *attendite a falsis prophetis*, per quos intelliguntur doctores et predicatores falsi. Nam ut dicit Chrysostomus: «non potest quis propheticos interpretari sensus nisi per spiritum prophetie». De his quattuor dicitur Psalmi nonagesimo: *non timebis a timore nocturno*, quo ad primum, *a sagitta uolante in die*, quo ad secundum, *a negotio perambulante in tenebris*, quo ad tertium, *ab incurso et demonio meridiano*, quo ad quartum, scilicet: antichristum. Si omnes falsarii sunt secundum legem puniendi, a fortiori falsi prophete. Reperiuntur autem in mundo sex falsarii. Primi falsantes litteras principis uel bullas pape. Secundi falsantes clauas. Tertii falsantes monetam. Quarti falsantes pondera. Quinti falsantes mensuras. Sexti falsantes res in sua essentia.

180

185 Primi sunt heretici qui bullam, id est, doctrinam Christi falsificant.

Secundi sunt male sentientes de sacramentis, ut qui non reputant excommunicationem, sed multis annis sunt in illa, uel qui ducunt plures uxores omnibus uiuentibus, uel qui celebrant sine ordine, uel qui absoluunt propter pecuniam usurarium uel huiusmodi uel dantes ordines cum non sint prelati ut diebus istis repertum est in hoc regno, etcetera.

190 Tertii sunt hypocrite qui falsant monetam Christi, que est elemosyna, orationes et ieiunia. Nam sicut in moneta sunt tria, scilicet: aurum, pondus et imago regis, sic in Christo

156: cf. Mt. 7, 14. | 157: cf. Mt. 7, 22. | 158-161: Mt. 7, 15-21. | 166: Apc. 6, 2. | 170: Apc. 6, 4. | 171: Apc. 6, 5. | 172-173: Apc. 6, 8. | 176: cf. Mt. 7, 15. | 179-180: Ps. 90, 5-6.

162-164: cf. Hug. Card., *Ev. Sec. Lc.*, XXI. f. 256r. | 168: cf. Gra., *Decr.*, II, 24, 3, 16. PL 187, 1302C. | 169: cf. Gra., *Decr.*, I, 45, 17. PL 187, 240D. | 177-178: cf. Io. Chrys., *In Mt.*, XXIV, 6. PG 57, 315; cf. Th. Aq., *Cat. Aur.* In Mt., VII, 8, p. 127.

195 sunt tria, scilicet: anima, corpus et imago uerbi Dei. Nam ieiunium pertinet ad corpus, elemosyna ad uitam, scilicet: ad animam, oratio ad uerbum. Et sic cum hypocrita falsificet ista, dicitur falsarius monete Christi. De elemosyna: *cum facis elemosynam, noli tuba canere ante te*, etcetera, Matthei sexto. De oratione: *intra in cubiculum tuum*. De ieiunio: *nolite fieri sicut hypocrite tristes*, etcetera.

200 Quarti sunt principes et prelati qui falsant pondera imponentes grauiora quam debeant, ut in sinodo per subsidium, etcetera. Maxime dicentes: “hoc date nobis et per quinquenium non uisitabimus”, etcetera, quod est absurdum tale dicere nec audire, unde de istis dixit Christus, Matthei uicesimo tertio: *dicunt et non faciunt. Alligant autem onera grauia et importabilia et imponunt in humeros hominum*, etcetera. Sic etiam principes, uarones, etcetera, per gabellas et impositiones nouas male tractantes uassallo. Item rectores et gubernatores ciuitatum per impositiones nouas, etcetera.

Quinti sunt mercatores et decimantes male, etcetera.

205 Sexti sunt omnes populares falsantes res, ut crocum, mel, uinum, etcetera. Iam pene omnia sunt falsa in mundo, sed inter omnes istos, grauissime sunt puniendi heretici, qui legem (secundum quam debet esse uita et beatitudo nostra) falsificant et decipiunt multos, ideo dicit Christus: *attendite a falsis prophetis*, nam in fine mundi multi erant uenturi, ut habetur Matthei uicesimo quarto: *multi pseudoprophete surgent et seducent multos*, etcetera. 210 Venient in uestimentis ouium exterius, interius sunt lupi et cognoscuntur ex fructibus eorum, scilicet: a doctrina et a uita sua.

Primo, a doctrina tripliciter.

Primo, predicant in occulto inter mulierculas, non palam sicut Christus, qui dicit respondendo Anne de doctrina: *ego palam locutus sum mundo*, etcetera.

215 Secundo, dicunt ea que placent, ut nouitates, etcetera, unde Apostolus ad Timotheum quarto: *erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, a ueritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur*.

220 Tertio, doctrina sua discrepat a ueritate, quia nec ueteri nec nouo testamento concordat, et sic cognoscitur sicut nummularius cognoscit monetam. Primo, sumit lapidem et fricando ponit uerum aurum et tunc fricat aliud, et si discrepat dicit non esse uerum aurum. Sic in proposito, lapis est uetus testamentum in lapide datum, aurum est nouum, quod discrepat istis, falsum est sicut secta Machometi et hereticorum, etcetera.

Item cognoscuntur in uita, nam solam apparentiam habent et non existentiam, ut ficus ficulnee bastarde que non habent mel, sed solum apparent bona.

225 Secundo, non solum non habent liquorem, sed habent uenenum, ut sunt fructus maris mortui in terra promissionis, qui sunt pleni cineribus.

Tertio, probantur in patientia, nam uidentur humiles ut oues, sed si tangantur immediate franguntur, et sic sunt ut cucumeres amari qui iacent proni in terra. Sed si tangantur cum ferro mox franguntur et dant uenenum quem habebant.

---

194-196: cf. Mt. 6, 2-16. | 200-201: Mt. 23, 3-4. | 208: cf. Mt. 7, 15. | 209: Mt. 24, 11. | 214: Io. 18, 20. | 215-216: II Tim. 4, 3-4. | 230-231: cf. Mt. 7, 17-18.

230 Secunda pars euangelii dicit: *arbor bona fructus bonos facit*, et mala econuerso, et ponit conclusionem fortem dicens quod: *arbor bona non potest facere fructum malum nec mala bonum*, quia est proprietates eius talis.

235 Sed si dicitur: igitur qui semel est malus, semper erit, et qui bonus similiter, et sic tollitur libertas arbitrii? Dicendum quod non, sed mala arbor potest fieri bona et econuerso, sed talibus existentibus non potest bona fructus malos facere nec econuerso, unde Augustinus in homilia hodierna dicit: «attendant quod non dixit: “non potest fieri arbor bona mala, nec mala potest fieri bona”. Sed dixit: “non potest bona facere malos fructus et econuerso”. Arbor est ipsa anima et ipse homo, fructus uero opera hominis, non ergo potest malus homo bona operari neque bonus mala, malus ergo si uult bona operari bonus prius fiat, unde dominus in alio loco dicit: “*facite erga arborem bonam et fructus eius bonos*”, etcetera. Non potest esse nix calida cum enim calida esse cepit, non iam eam niuem, sed aquam uocamus. Potest ergo fieri ut que nix fuit, non sit, non potest autem fieri ut nix calida sit. Sic potest fieri ut qui malus fuit non sit malus, non tamen potest fieri ut malus bene faciat». Hec Augustinus.

245 Si autem queritur: quomodo arbor mala potest fieri bona? Dicendum quod tripliciter potest fieri.

Primo, insertione dum rami amputantur et ponitur ramus nouus alterius arboris. Sic fit in conuersione infidelium quando rami iudaismi uel Machometi amputantur et ponitur ramus nouus, scilicet: Christi. Vnde dicit Apostolus ad Romanos decimo tertio: *induimini dominum nostrum Iesum Christum*, etcetera.

250 Secundo, hoc fit transplantatione quando radices non sunt in suo loco, quia ex quo est arbor inserta, si radices non habet in bono loco, transplantatur. Sic homo si post conuersionem etiam habet radices in terra per usuram uel huiusmodi, debet ponere radices affectionis in celo, ut dictum est.

255 Tertio, hoc potest fieri fessione, scilicet: fondendo terram et preparando illam, et preparatur quadrupliciter. Primo, contritione fodendo; secundo, extirpando spinas per confessionem; tertio, rigando illam per lacrimarum satisfactionem; quarto, ponendo fructum putridum per memoriam mortis, quia: «facile contemnit omnia qui cogitat se moriturum», ut dicit Hieronymus.

260 Et sic faciendo, fiat bona arbor et faciet fructus bonos, quibus mediantibus habebat hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, etcetera. Amen.

---

237: cf. Mt, 7, 18. | 240: cf. Mt. 12, 33. | 248-249: Rm. 13, 14.

236-243: Aug. Hipp., *De Serm. Dom. In Mon.*, II, 24, 79. PL 34, 1305BD. | 257-258: Hier., *Ep.*, LIII, 10. PL 22, 549C.

SERMO NONAGESIMVS TERTIVS ET PRIMVS IN DIE TRANSFIGVRATIONIS DOMINI NOSTRI  
IESV CHRISTI

<THEMA> *Transfiguratus est*, Matthei decimo septimo.

Originaliter recitatie autem in euangelio occurrentis solemnitatis.

- 5 Sententia est sancti Anselmi in libro *Cur Deus Homo* et Damascenus in tertio Sententiarum, quod ordo recuperationis gratie debuit respondere ordini perditionis illius. Et sic sicut perditio facta fuit mediante transfiguratione, sic recuperatio gratie. Et sicut in perditione reperta fuit triplex transfiguratio, sic triplex in recuperatione. Prima transfiguratio in perditione fuit angeli. Secunda mulieris. Tertia Ade.
- 10 Prima angeli, nam cum angelus esset figure spiritualis, mutatus fuit in corporalem. Causa autem fuit cum in temptatione «non posset interiori suggestione suggerere», ut dicit sanctus Thomas secunda secunde, questione centesima sexagesima quinta, secundo ad secundum. Quia cor hominis sigillabatur gratia Dei, in qua creatus fuit, ut dicit sanctus Thomas prima, questione nonagesima quinta, primo, obiectione; et in secundo, distinctione uicesima,
- 15 secundo, tertio capitulo; et uicesima nona, questione prima, secundo capitulo; in Questionibus De Malo, questione quarta, secundo, decimo septimo. Vnde Psalmi quarto: *signatum est super nos lumen uultus tui domine*, etcetera. Et sicut in sigillo regis nullus uult tangere, sic nec demones in sigillo gratie Dei. Et sic cum inferiori suggestione non posset, uoluit corpoream speciem sumere, ut exteriori suggestione posset persuadere et temptare.
- 20 Et cum uellet formam humanam assumere, non fuit permissus ne fortius temptaret, sed ei fuit permissum assumere formam serpentis, ut qui ueniebat in totam naturam humanam uenenum infundere illam similitudinem serpentis sumeret et non aliam. Sed haberet speciem animalis uenenosi, ut dicit sanctus Thomas secundo, distinctione uicesima prima, questione secunda, primo capitulo; et secunda secunde, questione centesima sexagesima
- 25 quinta, secundo ad tertium; et in Questionibus De Veritate, questione decima octaua, sexto ad quartum, et in aliis locis multis. Et isto modo angelus transfiguratus fuit, unde: *transfiguratur se in angelum lucis*, secunda Corinthiis undecimo.

- Secundo, transfigurata fuit Eua quo ad animam et quo ad corpus, quia angelus non habuit nisi spiritum. Et sic transfiguratus fuit de spiritu in corpus, sed Eua, cum esset
- 30 composita ex spiritu et corpore, in perditione gratie transfigurata fuit non solum quo ad spiritum, sed etiam quo ad corpus.

- Quo ad spiritum, quia cum esset ad imaginem Dei pulcherrimam, fuit per peccatum deturpata illa imago, sicut qui ponit aliquam maculam in aliqua pulchra imagine. Et sicut ante erat sapientissima, fuit per ignorantiam seducta, ut dicit Apostolus prima Timotheum
- 35 secundo, in tantum quod credidit serpentem habere usum loquendi, saltem supranaturaliter, et hoc per elationem precedentem, ut dicit sanctus Thomas prima, questione nonagesima quarta, quarto ad primum; et secundo, distinctione uicesima secunda, questione prima,

3: Mt. 17, 2. | 17: Ps. 4, 7. | 27: II Cor. 11, 14. | 34: cf. I Tim. 2, 14.

5: cf. Ans., *Cur Deus Ho.*, II, 6. PL 158, 403D-404A; cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, III, 1. PG 94, 982A-983C. | 11: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 165, a. 2, p. 963. | 13: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 95, a. 1, p. 678; *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 20, q. 2, a. 3, p. 982; (vol. 4), lib. 2, dist. 29, q. 1, a. 2, p. 412; *Qu. De Mal.*, q. 4, a. 1 ad 17, p. 105. | 23: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 4), lib. 2, dist. 21, q. 2, a. 1, p. 36; *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 165, a. 2, p. 963; *Qu. De Ver.* (vol. 2), q. 18, a. 6 ad 4, p. 553. | 37: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 94, a. 4 ad 1, p. 677; *Sup. Sent.* (vol. 4), lib. 2, dist. 22, q. 1, a. 1 ad 7, p. 70.

1: Tertius] M Tretius. | 7: Recuperatio] M recuperatio.

40 septimo, obiectione. Exemplum: quando mulier sapiens laudatur ab aliquo ut illam decipiat, si non considerat hominem deceptuosum, sed considerat laudes, subit in elationem et uenit in peccatum. Sic Eua non considerauit serpentem uolentem decipere ipsam, sed ad laudes habens auditum quando dixit ei: *eritis sicut dii scientes*, etcetera. Tunc per elationem decepta fuit et seducta quo ad spiritum.

45 Secundo, quo ad corpus, quia cum esset recta in persona, unde: *fecit Deus hominem rectum*, Ecclesiastes septimo, non solum quo ad spiritum, sed etiam quo ad corpus, sic facta fuit curua accipiendo fructum uetitum et comedendo. Vnde Dauid Psalmi tricesimo septimo: *miser factus sum et curuatus*, etcetera, per peccatum considerando inferiora et terrena.

50 Tertia fuit Ade: primo quo ad spiritum, secundo quo ad corpus, ut diximus de Eua. Et sic mediante ista tertia transfiguratione intrauit peccatum in mundum et sic perdita fuit gratia, nam Ecclesiastici uicesimo quinto: *a muliere initium factum est peccati*, etcetera, sed per hominem facta consummatio, unde ad Romanos quinto: *per unum hominem peccatum in mundum intrauit et per peccatum mors*. Sic in recuperatione gratie facta fuit triplex transfiguratio correspondens aliis tribus.

55 Prima angeli in hominem, nam sicut angelus ducens uenenum traxit similitudinem serpentis, sic angelus portans remissionem peccati per unionem humanitatis ad Deum traxit formam hominis, ut dicit Bernardus Super Missus Est. Et sicut alter suscepit formam corporalem ut posset persuadere mulieri, sic angelus bonus formam hominis, ut posset nuntiare uirgini Marie et dicere: *ue gratia plena*, etcetera.

Secunda transfiguratio fuit mulieris, scilicet: uirginis Marie dupliciter. Primo, quo ad spiritum; secundo, quo ad corpus.

60 Quo ad spiritum, non quod de imagine turpi efficeretur pulchra, ut sepe fit a pictoribus, sed de imagine pulchra facta fuit pulcherrima. Exemplum: quando «pictores primo pingunt imaginem pulchram, secundo apponendo colores illam perficiunt et pulcherrimam faciunt». Sic in proposito dixerat: *ue gratia plena*, et secundo dicit: *spiritus sanctus superueniet in te*, etcetera.

65 Secundo, transfigurata fuit quo ad corpus, quia cum in tempore salutationis angelice esset in cellula sua positus genibus orans Deum tempore incarnationis, dum dixit: *ecce ancilla domini*, prostrata fuit in terram. Et hoc fuit conueniens triplici ratione.

Prima, ut responderet Eue, quia sicut illa ad sumptionem fructus inclinata fuit ad terram, ista similiter. Sed illa superbia fecit, ista humilitate.

70 Secundo, quia iam erat genu flexa. Igitur tempore tanti beneficii conueniens fuit ut maius signum humilitatis monstraret et sic prostraretur.

75 Tertio, quia si nos genu flectimur quando dicitur in ecclesia: «qui propter nos homines homines, etcetera, et incarnatus est», illa magis debuit, quia duplici respectu fecit. Nam propter ipsam similiter ueniebat et in ipsa, ideo dicit: «et incarnatus est de spiritu sancto ex Maria uirgine». Et sic uirgo Maria potius debuit inclinari, et sic ista transfiguratio correspondet transfigurationi mulieris quo ad corpus. Secundo, quo ad spiritum dicitur:

---

41: cf. Gn. 3, 5. | 43: Ecl. 7, 30. | 46: Ps. 37, 7. | 49: Sir. 25, 33. | 50-51: Rm. 5, 12. | 57: cf. Lc. 1, 28. | 63: Lc. 1, 28; 1, 35. | 66-67: cf. Lc. 1, 38.

55: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 4. PL 183, 63B. | 61-62: cf. Io. Chrys., *De Prod. Iud.*, I, 4. PG 49, 379BC. | 72-75: cf. *Missae latinae*. PL 138, 1321D.

*Maria cogitabat qualis esset ista salutatio.* Et sic dicit Bernardus: «redditur femina pro femina, humilis pro superba, sapiens pro stulta».

80 Tertia transfiguratio fuit nouissimi Ade, unde prima Corinthiis decimo quinto: *primus Adam in animam uiuentem, nouissimus Adam in spiritum uiuificantem.* Igitur filius Dei primo transfiguratus quo ad spiritum, quia Iohannis quarto: *spiritus est Deus*, sed sumendo naturam humanam transfiguratus fuit in uentre uirginis Marie. De ista loquitur Apostolus, ad Philippenses secundo: *cum in forma Dei esset, excinaniuit semet ipsum formam serui accipiens.*  
85 Secundo, transfiguratus fuit quo ad corpus, ut si perderemus gratiam, in sacramento eucharistie inueniremus, et sic sub aliis speciebus nobis datur in altari. Igitur si per transfigurationem istam habemus gratiam, mediante illa debemus, mediante qua habita fuit transfiguratio, quia: «quidquid est causa cause est causa causati».

Et sic mediante uirgine Maria recipiemus gratiam, quia per ipsam et in ipsa filius Dei *transfiguratus est.* Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

90 <THEMA> *Transfiguratus est*, ubi supra.

In presenti sermone erunt due partes. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda sancti euangelii expositiua.

95 Quo ad primam sciendum quod, licet aliqui dixerunt quod Christo non fuit conueniens transfigurari, cum illud pertineret corpori fantastico et non uero, sicut ipse habuit, sed omnes doctores concordant quod decenter fuit transfiguratus et quod fuit conueniens, maxime Sanctus Doctor tertia parte, questione quadragesima quinta, primo, obiectione, et hoc ostenditur tripliciter. Primo, ratione apostolorum; secundo, ratione beatitudinis; tertio, ratione sue dignitatis.

100 Ratione apostolorum: primo, ut dicit Hieronymus, ne in passione sua scandalizarentur. Et sic quotiens predixit suam passionem, immediate adiungit suam resurrectionem dicendo: *ecce ascendimus*, etcetera, *filius hominis tradetur et crucifigetur et tertia die resurget*, Luce nono et uicesimo quarto, etcetera, et etiam in capitulo precedenti, scilicet: Matthei decimo sexto, dicit Mattheus quod: *dicens Iesus discipulis suis oportere eum ire Hierosolimam et multa pati et occidi et tertia die resurgere, accipiens eum Petrus cepit increpare illum dicens: "absit a te, domine, non erit tibi hoc".*  
105 *Qui conuersus dixit Petro: "uade post me, Satanas, scandalum es mihi"*, etcetera. Igitur oportuit ostendere ei gloriam ne tunc scandalizarentur. Secundo, hoc fuit ut animarentur pati pro eo, et sic dixit: *qui uult uenire post me*, etcetera, *tollat crucem suam*, etcetera, Matthei decimo sexto et Marci octauo. Item: *nisi quis renuntiauerit omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus*, Luce decimo quarto et Luce nono dicit: *qui perdiderit animam suam propter me inueniet eam*, etcetera.  
110 Et sicut mercatores non se exponunt periculis nisi uiderint lucrum, sic in proposito. Voluit Christus eis ostendere gloriam quam in futuro sperare debebant.

Secundo, hoc fuit ex parte glorie conueniens.

Primo, quia articulus resurrectionis non aperte fuit positus in ueteri testamento et temporalia eis promittebantur. Et sic cum esset maxime necessarius, quia in moralibus finis

---

77: cf. Lc. 1, 29. | 79-80: I Cor. 15, 45. | 81: Io. 4, 24. | 83: Phil. 2, 6-7. | 89-90: cf. Mt. 17, 2. | 101: Nono et vicesimo quarto] *Auctor err.* cf. Lc. 18, 31-32. | 103-105: Mt. 16, 21-23. | 107: cf. Mt. 16, 24; cf. Mc. 8, 34. | 108: Lc. 14, 33. | 109: Lc. 9, 24; cf. Mt. 10, 39.

77-78: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62D. | 87: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 4), lib. 2, dist. 37, q. 2, a. 1, p. 770. | 96: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 45, a. 1, pp. 341-342. | 99: cf. Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, III, 17, 2. PL 26, 122A.

115 posuit necessitatem, Christus incepit predicationem suam dicendo, Matthei tertio: *penitentiam agite, appropinquabit regnum celorum*. Et sic Christus multum laborauit ad hoc demonstrandum, nam in suo aduentu due erant in populo opiniones. Prima phariseorum ponentium resurrectionem. Secunda saduceorum negantium illam, et sic dixit Mattheus uicesimo secundo quod: *in resurrectione erunt sicut angeli*, etcetera. Et sic ad hoc probandum ostendit eis gloriam anime.

Secundo, hoc fecit ad ostendendum gloriam et statum corporum. Nam licet crederent resurrectionem et animam posse esse in gloria, possent etiam dubitare utrum gloria redundet in corpus, nam angeli Dei non habent corpora. Et sic ad hoc ostendendum ostendit eis qualiter gloria anime redundabit in corpus.

125 Tertio, hoc fecit ad ostendendum dignitatem sue persone.

Primo, ut ostenderet se esse datorem glorie, nam ante in precedenti capitulo, scilicet: Matthei decimo sexto, dixit: *filius hominis uenturus est*, etcetera, *et tunc reddet unicuique*, etcetera, scilicet: bonis gloriam. Igitur cum: «nemo det quod non habet», uoluit illis ostendere quod illam gloriam ipse habebat. Et sicut quando uoluit dare corpori proprio dedit illam, sic etiam daret aliis.

Secundo, hoc fecit ut se ostenderet filium Dei naturale non solum ex testibus ueteris testamenti, sed etiam ex testibus noui testamenti, et etiam testimonio uocis paterne, et etiam per dationem glorie, quod est proprium Deo, quia: *gratiam et gloriam dabit dominus*, Psalmi octogesimo tertio. Hac ratione ponit Leo papa in sermone hodierno.

135 Si dicis: non fuit conueniens quod Christus mutaret formam nec figuram. Dico quod in transfiguratione non mutauit substantiam nec naturam, sed fuit illa eadem caro et ossa, etcetera, et illa eadem forma et figura humana; nec mutauit corpus dispositionem talem quod per illam esset beatum nec impassibile nec immortale, sed tale remansit. Solum mutauit fulgorem, et sic dicit Mattheus: *resplenduit facies eius*, etcetera. Lucas dicit nono capitulo: *facta est species eius altera*, id est, alterata lumine glorie. Et istud lumen egrediebatur ab anima beata, quia anima Christi ab instanti unionis fuit beata, ut dicit sanctus Thomas: «simul erat uiator et comprehensor», tertia, questione decima quinta, decimo, obiectione; et tertio, distinctione decima quarta et distinctione decima octaua, secundo, obiectione; in Questionibus De Veritate, questione uicesima nona, sexto; et Quodlibet, undecimo, 140 questione secunda, primo, obiectione. Quod hoc fuerit in primo instanti conceptionis patet tertia, questione septima, duodecimo; et tertio, distinctione decima tertia, questione prima, secundo, questione tertia, obiectione; in Questionibus De Veritate, questione uicesima nona, octauo, obiectione. Et sic ab anima sit corpus beatum et impassibile et immortale, dum in eum redundat gloria anime, ut dicit Augustinus in epistola ad Dioscorum. Et sicut 145 in laterna a candela interiori illuminantur partes eius exteriores, et si pellicula poneretur inter candela et uitrum uel ferrum laterne, tunc non illuminarentur, sic fuit in anima Christi. Nam uoluntate diuina detinebantur radii ne in corpus exirent ad hoc: ut corpus remaneret passibile propter nos. Dum uoluit in aliquo breui tempore illam gloriam relaxauit ut nunc in 150 transfiguratione.

---

116: Mt. 3, 2. | 119: Mt. 22, 30. | 127: Mt. 16, 27. | 133: Ps. 83, 12. | 139: Mt. 17, 2. | 140: cf. Lc. 9, 29.

128: cf. Ius., *Dig.*, L, 17, 54, p. 922. | 134: cf. Leo., *Serm.*, LXXI, 3. PL 54, 388AB. | 142: Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 15, a. 10, p. 132; *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 14, q. 1, a. 1, qc. 5, p. 720; dist. 18, q. 1, a. 2, p. 934; *Qu. De Ver.* (vol. 2), q. 29, a. 6, p. 864; *Qu. Quodl.* (vol. 10), IX, q. 4, a. 3, p. 304. | 146-148: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 7, a. 12, pp. 74-75; *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 13, q. 1, a. 2, qc. 3, p. 674; *Qu. De Ver.* (vol. 2), q. 29, a. 8, p. 869. | 149: cf. Aug. Hipp., *Ep.*, CXVIII, 3, 14. PL 33, 439A.



155 Si dicis: igitur saltem pro illo tempore illud corpus fuit beatum et impassibile et  
immortale? Dicendum quod non et probatur tripliciter. Primo, ratione anime dantis;  
secundo, ratione modi dandi; tertio, ratione luminis.

Ratione dantis, quia quando anima est totaliter beata et impassibilis dat beatitudinem et  
impassibilitatem corpori, sed anima Christi fuit beata quo ad partem superiorem, scilicet:  
160 quo ad mentem, quia fouebatur quo ad intellectum et uoluntatem. Sed quo ad illam partem  
que erat in corpore et informabat illud, scilicet: quo ad potentias inferiores, scilicet:  
uegetatiuam et sensitiuam, erat passibilis, et sic dixit tempore sue passionis: *tristis est anima  
mea*, etcetera. Item Psalmi octogesimo septimo: *repleta est malis anima mea*, scilicet:  
«penalitatibus», ut dicit glosa, quia nullum peccatum habuit, etcetera. Et sic cum anima  
165 esset passibilis secundum partem inferiorem, secundum quam corpus informabat, non  
poterat uel noluit ei dare impassibilitatem. Exemplum: quando arbor habet uiriditatem et  
flores in parte superiori, sed in parte inferiori radicum, que in terra fundantur, habet  
aliquam lesionem, simul potest dici quod rideat et ploret. Ridet quo ad partem superiorem  
florum, sicut dicitur “pratum rideat”, sed potest flere et aquam mittere quo ad radices terre  
170 si in illis leditur, sic in proposito.

Secundo, hoc patet ex modo dandi, quia non dabatur ei lumen fixe et in habitu, sed  
solum in transitu, ut patet de lumine fulminis in raptu. Et sicut Paulus non fuit beatus in  
habitu, licet habuerit actum beatificum, ut dicit sanctus Thomas secunda secunde,  
questione centesima octogesima; et in Questionibus De Veritate, questione decima tertia,  
175 secundo capitulo, sic Christus habuit actum dotis corporis, sed non habitum, ut patet si  
lapis pretiosus illuminatur a candela, non dat ei maiorem perfectionem, ut patet in cristallo.  
Sed si esset alius lapis, ut carbunculus, qui habet in se lumen permanens respectu alterius,  
diceretur beatus. Item si esset aliquod animal quod non luceret nisi in presentia lucis et  
aliud, sicut noctiluca, qui ex se lucet, iste diceretur beatus respectu alterius, sic in proposito.

Tertio, ratione luminis, quia hoc lumen sic illuminabat, quod non beatificabat. Et sic  
solum gloriam ostendebat, quam non dabat. Exemplum: in igne fornacis in quo tres pueri  
positi fuerunt, Danihelis tertio. Ille ignis sic lucebat quod non ardebat, nam cum ignis  
habeat duo, scilicet: lucere, quod ei conuenit secundum actum primum, quia lux est forma  
substantialis ignis et actus primus, ut dicit Philosophus in libro de Generatione, et actus  
185 secundus, qui est ardere, potest separari ab actu primo per potentiam diuinam, sequitur  
quod sicut ille ignis potuit lucere et non ardere nec comburere. Sic hoc lumen glorie potuit  
illuminare et non beatificare, qui erat actus secundus. Et sicut ille ignis illuminabat facies  
puerorum, sed nec illos nec uestes comburebat, sic hoc lumen glorie sic illuminabat, quod  
non beatificabat. Et sic dicit Hugo de Sancto Victore quod Christus, dum uoluit, habuit  
190 actus quattuor dotum corporis, scilicet:

subtilitatem in natiuitate. Cum esset corpus grossum mediante subtilitate, exiuit ab utero  
uirginis, illa uirgine incorrupta remanente.

Secundo, habuit impassibilitatem in die cene, quando licet haberet corpus passibile,  
impassibiliter dedit discipulis in sacramento uel, ut aliis placuit, in ieiunio quadraginta

---

162-163: Mt. 26, 38. | 163: Ps. 87, 4. | 182: cf. Dn. 3, 6.

164: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 3), Psal. 87, 4, ff. 216rv. | 173: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 180, a. 5, p. 1042; *Qu. De Ver.* (vol. 2), q. 13, a. 2, p. 420. | 184: cf. Arist. Lat., *De Gen. Et Corr.*, I, 7, 324b19, p. 39. | 189: Hugo de Sancto Victore] *Auctor err.* cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 81, a. 3, p. 691; cf. Inn., *Serm.*, XIV. PL 217, 382A.

173: *Post* sanctus M *omm* Thomas.

195 dierum, quando actio electorum fuit suspensa. Et sic pati non potuit, quia sicut cessante motu celi non erunt in machrocosmo, id est, in mundo maiori, generationes nec corruptiones. Sic cessante motu electorum in michrocosmo non erunt generationes nec corruptiones. Et sic tunc nulla passio animalis erat in illo hodie.

Tertio, habuit claritatem in transfiguratione.

200 Quarto, agilitatem quando super aquas ambulauit.

Et si dicis: igitur etiam Petrus habuit actum dotis et non habebat animam beatam, quia super aquas siccis pedibus ambulauit, ut patet Matthei decimo quarto quando ambulauit super aquas. Dicendum quod Petrus non ibat super aquas, quia haberet naturaliter in se dispositionem et naturam ambulandi sicut Christus, sed sicut quando quis submergitur propter grauitatem suam, si erigitur ab aliquo et manu tenetur, sic fuit de Petro. Sicut  
205 quando plumbum uult in profundum ire, si ligatur ad suber (quod uulgariter dicitur “alcornoque”) tenetur ab illo ne submergatur. Exemplum etiam de illo qui habet habitum natandi in se, sic ambulat non se submergendo in aquis, sed ille qui talem habitum non habet submergitur, nisi ab aliquo teneatur. Sic fuit in proposito. Nam Petrus tenebatur  
210 manu fidei, sed dum dubitauit immediate submergebatur, et sic dixit ei Christus: *o modice fidei, quare dubitasti?* Et sic Petrus uirtute Christi sustentabatur, sed Christus propria uirtute. Et sic licet ambulare eius super aquas esset similiter supra naturam, aliquid tamen erat naturale, scilicet: a natura corporis nullam habente grauitatem peccati et a natura anime beate et a natura diuinitatis. Et sic propter istas causas et isto modo Christus hodie  
215 *transfiguratus est*. Quo ad primam partem.

Secunda pars euangelii: *assumpsit Iesus Petrum, Iacobum*, etcetera. Volens Christus suam gloriam ostendere discipulis sicut ante sex dies promiserat, noluit ad hoc omnes discipulos assumere, quia hoc erat arduum et secretum negotium et non omnes erant capaces ad hoc, nec esset secretum si omnibus reuelaretur et sic esset impedimentum sue passionis. Debit  
220 tamen aliquos sumere ad hoc: ut in futurum essent huius negotii testes. Et cum: *in ore duorum uel trium stet omne uerbum*, Deuteronomii decimo septimo, sequitur quod debuit aliquos sumere et non unum tantum.

Si dicis: sufficiebant duo, sicut etiam de ueteri testamento non fuerunt nisi duo. Dico quod non sufficiebant duo in nouo. Nam quando lex dixit, Deuteronomii decimo septimo:  
225 *in ore duorum uel trium*, etcetera, duorum dixit propter uetus testamentum, quia in eo erant lex et prophete tamquam duo testes, sed trium dixit propter nouum, in quo requiritur probatio trium personarum.

Primo, quia sicut lex perfecta, sic probatio perfecta, que stat in tribus, quia secundum Aristotelem, primo libro Celi et Mundi, «totum et perfectum idem sunt». Et illud est quod  
230 constat ex tribus, scilicet: ex principio, medio et fine, et sic in tribus dicimus omnes, etcetera.

Secundo, hoc patet quia in ueteri testamento non erant sic aliqua explicita sicut in nouo, et sic magis difficilima ad credendum, et per consequens maior probatio erat requisita.

---

202: cf. Mt. 14, 29. | 210-211: cf. Mt. 14, 31. | 215-216: cf. Mt. 17, 2. | 220-221: Dt. 17, 6. | 225: Dt. 17, 6.

229: cf. Auctor. Arist., *De Cael. Et Mun.*, I, 2 (268a9-24), p. 160; cf. Arist. Lat., *Phys.*, III, 6, 207a8-10, p. 129; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 184, a. 3, p. 1067; *Comm. De Cael. Et Mun.*, I, 2, 4, p. 7; *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 70, a. 2, p. 448.

232: Testamento] M testamenti.

235 Tertio, quia in nouo continetur uetus quo ad credulitatem, nam qui credit que continentur in nouo oportet presupponere que erant in ueteri. Et sic Moses et Helias, qui fuerunt testes in isto negotio, non uenerunt nisi ad testificandum de Christo et quod probatio sua remaneret in illis tribus apostolis noui testamenti. Et hoc est quod dicit Iohannes in canonica sua, prima Iohannis quinto: *tres sunt qui testimonium dant in celo: pater, uerbum et spiritus sanctus, et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, sanguis et aqua.*

240 Si dicis: quare hos tres potius assumpsit? Dicendum quod tamquam principaliores de collegio et magis aptos ad hoc, nam ut dicit Theophylactus: «erant uertices apostolorum». Nam Petrus fuit omnibus feruentior, ut patet in multis. Et si aliquem apostolorum debuit sumere, iustum fuit quod illum assumeret. Item quia pastor gregis debuit scire de quo pastu gregem informaret. Item cum clauis haberet ecclesie, secreta thesauri debuit scire, nam  
245 quando alicui committitur clauis alicuius arce dicit: “uideamus quid mihi remanet intus”, etcetera. Sed Iohannem assumpsit, quia magis dilectus, et signum amicitie est reuelare secreta, nam Christus dicit, Iohannis decimo quinto: *iam non dicam uos seruos, sed amicos, quia omnia que audiui a patre meo nota feci uobis.* Item quia illi erat mater commendanda, et sic cum dignitas matris esset a dignitate filii, debuit gloriam et excellentiam filii ei ostendere. Item  
250 propter excellentiam uirginitatis, nam si secreta celi propter hoc habuit reuelata dicendo: *in principio erat uerbum*, et a fortiori etiam secreta glorie que erant in terra ostendenda. Sed Iacobum filium Zebedei assumpsit, quia erat excellens post Petrum et Iohannem, et cum tres uoluit et debuit eligere, sequitur quod iste in ordine erat sumendus. Item cum in morte erat maxime uenerandus, in uita uoluit illud ostendere. Et sic istos tres habuit Christus  
255 precipuos secretarios in suo collegio, et illos secum adduxit in suscitatione puelle et in horto, etcetera, sic hic similiter. Item quia iste Iacobus debebat prius mori pro Christo et sic ut animarentur ad hoc, illum assumpsit ut gloriam et mercedem uideret. Item quia Iohannes et Iacobus credebant esse regnum Christi temporale et in hoc mundo Christus eis ostendit esse glorie future, etcetera. *Et duxit illos in monte excelsum*, etcetera. Hic mons secundum  
260 omnes fuit Thabor, qui est fortissimus et altissimus terre promisionis, unde Psalmi octogesimo octauo: *Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt*, etcetera. Et dum fuit super montem, transfiguratus fuit ostendendo lumen glorie eis, quia *resplenduit facies eius*, etcetera. Voluit potius actum dotis claritatis ostendere quam alicuius alterius dotis.

265 Primo, quia isti testes debuerunt testificare de uisu. Et cum lux sit uisibile per se et proprium motus aliarum non, et cum claritas promittatur ad gloriam, unde: *fulgebunt iusti*, etcetera, Matthei decimo tertio, item magis delectat. Item in isto ostenduntur alii actus aliarum dotum. Item alias iam ostenderat, sed istum actum non, etcetera. *Et ecce apparuerunt eis Moses et Helias.* Moses uenit quo ad animam in corpore assumpto, ut angeli faciunt, et uenit de limbo sanctorum patrum. Sed Helias uenit uiuus de paradiso terrestri, et sic  
270 cognouerunt eos in lumine glorie. Nam sicut hoc lumen ostendit colores, sic lumen glorie ostendit clare nobis in gloria omnes quos ante non uideramus, etcetera. Item cognouerunt eos ex locutionibus, nam ut dicitur Luce nono: *loquebantur excessum.*

275 Primo, peccati Ade; secundo, crudelitatis iudeorum; tertio, amoris Dei patris; quarto, doloris Christi propter nos; quinto, existentium in limbo, quem completurus erat in Hierusalem.

Et sic Moses cum maxima reuerentia dixit cum quanto desiderio illum sperabant omnes patriarche, prophete et reges et omnis populus ab eo eductus de Egipto et omnes qui sub

---

238-239: I Io. 5, 7-8. | 247-248: Io. 15, 15. | 250-251: cf. Io. 1, 1. | 259: cf. Mt. 17, 1. | 261: Ps. 88, 13. | 262: cf. Mt. 17, 2. | 265: Mt. 13, 43. | 267-268: cf. Mt. 17, 3. | 272: Lc. 9, 31.

241: cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Mc., IX, 1, p. 496.

280 sua lege militarunt, et sic in his uerbis cognouerunt illum esse Mosen. Item Helias dixit cum quanto desiderio ipse et socius suus Enoch illum sperabant in paradiso terrestri, et sic illum cognouerunt.

Tunc Petrus dixit ad Iesum: *domine, bonum est nos hic esse*, quia gustauerat gloriam illam que erat maxime suauitatis. Item hoc principaliter dixit timendo ne propter consilium Mosi et Helie Iesus iret in Hierusalem ad passionem. Et non solum timebat Christum pati, sed etiam credebat quod omnes apostoli interficerentur in Hierusalem, nam dixerat ante sex  
285 dies, Matthei decimo sexto: *sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis in regno suo*. Igitur credebat quod postquam uiderant gloriam regni quod immediate morerentur quia dixerat “donec”, etcetera. Ideo Petrus timens hoc noluit dicere: “non ascendamus in Hierusalem”, timens etiam quod increparetur a Christo, sicut ante  
290 quando dixit ei, Matthei decimo sexto: “*absit hoc domine a te*”. Et ille dixit: “*uade post me, Satana*”, etcetera. Ideo dixit: *domine, bonum est nos hic esse*. Quasi dicat: “si hic manemus non ibimus in Hierusalem et si inimici uestri uenient ad nos, erimus certiorati ante propter distantiam, quia sunt uiginti nouem leuce a Hierusalem usque huc, et etiam ratione dispositionis montis Thabor, quia est mons fortissimus”. Et sic credebat quod si illi pharisei uenissent, isti se facerent fortes in monte. Ideo dicebat: *domine, bonum est nos hic esse*. Item  
295 hoc dicebat quia multum confidebat in Mose et Helia pro adiutorio, nam cogitabat: “si ueniunt ad nos aut uenient de nocte aut de die. Si de nocte, Moses dabit nobis columnam ignis sicut fecit in egressu Egipti. Si ex parte diei ueniunt, Moses poterit dare eis tenebras sicut fecit in Egipto, quia unus non uidebat alium, etcetera. Ideo *bonum est nos hic esse*”. Item cogitabat quod si forte uenirent et circumdarent montem et fame illos uellent accipere,  
300 quod Moses dedit manna de celo et sic posset dare nunc et dedit coturnices, etcetera. Ideo dicebat: *domine, bonum est nos hic esse*. Item dicebat: “si forte propter defectum aque in isto monte altissimo uolunt comprehendere nos, hic adest Helias qui dedit aquam cum non plueret annis tribus et mensibus sex. Item si forte deficiunt nobis arma, ecce Helias, qui fecit uenire ignem de celo et interfecit quinquagenarios, ibidem sic poterit nunc inimicos, et  
305 Moses, qui fecit quod angelus interficeret primogenita Egipti. Et si forte omnia ista non sufficiunt, Helias poterit nobis parare currum igneum et in illo liberabimur coram eis sicut ipse fecit coram Heliseo, etcetera. Ideo *bonum est nos hic esse*”, etcetera. Dicit Marcus: *nesciebat quid diceret Petrus*. Ideo dicit Hieronymus in persona Christi: «erras, Petre». Si non ascendit Christus in Hierusalem, quomodo implebuntur scripture? Et quomodo dabit nobis gloriam que speratur mediante passione sua? Item erras, Petre, quia credis beatitudinem esse hic in terra. Ideo dicis: *bonum est nos hic esse*. Item erras, Petre, quia putas habere beatitudinem sine morte, non credas. Item erras, cum tantum timeas mortem pro Christo. Item erras, Petre, tantum confidendo in hominibus istis. Nam si Moses et Helias mirabilia fecerunt, hoc fecerunt uirtute Christi tui magistri, quia Moses fuit figura, iste Christus ueritas, Helias fuit umbra, iste Christus lux. Tunc cogitauit Petrus qualiter idem Christus dixerat: *ego sum ueritas*,  
315 Iohannis decimo quarto, *ego sum lux*. Et tunc dixit Petrus: “hoc est quod Dauid dixit petendo hunc redemptorem in Psalmo quadragesimo secundo: *emitte lucem tuam et ueritatem tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum*”, scilicet: Thabor, quia sic dicitur ab eo epistola hodierna in canonica sua: *et hanc uocem nos audiuimus cum essemus cum eo in monte sancto*. Sed sequitur: *et in tabernacula sua*. “Hoc deficit nobis –dicit Petrus– nam sol et pluuia obstabunt nobis si tabernaculum non habemus in isto monte”. Ideo tunc dicit: *domine, si uis*

281: Mt. 17, 4. | 285-286: Mt. 16, 28. | 289-290: Mt. 16, 22-23. | 290: cf. Mt. 17, 4. | 294: cf. Mt. 17, 4. | 298: cf. Mt. 17, 4. | 301: cf. Mt. 17, 4. | 307: cf. Mt. 17, 4. | 307-308: Mc. 9, 5. | 311: cf. Mt. 17, 4. | 315: Io. 14, 6. | 316: cf. Io. 8, 12. | 317-318: Ps. 42, 3. | 319-320: II Pt. 1, 18. | 320: cf. Ps. 42, 3. | 321-322: cf. Mt. 17, 4.

308: Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, III, 17, 4. PL 26, 122C.

285: Matthei decimo sexto] M, X Luce nono.

*faciamus hic tria tabernacula: tibi unum*, etcetera. O Petre, etiam erras, quia gloria non erit in tabernaculis, sed in clara Dei uisione et contemplatione; non in tribus, sed in uno celo empireo. Non debet habere Moses tabernaculum glorie, nam lex Mosi gloriam non dabat  
 325 nec indiget tabernaculo, quia propter corpora facta sunt, et ipse corpus proprium non habet. Nec etiam Helias debet habere glorie tabernaculum, quia prophete gloriam non dabant, nec indiget illo cum in paradiso habeat bonum, etcetera, ideo erras dicendo, etcetera. Instruimur nunc a Christo quod qui recte debet transfigurari, debet illum sequi.

Primo, sumere secum Petrum ut fit fortis in eius fide. Et cum fit pastor esse ouem gregis  
 330 sui et cum fit habens clauis ouilis, debet nunquam ab ouili gregis recedere.

Item debet habere Iacobum luctando cum uitiis et patiando pro Christo.

Item debet habere Iohannem contemplando in scriptura et semper querendo gratiam in illa et conseruando illam.

Item debet ascendere in montem non querendo hic in mundo gloriam, et seorsum  
 335 separando se a perturbationis huius seculi.

Item debet habere secum Mosen, qui est «sumptus ex aquis», et debet cogitare qualiter recipit baptismum et promisit abrenunciare Satane, etcetera.

Item debet habere secum Mosi doctrinam, legendo et considerando qualiter omnia que  
 340 nunc habemus in illa fuerunt promissa. Sed debet considerare quod Moses nunc uenit iam mortuus. Sic doctrina sua iam mortua est et impleta, et ideo non debet circumcidere se nec filios nec debet iam ieiunare illa ieiunia nec seruare sabbatum, etcetera. Illa iam sunt mortua, ideo Moses erat hic mortuus.

Item debet habere secum Heliam legendo prophetias, que licet sint iam preterite quo ad  
 345 illa que de Christo dixerunt, sed etiam uiuunt quo ad alia et quo ad iudicium finale, etcetera. Ideo uiuus uenit Helias, unde Malachie quarto dicitur: *mittam uobis Heliam prophetam ante*, etcetera. Et sic ante iudicium finale ueniet Helias ad uincendum antichristum. Et sic debes habere Heliam ut in monte habeas iudicium finale. Et sic est uiuus Helias. Sed nota quod tria genera hominum dicunt hodie: *bonum est nos hic esse*.

Primo, heretici dicunt: “pater meus fuit combustus et mater, etcetera, sed ego confessus  
 350 fui mea delicta, igitur *bonum est nos hic esse* postquam penitentiam impleuimus”. Conuersi ex iudaismo dicunt: “pater et mater et consanguinei fuerunt mortui in mari et qui non fuerunt mortui in mari reuersi sunt pauperes, et cum ignominia non potentes uiuere, nec inuenientes aliquod regnum ad manendum. Nos qui conuersi fuimus ad Christum uiuimus et letamur, igitur *bonum est nos hic esse*”. Similiter hoc dicunt conuersi ex secta Machometi  
 355 uidendo excellentiam ecclesie et considerando stultitiam illius secte, etcetera. Igitur omnes isti dicunt: *bonum est nos hic esse*, sed opus quod dicant: *faciamus hic tria tabernacula*, et isti tales opus quod faciant tria tabernacula.

Primum tabernaculum mansionis fidei sicut domus sit ad manendum. Et licet sit una  
 360 domus, sunt in ea alique mansiones. Sic in tabernaculo fidei, licet sit unum in illo, sunt tamen tres mansiones, quia debet quilibet istorum firmiter credere in patrem, in filium et in

345: Mal. 4, 5. | 348-356: cf. Mt. 17, 4.

336: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, VT., Ex., M. PL 23, 789A.

346: Antichristum] M X antechristum.

spiritum sanctum. Et iste sunt tres mansiones et tres persone, sed unum tabernaculum, scilicet: unus Deus. De isto dicebat Daudid in Psalmo decimo quarto: *domine, quis habitauit in tabernaculo tuo?* Scilicet: in gloria tua, etcetera.

365 Secundum est tabernaculum salutis, ut sunt apothecarie pro salute recipienda. Et hoc est tabernaculum humanitatis Christi, unde Apocalypsis uicesimo primo: *ecce tabernaculum Dei cum hominibus*. Et hoc dicitur salutare, unde Symeon: *uiderunt oculi mei salutare tuum*, etcetera, Luce secundo.

370 Tertium est tabernaculum refugii, ut sunt tabernacula pastorum uel existentium in montibus, nam in tempestatibus in illis est refugium. Hoc est tabernaculum uirginis Marie: «in necessitatibus Mariam inuoca», etcetera, dicit Bernardus. Et ista est que illuminat hereticos, infideles et malos christianos, etcetera. De isto habetur Psalmi decimo octauo: *in sole posuit tabernaculum suum et ipse tamquam sponsus procedens*, etcetera.

375 Secundum genus hominum dicentium *bonum est nos hic esse* sunt iudices, magnates et ciues Cesaragustanenses uidentes quod pluribus annis moriuntur de peste Barchinone, Valentie, Calataiubii et in tota Hispania, sed ciuitas Cesaraguste miraculose liberatur, ideo omnes concurrunt ad illam et dicunt: *bonum est nos hic esse*. Sed dico quod nihil est si non dicunt: *faciamus hic tria tabernacula*.

380 Primum tabernaculum orationis, scilicet: ecclesie recurrendo ad ecclesia pro gratiarum actionibus de tanto miraculo, nam semper porte ciuitatis sunt aperte et sanitas admirabilis in ciuitate, etcetera.

Secundum tabernaculum pauperum, quod est hospitale Sancte Marie de Gratia uisitando, seruiendo infirmis, etcetera.

385 Tertium tabernaculum iustitie, nam nulla est in hac ciuitate, sed multa latrocinia, multe mortes et mutilationes membrorum. Nam in nostro hospitali sunt uiginti uulnerati et plures quam nunquam uidi, etcetera.

Tertium genus dicentium *bonum est nos hic esse* est populus dicens: o quam bonum est audire bonum sermonem! Dico quod debet facere tria tabernacula ad hoc ut sermo sit bonus.

390 Primum tabernaculum contritionis in corde, scilicet: habere dolorem de peccatis et proponere iterum non peccare.

Secundum tabernaculum oris, scilicet: laudando dominum et confitendo peccata sua.

Tertium tabernaculum operis satisfaciendo pro peccatis per opera bona et cessando ab usuris, etcetera, et restituendo preterita mala.

395 Et sic qui talia facit, habet in presenti gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat Dei filius, etcetera. Amen.

---

362-363: Ps. 14, 1. | 365-366: Apoc. 21, 3. | 366: Lc. 2, 30. | 371-372: Ps. 18, 6. | 373: cf. Mt. 17, 4. | 376-377: cf. Mt. 17, 4. | 386: cf. Mt. 17, 4.

370: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 17. PL 183, 70D.

SERMO NONAGESIMVS QVARTVS ET SECVNDVS IN TRANSFIGVRATIONE DOMINI NOSTRI  
IESV CHRISTI

<THEMA> *Resplenduit facies eius sicut sol*, Matthei decimo septimo.

Originaliter recitatie autem, etcetera.

5 Tres facies splendidas legimus in sacra scriptura. Prima fuit facies Mosi; secunda facies Christi; tertia fuit facies uirginis Marie.

De prima habetur Exodi tricesimo quarto capitulo, quando ascendit Moses secundo post fractionem tabularum in monte Sinai et descendit cum facie radiante cornuta.

10 De secunda, scilicet: de Christi facie, habetur non solum tempore transfigurationis sicut Mattheus, Marcus et Lucas dicunt, sed etiam ante, ut dicit sanctus Thomas in tertia parte, questione quadragesima quarta, allegans Hieronymum dicens quod quando Christus eiecit ementes et uedentes de templo et nullus poterat illi resistere, dicit quod hoc erat quia radii exhibant de facie Christi, etcetera.

15 De tertia habetur Matthei primo super illud "*Ioseph non cognouit eam*", dicit sanctus Thomas quod uirgo Maria post Christi conceptionem habuit faciem ita splendidam quod sponsus suus Ioseph illam non cognoscebat uidendo faciem illius, etcetera.

20 Si dicis: quare iste tres facies leguntur lucide et radiantes potius quam alie? Dicendum quod ratio est primo de Mose, qui fuit primus legis Dei lator in terris, et fuit in arca in qua omnia priuilegia promissa fuerunt. Et sicut in arca, in qua sunt priuilegia, pingitur uel cooperitur ex serico uel ponuntur picta arma ciuitatis uel regni, etcetera, sic in Mose, in quo erant priuilegia et promissiones Dei, apparuit gloria Dei in illo, etcetera.

Secundo, de Christi patet quod rationabiliter fuit. Nam si arca promissionum fuit gloriosa, multo magis licebat quod ipse rex qui promissiones impleuit esset in gloria. Et sic locus in quo est rex coaptatur cortinis deauratis.

25 Tertio, de uirgine Maria rationabiliter fuit. Nam si arca in qua erat promissa et locus in quo est rex implens illa fuerunt in gloria, a fortiori uirgo Maria, in qua fuerunt omnia promissa et impleta recondita, ut aula regia et domus domini, etcetera. Figura in arca federis, in qua erant tabule ueteris testamenti et uirga et manna, etcetera. Sed ista non fuerunt equalia, nam si comparamus claritatem Mosi ad claritatem Christi inueniemus  
30 maximam differentiam. Et sic pro nunc assignatur triplex differentia inter illa.

Prima est ratione subiecti, nam ut dicitur in glosa Exodi tricesimo quarto, et est Origenis, claritas Mosi fuit in sola facie eius, sed claritas Christi in toto corpore.

35 Secunda differentia fuit quo ad causam, nam claritas Mosi fuit causata a claritate exteriori diuina solum ex colloquio et confabulatione Dei, sed claritas Christi fuit intrinseca, cum in ipso esset fons charitatis, que erat diuinitas. Exemplum: claritas Christi ut in radio solis, sed Mosi ut est splendor a sole in pariete reuerberante. Item claritas Mosi erat solum

---

3: Mt. 17, 2. | 7: cf. Ex. 34, 30. | 10: cf. Mt. 17, 2; Mc. 9, 1; Lc. 9, 29. | 14: Mt. 1, 25.

10: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 44, a. 3 ad 1, p. 338. | 11: cf. Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, III, 21, 15. PL 26, 152B. | 15: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 16, q. 2, a. 2, p. 862; *Sup. Mt.*, I, 6, p. 23. | 32: cf. Orig., *Hom. In Ex.*, XII, 1. PG 12, 382C; cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Ex., 34, 30. PL 113, 291C; cf. Pau. Dia., *Hom. De Temp.*, XVII. PL 95, 1163A; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 16, q. 2, a. 2, p. 862; *Sup. Mt.*, I, 6, p. 23.

in superficie faciei, sed Christi in profundo. Item claritas Mosi sedebat uisum, ut dicit sanctus Thomas in tertio, distinctione decima sexta, questione secunda, secundo capitulo. Et sic dicitur Exodi tricesimo quarto, quod non poterant filii Israhel intendere in faciem eius, sed claritas Christi non solum non ledebat, sed confortabat et alliciebat. Vnde Hieronymus dicit super illud Mattheum nono: *“sequere me” et confestim secutus est eum*. Dicit Hieronymus: «fulgor maiestatis deitatis occulte que etiam in facie relucebat humana uidentes ad se trahere poterat ex primo aspectu», sic Mattheum traxit repente. Exemplum: qui uirtutem dedit adamanti ut traheret ferrum melius poterat habere in illis radiis, etcetera. Sed causa huius erat quia lux Christi erat immediate a diuinitate et alter mediante facie Mosi, et illa que sunt immediate a Deo sunt excellentiora. Et sic illa ledebat, ista non, sicut lux solis ledit uisum, quia mediante planeta, etcetera.

Tertio, differunt significatione, nam claritas Mosi significabat promissa in ueteri lege scripta. Et sic erat in facie, quia sermo legis et littera. Sed claritas Christi significabat impletionem littere.

Primo, plenus sapientia et scientia: *in quo sunt omnes thesauri sapientie et scientie Dei absconditi*, ad Colossenses secundo.

Secundo, plenitudo gratie, unde Iohannis primo: *uidimus eum plenum gratie et ueritatis; de cuius plenitudine nos omnes accepimus*.

Tertio, plenitudo diuinitatis, ideo dicitur ad Colossenses secundo: *in ipso inhabitat omnis plenitudo*. Et sic maior claritas Christi, unde Apostolus, secunda Corinthiis tertio: *si ministratio spiritus litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israhel in faciem Mosi propter gloriam uultus eius que euacuatur, quomodo non magis ministrando spiritus erit in gloria? Nam nunc glorificatum est quod claruit in hac parte, si enim quo euacuatur in gloria est, multo magis quod manet*, etcetera. Item notat claritas Mosi litteram, nam cooperiebatur uultus eius, quia: *omnia in figuris contingebant illis*, ut dicit Apostolus, prima Corinthiis decimo. Sed claritas faciei Christi implentis est reuelata, unde Apostolus, secunda Corinthiis tertio: *nos omnes reuelata facie gloriam domini speculantes*, etcetera.

Item patet ex hoc quod Moses manum habuit leprosam, quam in manu leprosa significantur opera legis. Nam nullus in opere iustificatur, quia: *neminem ad perfectum duxit lex*, ut dicit Apostolus, ad Hebreos septimo. Item ad Galatas secundo: *non iustificatur homo ex operibus legis*. Ideo manus immunda, non hodie lampas, non cedaqua, epistola iudeorum, non panis azimus, etcetera. Immunda sit manus et leprosa, sed iterum dum Moses misit manum in sinu abscondito et extraxit illam foras, fuit iam munda, ut habetur Exodi quarto.

Prima manus fuit Ade uersus lignum que fuit leprosa per peccatum et sic significata in lege scripta que peccatum non potuit tollere, sed solum promisit Moses quod per Christum tolleretur.

Secunda manus posita in abscondito sinu fuit Christi in sinu patris, qui apparuit per incarnationem. Et sic mediante manu sua fuit munda manus Ade et nostra, quia mediante sanguine *lauit nos a peccatis nostris* ponendo manum in cruce. Item pedes Mosi fuerunt

---

39: cf. Ex. 34, 33. | 41: Mt. 9, 9. | 51: Col. 2, 3. | 53-54: Io. 1, 14-16. | 54-55: Col. 2, 9. | 56-60: II Cor. 3, 7-11. | 60-61: I Cor. 10, 11. | 62-63: II Cor. 3, 18. | 65: Hbr. 7, 19. | 66-67: Gal. 2, 16. | 69: cf. Ex. 4, 7.

38: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 16, q. 2, a. 2, p. 864. | 42-43: Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, IX, 9. PL 26, 56A.

66: Septimo] M, X undecimo.



descalciati, quia ut habetur Deuteronomii uicesimo quinto, quando sponsus uel uir mulieris moriebatur sine liberis, frater illius mortui debebat ducere uxorem fratris sui in sponsam, et si nolebat, illa descalciabat pedes illius et sic alteri nubebat. Sic ecclesia que incepit in Adam, ipso mortuo patre gratie sine liberis cum gratia, Moses, qui synagogam instituit precepto Dei, ut ostenderetur quod ipse Moses non erat sponsus ecclesie, dicitur illi: *tolle calciamenta de pedibus tuis*, ut notaret quod dicit Origenes in glosa illa allegata, scilicet: Exodi tricesimo quarto, dicens: «soluere iubetur calciamentum, que est pars nouissima». Nam in ultimis temporibus Christo adueniente soluetur Mosi calciamentum, ut Christus tollat sponsam suam. Hoc est quod dicit Apostolus ad Hebreos tertio: *amplioris enim glorie Christus pre Mose habitus est, quanto ampliore honorem habet domus qui fabricauit eam, fidelis Moses in domo eius tamquam famulus in testimonium, etcetera, Christus uero tamquam filius in domo sua*. Igitur maxima differentia erat inter lucem Christi et Mosi in his tribus.

Si dicis: numquid eadem differentia erat inter lucem Christi et uirginis Marie? Dico quod non, sed maxima conuenientia, sicut enim non fuit aliqua persona propinquior Christo quam mater sua, nec communicauit alicui tantum sicut illi, nam datum fuit a filio matri quidquid illa recipere potuit. Et sic claritas Christi et uirginis Marie conueniunt in his tribus iam dictis.

Primo, in uirgine Maria non fuit claritas solum in facie, sed in tota persona illius, sicut in Christo. Nam sicut de filio dicitur Psalmi centesimo tertio: *amictus lumine sicut uestimento*, igitur, per totum, sic de uirgine Maria habetur Apocalypsis duodecimo: *mulier amicta sole*, etcetera.

Secundo, sicut claritas Christi fuit ab ipso sole diuinitatis orta, sic uirginis Marie. Et non fuit splendor reuerberata ex familiaritate Dei sicut illa Mosi, sed a sole quem gestabat in utero. Et sic non fuit solum a superficie sicut Mosi, sed in profundo sicut Christo, et non ledebat sicut Mosi, sed sanabat et alliciebat ut splendor Christi. Nam sanctus Thomas dicit in tertio, distinctione tertia, questione prima, articulo secundo, quod nunquam uirgo Maria ab aliquo quantumcumque malo potuit concupisci, et hoc causabant radii qui ab illa oriebantur, etcetera.

Tertio, significatiue, nam non significabat promissa, sed iam data et in ipsa abscondita. Vnde ipse continendo Christum continebat *omnes thesauros sapientie*, etcetera, omnem gratiam et etiam fontem gratiarum, scilicet: filium Dei. Et sic omnes radii qui oriebantur a Christo transibant per uirginem, quod significabat quod omnes gratie in mundo mediante illa erant impetrande et habende. Et sic Moses non fuit ut sol splendidus, sed ut Lucifer per reuerberationem. Vnde de ipso potest illud Simonis sacerdotis dici, Ecclesiastici quinquagesimo: *quasi stella matutina in medio nebule*, scilicet: ueteris testamenti, etcetera. Sed uirgo Maria, que habebat in utero solem iustitie, unde ecclesia: «ex te enim ortus est sol iustitie», etcetera, ab eodem radio illuminabatur in tota eius persona, sed manifestius ostendebatur in facie eius. Et sic non de Mose, sed de ipsa potest dicitur quod *resplenduit facies eius sicut sol*. Ad hanc igitur in principio sermonis recurramus dicendo: aue Maria, etcetera.

<THEMA> *Resplenduit facies eius sicut sol*, ubi supra.

75: cf. Apc. 1, 5. | 76: cf. Dt. 25, 5. | 80-81: Ex. 3, 5. | 84-86: Hbr. 3, 3-6. | 94: Ps. 103, 2. | 95: Apc. 12, 1. | 105: cf. Col. 2, 3. | 110: Sir. 50, 6. | 113-115: cf. Mt. 17, 2.

82: cf. Orig., *Hom. In Ex.*, XII, 3. PG 12, 384C. | 100: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 3, q. 1, a. 2, p. 176. | 111-112: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, in Ev. PL 78, 802C.

In presenti sermone est uidenda una sola conclusio, que est ista: quod transfiguratio Christi fuit exemplar nostre transfigurationis non solum in hac uita, sed in futura. Primo, igitur est uidendum de Christi transfiguratione ad exemplum, cuius nos transfigurari debemus. Secundo, de nostra transfiguratione.

120 Sed pro introductione prime partis est notandum quod secundum euangelistas Mattheum, Marcum et Lucam, quod postquam Christus dixerat discipulis suis: *quem dicunt homines esse filium hominis*, etcetera? Petrus finaliter dixit: *tu es Christus filius Dei uiui*, etcetera. Et dixit discipulis quod *oportebat illum ire in Hierusalem et multa mala pati et occidi et tertia die resurgere, et assumens eum Petrus cepit illum increpare dicens: "absit a te non erit tibi hoc". Et dixit Petro:*

125 *"uade retro post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea que Dei sunt, sed ea que hominum"*. Dicebat turbis et discipulis: *si quis uult post me uenire abneget semet ipsum et tollat crucem suam et sequatur me, qui uoluerit animam suam saluam facere perdet eam, et quid perdidit animam suam propter me*, etcetera. *Filius hominis uenturus est in gloria patris sui et tunc reddet unicuique secundum opera sua*. Et dicebat illis: *sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis uenientem in regno patris sui*, scilicet: in gloria. *Et post dies sex*, ut dicunt Mattheus et Marcus, uel

130 *post die uere octauo*, ut dicit Lucas capitulo nono. Mattheus et Marcus, non nominat primum diem nec ultimum, quia fuerunt imperfecti, et in scriptura ut plurimum nisi tempus perfectum non numeratur. Sed Lucas numerat diem promissionis et impletionis, nam ut aliqui contemplatiui dicunt, Christus transfiguratus fuit in mane diei dominici. Sicut post

135 resurrectionem, sic illa hora gloriam corporis ostendit et sic promisit in uespere diei dominice. Et quia de die promissionis fuit pars uespertina de die impletionis fuit pars matutina, sic dicit Lucas "post dies fere octo", quia non erant octo perfecti, dixit "fere" que distrahit, etcetera. Et cum esset in Galilea circa ciuitatem Nazareth ad quattuor miliaria uel

140 ad duas leucas, quod idem est: *assumpsit Petrum, Iohannem et Iacobum fratrem eius*. Et sic segregauit illos ab aliis nouem discipulis et dimisit illos nouem inter montem Thabor et Hermon in colle media, quia ascensus erat in montem Thabor ex illa parte. Et sic Christus fuit transfiguratus, ut lumen iret uersus montem Hermon, et hoc est quod dixit Dauid: *Thabor et Hermon in nomine tuo exaltabunt tuum brachium cum potentia*, Psalmi octogesimo octauo, etcetera.

145 Sed: quare non assumpsit omnes ad gloriam manifestandum? Dicendum quod non fuit conueniens, nam hoc debebat esse secretum ante passionem ne daret impedimentum passioni. Et sic dixit illis: *nemini dixeritis uisionem hanc donec filius hominis a mortuis resurgat*. Et sic cum secreta paucis sit manifestanda, sequitur, etcetera.

150 Sed: quare assumpsit tres? Dicendum quod hoc sic debuit esse secretum ante passionem quod erat predicandum et manifestandum post resurrectionem. Et sic cum: *in ore duorum uel trium stet omne uerbum*, ut dicitur Deuteronomii decimo nono, quia ciuilia in ore duorum, grauia in ore trium, ideo tres assumpsit.

155 Patet quia ad legem suam tria testimonia ducit, unde Luce ultimo dicitur: *neesse est impleri que scripta sunt in lege Psalmis et prophetis*. Item: *tres sunt qui testimonium dant in celo et tres sunt qui testimonium dant in terra*, prima Iohannis quinto capitulo, et sic tres eduxit. Item non assumpsit omnes, quia Iudas non erat dignus uidere gloriam Christi, et si solus relinqueretur, daret illi occasionem inuidie et malitie, etcetera.

---

121-130: cf. Mt. 16, 13-28. | 130-131: cf. Mt. 17, 1; cf. Mc. 9, 1; cf. Lc. 9, 28. | 139: cf. Mt. 17, 1. | 143: Ps. 88, 13-14. | 147: cf. Mt. 17, 9. | 150-151: Dt. 19, 15. | 153-154: Lc. 24, 44. | 154-155: I Io. 5, 7-8.

160 Sed: quare istos tres assumpsit potius? Dicendum quod propter hoc: quia hec erat magna res et ardua et secreta. Ideo istos assumpsit, qui erant maiores apostolorum. Nam secreta legis maioribus reuelabantur explicite, minoribus uero implicite.

165 Item secundo, quia secreta, nam isti erant secretarii, quia Petro commisit secreta ecclesie militantis; Iacobo ecclesie triumphantis, quia primus ascendit in celum per martyrium; et Iohanni commisit matrem, in qua fuerunt secreta totius mundi, etcetera. Et sic hos tres assumpsit in secreto passionis in horto, quando sudauit sanguinem. Item hos assumpsit in suscitatione filie archisynagoge, etcetera, Luce octauo.

170 Tertio, propter confirmationem istorum apostolorum, nam Petrus ideo fuit conuersus tempore passionis, quia: *Christus eum respexit*, Luce uicesimo secundo. Et tunc uidendo illos radios faciei Christi Iesu fleuit amare, quia non solum recordatus fuit uerbi Iesu, sed de gloria transfigurationis, etcetera. Item Iohannes non esset ita constans tempore passionis Christi nisi propter gloriam uisam. Item Iacobus qui fuit constans in sustinendo mortem pro Christo inter apostolos primus martyr.

175 Si dicis: quare non assumpsit matrem uirginem ad tantum gaudium? Dicendum quod non fuit conueniens, nam propter confirmationem hoc non indiguit; non propter testimonium, quia illa non debuit testimonium dare de filio proprio; non propter gaudium glorie, quia illam iam uiderat in natiuitate filii, nam ut dicunt doctores, dum illum in manibus recepit, radii a facie filii exhibant et uirginem illuminabant, etcetera. Et duxit illo in montem Thabor circa Nazareth, ut diximus: *et transfiguratus est ante eos*, non mutando figuram, sed gloriam et claritatem in faciem ostendendo.

Sed quare uoluit transfigurari? Dicendum quod propter mundum, Christum et gloriam.

180 Primo, propter discipulos et totum mundum, nam que Christus predicabat erant ardua, difficilia et insolita et inaudita. Igitur dicebant apostoli: *nos relinquimus omnia, quid erit nobis*, etcetera? Oportebat gloriam futuram illis ostendere, ut animaret illos et ipse totum mundum. Ideo tres pro Asia, Africa et Europa, et Moses pro limbo, Helias pro futuro iudicio tempore antichristi. Exemplum: mercator non se exponit periculo maris nisi dum uidet lapides pretiosos, que de partibus illis portantur, etcetera.

Secundo, ex parte Christi, nam uidebant illum pauperem et despectum et promiserat illis gloriam suam dicendo: *filius hominis uenturus est*, etcetera. Sed cum: «nemo det quod non habet», uoluit ostendere gloriam ante resurrectionem, quia tunc non erit quid nouum in bonis et sanctis, etcetera.

190 Tertio, fuit conueniens ex parte glorie, nam postquam erat ostendenda, debuit ostendere illam quantum ostensibilis erat ut dominus glorie, sed ostensibilis quo ad sensum et quo ad intellectum. Cum igitur sensus sit prior intellectu, ut dicit Philosophus: «quia nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu», igitur ante resurrectionem uoluit sensibilibus illam ostendere et post resurrectionem intelligibiliter. Sed cum gloria sit excellens creatura, debuit per sensum excellentiorem ostendere, scilicet: per uisum, qui plures differentias rerum ostendit, ut dicit Philosophus primo Metaphysice. Nam quattuor sensus sunt infra concauum lune, solus uisus ascendit in celum. Sed cum gloria sit qualitas celestis, debuit per

165: cf. Lc. 8, 51. | 167: Lc. 22, 61. | 177: Mt. 17, 2. | 181: cf. Mt. 17, 27. | 187: cf. Mt. 24, 44.

175: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 44, a. 3 ad 1, p. 338. | 187-188: cf. Ius., *Dig.*, L, 17, 54, p. 922. | 192-193: cf. Th. Aq., *Qu. De Ver.* (vol. 1), q. 2, a. 3, 19, p. 49. | 196: cf. Arist. Lat., *Met.*, I, 1, 980a27, p. 7.

183: Europa] M Eurupa.

uisum ostendere. Item per optimum obiectum uisus, quod est lumen, nam color non uidetur sine lumine, sed bene econuerso. Igitur non solum hoc fuit, quia proprietates  
 200 dotum aliarum in lumine includuntur. Nam lux habet subtilitatem, penetrat uitrum sine fractione. Item habet agilitatem, nam in instanti currit ab oriente in occidentem. Item habet impassibilitatem, nam non potest ab aliquo pati nec ab aliquo elementato, ut a gladio, etcetera, nec ab aliquo elementorum. Nam ignis est actiuior aliis et per actionem non corrumpit, immo generat lucem, igitur, etcetera. Et sic Christus ante suam resurrectionem  
 205 ostendit gloriam principaliter per lucem ad sensum; post resurrectionem ostendit principaliter per subtilitatem quo ad intellectum, ut dicit Alexander in Summa in materia de resurrectione.

Si queris: quomodo fuit facta transfiguratio? Dicendum quod anima Christi semper fuit beata et gloriosa, quia unita diuinitati ab instanti conceptionis. Sed gloria anime miraculose  
 210 detinebatur ne redundaret in corpus, ut posset pro nobis pati. Et sic anima erat gloriosa quo ad partem superiorem et erat passibilis quo ad portionem inferiorem. Exemplum arboris que patitur in radicibus et ridet in superiori parte, scilicet: dum est florida. Et sicut anima informando corpus naturaliter dat ei uitam, sic anima gloriosa informando corpus dat illi gloriam, quia corpus de se non habet gloriam, sed deriuatur in corpus ab anima, ut  
 215 dicit Augustinus in epistola ad Dioscorum.

Si dicis: cum anima Christi esset gloriosa et informabat corpus suum, quomodo igitur corpus non erat ante passionem gloriosum, sed passibile? Dicendum quod ratio est, quia anima non erat gloriosa quo ad partem que corpus informabat. Exemplum: si accipio  
 220 ferrum ignitum, ut dolabri aut falcis, et pono partem ferri in lignum, ut sit in manico, etcetera, tunc lignum comburetur. Sed si separatur calor ab illa parte ferri que debet intrare in lignum, tunc ferrum ignitum non comburet lignum, quia non erat ignitum quo ad illam partem que erat in ligno posita. Sic anima non informat nec est in organo quo ad partem superiorem, sed solum quo ad partem inferiorem. Et gloria miraculose detinebatur per uirtutem diuinam, ut fieret in laterna que illuminatur a candela, sed per aliquam pelliculam  
 225 circumpositam posset fieri quod lux candele non redundaret in laterna, sed remota pellicula mox redundaret, sic in proposito. Lux glorie ad tempus promissione diuina fuit derelicta, ut redundaret in corpus, et sic ostendit illam.

Si dicis: erat lux gloriosa, igitur saltem pro illo tempore reddidit corpus gloriosum et impassibile. Dicendum quod non, nam erat lux glorie quo ad essentiam, non autem quo ad  
 230 modum, ut in raptu Pauli. Nam lux permanens glorie facit corpus gloriosum, non autem lux transiens. Exemplum in christallo et carbunculo, nam christallus in presentia candele est illuminata, sed non luminosa, sed carbunculus sic, nam habet claritatem immanentem. Et sicut ferrum ignitum communicando calorem ligno in breui tempore illum calefaceret et non combureret, sic in breui communicando lumen anime corpori fecit illud lucidum, sed  
 235 non gloriosum. Et sic Christus in presentia discipulorum relaxauit uoluntarie lumen glorie in breui ipsi corpori, et tunc *resplenduit facies eius sicut sol*. Quo ad primam partem.

Secunda pars est de nostra transfiguratione, et dimissa illa transfiguratione que erit post resurrectionem, de qua Apostolus ad Philippenses tertio ait: *saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui reformauit corpus humilitatis nostre configuratum corpori claritatis sue*, de qua nihil ad presens. Sed nunc dicemus de nostra transfiguratione ante mortem, quia illa  
 240

236: cf. Mt. 17, 2. | 238-239: Phil. 3, 20-21.

206: cf. Alex. Hal., *S. Th.*, (vol. 4), lib. 3, trac. 6, q. 1, memb. 1, c. 1, pp. 237 sq. | 215: cf. Aug. Hipp., *Ep.*, CVIII, 3. *PL* 33, 438D.

217: Gloriosum] X gloriosam. | 238: Philippenses] M, X Galatas.

mediante ista acquiritur. Sed prenotandum est quod hoc festum transfigurationis fuit institutum solemniter a Calixto Tertio, anno domini mille quadringenti quinquaginta sex, propter uictoriam contra Machometum regem Turcorum in obsidione castri de Belgrado in regno Vngarie, in qua fuerunt presentes dominus Iohannes diaconus, cardinalis Sancti Angeli, et presente Iohanne Baynode duce dignissimo, et uenerabili religioso fratre Iohanne de Cabistrano ordinis minorum. In quo prelio fuerunt quadraginta milia occisi et totidem superstites in fugam castris eorum incensis et nauibus, etcetera. Et sic dicendum quod duplex est talis transfiguratio, una bona et alia mala. Prima a Christo; secunda a demone. Prima de uitio in uirtute; alia econuerso, sicut duo sunt principes unus tenebrarum, scilicet: demon, alius glorie, scilicet: Christus. De primo, Christus dicit: *nunc princeps mundi huius eiicietur foras*, Iohannis duodecimo. De secundo, Isaie nono: *princeps pacis*. Et sic Christus inducit suos ad bonam transfigurationem; sic demone in nomine Christi suos ad malas, non solum per se, sed per suos satellites, unde Apostolus dicit secunda Corinthiis undecimo: *pseudoapostoli transfigurant se in apostolos Christi, sicut Satanas se transfiguratur in angelum lucis*, etcetera. Et sicut transfiguratio Christi fuit in tribus, scilicet: a glorie anime, redundante in corpus et a corpore in uestes, sic transfiguratio illorum qui sequuntur demonem, ut sunt hypocrite. Isti pseudoapostoli qui transfigurantur, primo in anima, secundo in corpore: *exterminant enim facies suas*, Matthei sexto. Item: *in uestibus ouium, attendite a falsis prophetis*, Matthei septimo. Et sic omnes peccatores transfigurantur. Primo, in anima; secundo, in corpore; tertio, in uestibus exterioribus.

In anima, que est ad imaginem Dei creata et per Christi redemptionem facta splendida, sed peccato denigratur, unde Amos ultimo dicitur de peccatoribus: *ut filii ethiopum estis uos*. Item Hieremias dicit, Trenorum quarto, de christianis dicens quomodo per Christum facti fuerunt splendidi et per peccatum nigri. Dicit: *candidiores Nazarei eius, scilicet: christiano, nunc nitidiores lacte*. Et hoc per Christi passionem, nam in lamentationibus de eius passione loquitur, sed iterum subdit: *denigrata est super carbones facies eorum*, scilicet: per peccatum.

Secundo, christiani transfigurantur quo ad corpus ut mulieres per picturam in facie, que omnia precepta transgrediuntur. Primo, faciendo Deum alienum, ut dicit Augustinus in libro De Doctrina Christiana. Exemplum: si pictor faceret aliquam imaginem et postea ueniret alter et alio modo illam corrigeret, certe contra alium faceret et contra illius honorem. Sic in proposito, ut dicit Augustinus ibidem. Item frangit festa, quia in die festo pictores non laborant, sed talis mulier sic. Item contra illud preceptum non mechaberis. Item contra illud non concupisces uxorem alterius, etcetera. Item omnia bona opera corrumpit, quia non bona intentione uadit ad ecclesiam, sed potius ut uideatur. Non audit missam nec sermonem, sed considerat si uidetur. Et sic tales sunt retia diaboli, quibus capit animas aliorum, ut dicit Hieronymus, et sic furantur bonas cogitationes aliorum. Et sic cum hoc fiat in ecclesia communiter, committunt non solum furtum, sed sacrilegium, et essent puniendi, ut falsarii, etcetera. Et non solum mulieres se transfigurant quo ad corpus, sed etiam homines multipliciter. Primo, etiam se pingentes in facie, quod deterius est, ostendentes se esse effeminatos. Ostendunt pectora aperta ac si essent femine lactantes filios suos. Nutrient capillos, unde Apostolus prima Corinthiis undecimo: *uir si comam nutriat ignominia est illi*, a fortiori in clericis qui destruunt coronam. Portant etiam capillos mulierum in capite suo, unde mulieres uendunt capillos suos et decaluantur, ipsi etiam ut illo sibi apponant etiam decaluantur, unde: *omne caput decaluatum*, Hiezechielis uicesimo nono. Item ut melius alieni capilli in suo capite situentur, radunt sepius capita sua et uidentur insensati,

250-251: Io. 12, 31. | 251: Is. 9, 6. | 254: II Cor. 11, 13-14. | 258: Mt. 6, 16. | Mt. 7, 15. | 262: Am. 9, 7. | 264-265: Lam. 4, 7. | 266: cf. Lam. 4, 8. | 281-282: I Cor. 11, 15. | 284: Ez. 29, 18.

242: cf. Ant. Flo., *Chr.*, XXII, 14, 1, p. 579. | 268: cf. Aug Hipp., *De Doc. Christ.*, IV, 29, 62. PL 34, 120A. | 276: Hieronymus] *Auctor err.* cf. Orig., *Hom. In Ct.*, III. PG 13, 183A.

nam rex Annon in maximum dedecus regis Dauid nuntios suos decaluauit, primo Paralipomenon decimo nono. Ex hoc prouenit quod in mundo est defectus discretionis, nam cum cerebrum sit frigidior pars animalis, et ideo natura dedit capillos in illa parte, isti insensati radunt illam partem et sic infrigidatur, etcetera.

290 Tertio, transfigurantur in uestibus. Primo, homines portantes camisiam apertam pectora ostendentes. Item portant cofiam mulierum in capitibus. Item portant laruas pestiferas, ex quibus multa mala sequuntur, ut uidemus in partibus Italie. Item mulieres portant cingulum hominum et mantellum hominum in brachio, unde dominus dicit, Deuteronomii uicesimo secundo: *non induetur mulier ueste uirili nec uir utetur ueste feminea, abominabilis enim apud Deum est qui facit hoc*. Maxime est in Hispania hec corruptela, nam propter hanc pompam depauperantur et filias nubere non possunt propter maximam dotem. Vnde hoc est propter defectum uirtutis in mulieribus, nam quod deficit in moribus, suppletur pecunia. Recitat autem Trogus Pompeius, libro tertio, quod Licurgus rex lacedemonum statuit duodecim leges lacedemoniis que illis dure uidebantur. Et sic auctorem ipsarum Apollinem  
295  
300 Delphicum finxit promisitque et dixit se proficere ad eius oraculum, ut illas ampliaret uel in illis dispensaret, sed iuramento obligauit ciuitatem ut nihil mutarent, sed plene obseruarent donec ipse reuerteretur. Quo facto, iuit Cretam in exilium perpetuum et moriens iussit ossa sua iactari in mare ne, si reportarentur, estimarent lacedemonii se liberos et solutos a iuramento facto. Vna illarum legum erat iuuenes non amplius nisi una ueste toto anno uti.  
305 Secunda lex fuit uirgines absque dote nubere ne uirtus sperneretur et auaritia amplexaretur. Sic esse faciendum in his partibus, si essent homines prudentes in curia, ista ordinare et limitare.

Alia est transfiguratio bona que est a Christo precepta, nam sicut Christus postquam predixerat apostolis suis: *sunt de his stantibus*, etcetera, post sex dies fuit transfiguratus. Sic  
310 quilibet peccator postquam audit a predicatore que debet facere, debet post sex dies transfigurari. Qui dies secundum Hugonem Cardinalem in Postilla notantur: «per sex personas que in transfiguratione Christi fuerunt».

Primo, debet pensare quid in baptismo promisit, quia abrenuntiauit Satane et operibus et pompis eius. Hoc notatur per Mosen, qui dicitur «sumptus ab aquis», sic christianus in  
315 baptismo, etcetera.

Secunda die debet considerare quid Deus promisit illi, quia dare filium suum in redemptorem. Item dare bona bonis et econuerso. Hoc notatur per Heliam prophetam.

Tertia die debet luctare cum peccatis commissis, quod notatur per Iacobum, qui dicitur “luctator”. Hec lucta sit in contritione, nam si peccata commissa tibi placent aut alia  
320 committere cupis, tu es uictus in lucta. Si tibi displicent et doles illa commississe et proponis non committere, tu es uictor.

Quarta die debet fieri confessio omnium peccatorum, quod notatur per Petrum, qui dicitur “confitens”.

Quinta die debet satisfacere pro omnibus per opera misericordie, in quibus datur gratia.  
325 Et sic significantur per Iohannem, in quo est gratia.

---

287: cf. I Par. 19, 4. | 294-295: Dt. 22, 5. | 309: cf. Mt. 16, 28.

298: Trogus Pompeius] *Auctor err.* cf. Iust., *Hist. Phil.*, III, 3, p. 136. | 311-312: cf. Hug. Card., *Ev. Sec. Mt.*, XVII, 1. f. 59r. | 314: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, VI., Ex., M. PL 23, 789A.

319: Alia] M talia.

## Sermo XCIV

Sexta die debet ire ad Christum illum pure recipiendo in sacramento dicendo: *domine, non sum dignus*, etcetera. Et sic qui ista fecerit resplendet facies eius, id est, conscientia pura, sicut sol.

330 Et sic habet hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, qui cum patre et spiritu sancto, etcetera. Amen.

---

326-327: cf. Mt. 8, 8.

SERMO NONAGESIMVS QVINTVS ET TERTIVS IN EODEM DIE TRANSFIGVRATIONIS  
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

<THEMA> *Duxit illos in montem excelsum seorsum et transfiguratus est, Matthei decimo septimo.*

5 Omnes sancti excellentes qui a principio mundi fuerunt ecclesie militans in sacra scriptura dicuntur “montes”, unde Dauid dicit in Psalmo octogesimo sexto, loquens de ecclesiasticis: *fundamenta eius in montibus sanctis*, ubi glosa, id est, «in patriarchis, prophetis et apostolis». Quod autem possint dici montes patet tripliciter.

10 Primo, sicut mons est pars magis separata et remota a centro terre, sic illi sancti magis separati a rebus terrenis.

Secundo, sicut mons est magis eleuatus ad celum, sic illi per contemplationem celestium, unde Apostolus ad Philippenses tertio dicit: *mea conuersatio in celis est*. Et de his duobus modis cantat ecclesia de apostolis: “contemnentes que mundi sunt, peruenire meruerunt ad Deum, per quem factus est mundus”.

15 Tertio, sicut ex fontibus, que a montibus oriuntur, irrigatur tota terra, sic a doctrina istorum irrigata est ecclesia nostra, unde Psalmi centesimo tertio: *super montes stabunt aque*. Et si isti propter excellentiam dicuntur “montes”, multo magis uirgo Maria dicitur “mons”, que in sanctitate omnes sanctos excellit.

Et sic propter tria dicta dicitur “excellentius mons”.

20 Primo, si illi propter hoc quod erant a terrenis separati, multo magis uirgo Maria. Nam illi aliquid habuerunt in terra, quia patriarche habebant gregem et armenta, unde: *uirgo Maria intrauit in domum Zaccharie et salutauit Elisabeth*, Luce primo. Item apostoli habebant naues ad piscandum et domos, unde Christus intrauit in domum Simonis Petri socrus autem, etcetera, Matthei octauo. Sed uirgo Maria nec domum nec aliquid habuit in mundo, omnia enim dederat pauperibus et sponsus suus Ioseph illam accepit propter maximam illius uirtutem. Et hoc debent seruare uirgines, nam uirtuti nunquam deest maritus. Patet hoc, nam si radices uel domum uirgo Maria habuisset, illud esset filii sui, sed ipse dicit, Matthei octauo: *uulpes foueas habent et uolucres celi nidos. Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*, igitur, etcetera.

30 Secundo, si illi fuerunt eleuati ad celum, multo magis uirgo Maria, nam ab infantia habuit in celum mentem per excellentem contemplationem, post ascensionem filii multo magis, nam: *ubi thesaurum habemus ibi cor*, igitur, etcetera. Sic autem eleuata in locum eminentiorem celorum et collocata non ut regnicula, sed ut regina celorum.

35 Tertio, si illi fuerunt fontes ecclesiam irrigantes, multo excellentius uirgo Maria, quod patet tripliciter.

Primo, illi fuerunt fontes particulares, hec autem uniuersalis. Patet de euagelistis, nam Mattheus scripsit in Iudea; Marcus in Italia; Lucas in Grecia, quia in Acaia, cuius metropolis est Corinthus; Iohannes in Asia. Sed Maria uirgo fuit fons uniuersalis.

---

3: Mt. 17, 1-2. | 7: Ps. 86, 1. | 12: Phil. 3, 20. | 16: Ps. 103, 6. | 21-22: Lc. 1, 40. | 24: cf. Mt. 8, 14. | 28-29: Mt. 8, 20. | 32: cf. Mt. 6, 21.

7-8: cf. Bed., *Exp. In Ev. Mt.*, I, 1. PL 92, 11B.



40 Secundo, patet, nam illi fuerunt fontes doctrine. Sed uirgo Maria fuit fons doctorum, nam ab ea emanauit doctor uniuersalis mundi tamquam a fonte.

45 Tertio, patet, nam illi fontes sumpserunt ab isto et non econuerso, quia omnia erant in mente Marie cum maiorem gratiam haberet, unde dicit euangelista Lucas secundo capitulo: *Maria autem conseruabat omnia uerba hec conferens in corde suo*. Et sic ante missionem spiritus sancti illa erat inter apostolos ut domina. Post autem cum maiorem gratiam spiritus sancti  
 50 nullus posset scire, nisi ex dictis illius, etcetera. Vnde figura huius habemus Genesis secundo: *fons egrediebatur de loco uoluptatis diuisus in quattuor flumina* et irrigabat uniuersam terram. Hic fons uniuersalis fuit uirgo Maria, a qua multa quattuor euangeliste receperunt, et sic illa illis mediantibus totam ecclesiam irrigauit.

55 Sed quod uirgo Maria non solum dicatur “mons”, sed etiam excellentior omnibus aliis patet, nam tria, que de isto monte in themate mentionato dicuntur, soli illi conueniunt et de illa proprie dici possunt: primo, quod sit mons excelsus, nam dixit quod: *duxit illos in monte excelsum*; secundo, quod sit mons separatus et ab aliis diuisus, nam dicit: *seorsum*; tertio, quod sit mons in quo filius Dei sit transfiguratus, unde dicit *et transfiguratus est in illo*.

60 Hec autem tria de aliquo aliorum montium sanctorum dici non possunt preterquam de uirgine gloriosa et intemerata Maria, quod patet:

primo, quod ipsa sit mons excelsus patet tripliciter.

65 Primo sic: nam mons dicitur excelsus aliis quando citius a sole illuminatur. Hoc autem patet, nam iam est illuminatus mons excelsus quando etiam alii sunt et remanent obtenebrati. Sic legitur de monte Olimpo in Macedonia, qui est tante altitudinis quod iam  
 70 habet in se lumen quando etiam respectu aliorum dicitur diluculum. Hoc autem est propter eius maximam altitudinem, quod probatur sic: nam nunquam pluuia in illum cadit nec nubes in illo formatur nec uentus in illo sentitur. Ideo cum spongiis illuc ascendunt et littere quas in puluere scribunt, sic integras et inuiolatas altero anno reperiunt, quod ostendit nullum uentum illic fuisse. Et sic de aqua et nubibus ostenditur quod est sumitas  
 75 illius montis supra intersticium, in quo ista generantur. Sic de uirgine Maria ostenditur, nam in illa nunquam aqua peccati originalis, quod cum semine traducitur, nec nebula obscura peccati mortalis nec uentus peccati uenialis fuit. Sed cum alii montes et sancti essent obscuri peccato originali, postea illuminantur, sed ista citius in diluculo, unde Psalmi  
 80 quadragesimo quinto: *fluminis impetus letificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum altissimus, Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam Deus mane diluculo*. Sic impetus fluminis gratie spiritus sanctus letificauit eam quo ad plenitudinem et sic sanctificata: *Deus in medio eius*, scilicet: in uentre; non fuit commotus, quia reperit illam purissimam. Dicit de tempore sanctificationis, quia mediante illa gratia fuit adiuta mane diluculo, scilicet: in primo instanti creationis. Nam: «simul erat condens naturam et largiens gratiam», ut dicit  
 Augustinus de angelis. Si igitur hec citius ceteris fuit illuminata, hoc arguit altitudinem huius montis. Hec autem fuit illuminata gratia, ceteri uero a tenebris peccati originalis, etcetera.

43: Lc. 2, 19. | 49: Lc. 1, 29. | 51: Gn. 2, 10. | 56-58: cf. Mt. 17, 1-2. | 74-77: Ps. 45, 5-6.

79: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XII, 9, 2. PL 41, 357A.

Secundo, hoc patet nam ille mons est altissimus, qui primo recipit ea que descendunt ab alto. Et sic in mari primo recipit nauem ille mons qui infra aquam est altior ceteris, sic fuit in diluuiio. Nam arca Noe in Armenia in monte Cordico altissimo fuit recepta. Ex hoc  
 85 etiam patet, nam cum arca illa, que non solum pretium nostre redemptionis portabat, sed etiam in illa *erant reconditi omnes thesauri sapientie et scientie Dei*, ut dicit Apostolus ad Colossenses secundo, primo, fuit recepta in isto monte, et sic arguit eius altitudinem. Item lapis, qui ex descensu suo magna debet destruere et conterere, debet ex alio monte descendere, quia ex plano uel paruo non posset. Sed Christus uerus lapis debebat omnia  
 90 regna falsa conterere ex descensu montis, ut dicit Danihel capitulo secundo de illo, quod *lapis scissus de monte sine manibus fregit et comminuit statuam Nabuchodonosor*, per quam, secundum doctores, quattuor regna uel monarchie ostendebantur secundum quattuor differentias statue, scilicet: regnum chaldeorum, persarum, grecorum et romanorum, etcetera. Que omnia resoluta ad regnum romanorum per lapidem Christum fuerunt  
 95 destructa, unde quando: *exiit edictum a Cesare Augusto*, etcetera, tunc nascitur Christus. Et sic dicit Danihel quod: *in diebus illis*, scilicet: illorum regnorum, *suscitabit Deus celi regnum, quod in eternum non dissipabitur, nec alteri genti tradetur comminuet uniuersa regna hec, et ipsum stabit in eternum*. Si igitur per descensum huius ab isto monte omnia ista fuerunt destructa, clarum est quod est hic mons excelsus.

100 Si dicis: non, quia etiam sunt hec regna infidelium. Respondeo quod non est uerum, nam totus mundus est regnum Christi, cum ipse solus sit monarcha, ut dicit sanctus Thomas in opusculo uicesimo, qui dicitur De Regimine Principum ad regem Cipri. Et sic in omnibus regnis predictis sunt christiani multi, ut patet, nam in Antiochia et Persia sunt multi christiani qui confitentur se esse christianos, ut sunt ille septem species, scilicet:  
 105 suriani, iacobini, moronite, nestoriani, armeni, georgiani, abasini uel indiani, qui sunt sub dominio presbyteri Iohannis, etcetera. Verum est quod isti (cum habitent inter infideles) habent in se aliquos errores, sed omnes dicuntur christiani. Hoc regnum Christi incepit dum lapis descendit de uirgine Maria, unde dicit Lucas uicesimo secundo: *descendente Iesu de monte secuti sunt eum discipuli eius*, scilicet: christiani, quia tunc elegit monarchiam suam, nam  
 110 dicit Lucas: *exiit in montem orare et pernoctans, cum dies factus esset, elegit duodecim ex illis, quos apostolos nominauit*, scilicet: *Simonem, Petrum et Andream*, etcetera. *Et descendens stetit in loco campestri et turba discipulorum eis, et multitudo copiosa plebis ab omni Iudea et Hierusalem et maritima et Tyri et Sidonis, et qui uexabantur a spiritibus immundis curabantur et omnis turba querebat eum tangere, quia uirtus de illo exibat et sanabat omnes et eleuatis oculis in discipulos dicebat: "beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum"*, etcetera. Et sic dedit legem christianorum, et sic dicit  
 115 sanctus Thomas in libro De Regimine Principum quod monarchia excellit omnes alias in tribus, scilicet:

primo, in duratione, nam: *regni eius non erit finis*, ut dicit angelus, Luce primo.

120 Et secundo, in uniuersalitate totius mundi, nam *dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum*, Psalmi septuagesimo primo.

Item tertio, in uniuersalitate totius hominis, nam ceteri non fuerunt dominati nisi quo ad corpora, ideo ipse dicebat: *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, Matthei decimo. Et sic uirgo Maria fuit mons excelsus, siue quia in eo arca sacratissima

---

86: Col. 2, 3. | 91: Dn. 2, 34. | 95: cf. Lc. 2, 1. | 96-98: cf. Dn. 2, 44. | 108-109: Lc. 22, 39. | 110-115: Lc. 6, 12-20. | 118: Lc. 1, 33. | 119-120: Ps. 71, 8. | 122: Mt. 10, 28.

102: cf. Th. Aq., *De Regim.*, III, c. 12, p. 53. | 116: cf. Th. Aq., *De Regim.*, III, c. 13, p. 54.

108: Vicesimo secundo] M, X decimo sexto.

125 primo quieuit, siue quia per descensum ab illo ille lapis pretiosus omnia regna confregit, quod non posset ex paruo monte descendendo.

130 Tertio, dicitur mons excelsus et altus, ille ad quem omnia animalia concurrunt ad suam tuitionem. Sic est uirgo Maria, nam licet ad alios sanctos et montes aliqui concurrant, sed ad hanc omnes, unde Bernardus in sermone: «ad Mariam, tamquam ad medium, tamquam ad Dei arcanum respiciunt qui in celis sunt et qui in infernum habitant et qui nos precesserunt et nos qui sumus et qui sequuntur et nati natorum et qui nascentur ab illis», etcetera. Et propter hoc dixit uirgo Maria: *ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes*, etcetera, Luce primo. Vnde super hoc Bernardus: «ex hoc beatam te dicent omnes generationes que omnibus generationibus uitam et gloriam tribuisti, in te enim angeli letitiam, iusti gratiam, peccatores ueniam inueniunt in eternum. Merito in te respiciunt oculi totius creature, quia in te et per te et de te benigna manus omnipotentis quicquid creauerat recreauit». Hec ille. Et sic cum omnes peccatores recurrant ad hunc montem, sequitur quod sit excelsus.

Secundo, est mons ab aliis distinctus et separatus, quod patet tripliciter.

140 Primo, quia alii montes, id est, sancti, fuerunt ut quiescerent in Deo, unde Magister dicit in principio secundi: «fecit Deus creaturam rationalem, ut summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret et possidendo frueretur». Sed uirgo Maria facta fuit non solum propter hoc, sed econuerso, ut Deus in illa requiesceret. Ideo ipsa dicit: *qui creauit me requieuit in tabernaculo*, Ecclesiastici uicesimo quarto.

145 Secundo, distinctus ab aliis, quia in aliis montibus sunt aliquae herbe salutiferae et fructus similiter. In isto monte uirginis sunt omnia salutifera et omnia necessaria, unde in illa sunt omnes uirtutes gratiae et excellentiae. Ideo dicit Ecclesiastici uicesimo quarto: *in me omnis gratia uite et ueritatis*, quod non fuit in aliquo aliorum.

150 Tertio, distinctus ab aliis in modo productionis, nam sine aliqua spina peccati, de qua dictum fuit Ade ex peccato suo: *spinas et tribulos germinabit tibi*, sed hec sine peccato originali producta fuit. De his tribus habetur Psalmi sexagesimo septimo: *mons Dei*, quo ad primum, *mons pinguis*, quo ad secundum, *mons coagulatus*, quo ad tertium.

155 Et si dicis: ceteri montes non fuerunt coagulati? Certe sic, nam Iob dicit capitulo decimo: *nonne sicut lac mulsisti me et sicut caseum me coagulasti*, igitur, etcetera. Dicendum quod omnes fuimus coagulati, sed Maria uirgo singulariter et non sicut ceteri. Nam Iob et ceteri coagulati fuerunt mediante coagulo Ade et Eue, scilicet: cum peccato originali. Et sic caseum sit communiter a pastoribus, et caseum sapit et accipit malum saporem ab illo coagulo. Sed quando pastores uolunt coagulare lac pro rege uel regina, sumunt florem tribuli et cum illo coagulant et non cum coagulo, ne habeat malum saporem. Sic in proposito, quia uirgo Maria debuit pro filio regis coagulari et preparari, sumpta fuit flos de illo tribulo, scilicet: de Christo, qui habuit spinas nostre humanitatis passibilis. Nam ipse propter nos assumpsit uoluntarie penalitates exteriores, sed de medio flore, scilicet: mediante diuinitate, fuit coagulata uirgo Maria et non modo communi, unde Psalmi octogesimo sexto: *homo natus est in ea et ipse fundauit eam altissimus*. Et sic non est opinandum quod ipsa fuerit modo communi coagulata cum coagulo peccati sicut ceteri. Ideo dicit Psalmi sexagesimo septimo: *ut quid suspicamini montes coagulatos*, scilicet: isto modo quo ista,

131: Lc. 1, 48. | 141-142: Sir. 24, 12. | 145-146: Sir. 24, 25. | 148: cf. Gn. 3, 18. | 149-150: Ps. 67, 16. | 152: Iob. 10, 10. | 162: Ps. 86, 5. | 164: Ps. 67, 17.

128-130: Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328A. | 132-135: cf. MF. Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328B. | 139-140: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 1, 4. PL 192, 653B.

165 ut dicit Hugo Cardinalis de Christo, etcetera. Ideo concludit Psalmista in eodem Psalmo: *mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*. Igitur his tribus modis diuersus ab aliis fuit.

Tertio, fuit mons in quo filius Dei fuit transfiguratus, nam ipse eternaliter habuit figuram spiritualem, unde Apostolus ad Hebreos primo dicit de eo: *cum sit splendor glorie et figura substantie patris*, scilicet: eiusdem essentie. Nam pater spiritus est, Iohannis quarto: *spiritus est*  
 170 *Deus*. Igitur sicut pater est spiritus, sic filius, cum sit unius et eiusdem essentie. Sed propter nostram salutem accepit figuram nostram, ut posset loqui, predicare, etcetera, et pro nobis pati. Vnde ad Philippenses secundo: *exinaniuit semet ipsum formam serui accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inuentus ut homo*. Hoc autem fecit in isto monte uirginis Marie, ad Galatas quarto: *misit Deus filium suum factum ex muliere*, etcetera.

175 Et sicut rex quando in aliqua camera mutat habitum regalem, illic dimittat multa pretiosa, sic uirgo Maria, licet esset plena gratia, sed tunc rex maiorem plenitudinem gratiarum in ea dimisit pro toto mundo. Nam si maius illi concedebatur, scilicet: ut creatorem gratiarum daret mundo, sic minus illi concessum fuit, scilicet: ut omnes gratias ab illa et mediante illa haberemus. Et ut daret nobis exemplum et doctrinam quod ab illa  
 180 haberemus, dum lumen gratie apostolis uoluit ostendere, non hoc fecit in plano nec in ualle, sed ipse *duxit illos in monte excelsum et transfiguratus est*. Ad hunc igitur montem in principio sermonis recurramus et humili mente et pia dicamus: aue Maria, etcetera.

<THEMA> *Duxit illos in monte excelsum et transfiguratus est*, ubi supra.

In presenti sermone due erunt partes. Prima erit thematis introductiua et declaratiua.  
 185 Secunda sancti euangelii expositiua.

Conclusio est uerissima omnium catholicorum doctorum quod anima Christi fuit perfecte beata in primo instanti sue creationis. Ratio est, nam si solum esse unitum Deo quo ad intellectum et uoluntatem facit animam beatam, cum illa sacratissima anima ab instanti primo sue creationis non solum isto modo, sed etiam fuerit unita hypostatice et in  
 190 supposito diuino, sequitur clare quod fuerit beata.

Si forte dicas: cum impassibilitas sit de ratione beatitudinis, si illa anima esset beata, igitur esset etiam impassibilis, sed clarum est quod fuerit passibilis, nam dixit Christus tempore passionis: *tristis est anima mea usque ad mortem*, etcetera. Dicendum quod anima illa erat beata quo ad portionem superiorem, scilicet: intellectum et uoluntatem, non autem quo  
 195 ad portionem inferiorem, scilicet: sensituiam, secundum quam erat immersa corpori. Exemplum arboris floride que secundum illam portionem que supra terram est dicitur germinare et ridere (ut dicitur: pratum ridet), sed secundum illam partem que est sub terra in qua habet potentiam nutritiuam dicitur pati, quando fodiendo illam truncatur radix aliqua et mittit aquam ac si fleret, sic in proposito est de anima. Sed sicut hec beatitudo anime  
 200 detinebatur, ne descenderet ad partem inferiorem et sensituiam, sic etiam miraculose detinebatur ne redundaret in corpus, propter hoc quod tam anima quam corpus remaneret passibilia et possent pro nobis pati. Exemplum: si lucerna illuminaret omnes partes camere et illa lucerna poneretur in laterna ferri et clauderetur illic candela, tunc lux non deriuaretur ad partes uel parietes illius camere, cum esset detenta et impedita.

---

166: Ps. 67, 17. | 168-169: Hbr. 1, 3. | 169-170: Io. 4, 24. | 172-173: Phil. 2, 7. | 174: Gal. 4, 4. | 181-183: Mt. 17, 1-2. | 193: cf. Mt. 26, 38.

165: cf. Hug. Card., *Sup. Psal.*, LVII, 17, f. 168v.

205 Si dicis: a quo detinebatur? Dico quod a sola Dei uoluntate, nam cum illa dederit et  
 concesserit ferro quod posset lumen detinere, illud idem potest Deus a se et per solam  
 uoluntatem. Nam «quidquid potest causa prima mediante secunda, potest a se sola», ut dicit  
 Doctor De Causis, igitur, etcetera. Et sic gloria anime semper detenta fuit et tempore  
 210 transfigurationis, quando Christo placuit, illam ad corpus relaxauit remanente semper  
 corpore passibili.

Sed forte dices: si lumen illud erat glorie ut omnes doctores dicunt saltem tunc, quando  
 actualiter corpus fuit illuminatum, fuit impassibile et gloriosum. Dicendum quod non, sed  
 remansit mortale et passibile, non autem gloriosum, quod patet tripliciter.

215 Primo, ratione anime, nam si anima esset totaliter beata, forte redderet corpus  
 gloriosum, sed non erat beata quo ad illam partem que radicabatur in corpore. Exemplum:  
 si aliquod ferrum esset equaliter et totaliter ignitum, incenderet ligna in omni sui parte, sed  
 si esset ignitum in una parte et in altera non, clarum est quod illa pars ignita applicata ligno  
 incenderet et cremaret lignum et altera non. Exemplum in cauterio chirurgici, in quo pars  
 220 ignita comburit carnem et altera pars ferri que est immersa ligno, ut in manico, non incendit  
 lignum. Quamuis deberet magis incendere, cum sit magis proportionatum ad incendendum  
 lignum quam carnem.

225 Secundo, hoc est ex parte modi communicandi luminis, nam hoc lumen fuit corpori  
 communicatum secundum actum transeuntem et non secundum habitum permanentem, ut  
 fuit in Paulo. Nam ideo in raptu suo non fuit beatus habitualiter, et sic non fuit corpus  
 Christi tunc gloriosum nec impassibile. Exemplum: sumamus duo animalia, scilicet:  
 muscam et animal quod dicitur “lucerna”. Musca illuminatur a sole uel a candela in sua  
 productione habitualiter et permanenter, et sic musca dicitur illuminata. Sed aliud animal  
 dicitur etiam lucidum, quia de nocte etiam actualiter lucet, quod non facit musca.

230 Tertio, hoc sit propter conditionem lucis, nam lumen communicatum ab anima in  
 corpus Christi habuit a uoluntate diuina actum illuminandi et non beatificandi, quia primus  
 actus lucidi est illuminare; secundus beatificare et primo actu remanente potest secundus  
 suspendi, sicut fuit in fornace trium puerorum. Nam ille ignis lucebat et non comburebat.  
 Sic in proposito, illud lumen lucebat in corpus et illud non glorificabat, et omnia ista  
 235 fuerunt a uoluntate diuina facta. Sic igitur quando uoluit communicare lumen corpori, tunc  
 fuit transfiguratus. Non autem quod mutaret figuram faciei nec corporis, sed mutauit  
 qualitatem circa figuram, sicut quando homo uel mulier debilitatur dicimus quod perdidit  
 figuram faciei ita quod uix potest cognosci. Sic fuit in proposito, per excellentiam luminis  
 uix Christus cognoscebatur a discipulis suis.

240 Sed dices: quare uoluit nunc ostendere illud lumen? Dicendum quod propter tria. Primo,  
 ex parte Christi; secundo, ex parte glorie; tertio, ex parte totius mundi.

Primo, ex parte corporis dupliciter, nam debuit Christus ostendere se esse uerum Deum  
 et se esse uerum hominem.

Primo, per hoc ostendit se esse uerum Deum, nam dare gloriam est effectus proprius  
 diuinitatis, unde Psalmi octogesimo tertio: *gratiam et gloriam dabit dominus*, igitur, etcetera.

---

244: Ps. 83, 12.

207: cf. *Lib. De Cau.*, I, 14, pp. 47-48; cf. Dun. Scot., *Qu. Sup. De Ani.*, q. 11, 2, 14, p. 94.

241: Dupliciter] M, X tripliciter.

245 Si dicis: per hoc non ostendebat se esse Deum, quia non dabat gloriam, postquam non glorificabat corpus. Dicendum quod dando illud lumen glorie se ostendebat Deum, quia eadem potentia requirebatur ad hoc sicut ad illud, quod sine miraculo esse non poterat.

Si dicis: etiam quilibet glorificatus potest hoc facere, nam in potestate sua est ostendere gloriam uel non ostendere, ut dicunt doctores, igitur, etcetera. Dicendum quod glorificatus potest illam gloriam occultare, sed non potest facere quod non deriuetur in corpus, quod faciebat diuinitas Christi in nostro casu. Claritas enim corporis Christi miraculosa fuit, sed claritas beatorum non erit miraculosa. Non enim est miraculum quod mortuus suscitatus loquatur uel ambulet, ex quo suscitatus est. Sic claritas corporis Christi gloriosi non est miraculosa, ex quo glorificatum est, sed claritas Christi fuit miraculosa sicut eius ambulatio in mari. Et sic glorificatus potest lumen glorie occultare, ut non uideatur, sed non poterit facere quod non deriuetur ad corpus, ut facit animal quod dicitur “lucerna”, nam aliquando occultat lumen ut non uideatur, sed non aufert illud a corpore suo.

Secundo, per hoc ostendit non se esse hominem, sed talem, scilicet: unitum diuinitati. Nam ante dixerat ipse, Matthei decimo sexto: *filius hominis uenturus est in regno suo et reddet unicuique iuxta opera sua*, scilicet: malis penam et bonis gloriam. Sed cum: «nemo det quod non habet» et uidebant illum pauperem et deiectum, igitur conueniens fuit ut gloriam (quam occultam habebat) ostenderet.

Secundo, hoc fuit conueniens ex parte glorie in se, nam mundus nunquam uiderat gloriam resurrectionis. Igitur non solum ostendit gloriam, sed modum glorificandi, scilicet: quod ab anima deriuabatur in corpus.

Tertio, hoc fuit ex parte totius mundi, nam mundus articulum resurrectionis non aperte tenebat. Item nec in illo populo, qui legem habebat non plene promissa, erat gloria, sed solum temporalia. Ideo quedam secta illius populi resurrectionem negabant, ut fuerunt saducei. Item propter apostolos tripliciter. Primo, ut per totum mundum hoc predicarent; secundo, ne in passione scandalizarentur; tertio, ut essent animati ad moriendum pro Christo. Et sic cum propter omnes istas causas uoluisset Christus gloriam illis ostendere: *duxit illos in montem excelsum*, etcetera. Quo ad primam partem.

Secunda pars expositiua euangelii et hodie quo ad testes noui testamenti. Dominica sequenti quo ad testes ueteris testamenti. Cum igitur Christus esset in Galilea aliquot dies ante passionem, quadam die dominica dixit apostolis suis: *sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis in regno suo*, id est, in gloria sua, in qua regnaturus est. Et tunc dicit Mattheus: *et post dies sex assumpsit*, etcetera. Lucas dicit: *et post dies fere octo*, etcetera. Cum esset dies dominica quando facta fuit promissio et die dominica sequenti fuit impleta, ostendendo eis lumen illud, Mattheus solum numerat dies integros et medios. Lucas uero illum diem promissionis et impletionis. Et cum illi non fuissent perfecti, dicit quasi dies octo. Voluit autem Christus assumere aliquos discipulos ad hoc et non omnes.

Primo, quia non omnes erant dispositi ad hoc, cum ista esse res altissima, scilicet: gustare primordia future resurrectionis et beatitudinis. Ad hoc non erant omnes dispositi, etcetera.

---

259-260: Mt. 16, 27-28. | 272: cf. Mt. 17, 1. | 275-276: cf. Mt. 16, 28. | 277: cf. Mt. 17, 1. | cf. Lc. 9, 28.

260-261: cf. Ius., *Dig.*, L, 17, 54, p. 922.

285 Secundo, hoc debuit esse secretum ante Christi passionem ne impediretur passio eius. Ideo dixit: *nemini dixeritis*, etcetera. Et sic quod multi sciunt secretum esse non potest, et quia multi illorum adhuc imperfectiores erant et fragiles.

290 Tertio, hoc fiebat ut essent testes huius. Et sicut noluit omnes prophetas adducere, sic nec omnes apostolos, quia: *in ore duorum uel trium stat omne uerbum*, Deuteronomii decimo nono, hoc dicit Damascenus. Item uoluit eos esse tres secundum Bedam ad significandum fidem trinitatis, per quam debemus Deum uidere. Item secundum Hilarium, ut significaret quod: «de trium origine, scilicet: Sem, Cham et Iafeth, futura electio ostenditur». Sed: «uoluit hos assumere potius quam alios, quia isti erant potiores aliis», ut dicit Chrysostomus.

295 Secundo, propter secretum, nam isti erant quasi secretarii eius, ut dicit sanctus Thomas.

Tertio, hos sciebat quod essent in horto presentes et uidentes sanguinem ex omnibus poris exire. Ideo uoluit quod prius uiderent per eosdem poros exisse gloriam ad extra, ne scandalizarentur tunc. Speciales tamen rationes omnium istorum adducere possumus.

300 Et primo, Petrum assumpsit propter tria. Primo, quia illi commisit curam gregis, ideo scire debuit pastum illius. Secundo, illi promisit clauis regni celorum, ideo thesaurum illius regni scire debuit. Tertio, propter amorem maximum, quem in Christum habuit, quod ostendit qualiter super aquas maris ambulauit pre ceteris.

305 Item hoc patet de Iohannem tripliciter. Primo, propter priuilegium amoris, quoniam magis a Christo ceteris amabatur. Secundo, propter priuilegium uirginitatis, per quod etiam postea matrem suam illi commendauit et filium suum illum constituit. Tertio, propter excellentiam reuelationis, qui dixit: *in principio erat uerbum*, etcetera.

Sed uocauit Iacobum, fratrem Iohannis, ut ostenderet illi gloriam regni, de quo cum Iohanne querebat ut esset unus a dextris et alius a sinistris. Item quia moriturus erat primo pro Christo, et sic ut esset fortis in martyrio.

310 Sed dices: cum isti non testificati fuerint de isto mysterio, sequitur quod peccarunt. Dicendum quod testificati fuerunt omnes. Primo, Petrus in secunda canonica sua in principio dicit quod ponit hunc misterium: *non enim indoctas fabulas*, etcetera. *Et hanc uocem nos audiuius de celo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto*, etcetera. Item Iohannes hoc ponit, Iohannis primo: *erat lux uera que illuminat omnem*, etcetera; *uidimus eum quasi unigenitum a patre plenum gratie et ueritatis*, etcetera. Item Iacobus hoc testificatus fuit in predicationibus suis, nam ipse non scripsit epistolam aliquam, quia illa canonica facta fuit a Iacobo, filio Alphei, sed iste qui affuit transfigurationi fuit filius Zebedei, ut communiter tenetur, licet Augustinus dicat contrarium super epistolam ad Galatas, sed hoc non dicit de mente propria, sed recitat Magistrum Historiarum Scolasticum, etcetera. Item Ambrosius super  
315  
320 Lucam dicit quod hic fuit Iacobus «qui primus sacerdotale solium ascendit», sed hoc potest dicit de martyrio per quod fuit sacerdos offerens seipsum Deo, etcetera. Et sic communiter tenetur a doctoribus quod fuerit Iacobus maior, scilicet: filius Zebedei, nam aperte dicit euangelista quod fuerit frater Iohannis. Item iste semper uocatus fuit a domino, ut patet in suscitatione puelle et tempore passionis in horto, etcetera.

286: cf. Mt. 17, 9. | 289: Dt. 19, 15. | 306: cf. Io. 1, 1. | 312-313: II Pt. 1, 16-18. | 314-315: Io. 1, 9-14.

290: Damascenus] NI. | cf. Bed., *Comm. In Pent.*, Nm., II. PL 91, 360AB. | 292-293: Hil., *Comm. In Mt.*, XVII, 2. PL 9, 1014A; cf. Io. Chrys., *Hom. In Mt.*, LVI, 1. PG 58, 549D-550A; cf. Th. Aq., *Cat. Aur. In Mt.*, XVII, 1, p. 259. | 295: Thomas] NI. | 318-319: Augustinus] NI. cf. Petr. Com., *Hist. Sch.*, in. ev., XLVII. PL 198, 1563C-1564A. | 320: cf. Ambr., *Exp. Ev. Sec. Lc.*, VII, 9. PL 15, 1701C-1702D.

325 Si queritur: qua hora facta fuit transfiguratio? Dicendum quod in aurora uel crepusculo, scilicet: quasi illa hora qua dominus resurrexit. Ex quo sequitur quod summo mane Christus ascendit cum tribus discipulis suis in montem uel ex parte noctis sabbati, quod erat uerius credere.

330 Primo, quia talis erat consuetudo Christi, ut dicit Lucas sexto capitulo, quod *erat pernoctans in oratione* in monte isto.

Secundo, quia mons erat nimis altus, et sic de mane non tam cito ascendissent.

335 Tertio, quia apostoli *erant grauati a somno*, ut dicit Lucas. Si de mane ascendissent non sic uexaret illos somnus, sed pernoctauerunt in oratione et summo mane diluculo apostoli dormiebant tempore transfigurationis. Item mons fuit mons Thabor distans a ciuitate Nazareth quattuor miliaribus, scilicet: duabus leucis. Est autem mons Galilee et nimis altus et conuserat Christus ascendere illum. Ideo dicitur “mons sanctus” a Petro, secunda Petri primo capitulo.

340 Dum autem Christus oraret et discipuli dormirent, iussu Christi uenit Helias a paradiso terrestri et anima Mosi in corpore assumpto uenit de limbo patrum et ostendit illis lumen glorie anime sue. Et ille loquebantur cum Iesu et ad uoces illorum discipuli fuerunt excitati a somno et uiderunt gloria Christi. Et mediante illo lumine cognouerunt illos duos esse Mosen et Heliam, quia in patria mediante lumine glorie omnes se cognoscent, licet nunquam se uiderint. *Loquebantur autem excessum quem complecturus erat Christus in Hierusalem*, ut dicit Lucas. Petrus autem ascultabat illos qui dicebant excessum peccati Ade, quod omnes ad mortem obligauit. Item excessum misericordie patris, qui mundum uoluit a peccato illo liberare. Item excessum filii quo ad obedientiam patris et quo ad charitatem erga nos, qui uoluit in persona sua liberare. Item excessum iudeorum quo ad malitiam uersus Christum. Item excessum liberationis. Dicebant quod satis esset per uerbum hoc facere, postquam nostram fragilitatem assumpsit uel per labores iam receptos uel per guttam sanguinis in circumcissione, et non uelle pati tam crudeliter per excessiuam passionem et dolorem usque ad mortem. Item dicebant excessum temporis quod iam peccatum durauerat per annos quinque milia ducentos triginta duos. Et dixit Moses quod ipse erat in limbo patrum, in quo steterat per annos mille quingentos. Et Helias dixit quod erat in paradiso terrestri per annos nongentos, et supplicabant Christum quod in breui redimeret populum et iret ad patiendum in Hierusalem. Audiens autem Petrus hoc et uidens quod illi instabant quod Christus iret in Hierusalem et moreretur pro peccato redimendo dixit: *domine, bonum est nos hic esse*. Ante enim, quando Christus dixit quod: *oporteret eum ire Hierosolymam et multa pati*, etcetera, et *occidi et tertia die resurgere*, Matthei decimo sexto, dicit Mattheus quod: *assumens eum Petrus cepit increpare illum dicens: “absit a te, domine, non erit tibi hoc”*, qui conuersus dixit Petro: *“uade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis que Dei sunt, sed que hominum”*. Et quia hoc responsum asperum dederat illi Iesus, noluit dicere illi quod non irent in Hierusalem, sed dixit: *domine, bonum est nos hic esse*, quod idem erat. Et sic Petrus dixit hoc propter amenitatem glorie quam sentiebat. Item propter hoc ne Christus iret in Hierusalem et sic nec ipse nec apostoli reciperent mortem, ut dicit Chrysostomus. Et sic dixi hec uerba propter tria. Primo, propter locum; secundo, propter Mosen; tertio, propter Heliam.

---

329-330: Lc. 6, 12. | 332: cf. Lc. 9, 32. | 336: cf. II Pt. 1, 18. | 343: cf. Lc. 9, 31. | 357: Mt. 17, 4. | 358-361: cf. Mt. 16, 22-23. | 362: Mt. 17, 4.

365: cf. Io. Chrys., *Hom. In Mt.*, LVI, 2. PG 58, 552AC.



Primo, ratione dispositionis loci dixit: “*domine, bonum est nos hic esse* et non eamus in Hierusalem. Primo, sumus in prouincia Galilee et non in Iudea, ubi sacerdotes et pharisei uolunt uos occidere, hic mons distat a Hierusalem uiginti quinque leucis. Et sic si ad nos  
370 uenerint, sciemus ante. Item est mons altissimus, si isti uenerint, uiderimus eos antequam decipiamur. Item est mons fortissimus, non potuerunt intrare ad nos leuiter”.

Secundo, hoc dixit propter Mosen: “*domine, bonum est nos hic esse*. Nam cum Moses sit ibi presens, si illi uenerint de die, hic poterit illos obumbrare mediante tenebra, cum qua olim  
375 Egiptii fuerunt obtenebrati, sic quod unus alterum non uidebat, sed filii Israhel semper cum luce. Si uenerint de nocte, hic poterit nos illuminare, sicut fecit in deserto per columna, etcetera”.

“Si forte dicitis quod uictualia nobis deficient. Hoc non, quia iste de rore celi pauit populum quadraginta annis in deserto. Si de carnibus timemus, hic duxit coturnices et usque ad hunc locum poterint uolare. Si timeamus de aqua, hic eduxit cum uirga aquam de  
380 petra”.

“Si forte dicitis quod deficient arma. Non, quia iste immittet animalia grandinem et plagas reliquas. Si forte multum nos infestabunt, una nocte poterit illos interficere sicut fecit primogenita Egipti. Ideo *bonum est nos hic esse*”.

Item *bonum est nos hic esse* per societatem Helie, nam licet simus in hoc deserto, ad quem  
385 soli corui possunt uolare, hic poterit facere quod portent illi corui panem et carnes mane et uespere, sicut fecit dum esset in torrente Carith circa Iordanem. Item si aliquam farinulam habebimus, iste poterit illam multiplicare sicut fecit uidue. Si autem oleo indigemus, hic similiter poterit multiplicare sicut fecit uidue eidem. Si uoluerimus ad partes longinquas abire et fugere, hic poterit dare nobis panem angelorum, in fortitudine cuius poterimus  
390 magnum iter arripere. Si timemus non habere arma, hic solo uerbo poterit mittere ignem de celo et comburere omnes scribas et phariseos sicut fecit de duobus quinquagenariis. Si forte misericordia uestra noluerit illos interficere, hic poterit parare nobis currum quo mediante ibimus ad partes longinquas uel in celum, etcetera”.

“Si forte dicitis quod tempestates et pluue poterunt nos uexare, ad hoc ligna magna sunt  
395 in hoc monte et lapides in abundantia. *Si uis igitur faciamus hic tria tabernacula: tibi unum, Mosi unum, Helie unum*”.

Iohannes stabat cum Helia, quia sunt ambo uirgines, Iacobus erat cum Mose. Dicit autem Marcus quod Petrus *nesciebat quid diceret*. Nam ex una parte erat cum tristitia timendo ne iret Christus Hierosolymam, de alia erat in magno gaudio propter lumen glorie, ideo erat  
400 in extasi et quasi atonitus. Ideo dicit Hieronymus in persona Christi: «erras, Petre», tripliciter. Primo, respectu loci; secundo, in personis; tertio, in tabernaculis.

Primo, circa locum: “si hic remanserimus et non iremus in Hierusalem, quomodo implebuntur scripture? Si hic manserimus, quomodo habebis gloriam que in mundo non inuenitur? Si hic manserimus, quomodo eris pastor gregis et quomodo predicabitur  
405 euangelium per mundum uniuersum? Et quomodo tu et isti apostoli calicem meum bibetis per martyrium? Igitur erras, Petre, circa locum cum uellis hic remanere”.

---

367: cf. Mt. 17, 4. | 372: cf. Mt. 17, 4. | 383-384: cf. Mt. 17, 4. | 395-396: cf. Mt. 17, 4. | 398: cf. Mc. 9, 5.

400: Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, III, 17, 4. PL 26, 122C.

Sermo XCV

Secundo: “erras, Petre, circa personas, quia Deus non indiget auxilio hominum, multo minus ab his qui sunt serui et ministri mei. Omnia miracula que isti fecerunt uirtute mea fecerunt et sic possum ego illa facere sine ipsis et multo maiora”.

410 Tertio: “erras, Petre, circa tabernacula. Non enim est hic tabernaculum glorie in mundo, sed in celo. Non sunt tria tabernacula, sed unum, sicut una essentia in patre et filio et spiritu sancto. Vna diuinitas sic in pectore tuo unum est tabernaculum. Erras quando dicis tibi unum, quia ego non requiro tabernaculum in terris; Mosi unum, erras quia cum sit mortuus tabernaculum non requirebat in terra; nec Helias, qui tabernaculum in paradiso uoluptatis optimum habebat. Videte quod unum tabernaculum est totus mundus. Habet enim tres mansiones, una est inferior, ut stabulum; alia est media, ut hic mundus; alia superior, ut celum empireum. Hec media uacua remanebit; inferiori recipientur bestiales qui bestialiter uiuere uolunt”.

420 Sed illi qui uirtuose uiuere curarunt, sicut hic receperunt gratiam, sic illic sursum recipient gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, etcetera. Amen.

## Sermo XCVI

SERMO NONAGESIMVS SEXTVS ET QVARTVS IN EODEM DIE TRANSFIGVRATIONIS DOMINI  
NOSTRI IESV CHRISTI

<THEMA> *Faciamus hic tria tabernacula*, Matthei decimo septimo.

Originaliter recitatie autem in euangelio presentis solemnitatis thema scribitur presens.

5 Tria tabernacula reperiuntur fuisse magne excellentie. Primum nature; secundum gratie; tertium glorie.

Primum nature fuit illud tabernaculum uel receptaculum quod Deus parauit anime rationali, scilicet: corpus humanum, de quo Genesis secundo: *formauit Deus hominem de limo terre*, quod ad corpus (ut dicit glosa) *et insufflauit in faciem eius spiraculum uite*, quia totum  
10 corpus animauit. Sed hanc partem sensibus ornauit, quia in facie sunt omnes quinque sensus et non in aliqua alia parte corporis.

Et sic primum habitaculum anime fuit corpus humanum, unde Iob quarto: *in angelis suis reperit prauitatem, quanto magis hi qui habitant domos luteas*.

15 Si dicis: numquid angelis prius fuerunt creati? Dicendum quod sic, sed non in habitaculo uel in tabernaculo corporis, sed sunt substantie a corpore separate.

Si autem dicis: numquid corpora animalium brutorum prius fuerunt formata? Dicendum quod anime sensibilibus non fuerunt create et in habitaculis corporum posite, sed de potentia materie educte, quia uirtualiter sunt in semine et educuntur uirtute agentis naturalis. Exemplum in ouo. Sunt enim uirtualiter anime sensitue pullorum in semine galli,  
20 et ideo ex ouis que producuntur sine gallo ex sola gallina non producuntur pulli, quia in illis non est in potentia anima sensitua. Et ideo corpora illa non dicuntur tabernacula uel mansiones, quia in illis non manent anime corruptis corporibus, sed definunt esse.

Si dicis: sic erit de animabus hominum, cum producte sint in corporibus. Dicendum quod non, nam corpora fuerunt necessaria ad eorum creationem, quia in illis creantur, sed  
25 non ad esse, quia corrupto corpore subsistunt et remanent anime. Exemplum: sicut ex auro purissimo sit statua uel testa ab artifice immediate mediante martello, sic natura angelica immediate a Deo mediante martello sue potentie. Item secundo, sicut ex cera sit imago mediante aliquo molde ex ligno, sicut sit per apothecarios, et requiritur illud molde uel  
30 lignum ad productionem imaginis cere, sed iam producta, si exit a molde uel ligno, remanet imago. Sic anima rationalis requirit corpus ad productionem, quia causatur similiter et infunditur in corpus, sed destructo corpore remanet anima. Item tertio, si in uase aliquo ponatur aqua, erit eiusdem figure cum uase, sed fracto uase, non remanet in aqua forma uel  
35 figura aque. Sic est de animabus brutorum que educuntur de potentie materie, sed destructis corporibus non remanent ille forme. Et sic primum tabernaculum nature anime fuit corpus.

Secundum tabernaculum fuit gratie, scilicet: corpus uirginis Marie. Differebat autem autem a primo sicut differt habitaculum tenebrosa tabernaculo lucido, nam habuit quidquid habuit primum. Et cum hoc plus, fuit enim illuminatum per radios gratie, de qua illuminatione loquebatur Dauid in Psalmo decimo octauo: *in sole posuit tabernaculum suum*.

---

3: Mt. 17, 4. | 8-9: Gn. 2, 7. | 12-13: Iob. 4, 18-19. | 39: Ps. 18, 6.

15: Tabernaculo] X tarbernaculo.

40 Si dicis: non dixisset melius: “posuit solem in tabernaculo”, postquam Christus dicitur  
 “sol” in sacra scriptura? Vnde Malachie quarto dicitur: *uobis timentibus nomen meum orietur sol*  
*iustitie*, id est, «Christus», ut dicit glosa. Item ecclesia: «ex te ortus est sol», etcetera. Dico  
 quod optime dixit: *in sole posuit tabernaculum suum*, nam posuit illud ut radii solis in illud  
 45 intraret mox, ut qui faceret domum et portam poneret ad orientem, ita ut mox in ortu solis  
 reciperet radios illius. Nam si spera solis deberet in aliquo tabernaculo recipi, prius intrarent  
 radii illius per portam. Sic in proposito, porta huius tabernaculi posita fuit ad orientem, ut  
 dicit Hiezechiel capitulo quadragesimo tertio: *et duxit me ad portam que respiciebat ad uiam*  
*orientalem et ecce gloria Dei Israhel ingrediebatur per uiam orientalem*. Item Hiezechielis capitulo  
 quadragesimo quarto: *et conuertit me ad uiam porte que respiciebat ad orientem et erat clausa et dixit*  
 50 *dominus ad me: “porta hec clausa erit et non aperietur et uir non transiet per eam, quoniam dominus Deus*  
*Israhel ingressus est per eam”*. Et sic oriente sole per hoc tabernaculum intrarunt radii gratie, et  
 hoc dicit Dauid in Psalmo quadragesimo quinto: *adiuuabit eam Deus*, scilicet: dando illi  
 gratiam. Et quando fiet hoc? *Mane diluculo*, etcetera. Nam dies fuit in infusione anime in hoc  
 tabernaculo, et illuminatum fuit mox, quia nunquam fuit anima illa sine gratia. Ideo dicit  
 55 “mane et diluculo”, etcetera. Et sic de primo posuit radios solis in hoc tabernaculo et  
 postea exiuit et processit ex eo tamquam sponsus de thalamo suo, nam prius preparatur  
 thalamus quam intret sponsus. Sic Christus prius illuminauit per gratiam hoc tabernaculum.  
 Hoc autem factum fuit per illam maximam sanctificationem, que dicitur “preseruatio”, de  
 qua Psalmi quadragesimo quinto: *sanctificauit tabernaculum suum altissimus*. Et ad quid sic  
 60 excellenter sanctificauit? Vt digne in illo habitaret, unde dicit ipsa, Ecclesiastici uicesimo  
 quarto: *qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*.

Tertium tabernaculum fuit glorie, scilicet: illud corpus sacratissimum Christi Iesu. In ista  
 erat gratie plenitudo, unde Iohannis primo: *uidimus eum plenum gratia*, etcetera, quia: *non illi*  
*datus spiritus ad mensuram*, Iohannis tertio. Non solum habuit maximam gratie plenitudinem,  
 65 sed habuit in illo gloriam, quia anima ab instanti fuit gloriosa, unde Exodi quadragesimo  
 habetur quod: *gloria domini impleuit tabernaculum*. Non enim solum fuit plenum gloria, sed  
 etiam diuinitate. Vnde Apostolus ad Colossenses secundo dicit: *in ipso habitauit plenitudo*  
*diuinitatis corporaliter*. Et sic non solum dicitur tabernaculum glorie, sed tabernaculum Dei,  
 unde Apocalypsis uicesimo primo: *ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, scilicet: quando *uerbum*  
 70 *caro factum est et habitauit in nobis*, Iohannis primo.

Sed licet ista tria tabernacula fuerint magne excellentie, sed secundum fuit excellentius  
 primo et tertium excellentissimum respectu secundi. Sicut uas argenteum excellit uas  
 terreum et uas aureum excellit uas argenteum, sic corpus uirginis Marie excellit corpus Ade  
 et nostrum et corpus Christi excellit suum. Corpus autem Ade et Eue et nostrum est de  
 75 terra, quia *de limo terre*, Genesis secundo. Sed fuit mirabiliter formatum, unde Iob capitulo  
 decimo: *pelle et carnibus uestiti me ossibus et neruis compegisti me, uitam et misericordiam tribuisti mihi*,  
 etcetera. Quasi dicat: fecisti in corpore meo tanta partium distinctionem in uenis, neruis et  
 organis, etcetera, et etiam tribuisti mihi uitam, scilicet: cum anima nobiliori, scilicet:  
 80 rationali, misericordiam tribuisti quod hoc corpus habeat gloriam ab anima et etiam cum  
 illa collocetur in celo empireo, quod alteri corpori non conceditur. Et de hoc uase  
 loquebatur Ecclesiastici in capitulo quadragesimo tertio dicens: *uas admirabile opus excelsi*.

Secundum uas uirginis Marie fuit argenteum.

41-42: Mal. 4, 2. | 43: cf. Ps. 18, 6. | 47-48: Ez. 43, 1-2. | 49-51: Ez. 44, 1-2. | 52-53: Ps. 45, 6. | 59: Ps. 45, 5.  
 | 61: Sir. 24, 12. | 63: Io. 1, 14. | 63-64: Io. 3, 34. | 66: Ex. 40, 32. | 67-68: Col. 2, 9. | 69: Apc. 21, 3. | 69-  
 70: Io. 1, 14. | 75: Gn. 2, 7. | 76: Iob. 10, 11-12. | 81: Sir. 43, 2.

42: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 4), Mal. 4, 2, f. 427v. | cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, in Ev. PL 78, 802C.

Et si dicis: non fuit ex terra sicut uas Ade et Eue. Dico quod sic, sed sicut argenteum est ex terra puriori quam sint uase singuli, sic corpus uirginis Marie fuit purior corpore Ade et Eue et aliorum, quia materia corporis uirginis Marie fuit depurata uirtute spiritus sancti. Et si aliqua impuritas erat in illa materia, eo quod fuerat assumpta mediante coniunctione Anne cum Ioachim. Et sic cum aliqua naturali concupiscentia, illa tamen uirtute diuina fuit mundificata. Et sic anima pretiosa uirginis Marie in illo corpore collocata cum plenissima spiritus sancti gratia. Et de isto uase loquebatur Salomon, Prouerbiorum uicesimo quinto dicens: *aufer rubiginem de argento et egredietur uas purissimum*, scilicet: uirginis Marie corpus pretiosum.

Tertium uas, scilicet: corpus Christi, fuit aureum.

Et si dicis: non fuit ex terra sicut corpus Ade et uirginis Marie? Dico quod sic, sed aurum est ex terra puriori quam sint uasa communia et argenteum, nam fuit hoc corpus maiori puritate nitens quam fuerit aliquod corpus. Ratio est quia si in illo esset aliqua impuritas, aut hoc esset ex parte materie aut ex parte agentis. Ex parte materie esse non potuit, nam fuit sumptum ex corpore uirginis Marie, quod erat maxime purum; nec ex parte agentis, nam non fuit sumptum mediante coniunctione uiri et femine, sed uirtute spiritus sancti, unde ecclesia cantat: «non ex uirili semine, sed mystico spiramine», et articulus fidei est qui conceptus est de spiritu sancto, etcetera. Et sic hoc corpus fuit assumptum a uirgine Maria sine uiri operatione, quia: *lapis scissus de monte sine manibus*, id est, sine uiri operatione, que sit mediante manu que «est organum organorum», secundum Philosophum, tertio De Anima. Fuit etiam organizatum mediante uirtute spiritus sancti, ideo dicit Apostolus, ad Hebreos nono: *tabernaculum non manufactum*. Et sic fuit dotatus maiori puritate quam fuerit aliquod corpus, non solum maiori gratia et gloria, sed fuit tale ut dicit Apostolus: *in quo sunt omnes thesauri sapientie et scientie Dei absconditi*, ad Colossenses secundo. De isto uase loquebatur Ecclesiastici capitulo ultimo dicens: *quasi uas auri solidum circumornatum omni lapide pretioso fuit uas auri*. Nam sicut aurum excellit omnia metalla, sic hoc corpus omnia animalia; fuit solidum, est infrangibile, quia nec fuit per peccatum fractum nec potuit frangi, omnia alia uasa aut fuerunt fracta aut potuerunt frangi, omnia fracta preter uas uirginis. Ideo dicebat Dauid in Psalmo tricesimo: *factus sum tamquam uas perditum*, scilicet: per peccatum, sed potuit frangi, si non fuisset per gratiam preseruatum. Et sic uas Christi fuit aureum per puritatem et solidum nec fractum nec potens frangi circumornatum omni lapide pretioso, quia in illa plenitudo gratie, plenitudo glorie et plenitudo diuinitatis et plenitudo cuiuscumque boni quod cogitari possit.

Ista autem tria tabernacula fuerunt necessaria ad mundi reparationem et ad gratie recuperatione.

Primo, fuit corpus Christi necessarium ad redemptionem, ad instructionem et ad gratie colationem.

Primo, ad redemptionem, ut sicut Adam in corpore et anima peccauit, sic esset homo qui a peccato liberaret.

Secundo, ut instrueret mundum predicando et celestia secreta reuelando.

---

90: Prv. 25, 4. | 101: cf. Dn. 2, 34. | 104: Hbr. 9, 11. | 105-106: Col. 2, 3. | 107-108: Sir. 50, 10. | 111: Ps. 30, 13.

99: cf. Ambr., *Hymn.*, IV. PL 16, 1410D. | 102: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, III, 164, (432a1-2), p. 188.

125 Tertio, ut daret gratiam per instrumentum coniunctum diuinitati, ut dicit Damascenus. Verum est quod gratiam non dabat nisi in illo per fidem incorporarentur, et fides erat credere non solum esse Deum, sed hominem. Et sic oportebat intrare per uulnus lateris eius sicut in arca Noe non fuit saluus nisi intrans per portam lateris eius, et sic ipse dicebat, Matthei septimo et Luce decimo tertio: *intrate per angustam portam*. Et sicut qui intrat per portam, per quam egreditur aqua, oportet quod balneetur, sic per istam portam per quam fluxit sanguis et aqua opus, si debemus intrare, quod credamus esse redemptorem per sanguinem et passionem et quod per baptismum mundemur. Et hoc dixit ipse: *qui crediderit et baptizatus fuerit saluus erit*. Et sic opus quod intremus per fidem in hoc tabernaculum et ibi a periculis et peccatis abscondamur, unde Dauid dicebat: *abscondit me in tabernaculo suo*, scilicet: humanitatis, *in die malorum*, id est, peccatorum uel tribulationum et aduersitatum, etcetera, *sed protexit me in abscondito tabernaculi sui*, scilicet: mediante diuinitate ibi abscondita, Psalms uicesimo sexto. Vnde propheta Isaias capitulo quadragesimo quinto: *tu es Deus absconditus*, etcetera. Igitur licet gratia esset principaliter a diuinitate, fuit tamen collata instrumentaliter per humanitatem quasi per carnalem, etcetera.

140 Secundo, fuit necessarium tabernaculum nostri corporis, ut impedimentum non daremus gratie, quia Deus dat gratiam dispositis ad illam per actus meritorios et uirtutis, et hoc sit dum sumus uiatores, scilicet: anima unita corpori.

145 Tertio, fuit necessarium tertium tabernaculum uirginis Marie, quia quando homo est in una camera et uult ad aliam remotam transire non potest, nisi per aliquam mediam transeat prius. Sic in proposito, nostrum tabernaculum est in terra, Christi tabernaculum ad patris dexteram. Igitur opus quod uniamur mediante illo tabernaculo in quo facta fuit unio Dei et hominis, quod est medium, unde Bernardus: «ad Mariam tamquam ad medium», etcetera. Igitur si ista tria tabernacula sunt necessario requisita ad gratiam, si hodie illam uolumus habere, *faciamus hic tria tabernacula*. Sed ut melius illam gratiam habeamus, ad hoc tabernaculum uirginis Marie in principio sermonis presentemus angelicam salutationem, etcetera.

150 <THEMA> *Faciamus hic tria tabernacula*, ubi supra.

155 In presenti sermone due erunt partes. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda sancti euangelii expositiua. Sed quia uerba thematis dicunt quod “faciamus tria tabernacula”, sic in prima parte faciemus. Primum tabernaculum erit de transfiguratione legis nature in principio mundi. Secundum de transfiguratione legis scripte, scilicet: tempore Mosi. Tertium erit de transfiguratione legis gratie. Est differentia inter istas, nam ad primam solum concurrat spiritus; ad secundam solum corpus; ad tertiam simul spiritus et corpus. Item alia differentia quod prima fuit deceptiua; secunda figuratiua; tertia ueritatis ostensiua.

160 Prima fuit hec, nam post lapsum demonis, uidens demon quod Deus creauerat primos parentes et dederat illis precepta, que si seruarent, erant per obedientiam et humilitatem recepturi illam beatitudinem quam ipse per superbiam perdiderat, et sic licentia petita et obtenta a Deo, ut illos probaret et temptaret. Et cum non posset interiori suggestionem illos temptare, quia proprium erat homini recipere ad extra temptationem: «quia nihil est in intellectu quin prius fuit in sensu», ut dicit Philosophus, et nihil est in sensu exteriori quin

127: Mt. 7, 13; Lc. 13, 24. | 130-131: cf. Mc. 16, 16. | 132-134: Ps. 26, 5. | 135-136: Is. 45, 15. | 147-150: cf. Mt. 17, 4.

123: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, III, 26-27. PG 94, 1094B-1098B; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 62, a. 5, p. 481-482. | 145: Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328A. | 162-163: cf. Th. Aq., *Qu. De Ver.* (vol. 1), q. 2, a. 3, 19, p. 49.

165 prius aliquo modo fuerit in sensu aliquo exteriori, et sic cum demon esset creatura spiritualis, similiter oportuit recipere aliquam formam corpoream, ut posset uideri et loqui cum primis parentibus. Et sic uoluit formam corporis humani assumere, et Deus non permisit, ut melius apprehenderetur falsitas a muliere, unde ait Apostolus prima Corinthiis decimo: *fidelis Deus qui non patitur uos temptari ultra id quid potestis*. Noluit autem Deus ut acciperet formam uiri, quia tunc esset multum perplexa. Nam si uir, scilicet: Adam, dixit illi  
170 quid debebat seruare, si alter uir dixisset contrarium, nesciret cui esset credendum. Similiter si forma mulieris sumeret una mulier disputaret cum altera, etcetera.

Secundo, noluit quod formam humanam sumeret propter dignitatem suam et dignitatem matris sue. Nam ipse erat naturam hominis accepturus et illam ex mater uirgine debuit sumere, igitur ante non debuit demon aliquam illarum sumere. Sed dicit Beda (ut sanctus  
175 Bonauentura recitat in secundo, distinctione uicesima prima) quod serpens habuit caput uirginis cum quo loquebatur Eue et non permisit Deus quod corpus uel figuram corporis sumeret, in quo ipse erat nouem mensibus permansurus. Et ideo quod dicitur Genesis tertio: *inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum*.

180 Primo, inimicitia fuit ratione conditionis, quia uirgo Maria lucida per gratiam et demon tenebrosus sine illa, et ut dicit Apostolus, secunda Corinthiis sexto: *que conuentio lucis ad tenebras*, etcetera?

Secundo, dicit: “et semen tuum et semen illius”, quia licet esset inimicitia inter Christum et demonem, ut dicit Apostolus, secunda Corinthiis sexto: *que conuentio Christi ad Belial?* Sed etiam hac ratione uirgo habuit inimicitiam ad demonem, quia filius suus passus fuit et  
185 mortuus propter peccatum a demone procuratum, etcetera.

Tertio, dicit: “ipsa conteret caput tuum”, nam sicut in forma capitis uirginis Marie decepta mulierem, sic ipsa uirgo formauit inimicitiam contra demonem, sicut quando quis in persona alterius decipit aliquem, format inimicitiam contra illum, ideo dicit: *ipsa conteret caput tuum*. Quasi dicat: quia formam capitis accepisti cum qua mulierem decepisti, ideo ipsa  
190 uirgo Maria conteret caput tuum, id est, potentiam tuam, etcetera. Hec autem fuit opinio Bede, sed opinio communior est quod solum accepit figuram serpentis.

Si dicis: quomodo igitur decepta fuit in hoc quod credidit serpentem ex natura sua habere loquelam, cum hoc sit proprium nature humane? Dicendum quod Eua non credidit serpentem naturaliter habuisse loquelam, sed credidit quod fuit sibi communicatum ab  
195 aliqua uirtute superiori, sed non discernit utrum a Deo uel demone illud habuisset. Postquam uero non fuit illi permissum formam et figuram hominis assumere, uoluit formam uolatilium sumere, ut aquile, etcetera. Sed non permisit Deus hoc, ne forte Eua crederet descendisse de celo. Voluit iterum sumere figuram animalis perfecti, ut equi uel cameli, etcetera, sed noluit Deus propter illorum perfectionem et quia caput ad celum eleuatum habebat. Sed dixit illi Deus quod solum mittebat in figura serpentis temptare,  
200 tum quia circa terram gradiebatur et non aspiciebat ad celum. Et sic faciliter iudicabatur mendosum animal, tum etiam quia cauernulam facit ad centrum terre, ad quod fuit ipse deputatus. Item quia non erat animal homini acceptum, ut columba uel simile, sed uenenosum, etcetera.

---

168: I Cor. 10, 13. | 178: Gn. 3, 15. | 180-181: II Cor. 6, 14. | 183: II Cor. 6, 15. | 188-189: cf. Gn. 3, 15.

174: Beda] *Auctor err.* cf. Petr. Com., *Hist. Sch.*, in Gn., XXI. PL 198, 1072B; cf. Bon., *Sent.* (vol. 2), II, dist. 21, a. 1, q. 2, p. 510.

205 Si dicis: quare igitur hodie permittit quod demon in forma uiri uel mulieris temptaret, ut sepe sit et legitur in Vitis Patrum, etcetera? Dicendum quod hoc rationabiliter fuit factum per tres rationes.

Prima, quia iam erat ab eo, scilicet: Deo assumpta natura humana et de uirgine Maria.

210 Secunda erat iam uirtus demonis per passionem Christi debilitata, unde dixit Iohannis duodecimo: *nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, quo ad eius potestatem, et sic habetur Apocalypsis uicesimo: *et uidi angelum*, id est, Christum, ut dicit glosa, *habentem clauem abyssi et catenam magnam in manu*, scilicet: actus uite, passionis, mortis et resurrectionis eius, scilicet: concatenati, *et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas*, scilicet: temptator, *et ligauit eum per annos mille*, scilicet: usque ad finem seculi, ut dicit glosa.

215 Tertio, quia nunc iam sumus informati per Christi temptationem et predicationem et per temptationes sanctorum nobis scriptas, etcetera.

Si forte dicis: bene scimus quod aliquando apparet in forma uiri, ut Christo apparuit et multis patribus. Sed etiam nuntius Dei sic apparet, ut Petrus apparuit sancte Agate et beato Martino et multis aliis, et aliquando in figura angeli, etcetera. Et sic ignoramus quando est a 220 Deo et quando a demone, etcetera. Dicendum quod licet in multis possit cognosci, sed precipue in tribus.

Primo, dicit sanctus Thomas in tertia, questione tricesima, tertio ad tertium; et super Iob quarto, columna quinta; et secunda Corinthibus undecimo, columna nona, quod licet in 225 aparitione angeli boni et mali sit in principio aliquis terror, sed in fine bonus angelus cum consolatione dimittit, ut patet de mulieribus ad monumentum euntibus et timentibus in uisione angeli qui dixit eis: *nolite timere, scio enim quod Iesum queritis*, etcetera.

Item patet in euangelio hodierno: *audita uoce de nube apostoli ceciderunt in facies et timuerunt ualde, sed accessit Iesus et tetigit eos dicens: "surgite et nolite timere"*, etcetera. Sed malus angelus uel 230 apparitio demonis semper in perplexu dimittit in terrore. Est autem remedium in hoc: adducere illud quod maxime illi apponit terrorem, ut est crux, in quo uexillo uictus fuit. Et sic debet se christianus semper signo crucis signare, nam si est bonus angelus uel apparitio a Deo, gaudet de illo, si est a demone, terret in illo. Exemplum huius habemus in dialogo Gregorii dicens quod: «cum Andreas episcopus ciuitatis Fundane haberet secum in seruitio sanctimoniam castissimam sicut ipse etiam continentissimus fuit, sed antiquus hostis 235 quadam die cepit speciem illius in oculos mentis eius imprimere, ut illectus nefanda cogitaret. Quadam uero die iudeus quidam ex Campanie partibus Romam ueniens Apie carpebat iter qui ad Fundanum cliuium perueniens, cum iam diem uesperascere cerneret. Et quo declinare posset minime reperiret, in Appollinis templum se recepit qui illius loci sacrilegium timens. Quamuis fidem non haberet signo tamen crucis munire se curabat, 240 nocte media uidit malignorum spiritum turbam cum potestate preire, qui autem illis preerat cepit causas audire quid mali egissent. Inter alios surrexit quidam dicens quod in Andree episcopi animum cum sanctimoniali temptationem carnis commisi, sed in signum huius dixit quod die preterita uespertina hora eius mentem traxit, ut in terga eiusdem monialis daret alapam. Tunc dixit malignus spiritus ut perficeret quod incepit. Cum iudeus 245 palpantes hoc cerneret, ab illo qui preerat, iussum est ut requireret quisnam esset ille qui

210: Io. 12, 31. | 211-214: Apc. 20, 1-2. | 226: cf. Mt. 28, 5. | 227-228: cf. Mt. 17, 6-7.

211-214: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 6), Apc. 20, 3, f. 270r. | 222: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 30, a. 3 ad 3, p. 229; *Sup. Iob*, IV, p. 32; *Sup. II Cor.*, XI, 9, p. 378. | 233-251: cf. Gre. Mag., *Dial.*, III, 7. PL 77, 229A-232C.

226: Timere] M timerere.



iacere in templo presumpsisset, qui pergentes crucis signatum uiderunt et dixerunt: “ue, ue, ue, uas uacuum, uas signatum”. Mane iudeus cum festinatione ad episcopum perrexit et interrogauit de negotio. Cum autem episcopus negaret, dixit omnia que audierat, maxime de alapa eius, etcetera. Tunc episcopus fleuit et non solum illam, sed omnem feminam de suo habitaculo expulit, in eodem uero templo Appollinis beate Andree apostoli repente oratorium fecit et iudeum ad eternam salutem traxit». Si igitur non credenti signum crucis profuit, quid dicemus de christianis, etcetera?

255 Secundum signum maligne temptationis est quod semper inter uera inserit aliqua mendacia, ex quibus potest apprehendi. Ex quo patet quam stultum est querere ueritatem in aliquo negotio a demone, nam ut dicit Christus, Iohannis octauo: *mendax est et pater eius*. Igitur stultum et maxime periculosum est querere ueritatem a mendace.

Si dicis: multa uera dicit? Dicendum quod omnia sunt mendacia, nam ille non dicit nisi ut mendacium credamus. Ideo dixit Christus: *in ueritate non stetit*, Iohannis octauo, nam omne uerum ordinat ad mendacium. Et sic quidquid dicit uel facit mendacium est, quia ordinatur in aliud, et sic christianus non debet querere ueritatem ab illo. Exemplum habemus quarto Regum primo, de rege Ahazia, qui egrotauit, etcetera, et misit nuntios ad Deum Acharon, etcetera. Dicit ei dominus: *non erat Deus in Israhel?* Et sic ignis consumpsit duos quinquagenarios cum hominibus centum, etcetera. Remedium contra hoc est recurrere ad ueritatem, nam ueritas est contra mendacium, et Christus dicit: *ego sum ueritas*, Iohannis decimo quarto. Et sic debet christianus inuocare nomen Iesu Christi, nam: *in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum*, ad Philippenses secundo.

Tertium signum est quod semper temptat ad elationem uel superbiam sicut fecit in principio in primis parentibus dicens: *eritis sicut dii*, etcetera. Et sic semper dicit quod dabit dominus uel diuitias, etcetera. Et sic apparuit beato Martino in ueste rutilanti «in forma regis purpuratus et diadematus dicens se esse Christum, et Martinus dixit quod Christus se nec purpuratum nec diademate renitentem uenturum predixit, et quod nisi Christum in ea forma qua passus est cerneret ipsum minime crederet. Quo dicto, diabolus disparuit et cellam fetore repleuit». Et sic si uenit cum pompa aut impellit ad dominium uel ad diuitias uel huiusmodi creditur quod est a demone, remedium est ipsa humilitas. Et sic cum «beatus Antonius uidisset mundum plenum laqueis dixit: quis poterit liberari ab his? Tunc audiuit uocem quod humilitas liberabat ab illis». Et sic cum diabolus dixisset Machario: “quare illum uincere non poterat? Cum ieiunaret sicut ipse et maiorem castitatem seruaret et omnibus que in mundo erant renuntiauerat?” Dixit demon: “non uideo quod tu habeas aliquid quod ego non habeam nisi sola humilitatem”. Et sic legitur in Vitis Patrum cum quidam senex esset in sua cellula, apparuit illi diabolus in forma angeli et dixit illi: “quis es tu?” Respondit: “ego sum angelus missus a Deo, ut nuntiem tibi aliqua ex parte sua”. Tunc senex dicit: “erras, quia tu non es ad me missus. Ego sum puluis et cinis et maximus peccator, non sum dignus ut ad me mittat Deus angelum suum”. Et sic disparuit et nihil illi dixit. Sed nota quod sicut puluis quiescit in foramine et in loco infimo, quia tunc non eleuatur a uento, sic peccator in loco humilitatis, tunc non eleuatur a uento temptationum, etcetera. De ista autem transfiguratione loquitur Apostolus secunda Corinthiis undecimo dicens: *Satanas transfiguratur se in angelum lucis*. Et hec de prima.

Secunda transfiguratio fuit in lege scripta, quando, Exodi tricesimo quarto, Moses descendit secundo de monte et habebat faciem radiantem, hec autem fuit figuratiua Christi.

255: Io. 8, 44. | 258: Io. 8, 44. | 262: cf. IV Rg. 1, 3. | 264: Io. 14, 6. | 265-266: Phil. 2, 10. | 268: Gn. 3, 5. | 287: II Cor. 11, 14. | 288: cf. Ex. 34, 35.

269-273: cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, CLXVI, pp. 747-748. | 274-276: cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, XXI, p. 105.

290 Primo, “Moses” dicitur, id est, «sumptus ab aquis». Solus Christus fuit separatus ab aquis  
 peccati sumptus, non Moses iste, qui fuit in peccatis conceptus, scilicet: originalis, et iterum  
 fuit peccator, sed Christus nullo modo. Secundo, Moses de monte recepit duas tabulas, sic  
 Christus in monte celi empirei creauit Adam et Euam, quia: *uerbo domini celi firmati sunt*; et: *in*  
 295 *principio*, id est, in filio, *creauit Deus celum et terram*, etcetera. Iste tabule fuerunt fracte per  
 peccatum et iterum Christus, uerus Moses, descendit de monte, id est, de uirgine, per carnis  
 assumptionem, Danihelis secundo: *lapis scissus de monte*, id est, de uirgine Maria, et reparauit  
 illas tabulas duas, scilicet: animam Ade et Eue et omnes alias, quia: «anima est tamquam  
 tabula rasa», ut dicit Philosophus in libro De Anima. Et sic quando reparauit illas descendit  
 glorificata facie. Sic Christi anima in instanti conceptionis fuit gloriosa, et sic ista  
 300 transfiguratio fuit figuratiua.

Tertia fuit ueritatis ostensiuua, scilicet: ista quam hodie solemnizamus.

Et si dicis: que est causa quod hec festiuitas sic solemniter celebratur, maxime in  
 Hispania et singulariter in hac ciuitate? Dicendum quod triplex ratio potest assignari.

Prima quia cum per mille annos esset huius ciuitatis inuocatio beate Marie de Columna.  
 305 Anno mille centum septemdecim uel in principio anni mille centum octodecim, fuit hec  
 ciuitas Cesaraguste liberata a mauris per regem Ildefonsum Hispanie imperatorem, et cum  
 esset capta sexta die ianuarii, scilicet: in die regum, fuit mezquita in ecclesiam consecrata. Et  
 fuit sub inuocatione regis regum, qui est Christus, et quia regnum suum tres habet partes.  
 Primo, est rex totius mundi; secundo, rex glorie, unde in Psalmo uicesimo tertio: *quis est iste*  
 310 *rex glorie*, etcetera? Tertio, est rex celorum. Sic cum ille Ildefonsus esset rex potentissimus et  
 hec esset ciuitas regalis et metropolis regni et capta tali die, fuit sub triplici inuocatione  
 facta. Primo, sub inuocatione regis terre, quod fuit quando tres reges obedientiam illi  
 dederunt, scilicet: sexta ianuarii, quando tres magi uenerunt pro Asia, Europa et Africa, et  
 illum in regem totius mundi adorauerunt. Secunda, pro rege glorie, scilicet: sexta die  
 315 augusti, quando regem glorie se ostendit. Tertia quando regem celorum se ostendit, scilicet:  
 in die ascensionis domini. Et sic cum una istarum fuerit hec dies transfigurationis, sequitur  
 quod in hac ecclesia debet solemnizari.

Secunda ratio est, quia cum ciuitas Constantinopolitana esset capta a Machometo,  
 principe Turcorum, anno tertio sui regni et anno Christi mille quadringenti quinquaginta  
 320 tres, et per tres annos fere totam christianitatem dissipasset, anno Christi mille quadringenti  
 quinquaginta quinque apud oppidum Belgradum trans Danubium in regno Vngarie cum  
 multitudo Turcorum in obsidione esset et nullum remedium preter diuinum haberet, cum  
 esset paucitas christianorum. Confortati christiani a fratre Iohanne Cabistrano ordinis  
 minorum exierunt ad martyrium contra Turcos et uictoriam mediante diuino auxilio  
 325 habuerunt in tantum quod pauci de multis triumpharunt, ut ait Calixtus papa Tertius in  
 bulla sic dicens: «dedit ipse misericors et miserator dominus in manus paucorum, tam  
 ferocis immitissimi et innumerabilis exercitus cum maxima strage uictoriam, ultra quam  
 mens possit extimari humana. Nam fuerunt in eadem pugna ultra quattuor milia occisi  
 totidemque superstites in turpem fugam uersi, sese mutuo trucidantes. Castra incensa,  
 330 machine et instrumenta bellica omnia aqua et terra dirupta sunt, naues eorum capte uel  
 combuste uel submerse sunt et confusus abiens ipse tyrannus». Quia hec uictoria habita fuit  
 sexta die augusti, ideo Calixtus papa instituit hoc festum solempne et officium nouum in eo  
 publicauit.

293: Ps. 32, 6. | 293-294: cf. Gn. 1, 1. | 296: Dn. 2, 34. | 309-310: Ps. 23, 8.

290: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, VT., Ex., M. PL 23, 789A. | 297-298: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, III, 146,  
 (429b30), p. 186. | 326-331: cf. Ant. Flo., *Chr.*, XXII, 14, 1, p. 579.

335 Tertia causa est, nam cum in die quo distributiones maxime in ecclesia dantur, maxime  
solemnizetur festum, cum Calixtus dederit, tam in die quam in octauis easdem  
distributiones omnibus christianis, sicut in die corporis Christi, scilicet: easdem indulgentias  
concessit. Et quia ipse Calixtus et etiam legatus missus ad bellum, scilicet: Iohannes  
Caruaiala, uulgariter “Caruaial” cardinalis, sancti angeli fuerunt Hispani. Ideo in Hispanie  
340 partibus, maxime hoc festum solemnizatur. Fuit autem maxima differentia inter  
transfigurationem ueteris et noui testamenti. Ista autem potest tripliciter assignari, primo ex  
parte subiecti; secundo, ex parte lucis; tertio, ex parte cause.

Primo, quia Mosi sola facies illuminabatur et etiam sola superficies faciei. Exemplum in  
speculo. Sed Christi non solum facies, sed totum corpus eius, quia fuit uestitus gloria, unde  
dicitur Psalmi centesimo tertio de ipso Christo: *amictus lumine sicut uestimento*.

345 Secundo, ratione luminis tripliciter. Primo, quia lux Christi fuit ab intrinseco, scilicet: ab  
anima redundabat ad corpus. Sed Mosi ab extrinseco, scilicet: ex consortio diuini sermonis,  
Exodi tricesimo quarto. Exemplum huius: iratus habet faciem coloratam ab intrinseco,  
scilicet: quia sanguis cordis illius accenditur, sed applicatus ad ignem habet etiam faciem  
coloratam, non ab intrinseco, sed ab extrinseco, scilicet: ex presentia ignis. Sic Moses, quia:  
350 *Deus noster ignis consumens*, ad Hebreos duodecimo, etcetera. Secunda est quia lux Christi  
emittebatur uoluntarie, cum esset ab anima gloriosa; altera uero Mosi non, cum non  
haberet animam gloriosam, sed ipso nesciente, nam ut habetur Exodi tricesimo quarto:  
*ignorabat quod facies eius esset cornuta*, etcetera. Exemplum: sicut noctiluca ostendit lucem  
355 quando uult et occultat quando uult, sic anima beata potest ostendere claritatem ad corpus  
quando uult et econuerso, ut dicit sanctus Thomas in quarto, distinctione decima et  
distinctione quadragesima quarta et in multis aliis locis.

Tertia differentia est quod lux Christi erat uisui delectabilis, ut iaspis, sed lux Mosi  
ledebat uisum, nam ut ait Apostolus secunda Corinthiis tertio: *non poterant filii Israhel intendere  
in faciem Mosi propter gloriam uultus eius*. Huius autem fuit triplex ratio.

360 Prima quia Christus ostendit se benignum et largitorem glorie, sed Moses ostendit se  
terribilem ministrum contra populum peccantem. Sic etiam Christus, quia Christus eiecit  
ementes et uedentes de templo, ostendit radios lucis in facie terribiles ad illorum terrorem,  
sed quando se ostendit tribus regibus mittebat radios benignos, etcetera.

365 Secunda quia lux Mosi erat in facie ex reuerberatione lucis diuine, et sicut lux solis  
quando in aliquo loco reuerberat impedit uisum, sed quando exit mediante aliquo uitro non  
sic, sic in Christo lux anime uidebatur mediante uitro humanitatis uel corporis Christi et  
Mosi sine illo.

370 Tertia ratio fuit quia claritas Christi erat gloriosa, ideo delectabat uisum, quia omnia que  
sunt in gloria sunt delectabilia. Sed claritas Mosi erat media inter gloriosam et naturalem,  
quia medium sapit naturam extremorum in quantum naturalis ledebat uisum.

Sed dices: si illud erat lumen glorie, quare non beatificabat corpus Christi? Dicendum  
quod fuit transiens et non habitualis. Exemplum de raptu Pauli. Exemplum: carbunculus  
habet lumen permanenter et quasi in habitu, sed christallus transeunter, quia solum in  
presentia lucis.

---

344: Ps. 103, 2. | 347: cf. Ex. 34, 33. | 350: Hbr. 12, 29. | 353: Ex. 34, 29. | 358-359: cf. II Cor. 3, 7.

355: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 7), lib. 4, dist. 10, q. 1, a. 1, p. 720; (vol. 10), dist. 44, q. 2, a. 4, p. 210.

375 Si dicis: postquam illuminabat corpus igitur beatificabat illud. Dicendum quod non, nam actus secundus potest a primo separari et non econuerso, ut patet in fornace puerorum, nam ignis ille lucebat et non comburebat. Sic in proposito, illud lumen illuminabat et non beatificabat corpus, nam illuminare est actus primus respectu alterius, etcetera.

380 Sed dicis: si erat anima beata, quomodo patiebatur? Dicendum quod licet esset una anima, habebat potentias plures et distinguuntur in potentias superiores et inferiores. Secundum potentias superiores, que non alligabantur organo corporeo, fruebatur et non patiebatur, quia patiebatur respectu corporis, et ille potentie, scilicet: intellectus, et uoluntas non sunt site in organo corporeo. Sed potentie inferiores alligabantur organo corporeo, et sic respectu illarum patiebatur, et sic habuit dolorem et tristitiam, etcetera. Dixit autem:  
385 *tristis est anima mea*, etcetera. Et quia habere animam beatam erat mundo occultum, non uoluit illud hodie mundo manifestare, quia dixerat ante: *filius hominis uenturus est in gloria sua et tunc reddet unicuique*, etcetera, Matthei decimo sexto. Et sic manifestabat quod illi qui transfigurarentur a peccato in penitentiam haberent beatitudinem, et illi qui econuerso transfigurarentur haberent penam eternam. Nam sicut tres sunt transfigurationes Christi, ut  
390 diximus, sic tres sunt transfigurationes demonis secundum tria tabernacula. Prima est spiritus et anime; secunda corporis; tertia habitus exterioris.

Prima anime est transfiguratio de gratia ad peccatum. Nam anima cum sit ad Dei imaginem et pulcherrima deturpatur per peccatum, unde Trenorum quarto, quando loquebatur de redemptione peccatorum post Christi passionem dicit: *candidiores nazarei*, id  
395 est, redempti a Iesu Nazareo, *eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore, antiquo saphiro pulchriores*. Sed per peccatum commissum subdit: *denigrata est super carbones facies eorum et non sunt cogniti in plateis*, etcetera. Hec est autem prima transfiguratio procurata a demone.

Secunda est quo ad corpus et hec est hypocritarum, iam maior aliorum peccatorum, unde Matthei sexto: *exterminant facies suas*, etcetera. De qua loquebatur Apostolus secunda  
400 Corinthiis undecimo dicens: *pseudoapostoli transfigurant se in apostolos Christi*. Item in hac transfiguratione comprehenduntur inuidi et malitiosi ciues huius ciuitatis, qui rident coram conciuibus et in absentia persequuntur bonos, etcetera. Item de picturis facierum mulierum et abominationibus hominum. Item nutriunt capillos ultra modum nescio propter quid. Non enim conueniunt clericis ut fit, quia confundit coronam per comam, quod est contra  
405 illorum regulam. Nam si non portant habitum, nec gaudere debent priuilegio clericorum. Item sunt excommunicandi, unde libro tertio Decretalium, capitulo quarto, quinto, sexto et septimo, aperte cauetur hoc, etcetera. Et sic non licet clericis, nam in ministerio altaris, primo supra calicem sunt capilli quam mappa, etcetera. Item non conuenit seruis dominorum, nam in ferculis cadunt capilli, etcetera. Item non conuenit militibus pro  
410 exercitu, nam Absalon portans capillos ponderantes ducentos siclos, secundo Regum decimo quarto, unde dicitur hic: *ponderabat autem cesaries illius ducentos siclos*, etcetera. Sed dum fuit in bello, suspensus fuit per capillos capitis et Ioab interfecit eum, nec interficeretur si non habuisset tantam capillorum copiam.

Sed forte isti milites dicent: propter hoc, ut non suspendamur de capillis, nos utimur  
415 coma de capillis mulierum et artificio tegimur illis, etcetera. Non debent iste abusiones fieri a christianis propter tria.

---

385: Mt. 26, 38. | 386-387: Mt. 16, 27. | 394-397: Lam. 4, 7-8. | 399: Mt. 6, 16. | 400: II Cor. 11, 13. | 411: II Sm. 14, 26.

406: cf. Gre. IX., *Decr.*, III, 4, 1, col. 460sq.

Primo, hoc est contra rationem, nam nullus debet appetere suam imperfectionem, sed suam perfectionem. Igitur qui uult mulieribus assimilari est huiusmodi, cum mulier appetat uirum tamquam perfectionem suam, primo Physicorum, et: «mulier sit uir occasionatus»,  
420 decimo sexto De Animalibus.

Secundo, est contra uiri dignitatem portare capillos, maxime in ecclesia, nam si secundum Apostolum prima Corinthiis undecimo, mulier cui proprium est habere capillos non debet in ecclesia illos discoopertos portare, a fortiori nec uir cuius non sunt capilli, unde ait Apostolus: *mulier si non uelatur tondatur, si uero turpe est mulieri, tonderi aut decaluari debet caput suum*. Et cum hodie homines propter abundantiam capillorum uelent capita, hoc est  
425 contra eorum naturam.

Tertio, est contra preceptum Deuteronomii uicesimo secundo, ubi habetur: *non induetur mulier ueste uirili nec uir utetur ueste feminea*. Hic ponitur “uestis” pro quocumque habitu uel ornato, unde glosa Augustini hic dicit: «contra naturam est uirum muliebria facere, comam crispate, torquere capillos. Vnde prima Corinthiis undecimo: *uir si comam nutrierit ignominia est illi, mulieri autem capilli pro uelamine dati sunt. Non ergo induetur uir ueste feminea*». Hec ille in glosa ordinaria super illud “non induetur”, etcetera, Deuteronomii uicesimo secundo. Et sic dicit Nider in preceptorio primo, capitulo decimo octauo, quod tales grauiter peccant et concordant cum eo sanctus Thomas, Alexander et multi alii. Potest autem hoc fieri in  
435 tribus casibus.

Primo, ad euadendum mortem, ut si quereretur ad interficiendum.

Secundo, ad seruandum corporis castitatem, ut legitur de beata Marina et beata Eugenia et de multis aliis.

Tertio, propter necessitatem, si aliam uestem non haberet ad tegenda membra. Sed si  
440 hoc fiat ad liberius peccandum uel ad libidinem prouocandam, est peccatum graue, etcetera.

Sed forte isti dicent: sed non collocamur in aliquo istorum trium tabernaculorum demonis, non apparebit pulchritudo nostra, nam de Absalon, qui comam nutriebat, legitur secundo Regum decimo quarto: *non erat in omni Israhel uir pulcher sicut Absalon*. Et sic si talibus non uteremur, essemus abiecti ab omnibus. Dico quod melius dixit Dauid in Psalmo octogesimo tertio: *elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*.  
445

Et sic ista tria tabernacula demonis sunt fugienda et sunt facienda alia tria Dei, de quibus dicit prelatus omnium Petrus omnibus christianis: *faciamus hic, scilicet: in ecclesia Dei, tria tabernacula*.

Et que sunt ista? Dico quod primum est tabernaculum doloris peccatorum per contritionem; secundum est tabernaculum uere et integre confessionis illorum; tertium est perfecte satisfactionis istorum. Et sic qui ista tria facit hic habet gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.  
450

---

424-425: I Cor. 11, 6. | 427-428: Dt. 22, 5. | 430-431: I Cor. 11, 14-15. | 431: cf. Dt. 22, 5. | 443: II Sm. 14, 25. | 445: Ps. 83, 11. | 447-448: cf. Mt. 17, 4.

419: cf. Arist. Lat., *Phys.*, I, 9, 192a24, p. 40; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 2), lib. 1, dist. 45, q. 1, a. 1, p. 921. | cf. Auctor. Arist., *De Animal.*, XIII, 196, 737a27-29, p. 225; cf. Alb. Mag., *De Animal.*, III, 2, 8, p. 252b. | 429-431: Augustini] *Auctor err.* cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Dt., 22, 5. PL 113, 475D. | 433: cf. Io. Nid., *Precep.*, I, 18, pp. 138-139.

SERMO NONAGESIMVS SEPTIMVS ET QVINTVS IN EODEM DIE TRANSFIGVRATIONIS  
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

<THEMA> *Bonum est nos hic esse*, Matthei decimo septimo.

Originaliter recitatie autem in euangelio, etcetera.

5 Sententia est communis, non solum philosophorum sed etiam omnium theologorum, quod ad obtinendum aliquem finem prius sunt habenda ea que ordinantur ad illum finem, nam: «de extremo ad extremum necesse est per medium transire», ut dicit Philosophus. Sed ea que ad aliquem finem ordinantur quasi reducuntur ad tria. Primum est illud quod est  
10 multae necessitatis et dicitur “causa sine qua non”, quia sine illo talis finis haberi non potest. Secundum est illud quod ad hoc habendum ordinatur. Tertium scire locum ubi hoc reperiatur. Exemplum: si alicui opus est ire Romam in quindecim uel uiginti diebus, huius itineris est Roma terminus. Sed ad hoc opus habere nauem, si per mare uult tendere, aut habere equum si uult ire per terram, et hoc est necessitatis et causa sine qua non. Nam uires naturales non sufficiunt ad hoc: ut in quindecim diebus sine his acquirat finem, scilicet:  
15 Romam. Secundum est illud quod mediante ista causa sine qua non habetur, sed opus habere pecunias, scilicet: ad hoc ut habeat equum aut nauem. Tertium est pergere ad locum in quo ista reperiuntur: si equum uult emere, tendere ad ciuitatem Daroce; si nauem, opus ire Tarraconam uel Barchinonam, etcetera.

20 Sic in nostro proposito, si nos uolumus habere finem ultimum, que est beatitudo in celo empireo, quam omnes desideramus, opus habere primo illud sine quo haberi non potest, scilicet: habere gratiam, nam sine gratia diuina nec angelus nec non habuerunt illam nec aliquis unquam habebit. Et sic dicit Apostolus ad Romanos sexto: *gratia Dei uita eterna*. Quasi dicat quod uita eterna habetur mediante gratia Dei. Ideo gratia est causa sine qua non habetur.

25 Secundo, habere opus illud quo mediante habetur gratia, et hoc precipuum est humilitas, nam Iacobi quarto habetur: *humilibus dat Deus gratiam*. Vnde dicunt doctores quod gratia est thesaurus anime. Et sic, sicut mediante thesauro habentur cara et pretiosa, sic mediante gratia habetur beatitudo, que est omnibus pretiosior. Et sic thesaurus habetur fodendo in terram, nam mineralia omnia sunt infra terram et in aere non reperiuntur. Sed quanto quis  
30 plus fodit, magis de illis reperit. Sic humilitas reperit gratiam. Instrumentum autem quo quis fodit terram, quod dicitur “çapa”, comparatur menti aut cordi hominis, que est pars superior hominis. Nam non sumitur hic pro corde carneo hominis, sed anime, ut habetur Deuteronomii sexto et Matthei uicesimo secundo: *diliges dominum Deum tuum ex toto corde*, scilicet: quo ad intellectum et uoluntatem, que est superior pars hominis. Et etiam potest  
35 dici quod cor carneum iunctum cum his duobus, scilicet: cum intellectu et uoluntate, dicitur cor, quia cum hoc nomen “cor” interpretetur secundum tres litteras, “C”, id est, camera; “O”, id est, omnipotentis; “R”, id est, regis. Ista camera habens istas tres mansiones, scilicet: cor carneum secundum “C”; secundum “O” est ordinata uoluntas; secundum “R” reuerentia intellectus. Hic habitat Deus. Et sic ad faciendum et humiliandum ista “çapa”  
40 requiritur quod sit in manu operantis et fodiendis.

Primo, reuerentia intellectus, a quo est incipiendum.

3: Mt. 17, 4. | 22: Rm. 6, 23. | 26: Iac. 4, 6. | 33: Mt. 22, 37.

7: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 55, a. 2, p. 388.

Secundo, est ordinatio uoluntatis, quia: «nihil uoluit nisi precognitum», et hoc non sufficit nisi sit operatio.

45 Sic est tertium, scilicet: cor carneum, quod est principium motuum omnium membrorum. Et sic ex his tribus foditur et humiliatur.

Primo, est manus, que significat operationem exteriorem. Et sic dicunt doctores quod lex Mosi prohibebat «manum et non animum». Manum, id est, operationem exteriorem. Et sic manus est cor carneum; lignum “çape” est intellectus; ferrum quod intrat terram est uoluntas. Et sic dum hec “çapa” ascendit in aerem non fodit thesaurum gratiarum, immo si  
50 terram habebat in se, mediante aere perditur, unde Psalmi sexagesimo tertio: *accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus*, scilicet: fugiendo ab illo. Sed dum humiliat “çapam” ad terram, tunc ipse fodiendo habet thesaurum gratiarum, scilicet: humiliando se. Hoc patet per exemplum. Primo, angelus primus non sciuit fodere gratiam, nam eleuauit “çapam” suam, scilicet: intellectum et uoluntatem, quia manus non habebat, cum esset incorporeus. Et sic  
55 per superbiam eleuando “çapam” dixit: *ascendam in celum et ero similis altissimo*, Isaie decimo quarto. Et cum non protraxit illam, non solum thesaurum gratie non inuenit, sed gratiam quam habebat perdidit per defectum humilitatis. Item Adam et Eua non sciuerunt fodere, quia angelus malus eleuauit “çapam” illorum dicendo: *eritis sicut dii scientes bonum et malum*. Isti uero illo mediante eleuauerunt “çapam” in altum, et cum non descenderent ad terram,  
60 non solum thesaurum gratie non inuenierunt, sed quam habebant perdiderunt, quia uentus elationis illum puluerem portauit. Et sic Deus, dum protulit sententiam contra illos, recitauit quid debuerunt facere dicendo: *puluis es*. Quasi dicat quod: “aduertere debebas quod eras puluis, et quia hoc non fecisti in puluerem reuerteris”, etcetera. Item Nabuchodonosor nesciuit fodere gratiam: uidendo se esse regem potentissimum, credidit se esse alterum Deum in terra et sic in altum leuauit “çapam” et sic conuersus fuit in  
65 bestiam, etcetera. Sed econuerso illi qui “çapam” humiliauerunt inuenierunt gratiam.

Patet primo de Noe, de quo habetur quod dixit Deus illi: *te enim uidi iustum coram me in generatione hac*, Genesis septimo, loquitur de «iustitia, que est omnis uirtus». Si igitur Noe tunc erat uirtuosior cunctis, cum humilitas sit fundamentum omnium uirtutum, sequitur  
70 quod fuerit humilior et ideo dicitur ibi: *Noe inuenit gratiam coram Deo*. Quod humilitas sit fundamentum uirtutum patet per Augustinum dicens: «cogitans magnam fabricam uirtutum construere de fundamento cogitet humilitatis».

Item Abraham sciuit fodere gratiam, nam cum dominus illi diceret, Genesis duodecimo: *egredere de terra sua*, etcetera, *benedicam tibi et magnificabo nomen tuum, benedicam benedictibus te et maledicam*, etcetera, *et in te benedicentur omnes cognationes terre*, etcetera, et sic eleuata fuit illius  
75 “çapa”. Sed ipse duxit illam ad terram, dum loqueretur Deus cum eo, Genesis decimo octauo, et reputauit se indignum loqui cum Deo et dixit: *loquar ad dominum meum cum sim puluis et cinis*. Quasi dicat: “non sum dignus loqui cum domino meo, cum sim puluis et cinis”, etcetera. Et sic inuenit thesaurum gratie.

80 Item Daud si inuenit gratiam fodiendo illam? Dicendum quod in principio non, sed eleuauit “çapam” suam dum uoluit numerare populum propter elationem, ut habetur secundo Regum uicesimo quarto. Et tunc non solum fodit gratiarum thesaurum, sed

---

50-51: Ps. 63, 7-8. | 55: Is. 14, 14. | 58: cf. Gn. 3, 5. | 62: cf. Gn. 3, 19. | 67-68: Gn. 7, 1. | 70: cf. Gn. 6, 8. | 74-75: Gn. 12, 1-3. | 77-78: cf. Gn. 18, 27. | 82: cf. II Sm. 24, 2.

42: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, X, 1, 2. *PL* 42, 973A. | 47: cf. Petr. Lom., *Comm. In Ep. Pau.*, ad Phil., III, 1-6. *PL* 192, 244A. | 68: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, V, 3, 29b30, p. 455; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 58, a. 5, p. 371. | 71-72: Aug. Hipp., *Serm.*, LXIX, 1, 2. *PL* 38, 441A.

perdidit quod habebat, et sic dicit ipse in Psalmo centesimo decimo octauo: *priusquam humiliarer ego deliqui*, etcetera. Et sic cum superbia perdidit gratiam, sed dum “capam”  
 85 humilitatis ad terram duceret dicendo: *factus sum tamquam uas perditum*, etcetera, Psalmi tricesimo, reputauit se tamquam uas terreum et confractum per peccatum et tunc gratiam inuenit. Nam ut dicit in Psalmo quadragesimo tertio: *humiliata est in puluere anima mea*, etcetera, scilicet: dum se reputauit puluerem, etcetera. Et sic licet in principio non sciuit fodere gratiam, postea illam inuenit. Accidit illi ut pauoni, nam cum uidisset quod fuisset ex  
 90 ouibus acceptus ad regnum et sic sublimatus a propheta, etcetera, in superbiam eleuatus fuit, sicut multi dum considerant altitudinem domini diuitiarum scientie, etcetera, uidentes illa accidentia eleuant in superbiam. Sed si considerant personam suam in qua illa accidentia fundantur, humiliant rotam, ut facit pauo, unde dicitur Ecclesiastici decimo: *ut quid superbis terra et cinis?* Hic sunt duo pedes in quibus omnia accidentia fundantur, unus pes est terra, ex  
 95 qua facti sumus; alius cinis, in quem in fine reuertemur, etcetera. Igitur patet quod gratia inuenitur et habetur mediante humilitate.

Tertio, est querendus locus in quo inueniatur. Et sunt tria loca in quibus gratia reperitur: primo, circa pedes redemptoris, in quo loco Magdalena illam inuenit; secundo, circa pedes crucis, in quo latro illam reperit; tertio, circa pedes uirginis Marie, in quo loco illam  
 100 inueniunt omnes peccatores.

Primo, Magdalena recepit gratiam ad pedes domini, cui illi dixit: *remittuntur ei peccata multa*, nam sine gratia peccata non remittuntur.

Item latro ad pedes crucis, quando illi dixit Christus: *hodie mecum eris in paradiso*, nam promissio glorie est datio gratie.

105 Item peccatores recipiunt illam ad pedes uirginis, nam Bernardus dicit: «ad Mariam tamquam ad medium», etcetera.

Sed si queris: quis istorum locorum est excellentior et utilior? Dico quod locus excellentior est Christus. Nam cum gratia sit principaliter et originaliter a pelago et abysso diuinitatis et exeat mediante humanitate tamquam ab instrumento coniuncto, sicut aqua est  
 110 in abysso terre et exit per uenam in terra amena et leui, ut est in montanis, sic est gratia a pelago diuinitatis originaliter et exit per terram humanitatis Christi. Et sic loquens de aduentu Christi propheta Isaias dicit: *haurietis aquas de fontibus saluatoris*, Isaie duodecimo. Et Zaccharias dicit capitulo decimo tertio: *in die illa erit fons patens domui Iacob*, etcetera. Et sic aqua gratie egrediebatur principaliter a diuinitate, sed mediante humanitate, unde dicitur  
 115 Luce sexto quod: *uirtus de illo exibat et sanabat omnes*. Et sicut illa uirtus miraculose exibat a diuinitate per humanitatem ad sanandum corpora, sic uirtus gratie per eandem uiam exibat ad sanandum animas. Nam post Petri negationem respiciens Iesus Petrum fleuit amare et tunc recepit gratiam, quia deleuit peccatum suum. Ideo hic est locus gratie excellentior in se. Alius locus crucis est idem cum isto, nam crux representat Christum crucifixum. Et sic  
 120 in uirtute sua gratia inuenitur.

Tertio, uirgo Maria est nobis utilior et congruentior tripliciter, scilicet: prioritate, exemplaritate et necessitate.

---

83-84: Ps. 118, 67. | 85: Ps. 30, 13. | 87: Ps. 43, 25. | 93-94: Sir. 10, 9. | 101-102: cf. Lc. 7, 47. | 103: cf. Lc. 23, 43. | 112: Is. 12, 3. | 113: Za. 13, 1. | 115: Lc. 6, 19.

105-106: Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328A.



125 Primo, ratione prioritatis, nam cum Deus peccatores non exaudiat, ut dixit ille cecus, Iohannis nono: *scimus quia peccatores Deus non exaudit*, igitur opus ire ad matrem peccatorum que non potest illos respuere.

130 Secundo, ratione exemplaritatis, nam ista est magistra docens, ut dicit Ambrosius in libro de Virginibus dicens: «sit uobis tamquam in imagine», etcetera. Et sicut discipuli et discipule debent esse ad pedes magistre, sic peccatores ad pedes uirginis Maria, quia illa docet qualiter debet gratia inueniri. Nam ista fodit excellentius omnibus, quia angelus dicit illi: *auē gratia plena et dominus tecum*. Et quod de propinquo esset mater Dei dicendo: *ecce concipies*, etcetera. Et licet ista “çapa” sua esset per angelum in altum eleuata, ipsa per humilitatem descendit dicendo: *ecce ancilla domini, fiat mihi secundum*, etcetera. Et sic in cantico dixit: *respexit humilitatem ancille sue*, etcetera. Et sic fuit magistra ad habendum gratiam.

135 Tertio, necessitate, nam ut aduocata fuit nobis necessaria, quia sicut ista haberi non potest, nam Magdalena non habuit sine ista, dum enim uideret illas tres Marias, sic uirtuose tendere ad illarum societatem applicuit. Et quia uirgo Maria sermones filii continuabat, illa ipsam sequens tamquam magistrā dominus in sermone cor Marie Magdalene tetigit. Et sic ad domum Simonis leprosi pergit et Christum ad pedes irrigans gratiam recepit. Et sic prius uirgo Maria ipsius magistra fuit. Item, si latro gratiam inuenit, hoc fuit mediante uirgine Maria, quia media erat uirgo Maria inter Christum et latronem in cruce, et sic hec aduocata peccatoribus est necessaria. Et sic dicit Bernardus de ea in sermone: «sicut a te despectus et auersus necesse est quod pereat, sic a te reuersus et a te respectus impossibile est quod pereat. Filioli, hec peccatorum scala, hec mea maxima fiducia, hec tota ratio spei mee».

145 Igitur si iste est locus conuenientior ad impetrandam gratiam, *bonum est nos hic esse*. Prostrati igitur ad pedes eius in principio sermonis presentemus illi angelicam salutationem dicendo humili mente et pia: *auē dulcissima uirgo Maria*, etcetera.

<THEMA> *Bonum est nos hic esse*, ubi supra.

150 In presenti sermone solum unam uidebimus conclusionem, scilicet: quod quanto transfiguratio Christi fuit munda salutaris et proficua, tanto nostra transfiguratio est nobis damnosa et nociua. Et cum hec conclusio habeat duas partes, primo uideamus de prima.

155 Sicut tempus totius mundi in tres partes diuiditur, scilicet: in tempore legis nature, quod fuit a principio mundi usque ad annum octoginta ipsius Mosi; secundo, in tempore legis scripture usque ad Christum; tertio, in tempore legis gratie a Christo usque ad finem mundi, sic fuerunt in mundo tres transfigurationes.

Prima demonis in principio creationis mundi.

Secunda Mosi in principio legis scripture.

Tertia Christi in principio legis gratie, de qua presens solemnitas agitur hodie.

160 Post peccatum igitur demonis uidens ipse demon hominem in statu in quo cadere poterat sub diabolicam potestatem et ascendere ad gloriam quam ipse perdidit, motus

124: Io. 9, 31. | 130: cf. Lc. 1, 28. | 130-131: cf. Lc. 1, 31. | 132: cf. Lc. 1, 38. | 133: cf. Lc. 1, 48. | 145-148: cf. Mt. 17, 4.

127: Ambr., *De Virg.*, II, 2, 6. *PL* 16, 208C. | 141-144: cf. MF. Ans., *Orat.*, LII. *PL* 158, 956C; cf. Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 7. *PL* 183, 441D.

fuit ex superbia et inuidia, que sunt peccata spiritualia et illi appropriata, nam ut dicit Augustinus: «ex his duobus qui prius erat Lucifer, diabolus factus est». Et sic: «ex superbia et inuidia motus fuit ad ipsum hominem temptandum». Ex superbia, ut ipsum sibi subiiceret; ex inuidia, ut ipsum a superna felicitate impediret. Hec Bonaventura in secundo, 165  
 distinctione uicesima prima, questione prima. Accepta igitur licentia et permissione diuina ad illum temptandum, nam quia interiori suggestione non poterat nisi exterius inciperet: «quia nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu», ideo uoluit, cum ipse esset spiritualis, formam corpoream accipere, ut posset uideri et loqui. Voluit autem ad hoc formam hominis accipere, sed non fuit permissus propter tria.

170 Primo, propter honorem, nam non erat licitum quod demon acciperet formam humanam antequam ipse illam sumeret, postquam decreuerat adueniente tempore illam assumere, unde dicit Apostolus de Christo: *habitu inuentus ut homo*. Sed si homo non uult induere habitum nec uestem quam alter prius induerat propter honorem, sic in proposito.

175 Secunda ratio fuit ex parte totius mundi, nam si in illa forma prius mundum deceperat, quando filius Dei illam sumpsisset non crederet mundus in illum.

Tertio, ratione temptationis, nam demon ardentius temptasset Euam in forma humana quam in forma alterius animalis, ideo dicit Apostolus prima Corinthiis decimo: *fidelis autem Deus est qui non patietur uos temptari supra id quod potestis*. Vellet autem demon saltem sumere formam animalis perfecti uolatilis, ut aquile uel huiusmodi, sed non permisit Deus propter 180  
 eandem rationem, nam Eua credidisset uolando aduenisse de celo et esse a Deo missum tale animal, et sic illam magis deciperet. Nec permisit Deus quod demon sumeret formam animalis terrestris perfecti, ut elephantis aut leonis, et propter eandem causam, quia fortius illam temptaret, sed concessit ei ut acciperet formam animalis terrestris imperfecti, ut serpentis. Hoc autem fecit propter tria.

185 Primo, ut ostenderet quod homo fiebat similis bruto animali, unde Psalmi quadragesimo octauo: *homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis*, etcetera. Etiam ut ostenderet modum temptandi. Nam sicut uenenum serpentis ex morsu exteriori intrat ad cor et sic interficit hominem, sic ex suggestione demonis intrauit temptatio ad cor ipsius et sic interfecit.

190 Secundo, ut cognosceret quid demon uolebat, nam intentio sua fuit reuocare hominem a celo et inducere eum ad terrena. Ideo fuit animal quod nunquam respicit celum et quo ad totum corpus graditur super terram, quod non accidit ceteris animalibus, sed soli serpenti.

Item tertio, ut ostenderet terminum ad quem uolebat trahere, scilicet: ad infernum, nam 195  
 serpens intrat in foraminibus terre usque ad cauernulas, sic demonis habitatio est in centro terre, etcetera. Videns autem demon quod non permittebatur accipere aliam formam quam serpentis dixit quod saltem iungeretur ei mulier, ut posset persuadere Eue. Deus autem noluit ut iungeretur illi quo ad corpus mulieris propter dignitatem uirginis Marie. Nam cum corpus illud esset uirginis et sperabatur in tempore quod una uirgo debebat portare in uentre filium Dei nouem mensibus et post partum illum lactare, solum propter dignitatem 200  
 uirginis Marie concessit quod: «solum caput uirginis acciperet, et totum aliud esset serpentis,

---

172: Phil. 2, 7. | 177-178: I Cor. 10, 13. | 186: Ps. 48, 21.

162: cf. Aug. Hipp., *Con. Sec. Iul. Res.*, V, 26. PL 45, 1465B. | 162-163: cf. Bon., *Sent.* (vol. 2), II, dist. 21, a. 1, q. 1, p. 507. | 167: cf. Th. Aq., *Qu. De Ver.* (vol. 1), q. 2, a. 3, 19, p. 49. | 200-201: Bon., *Sent.* (vol. 2), II, dist. 21, a. 1, q. 2, p. 510.

ut ex una parte posset lactare et ex alia apprehendi», ut dicit sanctus Bonaventura in secundo, distinctione uicesima prima, questione secunda, et allegat Bedam in hoc.

205 Sed dicet aliquis: si tunc fuit inconueniens quod demon assumeret formam humanam et ideo non fuit permissus, quare postea Deus permisit ut illum sumeret ad temptandum? Dicendum quod multa non conueniunt uno tempore et alio permittuntur. Ante incarnationem uerbi diuini hoc non licuit propter rationes iam dictas, sed post aduentum filii Dei non erat inconueniens propter tria.

Primo, quia iam uerbum illam acceperat.

210 Secundo, quia demonis uirtutem et audaciam reprimeret quando a Christo fuit uictus in temptationibus suis, ut habetur Matthei quarto, Luce primo, Marci quarto, etcetera.

215 Tertio, quia mundum Christus instruxerat per ipsius predicationem, etcetera. Et sic nullum fuit inconueniens. Et sic post incarnationem permittitur demoni quod non solum in forma uiri et in forma mulieris temptet, sed aliquando, ut habetur in uitis patrum, hoc facit in forma boni angeli. Et de ista transfiguratione loquitur Apostolus secunda Corinthiis undecimo dicens: *Satanas transfiguratur se in angelum lucis.*

220 Secunda transfiguratio fuit in principio legis scripte, quando Moses ascendit in montem in secunda uice et facies eius remansit lucida et radians et uidebatur cornuta, ut habetur Exodi tricesimo quarto. Hec autem facta fuerunt ex consortio sermonis domini sine mutatione substantie corporis Mosi et sine mutatione figure humane, sed solum per lumen in facie miraculose impressum.

225 Tertia transfiguratio fuit in principio legis gratie, scilicet: Christi transfiguratio, cuius solemnitatem hodie ecclesia celebrat, que facta fuit in Christo. In ipso enim (ut dicit Hieronymus) mansit eadem substantia, quantitas et qualitas corporis, sed hic maior splendor accessit, unde dicitur Luce nono: *species uultus eius facta est altera*; non dixit “alia”, etcetera. Hec autem claritas fuit glorie, nam cum a primo instanti conceptionis fuerit anima Christi gloriosa, et dispensatiue fuit illa gloria retenta in anima, ut non redundaret in corpus, ex qua redundantia corpus fit gloriosum et immortale et impassibile, ut dicit Augustinus in epistola ad Dioscorum. Hoc autem fuit propter hoc: ut per passionem et mortem suam nos redimeret. Sicut est in potestate anime gloriose ostendere gloriam corporis, cui uult et  
230 quando uult, multo magis in hac anima que uerbo diuino erat unita, sic hodie uoluit in monte ostendere. Et sic dicit sanctus Thomas in tertia, questione quadragesima quinta, articulo secundo, quod: «illa claritas fuit claritas glorie quantum ad essentiam, non tamen quantum ad modum essendi», quia claritas glorie inest corpori per modum habitus permanentis, sed hec erat in corpore Christi per modum passionis transeuntis.

235 Si autem queritur: que fuit differentia inter istas tres transfigurationes? Dico quod triplex fuit differentia. Primo, differunt ratione subiecti; secundo, ratione accidentis; tertio, ratione finis.

---

210: cf. Mt. 4, 1; Lc. 4, 2; Mc. 4, 15. | 215: II Cor. 11, 14. | 218: cf. Ex. 34, 29. | 224: Lc. 9, 29.

202: cf. Bed., *Comm. In Pent.*, Gn., III. PL 91, 212AD; cf. Petr. Com., *Hist. Sch.*, in Gn., XXI. PL 198, 1072B. | 223: cf. Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, III, 17, 2. PL 26, 122A. | 227: cf. Aug. Hipp., *Ep.*, CXVIII, 3, 14. PL 33, 439A. | 232-233: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 45, a. 2, p. 343.

235: Transfigurationes] M transfigurationis.

Primo, ratione subiecti, quia demonis fuit in spiritu Mosi, in corpore Christi uero ex anima ad corpus redundans.

240 Secundo, ratione accidentis, quia demonis erat calor naturalis in corpore assumpto, Mosi lucis miraculosi, Christi uero lucis glorie.

Tertio, uero ratione finis, nam demonis fuit ad decipiendum, Mosi ad figurandum, Christi uero ad ueritatem ostendendum.

245 Sed forte dices: utrum transfiguratio Mosi fuerit equalis cum transfiguratione Christi? Dicendum quod Christi fuit excellentior ipsius Mosi, nam excellentior fuit Christi, quod patet ex triplici differentia istarum.

Prima quo ad originem, nam Christi ab intrinseco, Mosi uero ab extrinseco. Exemplum: sicut color proueniens a uerecundia mulieris est ab intrinseco, color uero mulieris se ornantis in facie est ab extrinseco et in sola superficie faciei, sic in proposito.

250 Secunda quo ad agentem causam, nam Mosi ex consortio sermonis domini, Christi uero a uerbo et ab anima beata.

255 Tertia ratione effectus, nam Christi lux, cum esset gloriosa non ledebat uisum, sed mulciebat et delectabat; Mosi uero ledebat uisum, quia: *non poterant intendere filii Israhel in faciem Mosi*, Exodi tricesimo quarto. Causa erat quia: «claritas Christi erat glorie que potest sine lesione oculi uideri ab oculo non glorioso», ut dicit sanctus Thomas in quarto, distinctione. Sed claritas non fuit gloriosa nec naturalis, sed miraculosa, ideo media inter naturalem et gloriosam. Et cum medium debeat sapere naturam extremorum, ut ex parte miraculosa radiabat et ex parte naturalis ledebat oculum, etcetera, alie multe differentie erant, sicut Mosi in sola facie, Christi uero in toto corpore, etcetera.

260 Sed forte dicit aliquis: cum Hieronymus, Bernardus et multi alii doctores dicant quod non fuit aliqua gratia concessa alicui sancto que non esse data uirgini Marie, quomodo Moses habuit hanc claritatem et non uirgo Maria? Dicendum quod uirgo Maria habuit et excellentius habuit, quod patet:

265 primo, ex parte agentis, nam Maria uirgo habuit in facie magnam claritatem, ut dicit sanctus Thomas super illud Mattheum primo "*Ioseph non cognoscebat eam*", scilicet: uirginem Mariam post Christi conceptionem, *donec peperit*, etcetera. Nam dicit quod radii fulgentes exhibant de facie sua, ita ut non poterat sponsus illam cognoscere donec peperit filium. Causam dat, nam illi radii exhibant ab anima Christi beata et transibant per corpus ipsius Christi et etiam penetrabant faciem uirginis Marie, et sic ipsa non poterat sensibilibiter  
270 cognosci a sponso suo. Ex quo patet differentia inter Mosen et uirginem Mariam, nam claritas Mosi aut fuit per presentiam angeli nuntiantis legem diuinam, quia ut habetur Actuum septimo: *accepistis legem in dispositione angelorum*, aut fuit ex consortio sermonis domini, scilicet: per ea uerba que angelus dixit Mosi ex parte Dei. Sed utroque modo excellit Maria, nam angelus illi de propinquo nuntiauit saluatorem mundi dicens: *ecce concipies et paries*, etcetera. Igitur sicut quanto propinquiores fuerunt Christo, tanto maiorem gratiam  
275 acceperunt, ut dicit sanctus Thomas in <secunda secunde>. Sic quanto uerba diuina

253-254: cf. Ex. 34, 35; cf. II Cor. 3, 7. | 265-266: Mt. 1, 25. | 272: Act. 7, 53. | 274-275: cf. Lc. 1, 31.

254-255: Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 44, q. 2, a. 4, qc. 2, p. 204. | 260: cf. MF. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. *PL* 30, 127A; cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 2. *PL* 183, 72A. | 265: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 16, q. 2, a. 2, p. 862; *Sup. Mt.*, I, 6, p. 23. | 276: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 2, a. 7, p. 26.

propinquiora fuerunt Christo, tanto maiorem habuerunt uirtutem et efficaciam, etcetera. Si autem fuit ex consortio sermonis domini, cum illa uerba fuerint accidentalialia et uerbum in utero fuit patri consubstantialis, sequitur quod maiorem et lucidiorem lucem impresserunt  
280 in uirgine quam in Mose.

Secundo, patet hoc ex parte temporis, nam uirtus fortior, ut diximus, et in maiori tempore, quia uerbum habuit in utero nouem mensibus. Moses uero recepit et habuit consortium diuini sermonis quadraginta diebus, in quibus tabulas legis accepit, quas fregit. Non recepit claritatem in facie, sed postquam populus peccauerat, scilicet: in secundis  
285 receptis, ut terribilis populo appareret et sic de cetero per idolatriam non peccarent. Et sic patet quod excellentiori modo uirgo claritatem recepit.

Item lux uirginis fuit ad intra, Mosi uero ad extra, nam Moses solam faciem habuit illuminatam, ut diximus, sed uirgo potuit totum corpus habere sicut laterna purissima. Et si non habuit, hoc fuit a uoluntate uerbi diuini uolentis solum per faciem uirginis mittere illos  
290 radios. Sicut quando ipse Christus eiecit de templo ementes et uedentes, solum in facie ostendit radios, ut dicit sanctus Thomas in tertia parte, questione quadragesima quarta, tertio ad primum, et hoc de mente Hieronymi, qui dicit super illud Mattheum nono "*surgens secutus est eum*", etcetera, ait Hieronymus: «fulgor ipse et maiestas deitatis occulte, que etiam in facie relucebat humana, uidentes ad se trahere poterat ex primo aspectu». Et idem  
295 Hieronymus super illud Mattheum uicesimo primo "*eiciebat omnes uedentes*", etcetera, dicit: «deitatis maiestas lucebat in facie eius». Sequitur quod sic poterat per totum corpus emittere si uellet, etcetera. Item patet alia differentia, quia lux Mosi non fuit glorie, ut diximus, sed lux uirginis fuit a uerbo et ab anima Christi gloriosa emissum.

Ex quo sequitur solutio cuiusdam dubii, nam aliqui dicunt: quare uirgo Maria non fuit  
300 presens in hoc misterio transfigurationis filii? Dicendum quod non fuit conueniens, nam si ad hoc fuisset uocata, esset ut haberet gaudium in tali uisione aut ut esset testis misterii. Non oportebat propter primum, quia ipsa iam prius fuerat experta et de illo gauisa, ut prediximus; nec propter secundum, quia licet esset dignior omnibus apostolis, non fuisset idoneus testis de filio cum esset mater.

Sed hic occurrit maius dubium: dixistis quod dispensationem diuina detinebatur gloria anime Christi ne redundaret in corpus, quia si redundaret fecisset illud impassibile et  
305 immortale. Et sic non esset mundus redemptus, si sic est in die transfigurationis, quando lux exiuit in corpus Christi, fecit illud impassibile et immortale. Dicendum quod non, nam illud lumen non fuit dos corporis, sed actus dotis quod non faceret corpus gloriosum et  
310 impassibile. Fuit tamen propter tria.

Primo, ratione dantis illud lumen, scilicet: anime, que non erat totaliter impassibilis. Nam licet esset beata quo ad partem superiorem, que non alligatur organo, scilicet: quo ad intellectum et uoluntatem, erat tamen passibilis quo ad partem sensituiam, que erat immersa in corpore. Et sic dicit ipse tempore passionis: *tristis est anima mea*, etcetera.

Sed dices: cum in beatitudine sit summum gaudium, quomodo potest esse tristitia in anima beata, etcetera? Dicendum quod licet gaudium et tristitia sint contraria, non possunt esse in eodem subiecto respectu unius et eiusdem, sed bene respectu diuersorum, sicut est in proposito. Nam anima Christi fruebatur et erat in summo gaudio quo ad potentias

---

292-293: Mt. 9, 9. | 295: Mt. 21, 12. | 314: Mt. 26, 38.

291: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 44, a. 3 ad 1, p. 338. | 293-294: Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, I, 9, 9. PL 26, 56A. | 296: Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, III, 21, 15. PL 26, 152B.

320 superiores et patiebatur quo ad potentias inferiores, scilicet: sensitivas. Exemplum sensibile  
 habemus in anima uegetatiua, nam uidemus arborem floridam, que ridet in oculis  
 uidentium, sicut dicimus “pratum ridet”. Et pro illo tempore, si arbor colatur a rustico et  
 inciditur radix infra terram, uidetur flere mittendo ex radice aquam. Igitur arbor illa simul  
 ridet et flet, sed respectu diuersarum potentiarum anime uegetatiue, quia in parte superiori  
 325 erat potentia germinatiua et in parte inferiori et sub terra erat potentia nutritiua, etcetera. Et  
 sic eadem anima respectu diuersorum facit effectus contrarios, sic in proposito.

Secundo, patet hoc ex modo dandi illud lumen, nam datum fuit corpori secundum  
 habitum permanentem, sed secundum actum transeuntem et cum permanentia, sed de  
 ratione beatitudinis et glorie. Sic non fuit corpus gloriosum ex illo actu luminis. Exemplum:  
 sicut lapis dum percutitur ferro mittit scintillam, que non est lux, sed actus lucis, quia cito  
 330 transit, sed dum illa scintilla remanet in iesca, iam permanenter dicimus: “iam habemus  
 lucem”, quia est in illa habitualiter et permanenter. Et sic Paulus, dum uidit diuinam  
 essentiam, non fuit beatus in habitu permanenti, sed solum in actu transeunte, ut dicit  
 Thomas in multis locis.

Tertio, patet hoc ex conditione lucis, nam in illo lumine fuit actus primus illuminandi et  
 335 fuit suspensus actus secundus, scilicet: beatificandi, sicut in fornace trium puerorum. In  
 igne enim est primus actus lucere, secundus calefacere. Nam primo lucet a remotis,  
 secundo calefit per appropinquationem ad illum. Et sic in fornace illuminabantur et  
 uidebantur tres pueri et non comburebantur uestimenta illorum. Ratio est quia uirtute  
 diuina suspensus fuit actus caloris illius ignis remanente actu illuminandi. Sic in proposito in  
 340 illa luce remansit actus illuminandi et non beatificandi, et sic fecit corpus luminosum et non  
 gloriosum.

Sed dices: qualiter facta fuit ista transfiguratio? Dico quod, ut narrant euangeliste, Paulo  
 ante diem transfigurationis Christus dixit tria suis discipulis.

345 Primo, animando apostolos ad patiendum pro eo dixit: *si quis uult post me uenire tollat  
 crucem suam et sequatur me*. Dixerunt discipuli intra se: “iste magna petit et nihil dat nobis pro  
 uita nostra”.

Secundo, predixit iudicium dicendo: *filius hominis qui ego sum uenturus est in gloria sua et  
 reddet unicuique iuxta opera sua*. Tunc dixerunt apostoli intra se: “iste dicit quod dabit nobis  
 gloriam quam nunquam uidimus”.

350 Tunc tertio dixit illis: *sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis  
 in regno suo*, scilicet: glorie. Noluit nominare illos, ne alii contristarentur nec accepit illos in  
 continenti, ne suspicaretur quod tunc uoluisset gloriam regni sui ostendere. Sed post dies  
 sex, scilicet: ab ista promissione, nam transierant sex dies medii et integri a die promissionis  
 usque ad diem transfigurationis, ideo Lucas dixit: *post dies octo*, nam numerat terminos,  
 355 etcetera, cum Christus esset in pede montis Thabor ad duas leucas de Nazareth, dixit suis  
 discipulis quod uolebat ascendere in montem orare. Et dimissis nouem apostolis in illo loco  
 assumpsit secum tres, scilicet: Petrum, Iacobum et Iohannem fratrem eius, scilicet: filios  
 Zebedei, ut communiter tenetur, et duxit illos secum supra montem Thabor. Noluit  
 accipere omnes apostolos, quia negotium debebat esse secretum ante passionem. Accepit  
 360 tres ut essent testes idonei. Accepit istos ut principales et secretiores inter alios et istos  
 solos accepit in suscitatione puella, ut patet Marci quinto, dicitur: *non admisit quemquam se*

344-345: cf. Mt. 16, 24. | 347-348: cf. Mt. 16, 27. | 350-351: cf. Mt. 16, 28. | 354: cf. Lc. 9, 28.

333: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 175, a. 3 ad 2, p. 1019.

sequi nisi Petrum et Iohannem et Iacobum fratrem Iohannis, etcetera. Hoc idem fecit tempore passionis in oratione, ut patet Matthei uicesimo sexto: *assumpto Petro et duobus filiis Zebedei*, etcetera. Hoc idem habetur Marci decimo quarto, ubi dicitur quod: *assumpsit Petrum, Iacobum*  
 365 *et Iohannem*, quia isti erant secretarii ipsius Christi inter omnes alios. Dum fuit in summitate montis, ipse orabat et apostoli tres coram illo, ideo dicit Lucas capitulo nono: *cum orasset facta est species uultus eius*, etcetera.

Sed quare Christus in oratione non fuit a discipulis segregatus? Nam ipse dixit nobis: *tu autem cum oraueris intra cubiculum tuum et clauso ostio ora*, etcetera. Item ipse hoc fecit tempore  
 370 passionis, quando separatus fuit a discipulis in horto: *quantum iactus est lapidis*. Dicendum quod Christus non debuit a discipulis separari, quia si precepit nobis, fuit propter hoc: ne propter tumultum turbaremur, quod in eo esse non potuit; aut ne in inanem gloriam uel hypocrisim dulceremur, quod nec in eo esse potuit, cum peccare non posset. Sed si ipse tempore passionis a discipulis separari uoluit quantum iactus lapides est, hoc fuit quia ipse  
 375 erat lapis: Danihelis secundo: *lapis scissus de monte sine manibus*, et Dauid dicit in Psalmo centesimo decimo septimo de eo: *lapidem quem reprobauerunt edificantes*, etcetera, et Apostolus dicit prima Corinthiis decimo: *petra autem erat Christus*. Sic lapis Christus separatus fuit ab aliis, quia iactus passionis in eo solo sperabatur. Sed hodie non ostendit passionem, sed gloriam, ad quam ostendendam mundi indigebat testibus, ut post resurrectionem suam  
 380 illam mundo predicarent, et quia quod uidimus testamur, oportuit quod essent coram eo apostoli, etcetera. Dicit alius euangelista quod *resplenduit facies sicut sol et uestimenta sicut nix*, etcetera. Sed Chrysostomus super Mattheum dicit quod multo clarior sole resplenduit, sed quia in hoc mundo nihil clarius sole refulget et nil albius niue inuenitur, sic in his exemplificauit. Item Hilarius et Aymo dicit super Apocalypsis quod: «fuit claritas Christi centies maior sole», clarum est quod uestimenta in albedine excesserunt niuem, nam ad hoc ostendendum dicit Marcus capitulo nono: *qualia fullo non potest super terram candida facere*.

Sed cum Hieronymus dicat quod Christus in eadem claritate ueniet ad iudicium et quod erit tanta claritas in Christo quod sol obscurabitur in sui presentia sicut candela in meridie uidetur obscura, quare igitur in transfiguratione non illuminauit totum nostrum  
 390 hemispherium? Dicendum quod lux Christi poterat totum hemispherium illuminare si uellet, sed uerbum diuinum noluit nisi usque ad certum locum. Sicut quando uoluit, totum illud lumen retinuit in anima, ne ad corpus transiret, sic nunc uoluit quod transiret ad corpus et ad uestes usque ad montem Hermon, in cuius conspectu transfiguratio fiebat. Et hoc in spiritu uidit Dauid quando dixit in Psalmo octogesimo octauo: *Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt tuum brachium cum potentia*, scilicet: filium, qui dicitur “brachium” in scriptura. Vnde: *fecit potentiam in brachio suo*, dixit uirgo in cantico Luce primo. Et Christus in transfiguratione ostendit potentiam inter illos duos montes. Et sic patet quod corporis lux redundauit in uestem Christi. Illa autem uestis fuit inconsutilis.

Sed a quo habuit Christus illam uestem? Dico quod a matre uirgine Maria, sed illi fuit  
 400 missa a patre celesti. Vnde dicit Gottofredus in suo Pantheon metrico: «mittitur a celis puero dignissima uestis. Hec inconsutilis miro colore fuit, hanc pater a celis misit, non femina neuit, longa fuit atque breuis puero crescente crecuit». Hec ille.

361-362: Mc. 5, 37. | 363: Mt. 26, 37. | 364-365: Mc. 14, 33. | 366-367: Lc. 9, 29. | 368-369: Mt. 6, 6. | 370: cf. Lc. 22, 41. | 375: Dn. 2, 34. | 376: Ps. 117, 22. | 377: I Cor. 10, 4. | 381: cf. Mt. 17, 2. | 386: Mc. 9, 2. | 394-395: Ps. 88, 13-14. | 396: Lc. 1, 51.

382: cf. Io. Chrys., *Hom. In Mt.*, LVI, 4. PG 58, 555B; cf., Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Lc., VII, c. 2, p. 259. | 384-385: cf. Haym., *Exp. In Apc.*, I. PL 117, 958B. | 387: cf. Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, III, 17, 2. PL 26, 122AB. | 400-402: cf. God. Vit., *Pan.*, p. 322.

Sed contra, multi doctores dicunt quod mater dederat Christo. Dicendum quod est  
 uerum, sed ipsa habuit a patre de celo. Et sicut casulla data fuit sancto Ildefonso,  
 405 archiepiscopo Toletano, propter libellum uirginitatis sue, quem contra hereticos  
 composuerat, sed illa casulla, licet daretur immediate a uirgine, sed uenit de celo, sic in  
 proposito. Licet uirgo Maria uestiret filium suum ex illa ueste, sed missa fuit a patre de celo.  
 Patet quia uestis talaris et polymita ipsius Ioseph figurauit uestem Christi, sicut Ioseph  
 ipsum Christum, sed illam dicitur fecisse patrem, licet mater sua ipsum ex illa ueste ornaret,  
 410 ut patet Genesis tricesimo septimo, ubi habetur quod: *Israhel diligebat Ioseph super omnes filios*  
*eo quod in senectute genuerit eum, et fecit ei tunicam polymitam*, id est, diuersorum colorum, etcetera.  
 Fuit autem tunica Christi etiam diuersorum colorum, sicut uulnera que erant in corpore suo  
 futura, quia: *a planta usque ad uerticem capitis non erat sanitas in eo*. Et sic uestis Ioseph fuit, ut  
 habetur Genesis tricesimo septimo, ubi dicitur: *nudauerunt eum tunica talari et polymita*  
 415 *miseruntque*, etcetera. Erat “polymita”, id est, diuersorum colorum, ex quo patet excellentia  
 illius luminis quod non solum colores occultabat, sed etiam fuit albius niue ostensum,  
 etcetera. Cum autem apostoli contemplant uultu Christi, subito apparuerunt illis Moses et  
 Helias. Et dum prostrarentur, ad pedes Christi surrexerunt et hinc inde steterunt, et sic  
 Christus stabat inter legem et prophetas, etcetera. Isti fuerunt adducti in testes ueteris  
 420 testamenti, ut dicit Damascenus. Isti duo fuerunt testes ad confirmandos apostolos ut  
 agnoscerent hunc esse Deum et dominum Mosi et Helie, etcetera. Istos accepit tamquam  
 precipuos in miraculis. Item isti ieiunauerunt quadraginta diebus et quadraginta noctibus.  
 Isti gloriam domini uiderunt in figura, Moses in eremo, Helias in monte Horeb. Item uoluit  
 testes de celo, de inferno, de paradiso et de mundo habere. De celo habuit patrem et  
 425 spiritum sanctum; de mundo tres apostolos; de inferno Mosen, scilicet: de limbo; de  
 paradiso ipsum Heliam.

Sed quare non duxit Enoch? Dico quod misteria et promissiones de Christo inceperunt in Abraham, et Enoch fuit ante ipsum Abraham.

Sed queritur: quid loquebantur cum Iesu? Dicendum quod alius euangelista declarat,  
 430 scilicet: Lucas, dicens quod: *loquebantur excessum eius quem completurus erat in Hierusalem*,  
 scilicet: de passione. Dicebant autem excessum peccati Ade quomodo totum mundum  
 perdidit. Item excessum malitie iudeorum. Et sic dicit Origenes quod Moses orabat pro  
 populo suo dicendo quod non respiceret ingratitudinem illius populi. Item excessum  
 humilitatis Christi, quia: *exinaniuit semet ipsum formam serui accipiens*. Et sic dixerunt satis esse  
 435 pro satisfactione peccati Ade carnem sumpsisse et in illa passum esse in circumcissione,  
 ieiunio, etcetera, per annos triginta duo. Respondit Christus quod ipse non solum uolebat  
 satisfacere pro peccato Ade, sed uolebat mundum inducere ad amorem charitatis, qua erant  
 homines saluandi, et quia: *maiores charitatem nemo habet ut animam suam*, id est, uitam, *ponat*  
*quis pro amicis suis*, Iohannis decimo quinto, uolo uitam exponere pro mundo, ut ipsos de  
 440 mundo reamare non pigeat. Item dixit Christus quod oportebat impleri scripturam. Dicit  
 ipsi Mosi quomodo impletur figura de serpente eneo, etcetera, Numeri uicesimo primo  
 Item dixit ipsi Helie quomodo impletur illud quod: “de me figurasti, quando siccato  
 torrente Carith misi te in Sareptam, etcetera. Inuenisti uiduam colligentem duo ligna ad  
 coquendum panem et mortuo eius filio in tertia uice extensionis super eum resuscitasti,  
 445 etcetera. Hoc in figura mei fecisti, uidua erat natura humana, mortuo primo uiro, scilicet:  
 Adam. Siccato torrente gratie querebat duo ligna, etcetera, ut panis qui de celo descendit

410-411: Gn. 37, 3. | 413: cf. Is. 1, 6. | 414-415: Gn. 37, 23-24. | 430: cf. Lc. 9, 31. | 434: cf. Phil. 2, 7. | 438-439: Io. 15, 12. | 441: cf. Nm. 21, 9.

420: Damascenus] NI. | 432: Origenes] NI.

406: De] M e.



coqueretur inter ignem charitatis et iudeorum inuidia, filius erat genus humanum ex Adam descendente fuit suscitatus in tertia uice, scilicet: prima uice fuit extensus supra puerum in uita, scilicet: quando ponendo in cruce *dinumerauerunt omnia ossa*, Psalmi uicesimo primo. 450 Secundo, in morte, scilicet: in cruce. Tertio, in sepulchro. Et tunc resurget filius uidue, quando ego tertia die resurgam”. Et Christus narrauit multas alias prophetias et figuras dicendo quomodo implerentur promissa, etcetera, nam: *que procedunt de labiis meis non faciam irrita*, Psalmi octogesimo octauo. Videntes autem quod sic infallibiliter decreuerat mori humiliter supplicant quod passio non differatur: Moses dicit qualiter sui socii in limbo 455 ipsum sperabatur et cum quanto desiderio. Helias idem supplicat pro se et pro socio Enoch, quem dimiserat in paradiso terrestri, quia illum sperabant gloriosum uidere cum sanctis patribus in paradiso.

Sed dubitaret aliquis: quomodo isti apostoli ipsos cognouerunt, cum nunquam illos uidissent? Nam Moses iam ante mortuus fuerat per annos milia quingentos, Helias uero translatus ante per annos nongentos quadraginta. Dicendum quod illos cognouerunt in 460 tribus.

Primo, in uestitu et ornatu, nam Moses erat cum toga sacerdotali et uirga in manu sua. Nam sic apparuit in corpore assumpto ac si esset in uero suo corpore. Helias uero apparuit uestitus pilis et zona pellicea, unde ut habetur quarto Regum primo, quando Helias occurrit 465 quinquagenariis regis Ahazie et reuersi fuerunt ad regem dicentes: *uir occurrit nobis*, etcetera. Dicit rex: *cuius figure est et habitus uir*, etcetera? Dixerunt nuntii regi: *uir pilosus*, id est, habens habitum hirsutum, sicut de sancto Iohanne Baptista dicitur Matthei tertio quod: *habebat uestimentum de pilis camelorum*, ut dicit Lyra, et *zona pellicea accinctus renibus*. Tunc dixit rex: *Helias Thesbites est*, quia sine hoc quod ipsum uidisset cognouit illum in habitu, sic isti qui hoc 470 legerant, etcetera.

Secundo, cognouerunt istos in sermonibus quos loquebatur cum Iesu. Nam Moses loquebatur de populo suo iudeorum, Helias autem de socio suo Enoch, quem dimiserat in paradiso, etcetera.

Tertio, cognouerunt eos uirtute luminis glorie, in quo cognoscentur illi qui nunquam in 475 hoc mundo fuerunt uisi nec cogniti, nam in gloria ego cognoscam fratrem, quem nunquam uidi, et proauum, etcetera. Et hoc est quod dixit euangelista quod: *apparuerunt eis Moses et Helias nisi in maiestate*, id est. Visi in illa gloria maiestatis Christi, non quod ipsi haberent maiestatem in se, etcetera. Dum autem Petrus audiuit quod illi prophete cosulebant quod in breui ascenderent in Hierusalem et iret ad mortem, non placuit ei, sed propter auctoritatem 480 tantorum uirorum et propter uoluntatem Christi et propter reprehensionem iam habitam quando illi dixit Petrus: *absit hoc a te*, etcetera, et audiuit a Christo: *uade retro Satana*, etcetera, Matthei quarto, noluit Petrus aperte dicere: “non eamus in Hierusalem”, sed paleando dixit: domine, *bonum est nos hic esse*, quod idem sonat quod: “non eamus”.

Dixit hoc Petrus propter gloriam quam gustauerat. Item propter amorem et zelum 485 Christi. Item propter se et socios suos, quia credebat quod omnes interficerentur a iudeis, nam Christus dixerat de eis: *sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec uideant*, etcetera. Credebat ipse quod postquam iam uiderant quod cum Christo gustarent mortem. Et sic dicit: *bonum est nos hic esse*.

---

449: Ps. 21, 18. | 452-453: Ps. 88, 35. | 465-469: cf. IV Rg. 1, 6-8. | 467-468: Mt. 3, 4. | 476-477: cf. Mt. 17, 3; cf. Lc. 9, 31. | 481: cf. Mt. 16, 22-23; 4, 10. | 483: Mt. 17, 4. | 486: Mt. 16, 28. | 488: cf. Mt. 17, 4.

468: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 5), Mt. 3, 4, f. 13v.

490 Secundo, hoc dixit propter dispositionem et distantiam montis Thabor a Hierusalem, nam, ut dicunt illi qui terram sanctam descripserunt, Thabor est mons fortissimus distans a Hierusalem per leucas triginta. Et quia Petrus timebat pontifices, sacerdotes et scribas iudeorum ne uenirent ad capiendum Christum, uidens montem fortissimum et quod distabant per tres dietas a Hierusalem, credebat quod si uenissent cum exercitu non lateret eos. Ideo dicit: *bonum est nos hic esse*, etcetera.

495 Tertio, hoc dixit considerando socios, scilicet: Mosen et Heliam, nam sciebat fuisse fortissimos: considerabat quod Moses uicerat pharaonem cum illis plagis usque ad mortem primogenitorum, ut habetur Exodi undecimo et duodecimo, et etiam quod Helias combussit duos quinquagenarios, quarto Regum primo. Et sic credebant quod, si uenirent, his mediantibus uincerentur. Item considerabat Petrus quod per famem caperent eos, licet  
500 essent in eremo et deserto, nam dicebant inter se: “Moses pauit populum israheliticum cum pane celesti et dum petierunt coturnices dedit eis, Psalmi centesimo quarto et Exodi decimo sexto. Item Helias fuit prouisus per coruos qui uespere et mane portabant ei panem et carnes in torrente Carith, ut habetur tertio Regum decimo septimo. Item non deficiet  
505 nobis aqua, nam Moses cum uirga percutiet petram et dabit nobis, ut fecit in deserto, Exodi decimo septimo et Deuteronomii octauo et Psalmi septuagesimo septimo”. Item imaginatus est Petrus intra se: “si forte iste petre propter altitudinem montis non dabunt aquam, Helias per orationem suam dabit de celo, ut fecit tertio Regum decimo octauo”. Tunc dixit Petrus intra se: “forte dicet mihi quod pluuia et uenti in hoc loco molestabunt nos”. Dixit: *domine, si uis, faciamus hic tria tabernacula: tibi unum, Mosi unum*, etcetera. Et Petrus  
510 in omnibus his errauit, nam ut dicit Marci capitulo nono: *non enim sciebat quid diceret*. Et sic dicit Hieronymus: «erras, Petre».

Primo, quia querebat in uia terminum et patriam.

Secundo, quia sine morte gloriam querebat.

515 Tertio, quia uolebat semper manere in illo monte et sic redemptio humana non fieret. Ideo dicit Augustinus: “«quid dicis, Petre? Mundus perit et tu secretum queris? Vides mundi tenebras et tu lumen abscondere uis?» Nemo accendit lucernam et in abscondito ponit, quomodo implebitur et operatus est salutem in medio terre, scilicet: in Hierusalem, etcetera? Item erras, Petre, quia tabernaculum queris in gloria que non indiget tabernaculo. Item Christus non indiget tabernaculo, quia ipse est uerum tabernaculum: *ecce tabernaculum  
520 Dei cum hominibus*, Apocalypsis duodecimo dicit Iohannes. Item Paulus dicit ad Hebreos nono: *tabernaculum non manufactum*, etcetera. Nec Moses indiget tabernaculo cum sit in limbo patrum sine pena et cum luce gratie cum patribus, etcetera, nec Helias cum sit in ameno illo paradiso terrestri, etcetera. Item erras contra charitate, quomodo cogitas de gloria totius mundi? Quomodo de nouem sociis tuis? Credis quod Iohannes erit cum Mose, Iacobus  
525 cum Helia et tu cum sis princeps apostolorum eris cum Christo in tabernaculo suo? Item erras querendo tria tabernacula cum non sit nisi unum, iam preterit tabernaculum idolorum gentilium, iam tabernaculum iudeorum, non est nunc nisi unum solum, scilicet: una sancta ecclesia catholica, etcetera”. Et ad hoc ostendendum non respondit Christus uerbo, sed facto, quia adhuc petre loquente: *ecce nubes lucida obumbravit eos*, etcetera. *Et ecce nox de nube  
530 dicens: “hic est filius meus dilectus”*, etcetera. Et sic hic apparuit trinitas, sicut in baptismo, et

---

494: cf. Mt. 17, 4. | 497: cf. Ex. 11, 5; 12, 29. | 498: cf. IV Rg. 1, 14. | 501-502: cf. Ps. 104, 40; Ex. 16, 13. | 503: cf. III Rg. 17, 6. | 505: cf. Ex. 17, 6; Dt. 8, 15; Ps. 77, 16. | 507: cf. III Rg. 18, 34. | 509: cf. Mt. 17, 4. | 510: Mc. 9, 5. | 519-520: Apc. 21, 3. | 521: Hbr. 9, 11. | 529-530: cf. Mt. 17, 5.

511: Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, III, 17, 4. PL 26, 122C. | 515-516: Augustinus] *Auctor err.* cf. Quodv., *Adv. Quin. Hae.*, VI, 22. CCSL 60, 296.

eadem uox et similia uerba. Et sic apostoli neminem uiderunt nisi solum Iesum, etcetera. Fuit igitur transfiguratio Christi utilis tripliciter.

535 Primo, ex parte Christi, nam in illa fuit ostensa uirtus et maiestas Christi, quia pater dicit quod sit filius naturalis ipsius et ostendit quod sit dator gratie. Sicut dixit in baptismo per eadem uerba, hodie ostendit esse datorem glorie, nam ante dixerat quod: *filius hominis uenturus est in gloria sua*, etcetera, hodie ostendit quod ipse habebat gloriam quam aliis promiserat. Sed dicet aliquis: postquam etiam malis promissit penam, quare hodie non ostendit illis in aliqua anima, scilicet: Cain uel Epulonis, etcetera? Sed ad hoc respondet Iohannes Chrysostomus in homilia hodierna dicens quod Gehennam uidere et per illam 540 detertere rudioribus atque ineptioribus necessarium est, probis uero et iam perspicacibus quales erant apostoli satis fuit a melioribus confirmari. Item quia Christus uenit per amorem attrahere peccatores potius quam per timorem, ideo fecit sic premium ostendendo et non penis deterrendo. Exemplum: propter hoc Deus posuit hominem inter celum et infernum, qui est infra terram: eo quod aperte et cotidie uideat sidera celestia, sed non uideat infernalia. Item in hoc Christus ostendit suam pietatem, qua neminem uellet perire in 545 Gehennam, sed omnibus uult dare gloriam, ut patet per Apostolum prima Timotheum secundo. Et sic promptior fuit ostendere gloriam quam penam. Item hoc fuit conuenienter, nam predixerat quod ipse filius hominis uenturus erat in gloria sua. Hanc igitur potuit ostendere quam habebat in animam propriam, non autem penam Gehenne quam poterat ostendere in aliam animam damnatam. Et tunc dubitarent utrum ipse daret illam penam uel esset alia inflicta, et sic ostendit quod certius erat. Item ostendit mundo quod ipse erat sequendus et non Moses nec Helias.

Secundo, fuit utilis principibus mundi ostendens quales homines et seruitores debent habere in sui societate et seruitium, maxime hoc ostendit prelati, cum Christus fuerit 555 summus pontifex. Et hoc dicit Hugo Cardinalis super euangelia: «cum omnis Christi actio nostra fuerit instructio». Et sic Christus ostendit sacerdotibus uel prelati quod debent habere testes uite sue, ut habetur secunda, questione septima, capitulo “Cum pastoris uita”, etcetera, ubi habetur quod aliqui clerici debent esse cubicularii, episcopi uel prelati, etcetera. Item habetur De Consecratione, distinctione prima, capitulo “Episcopus Deo sacrificans”: 560 «debet habere septem aut quinque diacones in ministerium», etcetera. Et sic summus pontifex Christus Iesus hodie dat exemplum prelati quod circa se habeant quinque personas, sicut ipse habuit, scilicet: duas ex ueteri testamento, sicut Moses et Helias. Debet prelatus sic habere duos assistentes senes: unus quod sit doctor legislator, ut Moses, qui dicat prelato quid debet facere secundum legem euangelicam et secundum legem 565 canonicam. Nam prelatus non potest tantum legere quantum conuenit sue dignitati et officio propter maximas occupationes aliorum negotiorum. Debet etiam habere alium coronistam circa se, ut cotidie recitet facta precedentium prelatorum siue uirtuosa siue uitiosa, ut acta uirtuosa inuitent prelatum ad bene agendum et uitiosa et scandala aliorum retrahant ipsum a talibus, ne in illis incidat. Debet iterum habere tres alios ex nouo 570 testamento, sicut Christus habuit Petrum, Iacobum et Iohannem. Primus sit sicut Petrus, cui Christus commisit totam ecclesiam, sic prelatus debet committere ministerium totius sue ecclesie, uni illorum qui sit uicarius generalis, etcetera, alteri debet committere non totam ecclesiam, sed maiorem partem illius, sicut Christus commisit Iohanni non totam ecclesiam, sed precipuam partem illius, que fuit mater sua que fuit excellentior persona ecclesie. Et sic

535-536: cf. Mt. 16, 27. | 546: cf. I Tim. 2, 4.

539: cf. Io. Chrys., *Hom. In Mt.*, LVI, 1. PG 58, 549BC. | 555-556: Hugo Cardinalis] *Nl.* cf. Al. Ins., *S. De Arte Prae.*, I. PL 210, 113C; cf. Th. *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 40, a. 1, p. 307. | 557: cf. Gra., *Decr.*, II, 7, 58. PL 187, 662A. | 560: cf. Gra., *Decr.*, III, 1, 59. PL 187, 1726B.

575 hec persona est officialis ecclesie. Item debet habere alium qui totum pondus ecclesie sustineat in processibus et in curiis, et iste erit regens.

Sed omnes iste quinque persone ultra hoc: quod omnes debent esse docti et periti, debent habere tres proprietates et condiciones, scilicet: quod sint uirtuosi, quod sint solliciti et quod sint ueraces.

580 Primo, debent esse uirtuosi cum sint oculi prelatorum, nam oculus infirmus non potest recte uidere, et sic dixit Philosophus quod: «cecus male iudicat de coloribus», secundo Physicorum.

585 Secundo, debent esse solliciti duo primi qui sunt assistentes quod sint solliciti circa personam prelati, tam circa sanitatem corpori quam circa sanitatem anime per uirtutes. Alii uero tres sint solliciti circa iustitiam, ut non dilatent illam per longum tempus. Nam quoddam genus iniustitie est dilatio iustitie.

Tertio, debent esse ueraces, sicut Moses in lege uera dixit et recitauit illa populo ueraciter. Sic etiam Helias pro ueritate morti se obtulit et est paratus pro ueritate in fine tempore antichristi mori. Sic isti duo uera debent prelato recitare et dicere. Similiter alii tres debent uera iudicare et dicere, nam Petrus uera dixit de Christo quando ipsum interrogauit dicens: *quem dicunt homines esse filium hominis?* Respondit ceteris apostolorum: *alii Iohannem Baptistam, alii Heliam, alii Hieremiam, aut unum ex prophetis*, Matthei decimo sexto. Et sic debet prelatus aut princeps interrogare domesticos quid de eo dicunt extranei et, licet multa de eo dicant tamquam ignorantes secreti principis uel prelati, sed finaliter debet interrogare domesticos et dicere eis: “quid dicitis uos?” Et ipsi debent uera dicere de eo, sicut Petrus dixit: *tu es Christus filius Dei uiui*. Debet considerare prelatus si est christus, id est, unctus, scilicet: si uiuit ut prelatus in officio suo. Item si est filius Dei, etcetera, scilicet: si uiuit uirtuose, quia per gratiam sumus filii Dei adoptiui. Et sic Iohannes inter alios interrogatus fuit: “quem dicunt homines esse?” Ipse etiam ueraciter respondit de Christo quo ad alienos dicens: *mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognouit*. Dicit etiam de propinquis sui populi dicens: *in propria uenit et sui eum non receperunt*. Sed quando interrogat domesticos et familiares suos respondet dicens: *in principio erat uerbum et uerbum erat apud Deum*, etcetera, quo ad eternitatem, et: *uerbum caro factum est*, quo ad incarnationem in tempore, etcetera. Similiter Iacob fuit uerax, nam pro sustinenda ueritate primus inter omnes apostolos martyrium sustinuit. Sed hodie coram principibus et prelatis omnes sunt confessores confitendo et approbando ea que illis sunt placita, etiam si sint uitia, et nullus uult pro ueritate martyrium pati. Contra quos habetur secunda questione, septimo capitulo “Admonendi”, ubi habetur quod subditi debent studere, ut rephendant uitia prelatorum dicens: «admonendi sunt subditi ne plusquam expedit sint subiecti, ne cum student plusquam necesse est hominibus subiici compellantur uitia eorum uenerari». Hec Gregorius. Et sic quod ad exemplum istarum quinque personarum familiares principum et prelatorum debent esse uirtuosi, solliciti et ueraces. Sed lumen et exemplum uirtutis debet primo a prelatis oriri in seruos, sicut a Christo apostoli et alii fuerunt illuminati per ipsum, nam sicut sol est in medio planetarum, ut rex in regno, sic prelatus debet esse. Ideo dicitur: «regis ad exemplar totus describitur orbis». Vnde dicit Apostolus ad Timotheum prima, capitulo tertio: *oportet episcopum irreprehensibilem esse unius uxoris uirum*.

591-592: Mt. 16, 13. | 596: cf. Mt. 16, 16. | 600-601: cf. Io. 1, 10-11. | 602: cf. Io. 1, 1. | 603: cf. Io. 1, 14. | 616: I Tim. 3, 2.

581: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 1, 193a8, p. 45. | 609-610: Gre. Mag., *Reg. Past.*, III, 17. PL 77, 78D; cf. Gra., *Deor.*, II, 2, 7, 57. PL 187, 662A. | 615: cf. Clau., *De Cons. Hon. Pan.*, vv. 299-300, p. 1139.

Tertio, fuit utilis Christi transfiguratio toti mundo, in qua opus quod omnes status debent a Christo recipere gloriam. Et hoc ostenditur in his quinque personis, nam duas accepit de ueteri testamento, quia solum in ueteri testamento duo status uel conditiones  
 620 hominum saluabantur, scilicet: nupti, qui significantur per Mosen qui fuit coniugatus, et continentis, qui notantur per Heliam. Nam uirgines per uotum non fuerunt in ueteri testamento.

Ratio est quia hoc tamquam quid excellentius in nouo testamento seruabatur tamquam perfectior status.

625 Secundo, hoc fuit quia tota salus mundi sperabatur in partu unius mulieris. Et sic dicebatur “maledicta” mulier que non pareret, ut patet de Anna, etcetera.

Tertio, quia sperabatur illa dignitas uirgini Marie que fuit prima que «uirginitatem uouit», ut dicit Bernardus in sermone quarto assumptionis uirginis. Et sic hec dignitas sperabatur ad uirginem Mariam, de qua in Psalmo quadragesimo quarto: *astitit regina*, etcetera, et infra: *audi filia*, quia per fidem debuit uidere que in ea erant impletura, ideo dicit: *et uide et inclina aurem tuam*, etcetera, *et obliuiscere populum tuum*. Quasi dicat: licet in populo tuo non esset uotum uirginitatis, tu eris prima illud faciens. Ideo dicit Augustinus loquens ad uirginem: «que lex, que norma docuit te uotum uirginitatis emittere?» Et ideo hec fuit prima et omnes uirgines post eam. Ideo dicit in Psalmo: *adducentur regi uirgines post eam*, scilicet: post reginam uirginum uirginem. Et hoc rationabiliter fuit Marie reseruatum, nam cum in ueteri testamento maxime honoraretur maternitas, in nouo sperabatur uirginitas in Maria, que fuit media inter utrumque testamentum. Iuncta fuerunt ambo, scilicet: maternitas et uirginitas, et fuit similis uirgo et mater. Et sic in ueteri testamento non fuerunt nisi duo status, scilicet: coniugium et castitas per duos ueteris testamenti significatos. De nouo testamento accepit  
 630  
 635  
 640 Christus tres, quia ex isto tres status erant saluandi, scilicet: martyres, confessores et uirgines. Per Petrum confessores notati; martyres per Iacobum; uirgines per Iohannem. Sed forte dices: igitur omnes status saluabuntur in nouo testamento? Dico quod non, sed aliqui de quolibet statu, erunt autem salui qui habuerint quinque conditiones et proprietates que per istas quinque personas significantur.

645 Primo, debent seruare precepta que Moses in lege dedit.

Secundo, notare prophetias iam solutas et soluendas que significantur per Heliam prophetam. Non speret prophetias solutas de messia, quia iam preterierunt, nam: *lex et prophete usque ad Iohannem*. Et sic, si peteret quod solutum est, esset falsus. Item non querat nec extimet solutas que restant soluende, sicut sunt de resurrectione et finali iudicio.

650 Tertio, debet habere fidem que in Petri confessione notatur cum dixit: *tu es Christus*, etcetera, in qua ecclesia domini fuit fundata.

Quarto, debet habere spem que notatur per Iacobum, qui primus inter apostolos propter spem uite eterne uitam dedit.

655 Quinto, debet habere charitatem, que notatur in Iohanne, qui interpretatur «in quo est gratia», ut esset omnibus manifestum quod qui ista quinque in se habebunt hic recipient gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

629-631: Ps. 44, 10-11. | 634: cf. Ps. 44, 15. | 647-648: cf. Lc. 16, 16. | 650: cf. Mt. 16, 16.

627: cf. Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, 9. PL 183, 434A. | 633: Augustinus] *Auctor err.* cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 7. PL 183, 74D. | 654-655: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, NT, Act., I. PL 23, 848C.

SERMO NONAGESIMVS OCTAVVS IN DOMINICA INFRA OCTAVAS TRANSFIGVRATIONIS  
DOMINI

<THEMA> *Ipsum audite*, Matthei decimo septimo.

Originaliter.

5 Tanta est necessitas medii quod nec supranaturales actiones nec naturales nec artificiales sine illo esse non possunt secundum ordinem a Deo prefixum.

Primo, patet hoc in diuinis, quia sine medio Deus non esset Deus, nam sine uerbo diuino Deus non intelligeret se. Et per consequens non esset Deus, quia ad productionem omnium et gubernationem uniuersi Deus oportuit esse intelligens, igitur, etcetera.  
10 Intelligendo igitur se produxit uerbum et uerbo producto fuit a duobus mutuus amor spiritus sancti, qui spiritus sanctus fuit medium ad hoc, ut creatura rationalis uniretur Deo, igitur, etcetera.

Secundo, hoc patet in operatione intellectus, nam licet ex obiecto et potentia fiat notitia, sed requiritur species intelligibilis pro medio, etcetera. Item hoc idem de operatione  
15 sensitua, nam inter obiectum et potentiam requiritur medium. Et sic si uacuum esset, nihil uideretur nec audiretur, unde Aristoteles reprehendit secundo De Anima capitulo de uisu Democritum dicentem quod «medium impediabat uisionem et quod si inter celum et terram esse uacuum formica uideretur in celo et musca». Dicit Aristoteles quod non est uerum, immo si esset uacuum, nulla esset sensatio, quia «opus sensibile prius immutare  
20 medium quam sensus», igitur, etcetera.

Item patet hoc in artificialibus, nam si non esset medium, sed uacuum, ballista nunquam mitteret sagittam usque ad signum. Sic est igitur de gratia, nam licet sit a Christo tamquam a fonte, sine medio, scilicet: sine uirgine, non potest haberi. Et sicut sagitta remanente in medio frustra est, quia si non applicatur signo, item si species remanent in medio et non  
25 applicantur potentie non sit sensatio aliqua, sic in nos remanemus in medio non habemus gratiam. Ipsa uirgo Maria uoca nos dicendo: *uenite ad me omnes*, etcetera, et Christus etiam dicendo, Matthei undecimo: *uenite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam uos*.

Et sic si sisteremus in uirgine et non iremus in Christum, qui est fons gratie, illam non haberemus. Ideo supplicando uirginem pro gratia ipsa dicit: “ego medium sum impetrandi”,  
30 et sic ab illo debetis illam habere postquam uocat uos. Si illam uultis habere, *ipsum audite*. Ad hanc igitur in principio sermonis humili mente et pia dicamus: aue Maria, etcetera.

<THEMA> *Ipsum audite*, ubi supra.

Due partes sunt uidende in presenti sermone. Prima erit thematis introductiua et declaratiua. Secunda sancti euangelii expositiua.

35 Pro introductione prime partis ponitur talis conclusio: quod solus Christus est audiendus a christiano, ut magister uerus, et Moses iam non est audiendus. Sed pro declaratione prime partis conclusionis est notandum quod audire sumitur dupliciter in sacra scriptura.

---

3: Mt, 17, 5. | 26-27: cf. Mt. 11, 28. | 30-32: cf. Mt, 17, 5.

17-20: cf. Th. Aq., *Comm. De Ani.* (vol. 4), II, 15, 7, (419a6), p. 351.

40 Primo, pro sensu exteriori quando percipit sonum uel uocem alicuius, ut patet Genesis tertio, quando: *Deus dixit Ade: "ubi es?" Dixit Adam: "domine, uocem tuam audiui in paradiso et timui"*, etcetera.

Secundo, sumitur pro credere uel obedire, ut patet Exodi sexto. Dicit Moses domino: *ecce filii Israhel non audiunt me, quomodo audiet me pharao*, etcetera? Item primo Regum secundo, de filiis Hely dicitur quod: *non audierunt uocem patris*, id est, non crediderunt uel obedierunt, etcetera.

45 Probatur hec conclusio, nam libenter audimus doctorem ueracem facetum et salutarem, Christus autem fuit huiusmodi, igitur, etcetera.

50 Primum patet, nam: «Pythagoras, cum esset doctissimus adiit Memphiticos uates, id est, Egiptios philosophos, et Plato ad Architam Tarentinum, philosophum magnum», etcetera. Isti igitur, cum essent sapientissimi, etiam querebant doctorem a quo ueritatem audirent, sed cum Christus fuerit maximus doctor ueritatis, immo ipsa ueritas, qui dicit: *ego sum uia ueritas*, etcetera, Iohannis decimo quarto. Et ipse uenit ut doctor ueritatis, unde dicit: *ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritatis*, Iohannis decimo octauo.

55 Secundo, quando doctor est grauiosus libenter auditur, sic Christus, unde habetur Luce quarto quod: *uenit Nazareth, ubi erat nutritus, et intrauit synagogam die sabbati et surrexit legere et traditus est illi liber Isaie prophete et ut reuoluit librum inuenit locum, ubi scriptum erat: "spiritus domini super me propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me sanare"*, etcetera, *et reddit librum*, etcetera. *Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum et dixit: "hodie impleta est hec scriptura in auribus uestris"*, etcetera, *et mirabantur in uerbis gratie que procedebant de ore ipsius*, etcetera. Et imprimebat in corda, unde dicit Matthei septimo: *erat docens sicut potestatem habens*, etcetera.

60 Tertio, quando uerba doctrine sunt salutaria, sic in Christo: *uerba que locutus sum uobis, spiritus et uita sunt*, Iohannis sexto. Hic autem stat ad ostium cordis, unde Apocalypsis tertio: *ego sto ad ostium et pulso, si quis audierit uerbum meum et uocem meam et aperierit ianua introibo ad illum et cenabo cum illo*, etcetera. Pulsat igitur ad ostium cordis per inspirationem, postquam ergo in uerbis suis est uita et salus, *ipsum audite*, quo ad primum. Et ecce apparuerunt illis  
65 Moses et Helias, etcetera.

Sed quare istos uocauit Christus ad transfigurationem potiusque alios ueteris testamenti? Dico quod propter tria.

70 Primo, quia dixerat ante: *filius hominis uenturus est in regno suo et dabit unicuique iuxta opera sua*, scilicet: in iudicio finali. Ut igitur ostenderet se esse iudicem uiuorum et mortuorum, uocauit ad ostensionem glorie future Mosen mortuum et Heliam uiuum et sic habuit testes a mundo apostolos, a paradiso Heliam, a limbo Mosen.

75 Secundo, ut haberent testes sufficientes, nam de Christo scriptum fuit in lege et prophetis, ut habetur Luce ultimo: *neesse est impleri que scripta sunt de me in lege et prophetis*, etcetera. Ideo duxit pro teste legislatorem Mosen et maximum prophetarum Heliam, qui putabatur messiam esse quando Christus dixit: *quem dicunt homines esse filium homini?* Respondit: *alii dicunt Heliam*, etcetera.

---

39-40: Gn. 3, 9-10. | 42: Ex. 6, 12. | 43: I Sm. 2, 25. | 50-51: Io. 14, 6. | 51-52: Io. 18, 37. | 54-58: Lc. 4, 16-22; cf. Is. 61, 1-2. | 59: Mt. 7, 29. | 60-61: Io. 6, 64. | 62-63: Apc. 3, 20. | 64: cf. Mt. 17, 5. | 68-69: cf. Mt. 16, 27. | 73: cf. Lc. 24, 44. | 75-76: cf. Mt. 16, 13-14.

47-48: cf. Hier., *Ep.*, LIII, 1. PL 22, 540C.

Tertio, adduxit istos ut ostenderet se esse uerum messiam, nam isti duo specialius illum figurarunt et prophetarunt. Primo, Helias dicitur et interpretatur «Deus dominus», secundum Hieronymum in interpretationibus et secundum Rabanum libro de Vniuerso, capitulo secundo. Primo, sicut in sacrificio Helie descendit ignis de celo, sic in Christi baptismo descendit spiritus sanctus. Item figurauit Christum redemptorem quando per ipsum filius uidue Sareptane, qui secundum iudeos fuit Ionas propheta, a dolore capitis est sanatus, qui fuit Adam, qui curatus fuit a Christo ex infirmitate superbie. Item ostendit sacrificium altaris in farinula et oleo uidue, que benedicuntur et non deficiunt, ut ait Mattheus uicesimo octauo: *cotidie uobiscum sum usque ad consummationem seculi*. Hoc idem significabat panis ille *in fortitudine cuius ambulauit usque ad montem Dei Horeb*. Item Moses illum figurauit et prophetauit: primo Christum figurauit, quia sicut populus electus erat in captiuitate pharaonis et omnes moriebantur, sed solus inter mares Moses liber fuit a morte positus in fiscella stirpea et in ripa fluminis, etcetera, sic totus mundus positus fuit in captiuitate demonis, solus Christus factus fuit inter mortuos liber inter uiros. Nam uirgo Maria etiam fuit libera, sed alio modo, unde Isaie sexagesimo tertio: *torcular calcanei solus et de gentibus non est uir mecum*. Nam uirgo femina fuit sine peccato, licet non sine peccati obligatione. Et sicut Moses paruus positus fuit in fiscella, sic Christus in uentre matris sue. Fiscella enim fuit uirgo Maria quo ad tria.

Primo, quo ad materiam, iunci enim habent lenitatem et nullam grauitatem, ut possent supernatare, ut dicit Nicholaus de Lyra. Sic uirgo nullam habuit grauitatem peccati, unde Psalmi tricesimo septimo: *iniquitates mee sicut onus graue*, etcetera. Item iunctus est sine aliqua tortuositate cum magna rectitudine et sine nodo, sic uirgo Maria dicitur uirga recta sine nodo uel tortuositate peccati. Item iunctus est sine ramis, sic uirgo Maria non dispersa ad mundana aliqua. Item est sine foliis, folia enim sunt in arbore ad tuitionem fructus, in uirgine non fuerunt requisita, cum fructus uentris illius esset uerus Deus, qui non indigebat adiutorio uirginis nec alicuius alterius.

Secundo, quo ad formam, nam fuit bituminata illa fiscella et licet tangeretur ab aqua, sed aque non intrabant in illam. Sic uirgo fuit bitumine gratie preseruata et aqua peccati in illam non intrauit.

Tertio, quo ad continentiam, nam sicut Moses fuit in illa contentus, qui dicitur “sumptus ex aquis”, sic Christus fuit uerus. Moses sumptus et separatus ab aquis tripliciter.

Primo, separatus ab aqua infecta peccato originali, nam (ut dicunt doctores) peccatum originale fuit cum semine traducitur, quod est uerum quando semen infectionem peccati portat. Sed quando non, nec cum illo traducitur, ut fuit in uirgine Maria, que licet esset genita ex semine Ioachim, sed nullam infectionem contraxit peccati originalis, nam fuit per gratiam preseruata et sic Christus fuit ab ista infectione separatus.

Secundo, fuit non solum ab ista aqua separatus, sed totaliter, id est, simpliciter a quacumque aqua seminis uirilis, nam ut cantat de ipso ecclesia: «non ex uirili semine, sed mystico spiramine», etcetera.

Tertio, fuit separatus ab aqua actualis peccati, unde Psalmi centesimo octauo: *intranit sicut aqua in interiora eius*, id est, sicut peccatum in cogitationem interiorem, ut glosat Hugo,

85: Mt. 28, 20. | 86: cf. III Rg. 19, 8. | 91-92: Is. 63, 3. | 97: Ps. 37, 5. | 116-117: Ps. 108, 18.

78: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, VT, Rg., E. PL 23, 825A. | 79: cf. Hrab. Mau., *De Vni.*, III, 2. PL 111, 66C. | 96: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 1), Ex. 2, 3, f. 125r. | 114-115: cf. Ambr., *Hymn.*, IV. PL 16, 1410D. | 117: Hugo] NI.

89: Fiscella] M ficella.



120 etcetera. Et sic Christus fuit separatus a triplici aqua, sed mater sua gloriosa non fuit separata nisi a duplici, quia fuit ex semine concepta, sed non ex infecto semine, etcetera. Et sic licet tacta fuit ab illa aqua, sed in illam non introiuit. Et sic illa fiscella, que illum figurabat, tacta fuit ab undis aque, sed in illam non introiuit, quia detinebatur bitumine gratie. Sed ipsum Mosen nulla aqua tetigit, ut dictum est. Item sicut Moses liberauit populum, sic Christus mundum a captiuitate, quia omnes moriebantur et ab illo et per illum fuerunt saluati, unde Psalmi centesimo quinto dixit: *ut disperdet eos si non Moses electus eius*

125 *stetisset in confractione in conspectu eius*. Hic Moses electus fuit, Christus figuratus per Mosen, qui fuit confractus in arbore crucis ante illum positus, nam ut dicit Isaias capitulo primo: *a planta pedis usque ad uerticem capitis non erat sanitas in eo*. Tertio, prophetauit illum in multis, maxime Deuteronomii decimo octauo quando dixit: *prophetam de gente tua et de medio fratrum tuorum suscitabo eis similem tui, ipsum audies*, etcetera.

130 Fuit autem hoc dictum non de quocumque propheta, nam aliqui fuerunt prophete qui non erant de gente iudeorum, ut fuit Balaam et aliqui tales. Et sic dicitur quod hec uerba dicuntur de Christo, ut dicit glosa ordinaria et etiam Nicholaus in illo passu. Et sic dicit quod hic propheta sperabatur de gente iudeorum et quod esset similis alteri potest esse tripliciter.

135 Primo, ratione parentele uel nationis, ut dicimus quod Aragonensis est similis alteri eiusdem regni uel generis.

Secundo, est similis aliquis alteri ratione officii, ut sicut “cerdo” est similis “cerdoni”, etcetera.

140 Tertio, ratione qualitatis magis proprie, ut albus homo est similis alteri albo, quia: «unum in qualitate facit simile», ut dicit Aristoteles quinto Metaphysicorum. Et sic Christus fuit similis Mosi his tribus modis.

145 Primo, de eadem gente iudeorum et non solum remote, sed propinque, nam cum dixit “de medio fratrum”, significat quod sperabatur de tribu Iuda, quia fratres huius populi fuerunt tribus duodecim filii Iacob, a quibus orte fuerunt tribus duodecim. Hec uero fuerunt ex quattuor mulieribus Iacob, scilicet: de Rahel, de Lia et de Bala et Zelpha, que fuerunt ancille istarum. Et quia fratres proprie dicuntur, quoniam sunt nati ex uno patre et una matre et etiam quia in duobus nullum est medium, igitur de medio fratrum intelligitur de Iuda. Nam Iacob de prima uxore, scilicet: Rahel, non habuit nisi duos filios, scilicet: Benjamin et Ioseph. Item de Zelpha, ancilla ipsius Rahel, non habuit nisi duos alios, scilicet: Gad et Asser. Item de Bala, ancilla Lie, non habuit nisi alios duos, scilicet: Dan et Neptalim.

150 Sed de secunda uxore, scilicet: Lia, habuit septem, scilicet: Ruben, Symeon, Leui, Iudam, Isachar, Zabulon, et Dinam, a Sichen stupratam. Igitur cum inter duos non sit medium, sed bene inter septem, nam medium est quartum, sequitur quod hoc non potest intelligi de filiis Rahel nec Bale nec Zelphe, sed solum de filiis Lie, qui sunt septem. Et cum medius sit

155 Iudas, sequitur quod de Iuda erat uenturus. Ideo dicit: *de medio fratrum*, et cum dicit: *similis tui*, cum Moses esset de tribu Leui, ut habetur Exodi primo capitulo, sequitur quod Christus fuit de Iuda et Leui. Igitur similis Mosi quo ad genus.

---

124-125: Ps. 105, 23. | 126-127: Is. 1, 6. | 128-129: Dt. 18, 15. | 155-156: cf. Dt. 18, 18. | 156: cf. Ex. 1, 2.

132: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Dt., 18, 15. *PL* 113, 471B; cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 1), Dt. 18, 15, f. 351v. | 139-140: cf. Arist. Lat., *Met.*, V, 15, 1021a12, p. 104; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 1), lib. 1, dist. 19, q. 1, a. 1.

152: Stupratam] M strupatam.

Secundo, similis quo ad officium, quia sicut Moses fuit redemptor populi, sic Christus. Item sicut magnus propheta, sic Christus. Item sicut fuit dux populi et sacerdos, unde  
 160 Psalmi nonagesimo octauo: *Moses et Aaron in sacerdotibus eius*, et sic habuit utrumque gladium. Sic Christus fuit rex, Psalmi secundo: *ego autem constitutus sum rex*. Item fuit sacerdos, Psalmi centesimo nono: *tu es sacerdos in eternum*.

Tertio, fuit similis in qualitate, nam sicut Moses recepit in monte claritatem in facie, sic hodie Christus in monte Thabor gloriam ostendit.

165 Si forte dicis: etiam nunc Moses est audiendus, quia similis fuit Christo, ut dicis, igitur, etcetera. Dicendum quod licet fuerit similis non tamen equalis, quod patet tripliciter.

Primo, quia Christus fuit sponsus ecclesie, non tamen Moses, sed famulus sponsi, unde lex erat Deuteronomii uicesimo quinto quod quando frater alicuius moriebatur sine prole, quod frater mortui acciperet uxorem fratris in coniugium et si nollet uel insufficientem se reputaret, quod in uituperium illius mulier tolleret calciamenta de pedibus eius per  
 170 uituperium, ut ostenderet insufficientiam illius et ex tunc alter poterat nubere. Sic fuit de ecclesia, que primum uirum habuit Abel, ut dicit Augustinus in libro De Ciuitate Dei, in illo incepit ciuitas Dei, que est ecclesia. Sed illo mortuo sine liberis iterum fuit in rubro ostensa ecclesia ipsi Mosi, Exodi tertio, qui fuit frater ipsius Abel. Et ut ostenderet Deus quod  
 175 Moses non erat sufficiens pro sponso ecclesie dicit illi Dominus: *tolle calciamenta de pedibus tuis*, etcetera. Nam hoc sperabatur pro Christo filio Dei, qui erat et sperabatur de genere ipsius Mosi. Hoc autem figuratum fuit quando Seffora, uxor ipsius Mosi, circumcidit filium suum Gersan et dixit sponsus: *sanguinis tu mihi es*, Exodi quarto. Et sic ille qui fuit ex linea Mosi, ut filius suus, scilicet: Christus, fuit sponsus sanguinum, quia sponsauit se in die  
 180 passionis sue cum ecclesia, quando ex latere eius exiuit sanguis et aqua, etcetera, unde glosa ordinaria in isto loco hoc dicit.

Si dicis: quomodo potest Christum figurare hic filius Mosi, cum descendat de matre gentili, scilicet: Seffora, etcetera? Dicendum quod sicut hic descendit ex patre Leui et ex matre de gentilitate, sic Christus ex linea masculina ex iudeorum gente, scilicet: de Abraham  
 185 et Daud, etcetera, sed ex linea femenina de gentilitate, ut patet de Ruth et Raab, etcetera, Matthei primo capitulo. Et sic in isto loco dicit glosa ordinaria Exodi quarto: «mystice autem Seffora ecclesiam de gentibus significat, que prepucium filii sui, id est, gentilis populi, acutissima petra, id est, spiritus sanctus, doctrina uel Christo, qui dicitur “petra”, prima Corinthiis decimo, spoliatur ut mundetur». Igitur si Moses non fuit sponsus, sed seruus  
 190 sponsi, scilicet: Christi, non illum, sed Christum debemus audire.

Secundo, patet hoc, scilicet: quod licet Moses fuerit Christo similis, non tamen equalis in lumine, nam fuit lux Christi differens a luce Mosi tripliciter: primo, ratione subiecti; glorie et cause.

195 Primo, ratione subiecti tripliciter: primo, lumen Mosi fuit in sola facie eius, sed lux Christi fuit etiam in corpore; secundo, lux Mosi in sola superficie, sed Christi oriebatur a centro; tertio, quia Moses ignorauit esse uel habere faciem illuminatam, ut habetur Exodi

---

160: Ps. 98, 6. | 161: Ps. 2, 6. | 162: Ps. 109, 4. | 168: cf. Dt. 25, 5. | 175-176: Ex. 3, 5. | 178: Ex. 4, 25. | 186: cf. Mt. 1, 5. | 189: cf. I Cor. 10, 4.

172: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XV, 1, 2. PL 41, 437D. | 186-189: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Ex., 4, 25-26. PL 113, 197B.

183: Post patre M add de.

tricesimo quarto: *ignorabat quod cornuta esset facies eius*, etcetera, sed Christus sciuit hoc cum ex uoluntate sua fiebat, ut illi gloriam uiderent.

200 Secundo, fuit differentia ex parte luminis tripliciter: primo, ex quantitate illius, nam Mosi lux fuit minor, Christi uero maior; secundo, ex parte essentie, nam lux Christi fuit glorie, sed Mosi non, licet esset miraculosa. Et ideo Mosi claritas ledebat uisum non autem claritas Christi.

205 Si dicis: cum filii Israhel non possent cernere in faciem Mosi propter claritatem maximam et apostoli possent sustinere lumen Christi, sequitur quod maior fuit Mosi quam Christi. Dicendum quod non, sed econuerso, quia hoc non proueniebat ex maioritate luminis, sed ex eius conditione. Nam lux Christi, cum esset claritas glorie, delectabat uisum, quia quanto maior est magis delectat. Sed lux Mosi, licet esset miraculosa, retinebat conditiones naturales, quia media inter naturalem et supra naturalem. Et sic ledebat uisum, quia: «excellens sensibile corrumpit sensum», ut dicit Philosophus quod est uerum de  
210 naturali. Exemplum: uinum factum in nuptiis fuit miraculosum, sed extinguebat sitim et inebriare poterat sicut uinum naturale, quia habebat conditiones naturales. Sicut cecus a natiuitate miraculose uisum recipit, sed naturaliter uidet per illum, etcetera. Et sic licet illa que fuit Mosi lederet, Christi uero non, illa non fuit maior ista, sed econuerso.

215 Tertio, fuit differentia in tempore, nam splendor Christi fuit in breui tempore Mosi, autem in maiori, immo aliqui dixerunt quod per totam uitam suam.

Si autem dicis: igitur nobilior fuit Mosi quam Christi, quia diuturnior. Dicendum quod non. Exemplum de funiculis uel flagellis ex auro et ex pergamento: si illa que essent ex auro solum ad horam ostenderentur aliquibus, ut possent in futuro testificare de illius natura et conditione, etcetera, illa que erant ex pellicula uel ex pergamento essent in manu magistri  
220 pedagogi continuo, dico quod propter hoc non essent nobiliora alteris, nam hoc esset ad terrorem paruulorum, sic in proposito. Nam claritas illa Christi fuit ostensa apostolis et ceteris ad horam, ut in futurum de illa possent testificari. Et cum uisus non decipiatur circa sensibile proprium, sufficiebat semel uidisse. Sed lux Mosi fuit ad terrorem populi, ut ostenderet qualis erat ille dominus qui ex confortio suo tantam claritatem intulit Mosi et ex  
225 illo ipse Moses in reuerentiam haberetur et ad hoc opus quod in uita sua hoc esset. Sic de magistro qui cotidie ducit in manu palmatoriam uel flagella, ut discipuli timeant et in reuerentiam illum habeant. Et sic, licet talia essent diuturniora, non tamen essent nobiliora, sic in proposito, etcetera.

Tertio, fuit differentia ex parte cause, et hoc patet tripliciter.

230 Primo, ex parte cause efficientis, nam claritas Mosi non fuit a seipso, sed Christi sic, quia iste idem in quantum Deus, qui dedit claritatem Mosi ostendit hodie suam propriam.

Secundo, a causa materiali, nam claritas Christi procedebat a gloria anime et diuinitate, sed claritas Mosi non, quia non erat anima illius gloriosa, nec per consequens corpus cum sit a gloria anime.

235 Tertio, a causa finali, nam claritas Christi, ut ostenderet gloriam futuram, sed claritas Mosi ad terrorem populi, ut diximus, etcetera.

---

197: Ex. 34, 29.

209: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, II, 104, (424a28), p. 182.

240 Tertio, ostenditur quod licet Moses fuerit similis Christo, non tamen equalis illi propter hoc quod Christus ostenditur dominus, alter uero seruus. Et ad preceptum suum fuit ductus et ad pedes eius prostratus et ut ostenderet pater hunc esse filium suum naturalem dicit: *hic est filius meus dilectus*, etcetera. Et ut ostenderet esse illum, de quo ante per Mosen promiserat: *qui autem (dicit dominus) uerba eius audire noluerit, ego ultor existam*, etcetera. Sicut Moses dixit ipsum audientis, nunc pater dixit: *ipsum audite*.

Et sic, qui illum audire noluerit portabit penam, qui autem audierit illum, hic habebit gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

240: cf. Mt. 3, 17. | 241: cf. Dt. 18, 19. | 242: cf. Mt. 17, 5.

237: Propter] M proter.

## SERMO NONAGESIMVS NONVS ET PRIMVS IN DIE ASSVMPTIONIS BEATE MARIE

<THEMA> *Maria optimam partem elegit*, Luce decimo.

Sententia est Sancti Doctoris prima secunde, questione decima tertia, et originaliter Aristotelis, tertio Ethicorum, quod uoluntas habet duplicem actum, scilicet: «unum respectu  
5 finis et alium respectu eorum que sunt ad finem». Et primus, quia est ei naturalis et necessarius, dicitur “uoluntas”, ut notitia principiorum, dicitur “intellectus” sicut eius potentia. Secundus actus dicitur “electio”. Primus est necessarius uoluntati, ut dicit sanctus Thomas prima, questione sexagesima. Et sic circa finem ultimum quis non potest errare, sed circa media. Ideo aliqui querunt illum per regulas Mosi, aliqui Machometi, aliqui Christi,  
10 unde Augustinus, undecimo De Ciuitate Dei dicit: «quid prodest nosse quo eundum sit si ignoratur uia qua eundum sit?» Et sic omnes errauerunt in hoc ante Christum, Psalmi decimo tertio: *omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, id est, «usque ad Christum», ut dicit glosa. Isti non errauerunt nisi in electione, unde Psalmi centesimo sexto: *errauerunt in solitudine in inaquoso uiam ciuitatis habitaculi non inuenerunt*.  
15 Non solum philosophi nec ignorantes, sed etiam ille Dauid, qui dixit Psalmo centesimo decimo octauo: *super senes intellexi*. Dicit in eodem Psalmo: *errauit sicut ouis que periit, quere seruum tuum*, domine, nam solus dominus debebat illam recuperare et docere.

Si dicis: que fuit causa istius erroris? Dicendum quod duplex, scilicet: falsitas doctrine apud multos et separatio a uia in illis qui habebant ueritatem. Vnde philosophi omnes  
20 posuerunt doctrinas cum falsitatibus mixtas et Moses et alii ueri erant separati a uia, sed uenit Christus, qui fuit doctor ueritatis et simul ueritas et uia, et sic totum mundum instruxit. Quod hoc sit uerum dicit ipse, Iohannis decimo octauo: *ego in hoc natus sum et in hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritatis*. Et sic pharisei, licet inimici ueritate, tamen coacti dixerunt: *magister scimus, quia uerax es et uiam Dei in ueritate doces*, Matthei uicesimo  
25 secundo. Quod autem fuerit simul doctor et uia patet Iohannis decimo quarto dicens: *ego sum uia, ueritas et uita*. Et sic dicit Augustinus in sermone: «homo sequendus non erat qui uideri poterat, Deus sequendus erat qui uideri non poterat. Vt autem uideretur qui sequendus erat, Deus factus est homo». Et sicut in quocumque statu fuit remedium peccati, ut dicit Magister in quarto, distinctione prima, sic etiam in quocumque statu fuit occasio  
30 peccandi propter meritum nostrum mediante libero arbitrio, unde: *beatus qui potuit transgredi et non est transgressus*, Ecclesiastici tricesimo primo. *Ab initio fecit Deus hominem et reliquit eum in manu consilii sui, posuit ante illum ignem et aquam, quia ante hominem mors et uita malum et bonum*, Ecclesiastici decimo quinto. Tres autem fuerunt status mundi. Primus ante peccatum; secundus post peccatum et ante remedium; tertius post remedium incarnationis domini, et  
35 in quocumque istorum fuit duplex uia.

In primo, obedientia et inobedientia, per uiam obedientie erat immunitas peccati, per inobedientiam acquirebatur peccati culpa. Et sic angeli et homines inobedientes Deo mox fuerunt in culpa, angeli enim licet essent creati in gratia, ut dicit sanctus Thomas secundo, distinctione quarta; et prima, questione sexagesima secunda. Et uoluntas Dei erat ut

2: Lc. 10, 42. | 12-13: Ps. 13, 3. | 14: Ps. 106, 4. | 16: Ps. 118, 100. | 16-17: Ps. 118, 176. | 22-23: Io. 18, 37. | 24: Mt. 22, 16. | 25-26: Io. 14, 6. | 30-31: Sir. 31, 10. | 31-32: cf. Sir. 15, 14-18.

4-5: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, III, 4, 11b27, p. 183; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 13, a. 3, p. 95. | 8: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 60, a. 2, p. 416. | 10-11: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XI, 2. PL 41, 318B. | 13: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Psal. 13, 1. PL 114, 777D. | 26-28: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCCLXXI, 2. PL 39, 1660B. | 29: cf. Petr. Lom., *Sent.*, IV, 1, 8. PL 192, 841AB. | 38: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 4, q. 1, a. 3, p. 260; *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 62, a. 3, p. 428.

14: Inaquoso] X inaquosa.

40 quiescerent in illo, quia: «fecit creaturam rationalem ut summum bonum intelligeret, etcetera, et amando frueretur», ut dicit Magister Sententiarum in secundo, distinctione prima. Mali autem noluerunt obedire Deo nec in illo quiescere.

Si dicis: esse naturale non fuit prius esse gratuito? Dicendum quod non, nam ut dicit Augustinus duodecimo De Ciuitate: «simul erat condens naturam et largiens gratiam».  
45 Exemplum: sicut applicato ferro lapidi scintilla que oritur ex ferro et lapide mox est lucida et ante est scintilla quam est lucida, sic fuit in proposito de angelis.

Sed si omnes creati fuerunt in gratia, quomodo non receperunt gloriam? Cum secundum illam gratiam omnes meruerint? Dicendum quod uerum est quod omnes meruerunt, quia quelibet scintilla illuminauit quod fuit meritum in illis, sed si in illo instanti permansissent  
50 omnes, omnes fuissent confirmati, quia igitur aliqui permanserunt et aliqui non. Igitur illi qui permanserunt fuerunt confirmati et ceteri non. Exemplum: dum ferrum applicatur lapidi oriuntur plures scintille, sed illa, que deorsum tendit, quiescit in iesca et illuminatur, aliqua que sursum mox nigrescit. Sic fuit de angelis: aliqui per humilitatem et obedientiam applicati fuerunt ad iescam et illi confirmati per adiutorium Dei, sic ille in magnum ignem  
55 confirmantur et crescunt, sed illa scintilla que uoluit sursum ascendere dicendo illud, Isaie decimo quarto: *super astra ascendam et ero similis altissimo*, mox facta nigra perdidit gratiam et sic in culpam deuenit.

Si queris: si in uno instanti meruerunt in alio fuerunt confirmati, quare non omnes beatitudinem receperunt? Dico quod in illo instanti aliqui steterunt et aliqui non.  
60 Exemplum: si duo pauperes postulant denarium ambo meruerunt, quia meritum est petere et suum querunt, si quis uellet dare ambobus et unus aperiret manum et alter non, sed diceret: “sine illo denario uiuam”, etcetera, tunc unus in eodem instanti recipit et alter non.

Sed cum non fuerit successio in remuneratione, quomodo in istanti eodem unus recipit et alter non? Dicendum quod bene potest esse in eodem instanti, nam si duo clauī penetrant tabulam aliquam, iam fecerunt officium et meruerunt, sed si carpentarius uult illos reblare, quod est quedam confirmatio eodem ictu dando in ambobus, unus incuruatur et humiliatur obediendo et alter retrocedit exeundo a tabula et sic perdit totum meritum. Sic in proposito, in eodem instanti, unus fuit confirmatus et alter damnatus, scilicet: obediens fuit sine peccato et alter inobediens cum peccato. Sic etiam de Adam et Eua per  
70 inobedientiam, etcetera.

In secundo statu fuerunt etiam due uie, scilicet: penitentie et impenitentie. Per penitentiam gratie acquirebatur per impenitentiam culpa. Et sic Adam et Eua fuerunt in secundo statu penitentes, sed Cain dixit: *maior est iniquitas mea*, etcetera, Genesis quarto.

In tertio statu alie due uie, scilicet: fidelitatis et infidelitatis. In infidelitate remanserunt  
75 omnes populi, in fide solus populus christianus, ex qua fide habetur gratia, ad Ephesios secundo: *gratia saluati estis per fidem*, unde pretium redemptionis est fides. Noluit enim Deus quod pretio unius denarii haberetur gratia, quia aliquando quis illum non habet, sed sola fide que semper est in potestate nostra, unde Augustinus: «nihil tam est in potestate hominis quam credere». Sed Christus uerus doctor sicut ad saluandos omnes status uenerat,

---

56: Is. 14, 13-14. | 73: Gn. 4, 13. | 76: Eph. 2, 8.

40-41: Petr. Lom., *Sent.*, II, 1, 4. PL 192, 653B. | 44: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XII, 9, 2. PL 41, 357A. | 78-79: Aug. Hipp., *De Liber. Arb.*, III, 3, 7. PL 32, 1274C.

44: Simul] M sumul. | 45: Scintilla] M cintilla. | 46: Scintilla] M cintilla

80 sic: «de omnibus aliquid cepit», ut dicit Magister, tertio Sententiarum, distinctione decima sexta.

Et sic Christus de primo statu cepit obedientiam, unde: *factus obediens usque ad mortem*, ad Philippenses secundo, ex qua habuit impeccabilitatem, Isaie quinquagesimo tertio: *qui peccatum non fecit*, et secunda Petri secundo idem.

85 De secundo statu ipse Christus cepit penitentiam, scilicet: nostram, nam in Christo non potest dici nisi pena, quia penitentia est pena pro peccato proprio, sed ipse non pro se patiebatur, sed pro nobis. Isaias quinquagesimo tertio dicitur: *uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrorum*, id est, penam peccatorum, ut dicit glosa, *uere languores nostros ipse tulit*, etcetera, et *liuore eius sanati sumus*.

90 De tertio statu accepit fidem non quod in Christo fuerit fides que «est de non uisis» et ipse cum fuerit uerus comprehensor clare uidebat, tertia parte, questione septima. Sed in nobis est habitus fidei obscurus, in ipso autem clarus secundum dispositionem recipientium, sicut triticum est in seminante limpide, sed in terra non, sed primo in illa exit  
95 palea quam granum. Et sic fides fuit in Christo pro nobis illam fundando, ut dicit sanctus Thomas super epistolam ad Hebreos undecimo dicens quod Christus fundauit fidem dicendo, predicando et infundendo illam in nobis. Exemplum: sicut doctrina et lectio aliter est in doctore et aliter in discipulis, nam in doctore est clara et sine ignorantia, in scolaribus cum ignorantia aliqua et obscuritate, sic in Christo et in nobis est de fide.

100 Maria autem tamquam uera Christi discipula de primo statu accepit obedientiam, non inobedientiam sicut eua, sed mox dixit angelo: *ecce ancilla domini*, etcetera.

De secundo statu accepit et elegit penitentiam non quod in ipsa possit dici penitentia, sed pena, cum peccatum non fecerit.

105 Sed quis dicit: cum penitentia sit uirtus et in uirgine omnes fuerunt uirtutes, quomodo ei defuerit ista uirtus? Dicendum quod uirgo Maria habuit penitentiam quo ad habitum, non autem quo ad actum.

110 Si dicis contra: uirtutis omnis laus in actione consistit. Dicendum quod hoc est uerum quando actus illius non est cum aliqua difformitate. Exemplum: Adam per habitum scientie omnia cognouit, scilicet: frigus et calorem, etcetera, sed experimentum actuale istorum non habuit nisi post peccatum. Et sic melior erat illa habitualis notitia quam actualis, quia ista presupposuit peccatum. Sic etiam aliquis iuuenis acutus sciet habitualiter quid est actio et quid passio, etcetera, sed si furatur et a iudice flagellatur, tunc sciet illud idem per actum  
115 experimentalem. Et dico quod ista notitia non est perfectior alia, quia ista presupponit peccatum furti, etcetera. Sic in uirgine erat habitus penitentiae, que si pro passibili fecisset aliquid de quo penitentia esset habenda, iam in ea erat habitus ille penitentiae, sed actus ille penitendi presupponebat peccatum quod in ea non poterat esse, quia in gratia confirmata erat.

82: Phil. 2, 8. | 83-84: cf. Is. 53, 9; cf. I Pt. 2, 22. | 87-90: Is. 53, 4-6. | 101: cf. Lc. 1, 38.

80: Petr. Lom., *Sent.*, III, 16, 2. PL 192, 790B. | 89: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 4), Is. 53, 6, f. 90r. | 91: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 7, a. 4, p. 65. | 96: cf. Th. Aq., *Sup. Hbr.*, XII, 1, p. 642.

88: Scelera] M celera.

De tertio statu uirgo Maria elegit fidem, a qua est gratia, unde Augustinus, libro De Virginitate: «beatior fuit Maria concipiendo Christum fide», etcetera. Et sicut ex ea fuit  
 120 continuatio fidei in ecclesia pro nobis, sic et gratie, nam in tempore passionis in sola illa remansit fides et in ea fundata ecclesia ab Abel iusto, unde Psalmi octogesimo sexto: *fundamenta eius in montibus sanctis eius*, etcetera, *gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*. Figura huius quando nauicula Noe, que ecclesiam figurabat, per diluuium fluctuabatur solum, in montibus Armenie fundata fuit, sic fluctuando ecclesia tempore passionis in monte, scilicet:  
 125 Maria, et sic cognata sua Elisabeth dixit: *beata que credidisti*, etcetera, *quoniam perficientur que dicta sunt tibi*, Luce primo.

Igitur ex fide hoc erat, que erant illa que restabant implenda? Dico quod dispensatio gratiarum in mundo, unde iam dixerat ei angelus: *auē gratia plena*, et iterum dixit: *spiritus sanctus superueniet in te et uirtus altissimi*, etcetera, Luce primo.

130 Igitur quando in aliquo pleno ponitur corpus aliquod maxime, si illud corpus etiam affert plenitudinem, clarum est quod undique ille humor et liquor diffunditur. Sic uirgo Maria, cum esset iam personaliter plena et uenit ad eam uerbum incarnando se in eius utero et illud portabat maiorem plenitudinem, ex illo habuit gratiam omnes gratias dispensandi. Et sic de uirgine possumus concludere quod in quocumque statu mundi *optimam partem*  
 135 *elegit*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Maria optimam partem elegit*, ubi supra.

Duo sunt uidenda in presenti sermone. Primum quod uirgo Maria *elegit optimam partem* glorie quo ad animam. Secundum quod ipsa *elegit optimam partem* glorie quo ad corpus.

Conclusio pro prima parte est quod Maria habuit excellentissimam gloriam inter puras  
 140 creaturas. Et hec conclusio probatur unica ratione que talis est: quanto aliquod subiectum uel receptiuum magis disponitur ad receptionem alicuius forme, tanto perfectius et magis illam recipit. Sed Maria uirgo fuit magis disposita ad gratiam, que est dispositio ipsius glorie, igitur maiorem gloriam recepit quam aliqua pura creatura. Maior huius rationis est Philosophi dicens quod «actus actiuorum sunt in patienti disposito», sed etiam probatur  
 145 exemplo: ad introductionem ignis in stupam requiritur dispositio, scilicet: propinqua et remota. Dispositio propinqua est caliditas, sed remota est siccitas. Et sic si stupa est humefacta, non recipit formam ignis, nisi prius desiquetur et stupa sicca recipit, sed magis sicca magis recipit. Si ulterius stupa calefiat et mediante caliditate disponatur, melius formam ignis recipit, qui est calidus et siccus, sed caliditas est dispositio magis propria igni  
 150 quam siccitas, quia ei competit in summo, alia conuenit terre. Quanto magis stupa tostatur mediante calore magis ad ignem disponitur, quia est dispositio propinqua, et sic in ultimo tostationis inducitur forma ignis in stupam. Sic est de dispositione ad gloriam, nam dispositio gratie est charitas et dispositio propinqua glorie est gratia et sic qui plus habet gratie plus habebit glorie. Et sic dicit Sanctus Doctor quod: «lumen glorie non est aliud quam gratia consummata». Si igitur uirgo Maria magis fuit disposita mediante charitate que  
 155 est dispositio remota et mediante gratia, que est dispositio propinqua, sequitur quod magis obtinuit glorie quam angeli, nec homines qui fuerunt nec erunt usque ad finem mundi, quod est ex dictis manifestum quo ad maiorem rationis. Minor restat probanda, scilicet:

122: Ps. 86, 3. | 125-126: Lc. 1, 45. | 128: cf. Lc. 1, 28. | 128-129: cf. Lc. 1, 35. | 134-138: cf. Lc. 10, 42.

119: Aug. Hipp., *De San. Virg.*, III. PL 40, 398A. | 144: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, II, 55, (414a11-12), p. 179; cf. Th. Aq., *Qu. De Ver.* (vol. 3), q. 25, a. 5, p. 738. | 154-155: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 13, q. 1, a. 1, p. 664.

145: Stupam] X stuppam.



160 quod uirgo Maria fuit magis disposita per gratiam quam aliqua pura creatura et ostenditur tripliciter. Primo, in uentre matris sue, scilicet: Anne, per sanctificationem. Secundo, in uita per liberum arbitrium. Tertio, in conceptione filii a tota trinitate.

165 Prima probatur: est ostenditur maior sanctificatio dupliciter, scilicet: ratione agentis et ratione finis. Ratione agentis, id est, Dei, quia illa fuit simpliciter a Deo et miraculosa magis quam aliqua alia, sed res miraculose facte sunt perfectiores, ut patet de pane multiplicato a  
170 Christo in conuiuio. Fuit autem melioris saporis quam aliquis alius panis. Item de uino in nuptiis similiter. Ratio huius est, quia dum aliquae cause secunde concurrunt ex imperfectione earum, recipit aliquam imperfectionem effectus, scilicet: uinum, ad quod concurrunt terra, uitis, aqua, etcetera, est imperfectius illo ad quod sola causa prima  
175 concurret. Exemplum: uas factum immediate per manus magistri est perfectius eo in quo aliquid cooperatur aliquis discipulus, sed cum ad hoc uas solum Deus omnipotens concurrat sequitur intentum, unde Ecclesiastici quadragesimo tertio: *uas admirabile opus excelsi*. Sed illa sanctificatio in matris utero fuit simpliciter miraculosa, quia non a libero arbitrio, cum illud non haberet, nam habere usum liberi arbitrii in uentre matris fuit proprium Christo, ut dicit sanctus Thomas tertia, questione uicesima septima, tertio  
175 capitulo, etcetera, sed in alia sanctificatione, scilicet: quando Christum concepit, iam cooperabatur liberum arbitrium in ea.

Si dicis: eitam hoc est in aliis sanctificatis in utero. Dicendum quod hec fuit maior sanctificatio quam illa Iohannis, Hieremie, etcetera. Vnde ista firmavit uirginem et fecit immobilem non solum quo ad peccatum mortale, sed etiam ad ueniale. Exemplum: si  
180 clauus firmaret tabulam alteri tabule, ita quod ab ea non separaretur tantum esset alicuius uirtutis, sed maioris uirtutis esset clauus qui non solum faceret quod ab ea non separaretur, sed etiam quod circa eam non moueretur. Et sic fuit in proposito, nam sanctificatio Iohannis fuit ut a Deo non separaretur, quod est peccatum mortale, sed non fecit quod non moueretur et esset immobilis omnino, nam per peccatum ueniale creatura mouetur, quod  
185 de uirgine Maria non est dicendum, quia nec mortaliter nec uenialiter peccauit, unde Bernardus in epistola ad canonicos Lugdunenses dicit: «ego puto quod copiosior sanctificationis benedictio quam in aliis sanctis ab utero sanctificatis in eam descenderit, que non solum ipsius ortum sanctificaret, sed et uitam eius ab omni peccato deinceps immunem conseruaret, quod alteri nemini quidem innatis mulierum creditur esse donatum, decuit nimirum reginam uirginem, ut singulari priuilegio uitam absque omni peccato  
190 duceret», etcetera. Et sic ratione agentis, scilicet: Dei sanctificatis, maxime fuit disposita ad gratiam.

Secundo, hoc patet ratione finis, ad quem ordinabatur, que erat singularis maternitas, et hoc tripliciter, scilicet: ut ad hoc esset mater Dei; secundo, ad hoc ut esset mater gratie  
195 impetrando omnes gratias; tertio, ut esset mater misericordie dispensando omnes gratias mundo. Et propter quodlibet istorum sunt maxime disposita quo ad plenitudinem gratiarum.

Primo, ut esset mater Dei, quod fuit maximum quod habere potuit. Ratio est ista: quanto finis ad quem aliquis ordinatur est altior et excellentior, tanto altiora sunt que in  
200 illum ordinantur ab agente uolente omnipotente et clare illum finem cognoscente. Sed esse matrem Dei erat excellentior et altior cunctis finibus sanctificatis, nam si Hieremias sanctificatur, erat ut de istis prophetaret. Si Samson, ut istum figuraret. Si Iohannes Baptista, ut esset precursor, sed esse matrem Dei est altior cunctis, igitur, etcetera. Si autem

---

171-172: Sir. 43, 2.

174: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 27, a. 3, p. 208. | 186-191: Bern. Cl., *Ep.*, CLXXIV, 5. PL 182, 334CD.

205 non preparantur secundum proportionem finis, hoc erit propter unum trium, scilicet: aut  
 quia agens non potest aut non uult aut excellentiam finis non intelligit, sed nullo modo  
 istorum potest esse. Exemplum: si solium regis uel imperatoris fabricatur, opus quod  
 disponatur auro et lapidibus pretiosis plusquam si esset per milite, nisi artifex non posset.  
 Sed Deus hanc uirginem in solium suum disponens est omnipotens, igitur non potest esse  
 210 quod nolit, quia ex quo uoluit nasci de muliere, uoluit illam esse ita purissimam supra  
 omnes mulieres quod fuit per gratiam. Nec est dicendum quod dignitatem suam non  
 cognoscat, quod esset de aliquo artifice qui nesciret quod illud thalamum uel solium esset  
 ordinatum ad regem uel Cesarem, sed hoc clare cognoscebatur a Deo artifice, igitur,  
 etcetera, unde Psalmi octogesimo sexto dicitur: *homo natus in ea et ipse fundauit eam altissimus*.  
 Item Ecclesiastici uicesimo quarto: *qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*. Quasi dicat: ad  
 215 hoc creauit me, ut in meo tabernaculo requiesceret.

Secunda preparatio fuit ad hoc ut esset mater gratie, scilicet: ad impetrandum omnes  
 gratias. Vnde sicut ei data fuit capacitas ad continendum illum, quem celi et terra capere  
 non poterant, sic ad continendum omnes gratias, quia ille erat dominus omnium gratiarum,  
 nam cuilibet potentie actiue correspondet sua potentia passiuua, quia aliter frustra esset.  
 220 Igitur si ille erat daturus omnem gratiam, de necessitate erat dandum aliquod medium,  
 mediante quo hoc fieret, sed capacitas recipiendi est charitas maxima, quam uirgo habuit, ut  
 ait ecclesia: «ista est speciosa inter filias Hierusalem, uidistis eam plenam charitate et  
 dilectione», etcetera. Igitur si fuit plena charitate, etiam fuit plena gratia, quia secundum  
 proportionem charitatis datur gratia, unde Apostolus ad Ephesios quarto: *unicuique nostrum*  
 225 *data est gratia secundum mensuram*, id est, «secundum charitatem», ut dicit glosa. Et sic ad  
 impetrandum omnes gratias non posset esse nisi plena charitate. Exemplum: sicut qui uellet  
 lucernam accendere in pleno et maximo igne, non posset nisi esset plenus igne, ut artifex  
 qui continue prope igne stat uel consueuit stare, uel animal quod dicitur “salamandra”,  
 quod continue in igne habitat, sic si quis a Deo, qui est ignis urens, uult calorem gratie  
 230 impetrare, oportet quod fuerit incensa igne charitatis, sicut uirgo Maria, ut diximus,  
 etcetera.

Tertia preparatio fuit ad hoc ut esset mater misericordie ad dispensandum omnes gratias  
 mundo. Igitur qui debet dare omnes gratias oportet quod sit plenus omni gratia, quia alias  
 illam non daret, que ei deficeret. Exemplum: si ex fonte aque debet hortus rigari mediante  
 235 aliqua pila, antequam illa fuerit plena, non potest dare aquam horto. Et sicut aqueductus  
 non dat aquam donec illa aqua fuerit ebriatus, sic uirgo Maria, que dicitur “concha” et  
 dicitur “aqueductus”. Figura Iudicum sexto, angelus nuntiat Gedeoni quod debet populum  
 redimere, ille petiit in signum quod ros de celo ueniat in uellus et sic fuit illa nocte et  
 consurgens expresso uellere concham rore impleuit. Iterum quesiuuit signum, ut solum  
 240 uellus siccum sit et omnis terra rore madens, fecit sic dominus nocte illa. Spiritualiter  
 Gedeon interpretatur «circumiens in utero», ut dicit Hieronymus. Hic fuit filius Dei, ut dicit  
 Nicholaus de Lyra in suis Moralibus, quia iste in utero fuit perfectus gratia, scientia et libero  
 arbitrio, unde Hieremie tricesimo primo: *nouum creauit dominus super terram, femina circumdabit*  
 245 *uirum*, scilicet: perfectum omnino, uellus quod de oue sumitur sine carnis corruptione, est  
 humanitas Christi plena rore gratie, ex cuius plenitudine plena fuit concha uirginis, et  
 deinde plena area et terra tota, ante plenitudinem conche non poterat repleri terra. Item  
 dicitur uirgo Maria “aqueductus gratiarum”, ut inquit Bernardus in sermone de natiuitate

213: Ps. 86, 5. | 214: Sir. 24, 12. | 224-225: Eph. 4, 7. | 237: cf. Idc. 6, 22. | 243-244: Ier. 31, 22.

222-223: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Resp. sive Anti. de Ass. San. Mar. PL 78, 798B. | 225: cf. Hier., *Comm. In Ep. Ad Eph.*, II, 4, 13. PL 26, 501C. | 241: cf. Pseu. Hier., *Fr. Grae.*, I. PL 23, 1148B. | 242: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 2), Idc. 6, 22, f. 39r.

237: Nuntiat] X nuntiauit. | 243: Circumdabit] M, X circumdauit.

250 Marie dicens: «descendit per aqueductum uena illa celestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratie arescentibus cordibus nostris infundens; sed aqueductus plenitudinem fontis de corde patris excipiens nobis edidit illum, etcetera, cui angelus dicit: *ave gratia plena*». Hec Bernardus.

255 Secunda principalis preparatio est a libero arbitrio illa plenitudine gratie informato, et licet fuerit personalis, fuit tamen omni sancto maior, unde mediante illa gratia omnes uirtutes in se congregauit. Sicut mercator mediante mille aureis efficitur diues, sic uirgo Maria mediante illa plenitudine gratie, que fuit in prima sanctificatione, facta fuit plena uirtutum et ditata, unde Prouerbiorum ultimo: *multe filie congregauerunt diuitias. Tu autem supergressa es uniuersas*. Sed cum gratia sit culmen uirtutum, quanto plures fuerint gratie, tanto maius est culmen uirtutum, sicut patet in tritico et in ceteris collectis. Cum uirgo fuerit plena uirtutum, sequitur quod fuerit plena gratiarum.

260 Tertia principalis preparatio fuit in tempore conceptionis filii sui et hec facta fuit a tota trinitate, quia pater dedit ei potentiam concipiendi sine semine uiri, filius Dei dedit ei sapientiam spiritus sanctus gratiarum plenitudinem. Sicut fit licet uas prepararetur in sui noua productione secundum quod ad finem ordinatur, tamen quando liquor in ipso est ponendus, iterum diligentius preparatur, sic in conceptione sua uirgo Maria fuit multum preparata, tamen in Christi conceptione etiam diligentius, maxime quando pars uasis est miscenda cum liquore, sicut in proposito, quia pars substantie uirginis erat iungenda uerbo diuino non per confusionem substantiarum, sed remanente utraque natura in sui uirtute. Ideo propter hoc debuit purificari quantum in se esset purificabilis, unde Ecclesiastici quinquagesimo: *quasi uas auri solidum*, etcetera, *circumornatum omni lapide pretioso*, etcetera.

265 Similiter Anselmus De Conceptu Virginali dicit: «deciuit ut uirgo illa ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi». Vnde si aliqua mulier esset purior ista et magis preparata quo ad gratiam, illa esset mater Dei. Formetur igitur ratio sic: illa que habuit maiorem gratiam hic, habuit maiorem gloriam in celo quo ad animam, igitur *Maria optimam partem elegit*.

275 Secunda pars, scilicet: quo ad corpus, per hanc rationem probatur: ille qui maiorem gloriam habebit in anima, maiorem etiam habebit in corpore, quia gloria corporis est a gloria anime secundum Augustinum in epistola ad Dioscorum, sed secundum probata, uirgo Maria maiorem gloriam habuit in anima, igitur, etcetera. Ex quo sequitur correlarium quod sine aduocatione alicuius sancti peccatores uiuere non possunt, unde Iob quinto: *uoca si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum conuertere*. Due igitur sunt partes aduocatorum in curia regis, scilicet: curia que est omnes sancti aut regina que est domina sanctorum, licet igitur sit bonum aliquem sanctum uel sanctam habere patronos, sed qui posset habere reginam, stultus esset querere aliquem militem uel uirginem curie, tum quia regina non potest habere repulsam, tum quia illi non possunt ad uniuersalitem causarum sicut ista que est plena gratiarum, tum quia si illi petunt obtinere non possunt sine ista, nam gratie ab omnibus per istam impetrantur et per manus huius haberi debent omnes. Vnde Casiodorus in epistola loquens de uirgine Maria dicit: «quis tuo non egeat munere cum sit peccare commune?».

280

285

290 Igitur qui hanc reginam elegit in aduocatam, *optimam partem elegit*, quia illa mediante, habet hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

251: cf. Lc. 1, 28. | 256-257: Prv. 31, 29. | 269: Sir. 50, 10. | 273-274: cf. Lc. 10, 42. | 279-280: Iob. 5, 1. | 289: cf. Lc. 10, 42.

248-251: Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, III-IV. PL 183, 440A. | 270-271: Ans., *De Conc. Virg.*, XVIII. PL 158, 451A. | 277: cf. Aug. Hipp., *Ep.*, CXVIII, 3, 14. PL 33, 439A. | 287-288: Cas., *Var.*, XI, 40. PL 69, 851B.

## SERMO CENTESIMVS ET SECVNDVS IN DIE EADEM ASSVMPTIONIS VIRGINIS MARIE

<THEMA> *Quasi palma exaltata sum*, Ecclesiastici uicesimo quarto.

Originaliter recitatiue autem in lectione presentis solemnitatis thema scribitur presens.

5 Tot et tante sunt excellentie et uirtutes uirginis Marie quod non solum sanctis, sed etiam  
 lapidibus pretiosis et arboribus excellentioribus in scriptura comparetur. Ratio est quia ea  
 mediante omnia que in mundo sunt sumpserunt perfectionem, unde de uirgine Maria dicit  
 Bernardus: «merito ad te respiciunt oculi totius creature, quia in te, per te et de te, benigna  
 manus omnipotentis quidquid creauerat recreauit». Et sic Ecclesiastici in persona sua inter  
 10 multas arbores singulariter illam comparat palme, unde Canticorum septimo: *quam pulchra  
 es, et quasi decora charissima statura sua assimilate est palme*. Quod autem uirgo Maria sit similis  
 palme patet tripliciter. Primo, ratione arboris; secundo, ratione foliorum; tertio, ratione  
 fructus.

Primo, ratione arboris patet tripliciter, scilicet: ratione stature illius; secundo, ratione  
 proprietatis; tertio, ratione significationis illius.

15 Primo, ratione stature illius, nam palma multum in altitudine crescit, quia solum uincitur  
 a cedro, qui multum in altum protenditur. Et sic dicitur “rex arborum”, ut dicit Rabanus  
 super psalterium, et palma dicitur “regina”. Et licet in patribus nostris non sic in altum  
 crescat, quia non est hic locus illi naturalis, sed in partibus Africanis, maxime post montem  
 20 Atlanticum, et sic in illis partibus multum crescit. Causa est ipsius caliditas et iuuatur a  
 qualitate loci. Sic uirgo Maria ascendit in altum ratione caloris sue qualitatis, nam solum a  
 cedro, id est, a filio suo, superata fuit, quia cedrus, secundum Rabanum in libro decimo  
 nono De Vniuerso, capitulo sexto, significat “Christum”. Igitur sola anima pretiosa Christi  
 habuit maiorem ardorem charitatis quam uirgo Maria, non solum nunc in celo, sed etiam in  
 uia habuit maiorem charitatem quam sancti et angeli.

25 Si dicis contra: nam illi secundum illam charitatem habuerunt actum fruitionis  
 beatificum et clare essentiam diuinam uidebant, non tamen sic uirgo Maria. Dicendum  
 quod charitas potest dupliciter considerari: uno modo quo ad essentiam; alio modo quo ad  
 actum. Dico quod charitas uirginis fuit maior quo ad essentiam; charitas autem sanctorum  
 et beatorum maior quo ad actum. Exemplum: in fornace carbonum est maior calor quo ad  
 30 essentiam quam in candela, sed quo ad actum illuminandi est econuerso. Hoc probatur  
 ratione proprii effectus, nam proprius effectus charitatis est mereri et proprius effectus  
 caliditatis calefacere. Et quam sit maior caliditas in carbonibus ignitis quam in candela patet,  
 nam si quis dormiat in camera clausus, desicatur cerebrum et perdit omnes sensus, sed hoc  
 non fiet per sex candelas incensas, igitur, etcetera. Sic de charitate uirginis Marie et aliorum  
 35 sanctorum, nam charitas uirginis fuit maioris meriti quam omnium sanctorum et  
 angelorum, etiam hic in prima anima plus meruit in illo actu quando dixit: *ecce ancilla domini*,  
 etcetera, quam in omnibus actibus illorum et totius mundi, igitur, etcetera. Patet igitur quod  
 solum a Libani cedro, scilicet: a Christo, superata fuit, unde Psalmi nonagesimo primo:  
 40 *iustus ut palma florebit in domo domini*, scilicet: ut uirgo Maria in uirtutibus, etcetera. Et sicut  
 cedrus Libani multiplicatur, scilicet: in altum ad celum, etiam palma quantum ascendit tantum  
 descendit infra terram, quia uirgo Maria quantum in dignitate ascendebat, tantum  
 descendebat per humilitatem que fundamentum est charitatis. Vnde quando angelus illi

2: Sir. 24, 18. | 9-10: Ct. 7, 6-7. | 36: cf. Lc. 1, 38. | 39: Ps. 91, 13.

7-8: cf. MF. Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328B. | 16: Rabanus] NI. | 21-22: Hrab. Mau., *De Vni.*, XIX, 6. PL 111, 517D.

dixit: *ave gratia plena*, etcetera, ipsa dicit: *ecce ancilla domini*, etcetera. Patet igitur quod palma significat uirginem quo ad staturam.

45 Secundo, patet quo ad proprietatem illius, nam est arbor siccissima nullum in se habens humorem, et est arbor que alteri non miscetur, nec alia illi per insertionem. Hoc notat uirginis castitatem et uirginitatem, unde Maria nullum habuit humorem concupiscentie, nec habuit mixtura cum aliquo alio, nam ut dicit Bernardus: «uirgo erat non solum corpore, sed etiam mente» nec alter illi. Nam radii exhibant a facie sua, qui mitigabant concupiscentiam cuiuscumque mali. De isto dicit ipsa Ecclesiastici uicesimo quarto: *quasi balsamum non*  
50 *mixtum odor meus*. Ideo in scriptura odor significat uirginitatem, nam sicut luxuria mulierum fetet inter peccata, sic uirginitas est odorifera, unde Canticorum primo: *adulescentule dilexerunt te, trabe me post te curremus in odore unguentorum tuorum*, etcetera.

55 Tertio, patet quo ad significationem, nam palma significat “uictoriam”, ut dicit Plinius, quia imperatoribus et regibus (dum triumphant de aliqua prouincia) ponebatur ramus palme in manibus. Et ideo dicit Isidorus, quod uocatur palma eo quod ponebatur in palma uincens, et corona ponebatur in capite illius. Sic hec uirgo fuit prima que uicit mundum paupertate, carnem uirginitate, et superbium demonem humilitate.

60 Si forte dicas: numquid Christus uicit primo demone qui dicit: *nunc princeps mundi huius eiciet foras*? Dicendum quod Christus uicit demonem et spoliavit quo ad redemptionem totius mundi, sed uirgo uicit illum personaliter in uirtute filii. Et etiam filius uicit demonem recipiendo ictus in illo quod de ipsa assumpsit, scilicet: in corpore. Et sic corona illius notabat filium, ideo fiebat ex palma quo ad corpus.

65 Secundo, patet hoc quo ad folia que in sacra scriptura notant uerba in quibus tria notantur.

Primo, folia palme sunt semper uirentia et permanentia et non caduca, sic uerba uirginis Marie uirentia, id est, uirtuosa, non caduca sed permanentia. Nam nunquam uerbum otiosum dixit, sicut nec filius suus, de quo in Psalmo primo habetur: *et folium eius non defluet et omnia quecumque faciet prosperabuntur*.

70 Secundo, habet folia rara in comparatione aliarum arborum, quod notat sapientia eius, nam ut dixit Augustinus: «in multiloquio nunquam deest peccatum». Et sic in tota ferie euangelii non recitantur nisi septem uerba eius, duo ipsi angelo, scilicet: *quomodo fiet*, et: *ecce ancilla domini*; duo Elisabeth, scilicet: salutatio, que fuit uerbalis, licet non scribatur, nam ipsa dicit: *ut uox Marie ad aures*, etcetera, *exultauit infans in utero meo*, etcetera; aliud cum dixit illi:  
75 *magnificat anima mea dominum*, etcetera; duo filio, scilicet: in amissione templi dicendo: *fili, quid fecisti nobis sic?* Et in nuptiis: *uinum non habent*, etcetera, et semel ministris dicendo: *quodcumque dixerit uobis, facite*. Non quod uirgo non fuerit locuta pluries, sed euangeliste solum septem uerba posuerant ut notarent quod uerba uirginis Marie fuerunt perfecta, nam «in numero septenario stat perfectio», etcetera.

80 Tertio, folia palme pungunt cum aculeo, et sunt duplicia et ex una parte scindentia, quia omnia uerba sua pungebant dando documentum omnibus et unum dicebant et aliud notabant ut uerba prophetarum, et quodlibet uerbum scindebat aliquod uitium. Vnde

43: cf. Lc. 1, 28. | cf. Lc. 1, 38. | 50-51: Sir. 24, 21. | 52-53: Ct. 1, 2-3. | 59-60: cf. Io. 12, 31. | 68-69: Ps. 1, 3. | 72-73: cf. Lc. 1, 34-38. | 74-75: Lc. 1, 44-46. | 75-76: Lc. 2, 48. | 76-77: Io. 2, 3-5.

48-49: Bernardus] *Auctor err.* cf. Ambr., *De Virg.*, II, 2, 7. PL 16, 209A. | 54: cf. Plin., *Nat. Hist.* (vol. 3), XVII, 25, 38, 244, p. 134. | 56: cf. Isid., *Etym.*, XVII, 7, 1. PL 82, 609A. | 71: Aug. Hipp., *De Scr. Sac. Sp.*, De Prv., X. PL 34, 915D. | 79: cf. Gre. Mag., *Hom.*, V, 15. PL 76, 994B.

dicendo: *quomodo fiet*, scindit leuitatem Eue, et dicendo: *ecce ancilla*, scindit duritiem Zaccharie, nam illa citius credidit, iste multum tardauit. Vnde Eusebius dicit quod «Maria equaliter fugit et Eue leuitatem et Zaccharie inobedientiam».

Tertio, patet quo ad fructum, et primo quo ad conceptionem, nam ut dicit Philosophus De Vegetalibus et Plantis, et recitatur ab Ambrosius in Hexameron, libro tertio, in palma est masculus et femina, et femina non concipit nisi apponatur circa illam arbor masculina, et tunc concipit fructus non ex coniunctione illius, sed ex spiritu transeunte. Sic uirgo Maria non concepit sine societate sponsi, sed non de sponso, sed de spiritu sancto, unde ecclesia: «non ex uirili semine, sed mystico spiramine», etcetera.

Secundo, patet quo ad productionem fructus, nam in fructu ipsius palme sunt tria, scilicet: nucleum solidum in medio, in quo nulla uacuitas est nec semen. Hoc notabat diuinitatem, nam secundum illam nec factus fuit nec creatus, etcetera. Et sic in illa nulla uacuitas fuit que in creatura reperitur, unde Apostolus dicit: *creatura uanitati subiecta est*, etcetera, ad Romanos octauo. Et sic quelibet creatura de se est uana, nisi repleatur gratia Dei, quia sicut est ex nihilo, sic etiam semper tendit in nihilum.

Secundo, in fructu illo est cortex rubea notans carnem suam, de quo Isaie sexagesimo tertio: *quare rubrum est indumentum tuum*, etcetera?

Tertio, in medio est quedam substantia habens in se omnem saporem et dulcedinem; habet enim saporem zucari, mellis, sicut passe, etcetera. Hoc notat eius animam habentem in se omnem gratiam. De his tribus loquitur Augustinus et etiam Bernardus dicens quod in fructu dulcissimo uirginis Marie fuerunt tria, scilicet: «eternum, nouum et antiquum»; eternum diuinitas, antiquum caro ex Adam per corpulentam substantiam, nouum anima pretiosa plena gratiarum, unde Iohannis primo: *uidimus eum quasi unigenitum a patre plenum gratia et ueritate; de cuius plenitudine nos omnes accepimus gratiam*, etcetera. Igitur, si fructus gratiarum est in palma, opus ad illam recurrere, unde Salomon, Canticorum septimo dicit: *ascendam in palmam et apprehendam fructum eius*.

Igitur, si hunc fructum gratie habere uolumus, ad hanc in qua est recurramus, que dicit: *quasi palma exaltata sum*. In principio igitur sermonis presentemus illi angelicam salutationem dicendo: aue, etcetera.

<THEMA> *Quasi palma exaltata sum*, ubi supra.

Due erunt partes huius sermonis. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda materie prosecutiua. Sed pro introductione prime partis ponitur una conclusio, talis quod non fuit conueniens quod sola anima uirginis esset in celum assumpta sine corpore, que probatur tripliciter. Primo, ex parte eius pretiosi filii; secundo, ex parte nostra; tertia, ex parte sua.

Primo, ex parte Christi, probatur tripliciter: primo ex parte legis Christi, Exodi uicesimo habetur: *honora patrem et matrem*, etcetera. Hoc preceptum, cum esset legis nature, obligabat omnem hominem, sed Christus non obligabat omnem hominem, sed Christus non obligabatur de necessitate ad illud. Patet primo quia non erat homo purus, sed Deus et

83: cf. Lc. 1, 34-38. | 95: Rm. 8, 20. | 99: Is. 63, 2. | 105-106: Io. 1, 14-16. | 108: Ct. 7, 8. | 110-112: Sir. 24, 18. | 119: Ex. 20, 12.

84-85: Eusebius] NI. cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Lc., I, c. 9, p. 14. | 86-87: cf. Alb. Mag., *De Veg.*, I, 2, 10, p. 92; cf. Ambr., *Hex.*, III, 13, 55. PL 14, 179C. | 91: cf. Ambr., *Hymn.*, IV. PL 16, 1410D. | 103: cf. MF. Bern. Cl., *De Cons.*, V, 10, 23. PL 182, 801C.

homo. Item quia ipse fuit legislator et princeps uiuorum et mortuorum, ideo non obligabatur legi, ut patet Digestum, De Legibus, linea “Princeps”; et nona questione, tertio capitulo “Cuncta”. Sed licet ex necessitate non obligaretur, sed uoluntarie uoluit se obligare, et etiam faciunt alii legislatores, ut habetur capitulo De Legibus “Digna Vox”, etcetera; 125 capitulo “De Testamentis”: «ex imperfecto», etcetera. Sic Christus: *uenit non legem soluere, sed adimplere*, ut ipse dixit, Matthei quinto. Igitur, honorificauit patrem, unde dicit: *ego honorifico patrem*, Iohannis octauo. Et sic non soluit legem, sed adimpleuit multipliciter.

Primo, seruando in se ut alios liberaret a seruitute, unde Apostolus dicit: *factus sub lege ut eos qui sub lege erant redimeret*, ad Galatas quarto. Exemplum: si aliqui portaret lignum in collo uel in humeris, et non possent illud portare propter eius ponderositatem, ut ueniret gigas et assumeret lignum in se, illi iam non portarent, propter excellentiam gigantis. Sic in proposito pondus legis fuit grauitas illius. Vnde Actuum decimo quinto capitulo dicit Petrus de lege ueteri: *uiri fratres uos scitis*, etcetera. *Nunc ergo quid temptatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus*, etcetera. 130 135

Secundo, impleuit legem dando illi consilia perfectissima, nam perfectio implet imperfectum, unde Matthei decimo nono dicit Christus seruanti legem: *unum tibi deest si uis perfectus esse, uade et uende omnia*, etcetera.

Tertio, impleuit legem dando illi quod deficiebat, quia illa figurabant. Et adueniente ueritate cessare debebant sicut datio implet promissionem. Exemplum amigdali quando est in tenera dispositione, fructus ille intus est uacuum, sed qui dat granum illi dicitur implere. Sic in proposito omnia erant *egena et uacua* (ut dicit Apostolus) in ueteri lege, sed adueniente fructu perfecto, scilicet: Christo, impleta fuerunt, etcetera. Vnde Augustinus contra Faustum dicit quod: «lex uetus promittebat Christus faciebat, iam non promittit nasciturus, 140 passurus, resurrecturus, que illa sacramenta personabant, sed quod natus sit, passus sit et resurrexit». Sic igitur, Christus legem impleuit dando honorem patri, sic debuit dando honorem matri. Sed si corpus suum de quo carnem assumpsit in terra putresceret cum ab illa putredine posset illud preseruare, si non faceret non illam honoraret, sed contra obligationem faceret, etcetera. 145

Secundo, patet ratione amoris excellentis inter Christum et uirginem, qui fuit maior quam aliorum. Sed cum amor sit uirtus unitiua amantium, maior unio fuit inter Christum et uirginem. Sed cum unio aliorum fuerit quo ad animam, solum ante diem iudicii ista debuit esse etiam quo ad corpus immediate, quia maior causa accelerat effectum. Sequitur igitur quod illud corpus uirginis, in quo anima Christi pretiosa unita fuit, non fuit conueniens quod in terra remaneret anima ascendente in celum, cum non solum quo ad animam, sed etiam quo ad corpus fuerit pulchra. Vnde ait sponsus illi, Canticorum quarto: *tota pulchra es amica mea*, scilicet: quo ad animam et quo ad corpus. 150 155

Tertio, patet hoc quo ad priuilegium Christi, quod extenditur ad matrem, cum eodem priuilegio gaudeat rex et regina, imperator et imperatrix, ut dicit lex augusta. Sed priuilegium Christi fuit quod corpus suum non uideret corruptionem, ut dicit Psalmi decimo quinto: *non dabis sanctum tuum uidere corruptionem*, quod exponitur de Christo secundum Augustinum in sermone huius diei, nam uirgini dictum fuit ab angelo quod: *enim* 160

---

126-127: Mt. 5, 17. | 127-128: Io. 8, 49. | 129-130: Gal. 4, 4-5. | 134-135: Act. 15, 7-10. | 137-138: Mt. 19, 20-21. | 142: cf. Gal. 4, 9. | 156-157: Ct. 4, 7. | 161: Ps. 15, 10. | 162-163: Lc. 1, 35.

123: cf. Ius., *Dig.*, I, 3, 31, p. 34. | 124: cf. Gra., *Decr.*, II, 9, 3, 17. *PL* 187, 799B. | 125: cf. Ius., *Cod. Ius.*, I, 14, 4, p. 68. | 126: cf. Ius., *Cod. Ius.*, VI, 23, 21, 3, p. 255. | 144-146: Aug. Hipp., *Con. Fau. Man.*, XIX, 16. *PL* 42, 357B. | 162: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, III. *PL* 40, 1144BC.

165 *ex te nascetur, sanctum uocabitur filius Dei*, Luce primo. Et sic per excellentiam dicitur sanctu, quasi sanctus sanctorum, ut dicit Danihel capitulo nono: *et ungatur sanctus sanctorum*, scilicet: Christus. Igitur, si eodem priuilegio debet hec regina et imperatrix gaudere, sequitur quod non debuit corpus suum remanere in terra nec putrefactionem sentire aliquam.

Secundo, patet hoc ex parte totius mundi et hoc patet tripliciter.

170 Primo, ratione perfectionis illius, nam regnum celeste perfectius debet esse quam terrenum, sed perfectio regni terreni est in hoc quod habeat regem et reginam, et non solum regem solum, unde Genesis secundo, ex quo creatus fuit primus rex, scilicet: Adam. Dixit dominus: *non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*, et tunc formata est Eua. Sic igitur in regno celesti non debuit regina esse in mundo nec remanere hic.

175 Si dicis: iam erat anima. Dico quod hoc non sufficebat, nam regina terrena formata fuit in anima et corpore. Item debuit esse similis Christo regi. Igitur sicut ipse erat in anima et corpore, sic ipsa debuit esse.

180 Secundo, patet ratione perfectionis curie quo ad iudicium, nam aduocati debent esse circa iudicem. Igitur, sicut ipse erat in celo, sic ipsa, etcetera. Sed cum uirgo Maria fuerit excellentior cunctis aduocata, sequitur quod nihil illi debuit deficere quod fuerit excellentior cunctis, patet per Bernardum dicens: «data est tibi, o uirgo beata, potestas in celo et in terra, ut quodcumque uolueris ualeas impetrare. Tu es enim mater Dei et hominis, mater regis et exulis, mater rei et iudicis», etcetera. Sed si corpus non haberet in celo, deficeret illi motiuum ad impetrandum et regi persuadendum, nam aduocatus non solum uerbo persuadet, sed gesticulatione quadam, que sine corpore esse non potest. Exemplum falconis qui uenit ad manum non solum per uerba et uoces, sed mediante aliquo signo predam representante. Hoc autem dicit Bernardus dicens: «securum habes accessum, o peccator, ad Deum, ubi filius ante patrem et mater ante filium. Filius ostendit patri latus et uulnera, mater ostendit filio pectus et ubera, nulla igitur potest esse repulsa ubi tot sunt amoris insignia». Hec ille. Igitur si mater ostendit pectus et ubera, clarum est quod habet corpus unitum.

185  
190

Tertio, patet hoc ut intentio tota nostra feratur in celum, ubi est totus rex perfectus et regina tota perfecta. Si autem anima esset in celo et corpus in terra, intentio nostra esset diuisa et cum uirtus unita sit fortior, sequitur, etcetera.

Tertio, patet hoc ex parte sui tripliciter.

195 Primo, sicut anima uirginis habuit maiorem gratiam cunctis aliis animabus preter animam Christi, sic etiam habuit maiorem et perfectiorem gloriam post Christum. Sed perfectissima gloria non potest habere aliquid quod gloriam minueret, igitur sequitur quod anima Christi habuit corpus sibi unitum, quia alias retardaretur aliquo modo a gloria per inclinationem ad unionem corporis. Igitur, ut hoc non haberet et nihil ei deesset oportuit habere corpus sibi unitum.

200

---

164: Dn. 9, 24. | 171: Gn. 2, 18.

180-182: Bernardus] *NI.* cf. Petr. Dam., *Serm.*, XLIV. *PL* 144, 740B; cf. Pseu. Ans. Luc., *Med. Sup. Sal. Reg.*, VII. *PL* 149, 589A. | 186-189: Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Ern. Bon., *De Lau. B. M. V.*, 1. *PL* 189, 1726CD.



Secundo, patet hoc ratione promissionis Christi qui dixit: *qui mihi ministrat, me sequatur et ubi ego sum illic et minister meus erit*. Sed cum uirgo Maria fuerit perfectissima Christi ministra, sequitur quod fuerit illi coniuncta in celo.

205 Si dicis: satis est quo ad animam, ut ceteri ministri. Dicendum quod alii sancti ministri fuerunt quo ad animam, sed uirgo Maria ministravit illi non solum quo ad animam, sed quo ad corpus communicando illi carnem et sanguinem lac, etcetera. Sic dicit ipsa: *in habitatione sancta coram ipso ministravi*, etcetera, Ecclesiastici uicesimo quarto.

210 Tertio, patet quia si corpus remansisset in terra, caro uirginis esset in loco indecenti. Cum sit purior cunctis elementis, debuit esse supra omnia elementa, quia: «locus et locatum debent proportionari», quarto Physicorum, unde Augustinus in sermone hodierno dicit: «illud corpus de quo Christus carnem assumpsit dignius est celum seruare quam terram». Si corpora sanctorum que erant in loco indecenti sepulta, a Deo fuerunt sanctis reuelata, ut collocarentur in loco magis decenti, ut patet in translatione multorum sanctorum, etcetera. Igitur si corpus Mosi non inuenitur in terra, cum quo locutus fuit Deus, a fortiori illud in 215 quo incarnatus est Deus et unitum carni uerbum. Igitur uirgo non remansit quo ad corpus in terra, ideo dicit ipsa: *quasi palma exaltata sum*. Quo ad primam partem sermonis.

220 Secunda pars erit practica ipsius assumptionis uirginis Marie. Ideo est uidendum qualiter hec pretiosa palma fuit tripliciter exaltata. Primo, in morte, nam mors ipsius fuit pretiosissima inter alias, quia si: *pretiosa est in conspectu domini mors sanctorum*, pretiosissima erit mors regine omnium sanctorum.

Si dicis contra: quia ut dicit Aristoteles, tertio Ethicorum: «ultimum terribilium est mors». Dicendum quod uerum est de morte aliorum, nam est terribilis tripliciter. Primo, uisione demonum; secundo, incertitudine temporis et hore; tertio, sensu doloris. Quod nullum istorum fuit in morte eius, ista patet.

225 Primum sic: nullus demon uisus fuit, nam ibi erant apostoli, quibus data fuit potestas expellendi demones, unde dicitur Marci decimo sexto: *in nomine meo demonia eiicient*, etcetera. Et licet nullus apostolorum esset, demonia non auderent uenire in presentia uirginis, unde de ea habetur Canticorum sexto quod est: *terribilis ut castrorum acies ordinata*.

230 Secundum patet sic: nam uirgo Maria nullum habuit dolorem in morte, quia dolor quem debuit habere in partu et in morte fuit solutus in filii passione quando gladius doloris animam eius pertransiuit, ut dicit Albertus et Damascenus.

235 Tertium patet de certitudine hore et temporis, nam si Paulus fuit certus de beatitudine, a fortiori uirgo Maria. Si multi sancti habuerunt per reuelationem certitudinem temporis mortis, a fortiori uirgo Maria non solum per reuelationem hoc habuit, sed ex ore filii sui quando uoluit cum illo in celum ascendere et filius dicit illi quod non erat decens quod illa ascenderet secum, sed quod remaneret in mundo per annos duodecim, quia debebat duodecim apostolos instruere. Item quia erant instruendi de duodecim articulis fidei. Item quia Christus uoluit compensare illos duodecim annos sue pueritie, in quibus non instruxit

---

201-202: cf. Io. 12, 26. | 206-207: Sir. 24, 14. | 216: cf. Sir. 24, 18. | 219: cf. Ps. 115, 15. | 226: Mc. 16, 17. | 228: Ct. 6, 3.

209-210: cf. Arist. Lat., *Phys.*, IV, 4, 211a1, p. 145; cf. Th. Aq., *Con. Gent.* (vol. 15), lib. 4, c. 87, p. 276. | 211: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, VI. PL 40, 1146AB. | 221-222: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, III, 9, 15a25, p. 191. | 231: cf. Alb. Mag., *Mar.*, CXXXI, 2, p. 183a; cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, IV, 14. PG 94, 1162CD.

202: Virgo] M uirgo. | 217: Practica] M, X practica.

mundum. Sed cum esset annorum duodecim, stetit in templo in medio doctorum, et sic  
 240 uoluit quod mater per illos duodecim annos instrueret mundum. Et sic, dum esset  
 sexagenaria uirgo Maria, mittitur angelus ad eam, nam in anno decimo quarto nuntiatur ei  
 filius, anno decimo quinto peperit illum, uixit cum eo triginta tribus annis, qui sunt  
 quadraginta octo anni, et sic usque ad sexaginta remanent duodecim. Igitur anno  
 245 sexagesimo angelus dicit ei ex parte filii quod hora erat ut ueniret ad conuiuium celeste,  
 etcetera. Item angeli mittuntur ad apostolos ut uenirent ad eius obsequias, in quo datur  
 nobis exemplum ut habeamus societatem bona tempore mortis, si illa que non indigebat  
 habuit, etcetera.

Secundo, fuit mirabilis et pretiosa mors uirginis, nam illa dedit animam in manibus,  
 cetere ducuntur per angelos in celum.

250 Tertio, fuit mirabilis quo ad societatem apostolorum, ut dicunt Dionisius et Germanus  
 et Cosmas, etcetera. Item quo ad sepulchrum mirificum «in medio uallis Iosaphat», ut dicit  
 Hieronymus in sermone. Fuit enim maxime gloriosum post sepulchrum Christi et  
 conueniebat cum illo in tribus, quia utrumque fuit nouum et alienum et miro modo factum.  
 Fuit nouum propter eorum puritatem; fuit alienum, nam fuit Iohanne uxoris Cuze,  
 255 procuratoris uel thesaurarii Herodis. Nam sicut Christus mortuus fuit non pro peccato  
 proprio, sed pro alieno, sic uirgo Maria non pro peccato proprio originali quod nunquam  
 habuit. Sed mortua fuit ut mortalem carnem filio daret et pro nobis ipse mori posset, et sic  
 habuit murrā electam, id est, mortem ipse Christus. Virgo autem dicitur: *quasi murrā electa*,  
 Ecclesiastici uicesimo quarto.

260 Tertio, utrumque mirificum, sed erat in tribus differentia.

Primo, sepulchrum Christi fuit in petra uirginis in terra, quia Christus non solum fuit  
 homo, sed Deus et homo, quia figuratus per lapidem, unde Psalmi centesimo decimo  
 septimo: *lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli*, etcetera. Item  
 Apostolus, prima Corinthiis decimo: *lapis autem erat Christus*, etcetera. Sed uirgo Maria  
 265 figuratur per terram, unde Psalmi octogesimo quarto: *benedixisti, domine, terram tuam*,  
 etcetera. Item: *terra nostra dabit fructum suum*, Psalmo eodem.

Secundo, sepulchrum Christi fuit supra terram, quia in die resurrectionis mulieres a  
 longe uiderunt reuolutum lapidem, etcetera. Sed sepulchrum uirginis Marie infra terram, ut  
 dicit Hieronymus: «in medio uallis Iosaphat inter montem Oliueti et montem Sion». Ratio  
 270 est quia Christus triumphauit de morte, sed uirgo Maria mediante Christo hoc habuit.

Tertio, differunt quia sepulchrum Christi fuit ab aliis separatum, sed sepulchrum uirginis  
 inter alia collocatum. Ratio est nam Christus fuit separatus ab omnibus aliis, quia solus inter  
 mortuos liber, sed uirgo inter alios, ut mediatrix usque ad mortem et usque ad diem iudicii,  
 quod fiet in illo loco, ut aiunt doctores.

275 Tertio, fuit gloriosum quo ad miracula in illa facta, ut patet in legenda de ariditate  
 manuum sacerdotis et de cecitate populi et de nube cooperiente, etcetera. Et sic anima illa  
 beata fuit gloriose ducta in celum et uidit animas illic gloriosas, sed aliquas uidebat a  
 corporibus nudas, alias uidit cum corporibus, scilicet: illorum qui cum Christo surrexerunt.  
 Nam ascendente Iesu in celum illi cum illo ascenderunt in corporibus, ut dicunt multi

---

258: Sir. 24, 20. | 263: Ps. 117, 22. | 264: I Cor. 10, 4. | 265: Ps. 84, 2. | 266: cf. Ps. 84, 13.

251: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 2. *PL* 30, 123C. | 269: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 2. *PL* 30, 123C. | 275: cf. Iac.  
 Var., *Leg. Aur.*, CXIX, p. 508.

280 doctores, maxime Remigius. Tunc anima pretiosa uirginis supplicat totam trinitatem pro corpore suo et primo patrem dicendo: “o pater beatissime, tu qui tantam potentiam dedisti mihi, ut corpus meum carnem communicaret filio tuo sine uiro, non permittas ut nunc remaneat in terra putrida”, etcetera. Item dicit filio: “o fili amantissime, illud corpus quod  
285 passus fuit tantos labores pro te ne permittas remanere in terra, sed fac illud in celum scandere. Tertio, dicit spiritui sancto: “o paraclite beatissime, tu qui illud corpus meum obumbrasti et tantis gratiis illud dotasti, supplico ne permittas in terra manere, sed ut ascendat in celum et collocetur in loco in quo iam aliqui sancti sunt”, etcetera. Tunc congregata fuit omnis curia celestis tam angelorum quam sanctorum dicentium inter se ut supplicarent Deum pro petitione uirginis ut exaudiretur in illa.

290 Dicunt angeli quod ruina sua fuit reparata mediante ipsa. Ideo tenentur supplicare pro ea licet orationes sue non fuerint necessarie. Item dicunt omnes sancti quod illa mediante omnes fuerunt saluati, ideo etiam obligantur hoc idem facere. Et sic curia angelorum recepit uerba dicta per angelum Gabrielem ex parte totius trinitatis ad uirginem in hora conceptionis filii et primus de Seraphin dicit: “o beata trinitas, ex parte uestra Gabriel dixit  
295 uirgini: “aue”, id est, sine “ue”, sed Maria uirgo fuit libera a “ue”, id est, a quattuor penalitatibus Ade promissi, scilicet: ab erumnis, a purificatione conceptus, a potestate uiri et a dolore partus. Igitur debuit ab ultima liberari, scilicet: *quia puluis es et in puluerem reuerteris*, que fuit communis Ade et Eue. Sed si ab ista libera non esset, non fuisset sine “ue”, id est, sine maledictione, quod illi fuit per angelum promissum ex parte Dei, igitur, etcetera”.

300 Secundo, locutus fuit supremus angelus secunde hierarchie dicendo quod per angelum dictum fuit illi “gratia plena”. Igitur si ista gratia illi deesset, non esset plena gratiarum igitur, etcetera.

Tertio, dicit supremus angelus ultime hierarchie quod illi dictum fuit “dominus tecum”, scilicet: singulari modo quam cum aliis, ideo dicit Bernardus: «tecum in mente et tecum in  
305 uentre». Si igitur anima sola Marie fuisset Christo unita sine corpore, non esset Christus cum illa illo singulari modo, igitur, etcetera. Et sic dicunt angeli ex quo ista fuerunt illi promissa non est conueniens quod corpus sit ab anima separatum, nam Deus dixit per Dauid: *que procedunt de labiis meis non faciam irrita*, etcetera.

310 Secundo uenerunt sancti patres et primo patriarche, quorum prior loquitur Adam dicendo: “hec filia mea caro de carne mea, sed est filia ex corpore igitur, etcetera”.

315 Secundo, dixit Noe: “o domine, quomodo ero in dictis et prophetatis fidelis propheticæ? Precepistis ut facerem arcam que figurabat hanc uirginem matrem uestram. Fuit autem de lignis leuigatis et compositis. Quomodo igitur membra erunt composita si incinerantur in terra? Fuit autem bituminata interius et exterius, scilicet: in corpore et anima, quia gloria sperabatur non in anima solum. Fuit autem totaliter eleuata in montibus Armenie non secundum partem, sic igitur debet eleuari in celum totaliter non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus, igitur, etcetera”.

Tertio, dicit Moses ex sacerdotibus: “hec mater uestra fuit figurata per arcam testamenti, que fuit «de lignis sethim imputrefactibilibus», igitur non debet putrefieri in terra. Fuit

---

297: cf. Gn. 3, 19. | 308: cf. Ps. 88, 35.

280: cf. Rem., *En. In Psal.*, XXXIV. PL 131, 320A; cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Mt., XXVII, 10, p. 414. | 304-305: Bernardus] *Auctor err.* cf. Fulb., *Serm. Ad Pop.*, IX, 1. PL 141, 336D; Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CXX, 3. PL 39, 1985C. | 319: cf. Isid., *Qu. In VT.*, in Ex., XLIV, 3. PL 83, 311A.

320 deaurata intus et extra, igitur debet recipere gloriam non solum in corpus, sed in animam. Fuit reposita in sancta sanctorum que pars figurabat celum, igitur, etcetera”.

Quarto, dicit Dauid pro regibus: “hoc figuratum fuit in arca quando illam tuli de loco indecenti et portavi in Hierusalem et sacerdos Oza fuit percussus dum illam tangeret. Sic hodie uos debetis illam cum iubilo portare, nam in obsequiis, dum sacerdos summus illam tangeret in feretro, fuerunt manus sue aride, sed illa mediante sanus fuit. Alter uero mortuus, quia figuralia non erant tante uirtutis sicut ipsa ueritas”. Item dixit Dauid: “hoc est quod ego dixi in Psalmo centesimo tricesimo primo: *surge, domine, in requiem tuam tu et arca sanctificationis tue*, etcetera, igitur, ubi tu, ibi debet arca ascendere”. Item dixit idem: “hoc ego dixi in Psalmo quadragésimo quarto: *astitit regina a dextris tuis in uestitu deaurato*, id est, in corpore glorificato, etcetera”.

Quinto, ex prophetis dicit Isaias: “et ego dixi: *ecce uirgo concipiet et pariet*. Igitur si in conceptu et partu integra remansit, nunc in terra integra incinerabitur”. Dicit Hieremias: “ego dixi: *femina circumdabit uirum*, scilicet: quo ad corpus. Igitur illud pretiosum corpus quod circumdedit uos erit in loco uili, etcetera”. Item dicit Hiezechiel: ego dixi: *porta hec clausa erit*, etcetera, igitur non dissipabitur”. Item dicit Ionas: “ego fui in uentre ceti tribus diebus sine aliqua lesione, igitur si propter hoc quod eram seruus, licet peccator non permisistis quod corpus meum dilaceraretur, quanto magis hec purissima mater?” Item dixerunt Danihel et Abacuc: “si nos seruastis illesos inter leones et peccatores et seruos, etcetera, a fortiori hec mater beatissima erit”.

340 Sexto, uenerunt omnes pueri innocentes et pro eis locuti fuerunt tres pueri, qui fuerant in fornace et dixerunt: “si propter hoc quod nos seruauimus precepta uestra in fornace ignis, non permisistis quod tangeremur ab igne, etiam in uestibus nostris, quomodo mater purissima que non solum precepta, sed consilia seruauit corrumpetur in corpore, etcetera?”

345 Septimo, uenerunt uirgines et Marcella locuta fuit pro eis dicendo quod ipsa dixerat: *beatus uenter qui te portauit et ubera*, etcetera. Quomodo igitur corpus matris uentre erit beatum si a terra consumetur?

350 Octauo, uenerunt omnes coniugati cum Ioseph et dixit sponsus Ioseph: “o domine, quomodo corpus illud de quo oriebantur radii solis de facie eius modo a terra putrefiet? Si ex illo non permisistis quod filii alii generarentur, quomodo permittetis quod generarentur uermes?”

355 Nono, uenerunt omnes peccatores, qui fuerunt penitentes, et latro loquitur pro eis dicens: “o domine, quomodo corpus illud, quo ego conuersus fui mediante umbra eius, quam mediante illo recepi, nunc putredine consumetur? Si ligna crucis in quibus per tempus breue fuistis et illa tetigistis tantam habuerunt uirtutem, quod ab aliquo elementorum nunquam potuerunt corrumpi, quomodo corpus illud maternum, in quo nouem mensibus quieuistis et brachia, que triginta tribus annis amplexata fuerunt, etiam in descensu crucis sustinuerunt, etcetera, in terra manere et putrefieri permitetis?”

360 Tunc Christus propter amorem matris et propter preces totius curie descendit et reuiniuit animam corpori et accepit manum matris. Ipsa autem dicit illud Psalmi septuagesimo secundo: *tenuisti manum dexteram meam*, etcetera, *et cum gloria suscepisti me*, etcetera. Sed dum filius illi non loqueretur uerbum, dixit ipsa illud Canticorum secundo capitulo: *sonet uox tua*

---

327-328: Ps. 131, 8. | 329: Ps. 44, 10. | 331: Is. 7, 14. | 333: Ier. 31, 22. | 334: Ez. 44, 2. | 345: cf. Lc. 11, 27. | 360: Ps. 72, 24. | 361-362: Ct. 2, 14.

## Sermo C

*in auribus meis, uox enim tua dulcis, etcetera. Tunc dixit filius: ueni sponsa mea, amica mea, formosa mea, ueni de Libano, ueni coronaberis.*

365 Et tunc cum omni curia et cum maximo iubilo illam collocauit in excellenti gradum glorie, quam nobis concedat ille Dei filius, qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

---

362-363: cf. Ct. 4, 8.

SERMO CENTESIMVS PRIMVS ET TERTIVS IN EODEM DIE ASSVMPTIONIS VIRGINIS MARIE

<THEMA> *Non est talis mulier super terram*, Iudith undecimo capitulo.

Ad laudem, gloriam et triumphum Dei genitricis assumptum thema scribitur presens.

5 Sex excellentias inuenimus in beata uirgine Maria supra omnes puras mulieres: tres ex parte corporis et tres ex parte anime. Hodie sumemus illas que faciunt ad corpus et alias tres sumemus in dominica infra octauas.

Prima fuit in introitu, scilicet: in conceptione sua gloriosa, in qua erunt tria notanda.

Primum: conceptio miraculosa et supranaturalis quo ad preparationem uirtutis maternelis, quia naturaliter erat sterilis et uirtute diuina fuit preparata.

10 Secundum: fuit carnis puritas, nam substantia sumpta ex corpore Anne fuit purior omnia alia substantia cuiuscumque conceptionis alterius pure creature. Ratio fuit quia de illa erat filius Dei uestiendus. Nam sicut pannus ex quo filius regis esset inducendus aptiori modo prepararetur quam alius, sic illa substantia fuit purior. Vnde Anselmus: «decurrit ut uirgo illa ea puritate niteret quam maior sub Deo nequit intelligi». Quod non solum de anima, sed de  
15 corpore etiam intelligitur. Item illa fuit purior, quia de illa erat sumenda portio illa qua peccata totius mundi erant purganda, unde: *lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo*, Apocalypsis primo. Exemplum: sicut aqua illa, ex qua corporalia altaris sunt abluenda, debet esse mundissima, sic caro illa, ex qua omnes macule peccatorum erant abluende, debuit esse mundissima, etcetera.

20 Tertium: fuit excellens complexio, quia debuit dotari omni uirtute. Et licet uirtutes non sint nobis a natura, sed principium illarum, et inclinatio est nobis a natura, ut dicit Philosophus in libro secundo Ethicorum, et sic bene complexionatus aptior est ad uirtutes quam male complexionatus. Item uirgo habuit optimam complexionem inter puras creaturas, quia illa debuit dare optimam complexionem Christo redemptori nostro. Nam  
25 cum filii sint similiores matribus, mater bene complexio nata data filio bonam complexionem, et male complexionata malam. Sed cum Christus habuerit optimam complexionem simpliciter, cum habuerit corpus “heucraton”, ut dicunt medici, sequitur quod illa inter puras creaturas habuerit meliorem complexionem. Et ideo cum medicus, qui secundum aliquos fuit Lucas, accederet ad crucem in die passionis et uidisset Christum  
30 crucifixum et uideret membra ex quibus complexio eius notabatur, dixit quod si non fuisset interfectus nunquam mori potuisset, et hoc ex complexione sua iudicabat. Vnde Anselmus (ut diximus ante) dicit quod: «uirgo illa decurrit ea puritate niteret qua maior sub Deo nequit intelligi».

35 Secunda excellentia fuit in uita quo ad tria. Nunquam enim inter puras creaturas habuit carnis rebellionem quam omnes sancti et sancte in statu discretionis habuerunt, unde Paulus: *uideo aliam legem*, etcetera. Et: *datus est mihi stimulus carnis*, etcetera.

---

2: Idt. 11, 19. | 16: Apc. 1, 5. | 36: cf. Rm. 7, 23. | cf. II Cor. 12, 7.

13-14: Ans., *De Conc. Virg.*, XVIII. PL 158, 451A. | 22: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, II, 1, 03a20, p. 5. | 32-33: Ans., *De Conc. Virg.*, XVIII. PL 158, 451A.

14: Nequit] M, X ne quid.

Sola uirgo fuit ab isto libera, quia cum fomes peccati sit fructus peccati originalis, et uirgo tale semen non habuit nec peccatum, sequitur quod nec carnis rebellionem habuerit nec a carne talem temptationem, quod conuenit soli illi inter puras creaturas.

40 Secundo, nunquam in uita habuit aliquam infirmitatem, quia aut illa esset ex peccato, unde: «cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat», etcetera, de penitentia et De Penitentiis et Remissionibus “Cum infirmitas”, etcetera, aut ex superfluo cibo et potu, quorum nullum stare potest.

45 Tertio, in uita habuit maximam pulchritudinem inter ceteras mulieres, unde: *tota pulchra es, amica mea, et macula*, etcetera, Canticorum quarto. Ratio quare habuit tantam pulchritudinem fuit.

Primo, ex optima complexione.

50 Secundo, ex temperamento, quia pulchritudo perditur per nimium cibum uel potum. Item cum filius debuit esse *speciosus forma pre filiis hominum* et hanc speciositatem debuit in parte a matre sumere, sequitur quod mater debuit illam habere, cum: «nemo det quod non habet», etcetera.

Tertio, pulchritudo uirginis fuit ex redundantia gratie, quia «gratia perficit naturam». Et sic dicit Origenes super illud Matthei primo, quod “*Ioseph non cognoscebat eam*”, scilicet: Mariam, quod hoc erat, quia radii exhibant a facie eius, etcetera.

55 Tertia in morte quo ad tria.

Primo, nullum dolorem sensit in morte, quia iam solutus erat in die passionis filii. Nam in illa die fuit in uirgine accumulatus triplex dolor maximus.

60 Primus est mulieris parturientis, unde Christus dicit, Iohannis decimo sexto: *mulier cum parit tristitiam habet*, etcetera. Item Daudid in Psalmo quadragesimo septimo: *ibi dolores ut parturientis*, etcetera. Et sic Isaie decimo tertio: *quasi parturientes dolebunt*. Et Hieremie sexto: *tribulatio apprehendet nos quasi parturientis*. Et sic dicit Damascenus in tertio quod dolores partus Marie fuerunt ei reseruati in diem mortis filii.

Secundus dolor est matris in morte unigeniti filii sui, unde Hieremie sexto: *luctum unigeniti fac tibi planctum magnum*. Iste fuit in uirgine in die passionis de unigenito suo et tali.

65 Tertius maximus dolor est in morte propria alicuius, nam: «est ultimum terribilium», ut dicit Philosophus, tertio Ethicorum, et iste non fuit in uirgine, ut dicit Albertus Super Missus Est, quia cum dolor mortis iam fuerat solutus in hora passionis filii, illa fuit sine dolore mortua, sicut qui soporatur a somno, et sic tali die hunc uirgo non habuit. Exemplum de aliquo clauo in pariete existente. Si aliquis uult illum extrahere, dat ei multos ictus et finaliter, si uult accipere sine difficultate, illum accipit. Sic de anima uirginis, que  
70 iam receperat omnes ictus in passione filii, scilicet: omnia uulnera filii, in suo corpore recepit. Et sine aliquo ictu doloris in morte propria animam suam dedit. Et sic omnes tres

---

44-45: Ct. 4, 7. | 49: cf. Ps. 44, 3. | 53: Mt. 1, 25. | 58-59: Io. 16, 21. | 59-60: Ps. 47, 7. | 60: Is. 13, 7. | 61: Ier. 6, 24. | 63-64: Ier. 6, 26.

41: cf. Gre. IX., *Decr.*, V, 38, 13, col. 888. | 50-51: cf. Ius., *Dig.*, I, 17, 54, p. 922. | 52: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 8, 199a16, p. 86; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 1, a. 8 ad 2, p. 11. | 53: Origenes] cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 16, q. 2, a. 2, p. 862; *Sup. Mt.*, I, 6, p. 23. | 61: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, IV, 14. PG 94, 1162CD. | 65: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, III, 9, 15a25, p. 191. | 66: cf. Alb. Mag., *Mar.*, CXXXI, 2, p. 183a.

dolores uirgo Maria habuit in hora mortis filii sui, sed dolor partus fuit retardatus et dolor proprie mortis fuit anticipatus, et in hora mortis erat iam solutus.

75 Secundo, nullam resolutionem uel incinerationem habuit in tali die. Nam sicut corpus filii non fuit incineratum nec corruptum, unde Psalmi decimo quinto: *non dabis sanctum tuum uidere corruptionem*, et hoc presentia diuinitatis, sic nec corpus uirginis assistentia plenitudinis gratiarum. Vnde sicut ille qui moritur aliqua febre pestilentiali per aliquod tempus post anime separationem retinet calorem in corpore, sic de uirgine Maria. Si liquor balsami  
80 naturaliter preseruat a putrefactione carnis per multum tempus, a fortiori gratia et uirtus diuina. Exemplum de ligno crucis, nam si ex contractu corporis Christi recepit incorruptionem, a fortiori Maria.

Tertio, habuit breuem corporis re assumptionem sicut fuit in filio, quia in triduo resurrexit, sic uirgo Maria, ut patebit. Causa autem quare non fuit in gloria per aliquod  
85 tempus fuit, quia cum esset optima aduocata omnium nihil ei debuit deficere quod ad aduocatam pertineret, unde Hieronymus dicit: «hodie aduocatam misit peregrinatio nostra in celum», etcetera. Et sic tria pertinent ad optimum aduocatum, scilicet: habere scientiam conuenientem; secundo, habere eloquentiam; tertio, habere gesticulationem condignam. Si autem habet solum scientiam et loquelam, modo potest scribere et non bene persuadere. Si  
90 autem habet scientiam et eloquentiam et non uidetur in gesticulatione, non bene potest etiam imprimere, ut patet de predicatore cuius faciem non uidemus, qui non bene imprimit. Et sic cum uirgo Maria fuerit optima aduocatrix, omnia ista debuit habere, ut inclinaret Deum pro nobis. Exemplum: licet aliquis falco sciat quod debet ad dominum suum reuertere, melius uertitur ad dominum suum dum per magnas uoces uocatur, et etiam  
95 melius reuertitur dum ei ostenditur illa ficta auis, que uulgariter dicitur “aloyre” uel “senyuelo”, quia pluries in illo recepit cibum. Et sic licet anima uirginis posset pro nobis intercedere, sicut anima Petre et Paule et Catherine, etcetera, sed melius facit hoc dum uiua corporea uoce illud faciet et etiam melius dum filio ostendet illa pectora in quibus totiens lactatus fuit. Et hoc dicit Bernardus sic: «securum accessum habes, o peccator, ad Deum,  
100 ubi filius ante patrem et mater ante filium. Filius ostendit patri latus et uulnera, mater ostendit filio pectus et ubera, nulla igitur potest esse repulsa, ubi tot sunt amoris insignia». Et licet multi possent sancti et sancte intercedere pro nobis et ad multos sanctos et sanctas reclamare, sicut ad Barbaram, ad Luciam, etcetera, sed singulariter ad uirginem istam hodie debemus accedere, ut nobis gratiam impetret, quia *non est talis mulier super terram*. Ad hanc  
105 igitur, etcetera.

<THEMA> *Non est talis mulier super terram*, ubi supra.

Et quia uerba thematis sonant quod uirgo Maria excellit omnes feminas mundi, et hoc non potest probari, nisi comparetur omnibus que fuerunt, quod est impossibile sigillatim hoc facere, ideo comparabitur excellentioribus et, si superat illas, sequitur quod superet  
110 omnes, quia quidquid est maius maiori est maius minori. Et sic sumemus octodecim mulieres de excellentioribus, scilicet: sex legis nature, sex legis scripture et sex legis gratie. Et quia non possunt hodie omnes comparari, sumemus pro die hodierna nouem, scilicet: tres legis nature, scilicet: tres mulieres patriarcharum, scilicet: Rebecca, mulier Isaac; Rahel, mulier Iacob et Aseneth, mulier Ioseph. Item sumemus tres ex lege scripta. Prima, scilicet:  
115 mulier Manue, mater Samsonis. Secunda erit regina Hester. Tertia Iudith. Item tres erunt de

76-77: Ps. 15, 10. | 104-106: cf. Idt. 11, 19.

86-87: Hieronymus] *Auctor err.* cf. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, I, 1. PL 183, 415C. | 99-101: Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Ern. Bon., *De Lau. B. M. V.*, 1. PL 189, 1726CD.



lege gratie, scilicet: Maria Magdalene et Maria Iacobi et Maria Salome. Alie nouem erunt pro dominica infra octauas, ubi agareni erunt uocati.

Prima igitur, scilicet: Rebecca, habuit multas excellentias.

120 Primo, fuit iuramento mediante ipsi Isaac desponsata, nam ut habetur Genesis uicesimo quarto, dixit Abraham seruo suo: *iura mihi quod non accipies uxorem filio meo de terra ista in qua habito, sed de Mesopotamia*. Et sic fecit.

Secundo, de ea dicitur quod erat Rebecca *puella decora uirgo pulcherrima incognita uiro*.

125 Tertio, signum accepit quod illa esset inter alias per misericordiam, scilicet: quod petendo potum illi ad puteum illa dixit: *dabo tibi et camellis tuis*. Ista fuit figura domine nostre, nam sic Maria uirgo iuramento sponsatur. Ideo in Psalmo centesimo tricesimo primo: *iurauit dominus Dauid*, etcetera, *de fructu uentris tui*, etcetera. Vnde uenter ipsius Dauid fuit uirgo Maria, de qua exiuit Christus. Et sic fuit ipsa sponsa Dei et noluit accipere eam de terra in qua habitabat, scilicet: de celo angelorum pleno, unde Apostolus ad Hebreos secundo: *nunquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahe apprehendit*. Missus est seruus ad  
130 Mesopotamiam prouinciam mersam in aquis, quia missus est angelus ad mundum plenum aquis peccatorum. Vnde Psalmi sexagesimo octauo: *saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aque usque ad animam meam*. Item: *assumpsit me de aquis multis*, Psalmi decimo septimo. Fuit autem pulchra et decora super omnes mulieres, unde Canticorum quarto: *tota pulchra es, amica mea*, etcetera. Illa incognita uiro, sed illud fuit usque ad nuptias; uirgo Maria fuit uirgo  
135 perpetua et nunquam a uiro cognita fuit. Et sicut fuit pura respectu Dei, sic plena misericordia respectu mundi, nam illa dedit refectionem angelo, id est, nature angelice, et decem camellis, id est, decem ordinibus peccatorum. Nam camellus gibosus significat peccatorem. Et sic Maria dedit reparationem angelorum et saluationem peccatorum, unde Bernardus: «Maria copiosissima charitate sapientibus et insipientibus debitorum se fecit,  
140 omnibus misericordie sinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant uniuersi, captiuus redemptionem, eger curationem, tristis consolationem, peccator ueniam, iustus gratiam, angeli letitiam» etcetera. Item hec habuit duos filios, scilicet: Iacob et Esau. Prior tempore fuit Esau, sed uendidit primogenituram pro uili fructu lentis, Genesis uicesimo quinto. Et sic Iacob habuit benedictionem a patre suo pro se et pro fratribus, et hoc mediante  
145 Rebecca, que uestiuit illum de pellibus edorum mortuorum, ut habetur Genesis uicesimo septimo. Hec figurauit uirginem, nam filius prior fuit Adam, qui fuit Edom, id est, rufus. De terra rubea campi Damasceni uendidit primogenituram et benedictionem pro uili fructu arboris uetiti. Secundus, scilicet: Christus, habuit benedictionem a patre pro omnibus fratribus, et hoc mediante matre Maria, que uestiuit illum de nostra moralitate. Et sic dum  
150 esset in conspectu pater, dixit: *uox quidem Iacob, manus autem Esau*. Nam manus Christi erant ipsius Ade, quia caro Ade, sed uox fuit Iacob, id est, Dei, siue in uita siue in doctrina siue in morte. In uita quia precipiendo ut Deus fecit miracula, nam in suscitatione Lazari dixit: *Lazare, exi*, etcetera. In curatione paralytici precepit dicens: *surge et ambula*, et in curatione leprosi dicit: *uolo mundare*, quod est imperatiui, etcetera. Item in doctrina fuit uox eius Iacob,  
155 quia fuit doctrina supra omnem doctrinam hominum rationalis et uirtuosa. Item in morte quando fatigatus tormentis putantes iam mortuum esse *exclamauit uoce magna et misit spiritum*, Matthei uicesimo septimo, Marci decimo quinto. Tunc centurio dixit: *uere filius Dei erat iste*. Et sic licet manus carnee essent Esau, id est, Ade, sed uox eius fuit Iacob, id est, Dei.

120-121: Gn. 24, 3. | 122: cf. Gn. 24, 16. | 124: cf. Gn. 24, 14. | 126: Ps. 131, 11. | 129: Hbr. 2, 16. | 131-132: Ps. 68, 2. | 132: Ps. 17, 17. | 133-134: Ct. 4, 7. | 143: cf. Gn. 25, 33-34. | 145: cf. Gn. 27, 16. | 150: cf. Gn. 27, 22. | 153: cf. Io. 11, 43. | cf. Lc. 5, 23. | 154: cf. Mt. 8, 3. | 156-157: cf. Mt. 27, 50; cf. Mc. 15, 37-39.

139-142: cf. MF. Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, II. PL 183, 430D.

160 Secunda fuit Rahel, mulier Iacob, de qua Genesis uicesimo nono, custodiuit Iacob  
 gregem septem annis et data fuit ei Lia lippa oculis et primo nata. Item custodit gregem aliis  
 septem annis et datur ei Rahel pulcherrima et decora uenusta facie, Genesis uicesimo nono.  
 Hoc fuit in figura Marie, nam septem anni priores fuerunt tempus legis nature, in quo  
 tempore data fuit lippa Eua, que non uidit quod uidendum erat. Alii septem anni fuerunt  
 tempus scripture. Et illo transacto data fuit uenusta Rahel, id est, uirgo Maria. Hec autem:  
 165 *dissipauit idola patris*, Genesis tricesimo primo. Fuit autem hec Maria uirgo, unde hodie  
 cantat ecclesia: «gaude, Maria uirgo cunctas hereses sola interemisti», scilicet: patris Ade.  
 Data fuit ei supra naturam uirtus concipiendi, Genesis tricesimo. Sed in partu hec moritur,  
 uirgo autem Maria nullum sensit dolorem. Item hec fecit tunicam filio suo Ioseph  
 predilecto; pater fecit tunicam uestiendo illum humanitatem nostra, quod factum fuit a tota  
 170 trinitate, scilicet: principaliter a patre, a quo procedit filius et ab utroque spiritus sanctus.  
 Sed mater dedit pannum, id est, carnem, ex qua fuit tunica Christi, etcetera. Et dum uellent  
 fratres eius eum interficere recusante Ruben et dicente ut poneretur in cisternam ueteri,  
 Iudas, frater eius, fuit causa ut uenderetur ismahelitis, et sic accepta tunica fuit tincta in  
 sanguine hedi. Hoc autem totum factum fuit in figura, nam uirgo Maria fuit illa que fecit  
 175 tunicam inconsutilem Christo filio suo, super quam crucifixores miserunt sortes, uel fecit ei  
 tunicam, scilicet: uestiendo illum nostra carne. Que tunica dum fratres uellent eum  
 interficere et Rubem eum excusaret, scilicet: Pilatus lauando manus suas et Iudas eum  
 uendidit, tunc tincta fuit in sanguine hedi, scilicet: in humanitate, et dixit pater: *fera pessima*,  
 id est, inuidia, *deuorauit filium meum Ioseph*, quia sciebat quod propter inuidiam tradidissent  
 180 eum, etcetera.

Tertia fuit Aseneth, uxor Ioseph, que, ut dicit Vincentius, nuntiatur per angelum quod  
 deberet desponsari cum Ioseph, id est, cum “saluatore mundi”. Nam a pharaone fuit sic  
 uocatus, Genesis quadragesimo nono, et mutauit ei nomen dicendo: «non uocaueris  
 185 Aseneth, sed “multi refugii” erit nomen tuum». Sic angelus nuntiat Marie quod debet esse  
 sponsa saluatoris mundi simpliciter, nam Ioseph solum saluauit Egiptum, hic totum  
 mundum. Mutat ei nomen, nam Aseneth sonat (ut dicit Hieronymus) “ruinam” uel  
 “precipitationem”, que fuit Eua per peccatum. Sed Maria est nomen multi refugii et sic  
 angelus dixit ei: “aue”, quod est oppositum Eue. Item angelus portat ipsi Aseneth fauum  
 mellis dicendo quod est cibus angelorum et ipsa inuitat angelum ad illum. Sic Marie nuntiat  
 190 angelus illum, qui est cibus angelorum. Ipsa sumit et dat ipsis angelis in reparationem ruine  
 sue, ille idem est cibus angelorum per beatitudinem suam. Item hec parit filium Manassem,  
 qui dicitur “obliuio laborum patris”. Sic uirgo Maria parit filium qui fuit obliuio laborum  
 patris Ade. Et sic cum iste tres mulieres fuerint figura uirginis, tantum distant ab ea  
 quantum lux ab umbra et ueritas a figura.

195 Fuerunt alie tres legis scripte.

Prima fuit uxor Manue, scilicet: mater Samsonis, de qua Iudicum decimo tertio, cum  
 esset sterilis nuntiat ei angelus quod pareret filium. Sic nuntiat per angelum uirgini Marie  
 quod pareret filium dicendo: *paries filium*, etcetera. Item dicitur ei quod abstineret ab  
 immundis et illicitis, sed uirgo Maria abstinuit ab omnibus sine hoc quod angelus ei diceret,  
 200 nam nunquam fuit in statu quod posset peccare. Item ista parit filium nazarenum et  
 sanctificatum, qui morte sua saluauit populum. Sic uirgo Maria parit Christum, de quo

159: cf. Gn. 29, 20. | 161: cf. Gn. 29, 17. | 165: Gn. 31, 19. | 167: cf. Gn. 35, 16. | 178-179: cf. Gn. 37, 33. |  
 183: cf. Gn. 41, 45. | 196: cf. Idc. 13, 3. | 198: cf. Lc. 1, 31.

166: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In tertio nocturno. PL 78, 746B. | 183-184: cf. Vinc. Beau., *Spec. Hist.*, I, 120, p.  
 43. | 186: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, VT, Gn., A. PL 23, 776A.

159: Vicesimo nono] X decimo nono.

dictum fuit, Matthei secundo: *Nazarenus uocabitur et de ciuitate Nazareth*. Ideo dictus Iesus Nazarenus, qui morte sua saluauit mundum, etcetera.

205 Secunda fuit regina Hester, de qua in libro Hester plene habetur, que fuit electa loco Vasthi regine prioris, et sic Maria uirgo fuit electa loco Eue prioris regine. Illa superba, hec humilis, illa inobediens, hec obediens et benigna, unde Augustinus: «redditur femina pro femina, humilis pro superba, sapiens pro stulta», etcetera. Licet edictum positum esset quod nullus ad regem Asuerum contra preceptum eius intraret, illa dum intraret propter salutem populi non incurrit penam, nam dictum fuit ei quod non propter ipsam lex peccati posita  
210 erat. Sic sola Maria uirgo fuit a lege cuiuscumque peccati excepta. Item supra illam uirga descendit, que ante erat ad celum eleuata. Sic cum esset iustitia seuera usque ad celum, hec inclinauit illam et mitigauit, unde filium Dei portauit ad terram et uirga in illam descendit, unde Psalmi centesimo nono: *uirgam uirtutis tue emittet dominus ex Sion*, etcetera. Et sicut ensis sine uagina notat iustitiam seueram, sed dum cooperitur corio tunc notat misericordiam, sic  
215 ante uirginem Mariam filius Dei erat in celo, sed postea fuit per uirginem corio nostre humanitatis indutus et uallatus, unde Psalmi octogesimo quarto: *ueritas*, id est, misericordia, *de terra orta est, sed iustitia de celo prospexit*.

Tertia fuit Iudith, que cum uidisset obsessam ciuitatem Bethulie per Holofernem, ipsa accepit duas ancillas et, cum supra unam sustentaret alia portabat gremium suum, et ipsa  
220 accepit gladium in manu et amputauit caput principis Holofernensis. Hec fuit uirgo Maria. Cum autem mundus fuisset obsessus a demone, uirgo Maria, de qua dictum fuit: *ipsa conteret caput tuum*, accepit unam ancillam, scilicet: uirginitatem, supra quam sustentabatur. Alia portans gremium fuit humilitas, nam «uirginitate placuit et humilitate concepit», et accepit gladium fortitudinis, de qua Prouerbiorum ultimo dicitur: *mulierem fortem quis inuenit*,  
225 etcetera? Et sic ea mediante mundus liberatus et demon contritus. Et sic quo ad istas superiores et per consequens quo ad alias potest concludi quod *non est talis mulier*, etcetera.

Sed dimissis tribus, que erant legis gratie, posset aliquis querere: cum thema dicat quod *non est talis mulier super terram*, utrum sit ei similis uel equalis in celo?

230 Et dicitur quod Maria uirgo excellit omnes in celo quo ad tria. Primo, quo ad gloriosam receptionem in celo. Secundo, quo ad summum gradum glorie. Tertio, quo ad triumphum coronationis eius.

Primo, quo ad receptionem, nam post Christi ascensionem uirgo Maria remansit cum apostolis et ordinauit ut quilibet iret in suam prouinciam ad predicandum. Et illis missis ipsa uisitabat loca sancta et manebat in cenaculo et cotidie orabat ut filius suus illam uocaret  
235 ad celum. Tali autem die uenit angelus Gabriel et dixit ei: “aue Maria, filius tuus misit me ad te ut dicam tibi quod tempus est quod in suo conuiuio epuleris, et sic, uirgo, scias quod hodie debes in celum ascendere”. Et sic illa gaudens uocat sorores suas. Dicit autem angelus quod mox erit associata, et sic omnes apostoli uenerunt de suis prouinciis subito, ut dicit Dionisius et multi alii. Et mox Christus uenit cum omnibus angelis, ut dicit  
240 Hieronymus in sermone hodierno ad Paulam et Eustochium. Et sic dulciter dicit ei: *ueni, columba mea, ueni*, etcetera, Canticorum secundo. Et sic ipsa dat in manibus suis animam pretiosam et ipse secum tulit eam in celum, et apostoli honorifice sepelierunt corpus suum in ualle Iosaphat circa ciuitatem Hierusalem. Secunda autem die dum uirgo Maria uideret in

202: Mt. 2, 23. | 213: Ps. 109, 2. | 216-217: Ps. 84, 12. | 221-222: cf. Gn. 3, 15. | 224: Prv. 31, 10. | 226: cf. Idt. 11, 19. | 229: cf. Idt. 11, 19. | 240-241: Ct. 2, 13-14.

206-207: Augustinus] *Auctor err.* cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62D. | 223: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, I, 5. PL 183, 59B. | 239: Dionisius] *NI*. | 240: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 9. PL 30, 130D-132B.

245 celo empireo animas beatorum, inter quas uidit corpora que surrexerunt cum Christo, etcetera. Hec contemplatio in hac secunda die facta in precedenti sermone posita est. Tertia autem die in crepusculo, scilicet: in hora qua Christus resurrexit, descendit Christus cum anima matris et cum societate omnium angelorum et beatorum. Et stans circa sepulchrum matris reuiuuit animam corpori et dixit illi: *ueni de Libano, sponsa mea, ueni de Libano et coronaberis*, etcetera, Canticorum quarto. Et tunc citharista Daudid cum psalterio dixit illum psalmum: *memento, domine*, Daudid, etcetera. Et quando fuit in illo uersu: *surge, domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tue*. Tunc sumit Christus matrem cum manu dextera, unde ipsa dicit: *leua eius sub capite meo et dextera illius amplexabitur me*, Canticorum secundo. Et sic omnes angeli cantabant: «aue regina celorum, aue domina angelorum». Et ex alio latere omnes peccatores electi cantabant: «aue stella matutina, peccatorum medicina», etcetera. Et sic ista solemnitas fuit excellentior quam fuerit nunquam nec erit. Excellit etiam receptionem filii, quia filius non fuit receptus a seipso, etcetera. Et sic *non est talis mulier* in celo quo ad istud.

260 Secundo, excellit in optimo gradum glorie inter puras creaturas, quia habuit maiorem gratiam, unde dicit Augustinus: «sicut non est hic locus dignior utero uirginali, in quo Maria Christum suscepit, nec in celis regali solio, in quo Christus Mariam collocauit». Vnde ecclesia hodie dicit: «exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum», etcetera.

265 Tertio, excellit in coronatione, unde sancta trinitas dixit: «ueni, electa mea, accipe coronam», etcetera. Et data fuit ei corona imperatricis, que continet triplicem coronam, que figurata fuit in triplici corona arce federis, Exodi uicesimo quinto. Quam coronam uidit Iohannes, Apocalypsis duodecimo, dicens: *signum magnum apparuit in celo, mulier amicta sole et lune*, etcetera, *habens coronam duodecim stellarum*.

Prima corona circa suum caput fuit lapidis pretiosi, unde: *posuisti, domine, super caput eius coronam de lapide pretioso*, Psalmi uicesimo. Et in ista fuerunt quattuor stelle, scilicet: quattuor uirtutes excellentes, scilicet: uirginitas, humilitas, charitas et gratia singularis.

270 Secunda corona fuit aurea per respectum ad mundum, unde: *corona aurea super caput eius*, etcetera, Ecclesiastici quadragesimo quinto. Habuit quattuor stellas per respectum ad mundum, scilicet: refrigerium purgandorum, spes penitentium, gaudium iustorum et refrigerium uel aduocata peccatorum.

275 Tertia corona uersus celum fuit celestina, habens quattuor stellas, quas ei posuit ipsa trinitas. Quelibet persona posuit suam excellentiam, sed filius (quia in ea incarnatus et simul Deus et homo) posuit in ea duas. Et sic fuerunt duodecim stelle.

280 Prima stella a patre fuit quod excellentius fuit in patre, scilicet: habere filium Deum et equalem patri, quod soli conuenit patri, nam filius non habet filium Deum nec spiritus sanctus, illud soli uirgini Marie fuit concessum. Et ille qui erat filius Dei patris fuit filius uirginis, sed patris in quantum Deus, matris in quantum homo. Sed ille idem est sicut ego sum filius matris mee secundum corpus, sed Dei secundum animam.

---

248-249: Ct. 4, 8. | 250-251: Ps. 131, 1-8. | 252: Ct. 2, 6. | 256: cf. Idt. 11, 19. | 264: cf. Ex. 25, 25. | 265-266: Apc. 12, 1. | 267-268: Ps. 20, 4. | 270: Sir. 45, 14.

253-254: cf. Anti. B. M. V. | 259-260: Augustinus] *Auctor err.* cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. V. M.*, I, 3. PL 183, 416B. | 261: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Anti. unde supra. In primo nocturno. PL 78, 798D; cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 7. PL 30, 129B. | 262-263: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Med.*, XXIII. PL 40, 918C.

264: Federis] M phederis. | Vicesimo quinto] M, X quinquagesimo secundo.

Sermo CI

Secunda stella fuit a filio, scilicet: esse patrem sue matris, sic ipsa fuit mater sui patris.

Tertia etiam a filio fuit, scilicet: sicut ipse fuit filius filie sue, sic ipsa filia filii sui.

285 Quarta fuit a spiritu sancto, scilicet: sicut omnes gratie attribuuntur spiritui sancto, sic omnes attribuerentur uirgini Marie, unde Bernardus: «nihil ad nos uenire uoluit quin manibus uirginis non transiret».

Et sic omnes deuoti credant quod hac mediante hic recipiunt gratiam et in futuro recipient gloriam, quam nobis, etcetera. Amen.

---

285-286: Bern. Cl., *In Vig. Nat. Dom.*, III, 10. PL 183, 100A.

SERMO CENTESIMVS SECVNDVS ET QVARTVS IN EADEM DIE ASSVMPTIONIS VIRGINIS  
MARIE

<THEMA> *Quasi cedrus exaltata sum*, Ecclesiastici uicesimo quarto.

5 Recte spiritus sanctus comparauit uirginem Mariam cedro, quia cedri proprietates uirgini conueniunt. Hoc autem potest ostendi tripliciter. Primo, ratione arboris in se. Secundo, ratione uirtutis medicinalis in eo reperte. Tertio, ratione fructus eius.

10 Primo, ratione arboris tripliciter. Primo, ratione originis eius. Oritur enim hec arbor in terra promissionis, maxime ad partem Galilee in monte Libano, sed reportatur et transplantatur in Iudeam. Et sic in Hierusalem erat translata, nam ibi erat torrens Cedron, id est, cedrorum, quia erant arbores cedri iuxta illum. Sicut arbores pulcherrime a siluis transplantantur ad ciuitates, sic uirgo Maria, cum fuisset concepta et nata in ciuitate Galilee, cui nomen Nazareth, fuit transplantata in Hierusalem ratione filii sui. Et sicut inter quattuor  
15 ligna crucis pes uel radix et fundamentum fuit de cedro, sic uirgo Maria tempore passionis stabat iuxta crucem, scilicet: ad radicem crucis, uel notabat quod fundamentum passionis domini Iesu Christi fuit a matre, que dedit illi carnem passibilem. Nam ut Deus erat impassibilis, uel ex cedro fuit radix crucis, quia redemptio facta fuit a Christo in cruce et non a uirgine, licet illic pateretur, sed radicaliter a uirgine dando illi carnem, qua pateretur ipse.

20 Secundo, comparatur cedro ratione uiriditatis, nam nunquam caret uiriditate. Sic uirgo Maria fuit habens uirorem uirtutis, nam uirtus dicitur a uiriditate. Et sicut arbor carens uiriditate caret uirtute, sic in nobis. Sed uirgo uirtuosior omnibus et semper.

25 Tertio, comparatur cedro ratione incorruptionis, nam «cedrus nunquam a uermibus corrumpitur», ut dicit Dioscorides, etcetera. Arbor aliqua corrumpitur a uermibus uno trium modorum. Primo, quando roditur in foliis. Secundo, quando in corde arboris dum uiuit. Tertio, quando in illo generatur post mortem arboris, ut fit in lignis cooperimenti domorum. Cedrus autem nullo istorum modorum corrumpitur. Sic uirgo Maria non in foliis per uermem conscientie. Nunquam enim aliquid fecit quod esset aliquo modo contra conscientiam suam, quia cum peccatum non esset. Si contra, conscientiam non ueniret uel  
30 esset per ignorantiam, que in uirgine Maria esse non potuit: «in qua Dei sapientia latebat», ut dicit Bernardus in sermone. Item non potuit in ea esse uermis, qui in corde arboris generatur et occidit arborem, quia hic uermis est peccatum mortale, quod aliquo modo non fuit in ea, ut dicit Augustinus libro De Natura et Gratia. Item non post mortem fuit in ea uermis, ut in processu sermonis dicitur, et illesa fuit a uermibus sola ista arbor. Et non solum in se, sed a corruptione tineae conseruat libros, in quibus apponitur, ut dicit Plinius, et  
35 nunquam senescunt. Sic uirgo Maria non solum ipsa separata a corruptione uermium, sed etiam conseruat libros, id est, conscientias, que ipsam apprehendunt, unde: *libri aperti sunt*, id est, conscientie, ut habetur Danihelis septimo de iudicio finali. Quando conseruatur uirgo Maria in conscientia, remanet ipsa illesa, unde Bernardus de ea dicit: «non recedat a corde», etcetera. In tantum cedrus conseruat a corruptione quod si corpora mortua  
40 recondantur inter tabulas uel ligna cedri conseruantur multo tempore incorrupta, ideo dicebatur arbor illa mortuorum uita, sic uirgo Maria est uita mortuorum per peccatum.

---

3: Sir. 24, 17. | 36: Dn. 7, 10.

22-23: cf. Diosc., *De Mat. Med.* (vol. 1), I, c. 105, pp. 105-106; cf. Petr. Ber., *Reduct.*, XII, c. 22, p. 474. | 29: Bernardus] *Auctor err.* cf. Pau. Dia., *Hom. De San.*, XLVIII. PL 95, 1508A; Ans., *Hom.*, IX. PL 158, 648C. | 32: cf. Aug. Hipp., *De Nat. Et Gra.*, XXXVI, 42. PL 44, 267B. | 34: cf. Plin., *Nat. Hist.* (vol. 2), XIII, 13, 27, 86, p. 446. | 38-39: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 17. PL 183, 70D.

Ratio est quia intra ipsam fuit posita uita totius mundi, scilicet: Christus. Ideo ligna templi Salomonis fuerunt cedrina, ut dicitur tertio Regum quinto, sexto, septimo capitulis, sic domus et templum magni Salomonis fuit: «uirgo Maria templum dominum, sacrarium spiritus sancti», etcetera. Et sic quo ad arborem in se appropriatur uirgini.

Secundo, quo ad uirtutem, ut dicit Dioscorides, et hoc tripliciter.

Primo, sanat interiora cordis, quia uulnera pulmonis curat, sic uirgo Maria preseruat ab errore fidei que est in corde, unde Apostolus ad Romanos decimo: *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Vnde quando mediante cana pulmonis due ale pulmonis refrigerant cor, tunc homo uiuit alias moritur. Hec autem est uirgo Maria, que mediante spiritu sancto curat alas pulmonis ab errore, quia prima ala est de pertinentibus ad diuinitatem, secunda de pertinentibus ad humanitatem. Et sic de ea loquitur ecclesia: «cunctas hereses sola interemisti», etcetera.

Secundo, cedrus, secundum eundem Dioscoridem, sanat omnes quinque sensus exteriores. Primo, uisum mundat, aures sanat, gustum et tactum, que secundum Philosophum, sunt in ore. Iuncta hec curat, quia dolorem dentium sedat per quod gustus notatur et tumores faucium tollit per quod tactus notatur, etcetera. Item ex odoratu fugat serpentes. Sic uirgo Maria sanat omnes quinque sensus. Nullus enim regulam uiuendi dedit nobis sicut hec uirgo. Hec autem nunquam excessit in gustu, uisu, tactu nec auditu nec odoratu. Ideo dicit Ambrosius in libro de Virginibus quod debet esse sicut speculum et exemplum nostrum, etcetera, unde dicit: «discite uirgines uerborum uitare lasciuiam», etcetera.

Tertio, cedrus, si miscetur cum sale, liberat a morsu serpentis. Sic uirgo Maria mixta cum sale sapientie Dei fuit illa que «contriuit caput serpentis uenenatum», ut dicit Bernardus Super Missus Est homilia secunda. Figura Iosue dicens: *afferte uas nouum et mittite sal*, etcetera, quarto Regum secundo.

Tertio, potest ostendi ratione fructus. Cedrus enim semper est plena pomis et semper continet in se florem et poma acerba et poma matura, quod in aliqua alia arbore non reperitur. Sic in uirgine Maria est, nam nunquam fuit nisi plena fructu et non uacua, et habuit florem et fructum acerbum et maturum, quod ostenditur tripliciter.

Primo, respectu uirginis operationum, nam opera dicuntur fructus, unde Matthei septimo: *arbor bona fructus bonos facit*. Et sic uirgo fuit plena bonarum operationum, sed quedam ut flores, scilicet: operationes, precedentes usum liberi arbitrii. Nam uirgo non habuit usum liberi arbitrii in instanti conceptionis, ut Christus, quia illud fuit priuilegium Christi, ut dicit sanctus Thomas in tertia parte, questione uicesima septima, articulo tertio, in corpore. Et sic conceptio eius attulit gaudium mundo, ut faciunt flores, quia: «sicut spina rosam, genuit Iudea Mariam». Est uerum quod in illo instanti conceptionis non habuit liberum arbitrium, sed citius fuit illi acceleratum quam Iohanni nec alicui alteri.

43: cf. III Rg. 5, 6; 6, 10; 7, 2. | 48-49: Rm. 10, 10. | 65: IV Rg. 2, 20. | 72: Mt. 7, 17.

44-45: cf. Bed., *Hom.*, LXXI. PL 94, 453A. | 46: cf. Diosc., *De Mat. Med.* (vol. 1), I, c. 105, pp. 105-106; cf. Petr. Ber., *Reduct.*, XII, c. 22, p. 475. | 53: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In tertio nocturno. PL 78, 746B. | 54: cf. Diosc., *De Mat. Med.* (vol. 1), I, c. 105, pp. 105-106; cf. Petr. Ber., *Reduct.*, XII, c. 22, pp. 474-475. | 56: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, II, 97, (421a18-22), p. 182; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 78, a. 3 ad 4, p. 547. | 61: Ambr., *Exp. Ev. Sec. Lc.*, II, 8. PL 15, 1555C. | 64: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 4. PL 183, 63B. | 75: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 27, a. 3, p.208. | 76-77: cf. Fulb., *Hymn.*, XI. PL 141, 345A.

80 Secundo, fructus habuit acerbos, scilicet: opera meritoria, que sunt acerba respectu glorie.

85 Tertio, habuit hic opera matura, que sunt aliqua que pertinent ad beatitudinem, ut non posse peccare. Et sic fruitio que erit in patria dicitur a fructu, nam tunc erit dulcedo glorie et maturitas fructus. Et sicut aliquando fructus maturantur decisi ab arbore, ut patet in perseco et coctano, qui maturantur separati ab arbore, sed ille fructus qui maturitatem sumit in arbore melioris dulcedinis est, sic in proposito: beati maturi fuerunt separati a corporibus, sed uirgo Maria maturitatem in corpore habuit, quia illi in patria habuerunt non posse peccare. Sed non poterat mereri, quia meritum est dum anima unita est corpori; uirgini autem communicatum fuit non posse peccare, et cum hoc posse mereri, quod fuit maioris excellentie quam fuerit in aliqua pura creatura.

90 Et si dicis: numquid Ade et Eue fuit hoc communicatum? Dicendum quod non, quia illis bene fuit communicatum posse non peccare, sed non fuit eis communicatum non posse peccare, quia si hoc habuissent, nunquam peccarent, sed peccauerunt, igitur, etcetera.

Patet igitur quod uirgo Maria sola fuit que habuit fructum floridum acerbum et maturum modo iam dicto.

95 Secundo, fructus dicitur filius eius, unde Elisabeth dicit: *benedictus fructus uentris tui*, etcetera, Luce primo. Et sic sola hec arbor plena habuit tria, scilicet: florem, que est caro in Nazareth concepta, id est, Nazarenus, id est, floridus, etcetera, unde dicit: *refloruit caro mea*, quia floruit in conceptione, refluuit in resurrectione, Psalmi uicesimo septimo.

Secundo, fructus uiridis est anima plena gratia et uirtutibus.

100 Tertio, maturus est diuinitas plena dulcedine. De his tribus dicit Bernardus et Augustinus quod in Christo fuerunt tria, scilicet: «eternum, nouum et antiquum», etcetera.

Tertio, patet hoc respectu gratiarum largitione, nam fructus dicuntur opera misericordie ab aliquo facta.

Fuit autem uirgo Maria plena operibus misericordie, sed illa habuit in triplici differentia.

105 Primo, aliqua fuerunt in flore, scilicet: illa que fuerunt respectu illorum, qui filium suum solum receperunt ut flore, ut fuerunt iudei, qui solum illum receperunt ut hominem a populo illius hortum habentem, sed non ut prophetam nec ut sanctum nec ut Deum, etcetera. Et sic, cum uirgo Maria gratias et communicationem gratiarum haberet a filio, illo modo habebat illas communicare, ut ipse filius ab illis recipiebatur, etcetera. Et sic, cum 110 flos sit in potentia remota fructus, sic uirgo Maria illas gratias ut flores illis seruabat, unde Psalmi quinquagesimo octauo: *conuertentur ad uesperam et famem*, etcetera.

Secundo, uirgo Maria habuit fructus gratie acerbos respectu populi agarenorum, qui filium suum receperunt ut fructum, sed non maturum, quia crediderunt esse prophetam, esse messiam, etcetera, sed non perceperunt dulcedinem et maturitatem diuinitatis.

115 Tertio, habuit fructus maturos respectu populi christianorum, qui illum receperunt ut Deum.

---

95: Lc. 1, 42. | 97: Ps. 27, 7. | 111: Ps. 58, 7.

101: cf. MF. Bern. Cl., *De Cons.*, V, 10, 23. PL 182, 801C.



Et sic, ex prima ratione, scilicet: ex parte arboris et altitudinis illius, que est regina et mater arborum, ut dicit Rabanus super Psalmos, concludimus in uirgine Maria maximam misericordiam, quia illa arbor alias sub alis suis. Et sic dicitur: «salve regina, mater misericordie», ab ecclesia.

Secundo, ex uirtute sua habemus quod est medicina et patrona humani generis, ut dicit Casiodorus in quadam epistola: «in patrona humani generis, tu afflictis medicina singularis», etcetera. Igitur fuit quo ad secundum, scilicet: ad uirtutem medicina. Fuit quo ad tertium patrona humani generis, et quia dum fuit filius eius hic in terra, ipsa fuit circa ipsum, a quo omnem gratie plenitudinem habuit pro se et pro toto mundo. Dum autem fuit in celo, iustum fuit ut exaltaretur in illum, ut esse aduocata ad impetrandum pro nobis. Et de ista exaltatione loquitur ipsa per os spiritus sancti dum dicit: *quasi cedrus exaltata sum*, etcetera. Ad hanc igitur gloriosissimam in principio sermonis recurramus dicendo: aue Maria, etcetera.

<THEMA> *Quasi cedrus exaltata sum*, loco et capitulo ubi supra.

Due partes erunt in presenti sermone. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda materie prosecutiua. Prima erit aliquantulum theoricā. Secunda totaliter practica. Cum perfectio uel imperfectio totius sit a partibus ex quibus constat, nam totum cuius partes sunt perfecte est perfectum, et per oppositum, cuius partes sunt imperfecte imperfectum, cum uirgo Maria, sicut ceterae mulieres constet ex anima et corpore exaltatio sua a partibus est habenda, et sic uirgo Maria habuit sex exaltationes. Tres ab anima et tres a corpore et carne.

Prima exaltatio anime fuit esse a peccato omni separata, dempta autem anima Christi. Nulla alia anima hoc habuit, nam excellentes in mundo fuerunt apostoli propinquiore Christo, sed dicit Iohannes in prima canonica capitulo primo: *si dixerimus quod peccatum non habemus, ueritas in nobis non est*, etcetera. Sed cum hic esse maior omnium pro se et pro omnibus, hoc dicit. Si igitur isti fuerunt maiores, quia ut dicit Apostolus ad Romanos octauo: *nos ipsi primitias spiritus habentes*, igitur, etcetera. Sed de uirgine Maria dicit Augustinus: «cum de peccatis agitur, etcetera, nullum excludit. Inde enim scimus quod plus gratie ei fuerit collatum ad uincendum ex omni parte peccatum quod concipere aut parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum?», etcetera. Et sic de peccatis dixit uniuersaliter comprehendo omnium peccatorum genera, tam originale quam mortale et ueniale. Item dicit ad uincendum ex omni parte peccatum, igitur omnia comprehendit. Sola igitur uirgo in hec fuit exaltata quo ad animam, quia anima sua nunquam peccatum nouit.

Secundo, quia anima sua fuit dotata et ornata omnibus gratiis et uirtutibus. Et non solum habuit omnes, sed excellenter omnes habuit respectu totius mundi, dempto filio suo et Dei, etcetera, ut dicit Hieronymus in sermone hodierno: «ceteris per partes, etcetera; Marie uero tota se infudit gratie plenitudo». Et sic ceteri partes gratiarum habuerunt. Maria uero habuit gratie plenitudine et, ut dicit Bernardus: «in uirgine enim uirtutes erant singulares, que in ceteris uidebantur esse communes». Et sic non solum habuit omnes in quo omnes excellit preter Christum, sed illas habuit in maxima singularitate.

**127-130:** cf. Sir. 24, 17. | **140-141:** I Io. 1, 8. | **143:** Rm. 8, 23.

**118:** Rabanus] *NI*. | **119-120:** cf. Ans., *Hymn. Et Psal. De San. Mar.*, Saluatio deprecatoria, ante Psal. B. V. dicenda. *PL* 158, 1037D. | **122:** cf. MF. Cas., *Var.*, XI, 40. *PL* 69, 851B. | **144-146:** Aug. Hipp., *De Nat. Et Gra.*, XXXVI, 42. *PL* 44, 267B. | **152-153:** cf. MF. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. *PL* 30, 127A. | **154-155:** Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 6. *PL* 183, 428B.

**131:** Introductiua et declaratiua] M introductiue et declaratiue.

Tertio, fuit exaltata respectu anime, quia magis Deo unita siue hic per gratiam et in futuro per gloriam, dempta illa anima Christi, que singulariter fuit Deo unita. Et sic etiam singulariter per gratiam et gloriam, sed respectu totius alterius mundi hec fuit magis unita.

160 Secundo, fuit uirgo singulariter exaltata respectu corporis tripliciter.

Primo, esse illam pretiosam carnem separatam ab omni corruptione, unde sententia uniuersalis carnis est esse fenum, unde dicit Petrus: *omnis caro fenum*, prima Petri primo capitulo. Sed caro uirginis fuit ab hac sententia immunis, quia si hoc esset in carne proueniret ab uno trium.

165 Primo, ad distemperantiam qualitatum et humorum, sicut est in febre uel ab aliquo uulnere et diuisione continui uel ab aliqua tumore uel dolore, et nullo istorum modorum potuit esse in uirgine.

170 Primo, non ad distemperantiam humorum, quia hoc esset uno trium modorum, scilicet: uel a peccato nature, sicut in monstruosis, quia uirgo fuit concepta ab agente supranaturali, quia mater sua fuit sterilis et sic natura preparata a Deo. Et sic natura non potuit esse defectus aliquis.

Secundo, potuit esse ab aliquo errore persone, scilicet: ab aliquo excessu cibi, potus uel somni, etcetera. Et hoc non, quia in aliquo istorum non potuit uirgo Maria excedere uel peccare, ut dicit Bernardus, cum regeretur gubernaculo gratie spiritus sancti.

175 Tertio, potuit esse ab aliquo peccato parentum suorum, sicut in nobis. Et in uirgine non, quia nullo tali obligabatur, unde De Penitentia et Remissionibus capitulo: “Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat”, etcetera.

Secundo, hoc potuit esse per dissolutionem continui, sicut in uulneribus, sed in uirgine non potuit esse, quod patet tripliciter.

180 Primo, ex parte gratie, quia si hoc fuit in Adam, in quo erat iustitia originalis, scilicet: quod in eo quod corpus subiiciebatur anime et potentie, inferiores rationi et ratio ipsi Deo, ut dicit Thomas in secundo, distinctione nona, secundo, tertio capitulo; et distinctione tricesima, questione prima, articulo primo, contestatione; et prima secunde, questione octogesima secunda, tertio capitulo. Sed hoc erat a gratia, que firmabat uoluntatem in Deo, ut dicit sanctus Thomas in Questionibus De Malo, questione quinta, articulo primo ad  
185 decimum tertium articulum. Sed cum in uirgine Maria fuerit abundantior gratia, quia illa non solum excessit homines, sed etiam angelos, in illa, igitur, etcetera. Si igitur illa gratia iustitie originalis poterat facere in Adam quod non esset factura nec uulnus in eo, a fortiori in uirgine, cum maior fuerit eius gratia. Sed non solum fuit maior gratia in uirgine, sed  
190 alterius rationis per confirmationem. Nam hec gratia differebat ab illa, sicut nodus facit a lazata, nam sic tenet hic sicut illa, sed nodus cecus non potest dissolui, sed bene lazata, ut patet per experientiam. Sic gratia Ade potuit dissolui, quia fuit perdita, gratia uirginis minime, quia erat confirmata in illa, etcetera.

---

162: I Pt. 1, 24.

174: cf. Bern. Cl., *Ep.*, CLXXIV, 5. PL 182, 334C. | 176-177: cf. Gre. IX., *Decr.*, V, 38, 13, col. 888. | 182-184: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 4), lib. 2, dist. 30, q. 1, a. 1, p. 452; *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 82, a. 3, p. 538. | 185: cf. Th. Aq., *Qu. De Mal.*, q. 5, a. 1 ad 13, p. 132-133.

166: Tumore] M tumere.

195 Secundo, ex parte unionis hypostaticae patet, nam cum in carne illa, scilicet: in uentre uirginis, facta fuerit illa singularis unio diuine et humane nature, que nunquam fuit soluta, nam: «quod semel assumpsit nunquam dimisit», ut ait Damascenus, sequitur quod nec caro illa potuit diuidi. Exemplum de fornace in quo sictilia decoquuntur. Sic in proposito fuit.

200 Tertio, patet ratione redemptionis, nam si a carne uirginis sumpta fuit caro illa, ex qua uestitus fuit filius Dei, et fuit pro toto mundo lacerata et diuisa, ut dicit Isaias, quia: *a planta pedis usque ad uerticem capitis non erat sanitas in eo*, Isaie primo, et ideo dicit Augustinus: «fas non erat ut matris integritatem uiolaret, qui uenerat sanare corrupta». Igitur si ipse, qui potuit scindere carnem uirginis, non fecit, a fortiori nullus alius hoc potuit, quia si in discipulos non potuerunt, quando ipse dixit: *si ergo me queritis, sinite hos abire*, quia illos uirtualiter protexit a gladio pro tunc, donec ipse iterum uoluit ut paterentur propter fidei  
205 confirmationem et eorum maius meritum, scilicet: in illorum predicatione, sic non dederat potestatem in uirginem a principio eius natiuitatis usque ad finem. Nam quando in tumulo uoluit ille iudeus pontifex manus mittere et in corpus uirginis non fuit permissus, ut patet in legenda sue assumptionis, sed manus facte fuerunt aride, etcetera.

210 Tertio, patet quod non per tumorem et dolorem in carne potuit esse in uirgine, nam omnis dolor separatus fuit a carne ipsius uirginis quando *uerbum caro factum* fuit. Ratio fuit quia Deus dedit anime uirginis et ab illa non sumpsit aliquid, sed bene accepit a carne. Et sicut gloriam dedit carni mediante anime gloria, sic impassibilitatem dedit carni, nam: «una fuit caro Christi et uirginis», ut dicit Augustinus in sermone. Et separata et diuisa fuit illa portio carnis, que unita fuit uerbo, ab alia carne uirginis non per aliquod instrumentum  
215 nature, sed per uirtutem diuinitatis. Et sicut diuidens tangit utrumque et quando interfectum est inficit utrumque, sic quando est optimum dat utrique uirtutem, ut patet in cultello diuidente partem casei: a toto residuo differt pars a toto in hoc quod pars apprehenditur et totum relinquitur. Sic pars fuit assumpta et uerbo unita et totum derelictum, sed per contactum diuinitatis aliquid fuit in utroque derelictum, sic in  
220 proposito. Vnde dicit Hieronymus in sermone hodierno: «quando *uerbum caro factum* fuit, tota diuinitas unda se contulit in carne».

Sed forte dicis contra: quia in passione filii uirgo Maria habuit dolorem. Dico quod illa non fuit dolor passionis, sed compassionis. Non fuit in carne uirginis, sed Christi bene fuit in anima uirginis, unde dixerat illi Symeon: *tuam ipsius animam pertransibit gladius*.

225 Secunda exaltatio carnis uirginis fuit in morte, nam fuit eius mors dulcissima, cum mors aliorum fuerit terribilis, unde Philosophus dicit quod: «ultimum terribilium est mors». Sed in uirgine Maria non fuit terribilis, sed dulcissima, quia mors est terribilis in aliquo propter tria.

Primo, propter uisiones demonum, que in illa solent esse.

230 Secundo, propter incertitudinem termini, nam ut dicit Salomon, Ecclesiastes nono capitulo: *nescit homo utrum sit dignus odio uel amore*, etcetera.

---

199-200: Is. 1, 6. | 203: cf. Io. 18, 8. | 210: cf. Io. 1, 14. | 220: cf. Io. 1, 14. | 224: cf. Lc. 2, 35. | 231: Ecl. 9, 1.

196: cf. Petr. Lom., *Sent.*, III, 22, 2. PL 192, 803CD; cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, III, 27. PG 94, 1098AB. | 200-201: Aug. Hipp., *Serm.*, CXCV, 1. PL 38, 1015D. | 206-208: cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, CXIX, p. 508. | 212-213: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, V. PL 40, 1145B. | 220-221: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. PL 30, 127A. | 226: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, III, 9, 15a25, p. 191.

Tertio, propter dolorem que ibi accidit in separatione anime a corpore. Sed in uirgine Maria nullum istorum, igitur non fuit terribilis sua mors.

235 Primo, in morte uirginis non fuit uisus demon, quia ibi assistebant omnes chori angelorum.

Secundo, ibi erant omnes apostoli, ut uidebimus, quibus data fuit potestas super omnes demones.

Tertio, erat uirgo Maria illis terribilis, ut castrorum acies ordinata. Et sic nullo modo ausi fuerunt apparere demones.

240 Secundo, in uirgine non fuit incertitudo uie, nam si Paulus habuit certitudinem, quia dicebat prima ad Corinthios nono: *sic curro non quasi in incertum*, etcetera, igitur a fortiori uirgo habuit certitudinem.

245 Si dicis: non, quia Paulus uidit diuinam essentiam, igitur in illa habuit certitudinem glorie. Dicendum quod si Paulus et Moses uiderunt Deum per essentiam ab hac uisione, pie credendum est quod uirgo Maria non fuerit priuata, quia si Mosi fuit hoc communicatum, qui ponebat figuras uirginis, a fortiore ueritati; et si Paulo ad fundandum ecclesiam, a fortiori uirgini, que fuit anchora ecclesie.

250 Et si dicis: hoc non dicunt doctores. Dicendum quod dicunt quod non fuit gratia nec donum communicatum alicui quod non fuerit uirgini communicatum, unde Damascenus dicit de uirgine Maria: «ipsa a nullo illustrium uincitur», igitur, etcetera. Sed «dimittamus incertum et sumamus quod certum est», ut dicit Hieronymus in sermone hodierno. Clarum est quod maiorem certitudinem habuit uirgo Maria de sua beatitudine quam aliquis sanctorum, nam quando uoluit ascendere cum filio, ille dixit ei quod debebat in terra remanere ad instruendos apostolos et quod ipse pararet illi locum in celo. Et sic non illi fuit reuelatum per angelum nec per intellectualem operationem, sed habuit illam notitiam ab ore illius qui beatitudinem conferebat.

260 Tertio, nullus fuit dolor in separatione anime a corpore, nam si Paulus dicebat: *cupio dissolui et esse cum Christo*, multo magis uirgo Maria maiorem appetitum et inclinationem habuit ad filium quam Paulus, sed Paulus dicebat: *nolumus spoliari, sed superuestiri*, igitur, etcetera.

265 Et si dicis: appetitus anime ad corpus est naturalis, et sic non potest dimitti sine dolore. Dico quod anima iam in passione filii fuit separata a corpore, nam ut dicit Albertus Super Missus Est, dolor partus fuit illi seruatus usque ad horam passionis, et ut dicit Damascenus, dolor mortis uirginis fuit solutus in hora passionis. Et sic non potuit illum recipere in morte, quia tunc bis esset solutus, quod esset contra iustitiam. Et sic Maria nullum sensit dolorem in separatione anime a corpore, sed dulciter ab illa fuit spoliata, sed Paulus dicebat quod: *nolebamus spoliari, sed superuestiri*. Exemplum de clauo in pariete a qua iam est spoliatus sine labore dimittit illam, sic in proposito.

270 Tertia exaltatio corporis uirginis fuit post mortem quo ad tria. Primo, honorifice sepulta; secundo, nulla corruptione; tertio, ad dexteram filii collocata.

241: I Cor. 9, 26. | 257-258: cf. Phil. 1, 23. | 259: cf. II Cor. 5, 4. | 267: cf. II Cor. 5, 4.

250: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, IV, 14. PG 94, 1158B. | 250-251: Hieronymus] *Auctor err.* cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm. Ad Fr. In Er.*, XLIV. PL 40, 1321A. | 262: cf. Alb. Mag., *Mar.*, CXXXI, 2, p. 183a. | 263: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, IV, 14. PG 94, 1162CD.

Primo, sua sepultura fuit mirifica, nam expletis sexaginta annis a sua natiuitate, misit Deus ad uirginem angelum qui nuntiaret illi quod prepararetur, quia tempus erat ut ad conuiuuium ueniret et iecum feliciter conregnaret. Vtrum autem uirgo Maria sumpserit sacramenta et quem effectum in ea habuerunt non est presentis speculationis. Sufficit quod  
 275 Gabriel uenit ad uirginem et duodecim angeli fuerunt missi ad omnes apostolos, qui fuerant iam dispersi ad predicandum. Et sic uenerunt in continenti ducti per angelum, ut fuit Abacuc ductus in Chaldeam in breui tempore, ut habetur Danihelis decimo quarto. Quod autem omnes interessent obsequiis uirginis, dicit hoc beatus Cosmas et Germanus archiepiscopus Constantinopolitanus et etiam de uisu testificat Dionisius Pauli discipulus,  
 280 qui dicit se interfuisse et apostolos illic uidisse.

Si autem dicis: quomodo fuerunt duodecim apostoli, cum Iacobus iam esset mortuus? Dicendum quod uerum est, sed loco Iacobi erat Paulus, sicut loco Iude fuit Mathias. Et sic uirgo Maria bis instruxit apostolos. Primo, dum ipsi fuerunt missi ad predicandum; secundo, in transitu et recessu suo glorioso. Et quia Iacobus non sperabatur in hac die, cum  
 285 esset iam mortuus, ipsa hoc preuidens illum instruxit ante mortem. Et sic nulla est ciuitas in mundo que equiperetur Cesaraguste in tribus excellentiis.

Prima est quia cum sint quasi infinite prouincie in mundo, satis fuerat mittere ad sui conuersionem unum ex septuaginta duobus discipulis et non mittere apostolum unum ex duodecim apostolis. Sed in Hispaniam, et precipue Cesaragusta, misit unum de apostolis, et  
 290 non ex minimis, ut esset Philippus uel Mathias, etcetera, sed misit unum ex tribus principalioribus qui erant in curia, quia secretarii Christi fuerunt Petrus, Iacobus et Iohannes. Et sic misit unum ex tribus, scilicet: Iacobum, suum consobrinum.

Secunda fuit excellentior, scilicet: non solum mittere istum, sed ad hunc informandum mittere matrem suam pretiosissimam in hanc ciuitatem.

Tertia est non solum mittere matrem, sed quod ipsa dimitteret signum pretiosum, scilicet: columnam in hac ecclesia. O magnum est uidere Rome cathedram Petri, que a uermibus consumitur! Sed Cesaraguste maius est uidere columnam in qua uirgo Maria  
 295 sedet, etcetera.

Sed queritur: quare stetit uirgo in columna et noluit terram conculcare? Dicendum quod non propter dignitatem terre, nam Exodi tertio dicitur Mosi: *solue calciamenta*, et hoc erat in monte Sinai. Item Iosue quinto dicitur ipsi Iosue: *solue*, etcetera. Ratio est quia pedes illorum non erant digni calciare illam terram in qua lex erat danda et tanta miracula fienda et sanguis Christi erat fundendus. Sed terra ista non fuit digna recipere uestigia uirginis, in  
 300 qua terra funditur sanguis christianorum et fiunt polutiones maximorum peccatorum, etcetera. In hac enim ciuitate precepta Dei non seruantur, que in Sinai data fuerunt, ideo dicitur Mosi: “solue”, etcetera. Item in hac ciuitate miracula Dei spernuntur, que in terra promissionis facta fuerunt. Ideo dicitur Iosue “solue” in Hiericho in ingressu terre sancte. Sed hic uirgo Maria non descendit a columna, etcetera, sed est notandum quod quanto maiora beneficia recepit hec ciuitas ad sui conuersionem, si non conuertitur maiori  
 305 supplicio, torquetur ut ad sensum uidemus, hec deberet esse exemplum aliarum ciuitatum in bono, sed est econuerso. Ibi sunt disputati pro toto regno, in hac rex coronatur et iuratur. Et sic ecclesia metropolitana debet esse exemplum aliarum ecclesiarum et ciuitas que caput est similiter aliis ciuitatibus, sed oppositum uidetur. Nota latius de peccatis publicis. Et sic in transitu uirginis fuerunt omnes discipuli uel apostoli congregati, et uirgo  
 310 Maria cum maximo gaudio post predicationem uel exortationem quam fecit omnibus dedit  
 315

---

277: cf. Dn. 14, 35. | 300: Ex. 3, 5. | 301: Ios. 5, 16.

animam Deo et corpus reliquit in manibus apostolorum, qui honorifice ipsum corpus portauerunt in uallem Iosaphat, ubi erat sepulchrum pretiosum edificatum, quod secundum aliquos fuit illius procuratoris Herodis, cuius erat domus cenaculi in quo Christus fecit cenam. Et uirgo Maria mansit in illa domo usque ad diem sue gloriose assumptionis et ibi habebat capellam, in qua beatus Iohannes Euangelista primam missam celebrauit. Sed aliqui dixerunt quod illud sepulchrum fuit uxoris procuratoris Herodis, scilicet: Iohanne, de qua habetur Luce octauo: *ipse Christus iter faciebat per ciuitates et castella predicans et euangelizans regnum Dei et duodecim cum illo et mulieres aliquae, ut Maria, que uocatur Magdalena, et Iohanna, uxor Cuze, procuratoris Herodis, etcetera, et Susanna et alie multe, etcetera.* Et sic sepulchrum erat uiri, scilicet: Cuze, uel eius uxoris, scilicet: Iohanne. Nam isti morabantur in ciuitate; sepulchrum autem erat subterraneum ad quod descendebatur per quindecim gradus, et erat et est: «coopertum miro tabulato», ut dicit Hieronymus in sermone. Fuit autem uirgo Maria in sepulchro sepulta, sicut Christus, sed diuersa ratione. Nam Christus fuit sepultus ad probandam mortem, uirgo autem ad probandam uitam. Christus probauit mortem suam per sepulchrum, quia non sepelitur nisi uere mortuus, sed uirgo Maria ad probandum quod uere resurrexit et simul in anima et corpore ascendit. Nam ut dicit Hieronymus, ostenditur eius monumentum in ualle Iosaphat, sed corpus eius ibi non reperitur. Quo tempore uel per quos fuerit sublaturum ignoratur, etcetera. Clarum est quod corpus gloriosum uirginis non fuit per manus hominum sublaturum, nam illud Deus non permisisset, sicut fecit in tumulo uel feretro suo, nam manus sacerdotis que corpus tangere uoluerunt fuerunt facte aride, ut dicit Legenda, etcetera. Ideo solum corpus illud gloriosum fuit sumptum per Christum et angelos suos, etcetera.

Fuit autem inter sepulchrum Christi et uirginis conuenientia et differentia. Conuenientia triplex.

340 Prima, quia utrumque fuit alienum, quia sicut Christus non habuit hic domum manentem nec uirgo Maria, unde: *uulpes foveas habent et uolucres celi, etcetera, filius hominis non habet ubi caput suum reclinet, et sic uirgo.* Nam cum omnia que erant uirginis essent Christi filii sui et econuerso, si illa haberet, et ipse et econuerso.

345 Si dicis: et non poterant habere sepulchrum proprium? Dico quod sic, sed non fuit conueniens, nam ille qui moritur morte propria debet habere sepulchrum proprium; ille autem qui moritur per peccatis alienis et non propriis non debet habere sepulchrum proprium, et est ratio Augustini in sermone. Sed cum Christus nec uirgo Maria mortui fuerint pro peccatis propriis, sequitur quod non debuerunt habere propria, quia nullus istorum habuit peccatum, quia uirgo Maria mortua fuit cum non habuerit peccatum, sed: *stipendium peccati est mors, ut dicit Apostolus ad Romanos sexto.* Item propria paupertatem, ut dixi, et hec ratio etiam est Augustini ibidem, scilicet: in sermone.

355 Secundo, conueniunt in nouitate, quia Christi sepulchrum fuit nouum, ut notaret puritatem Christi, ut dicit Augustinus super Iohannem. Sic etiam sepulchrum uirginis fuit nouum, ut notaret quod nulla creatura ante fuerat concepta in uentre Anne. Sed in sepulchro neque prope Christi sepulchrum nullus fuit sepultus, sed circa uirginis sepulchrum, cum esset in medio cimiterii, bene fuit. Sic in uentre uirginis nullus fuit conceptus ante nec post, sed in uentre Anne bene post uirginem, sed nemo ante, etcetera.

322-324: cf. Lc. 8, 1-3. | 341-342: cf. Mt. 8, 20. | 350: Rm. 6, 23.

327: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 2. *PL* 30, 123C. | 331: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 2. *PL* 30, 123C. | 336: cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, CXIX, p. 508. | 347-351: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCXLVIII, 1-5. *PL* 39, 2204C-2206A. | 353: cf. Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, CXX, 5. *PL* 35, 1954C.

360 Tertio, conueniunt in honorificentia, nam dicunt doctores quod mors Christi et passio fuit abiectissima usque ad sepulturam. Nam sanctificatio pro peccato Ade facta fuit per passionem et mortem, et sic sepultura iam erat post illam, ideo, etcetera. Sed cum mors uirginis facta fuerit post illam per annos duodecim, sequitur quod debuit esse gloriosa. Item licet utraque fuerit honorabilis, sed honorabilior fuit uirginis modus sepeliendi. Et sic placuit Christo, cum ipsa fuerit quasi sepulchrum illius, que illum in uentre habuerit.

365 Primo, igitur Christus fuit sepultus a duobus, scilicet: Ioseph et Nicodemo, qui significabant patriarchas et prophetas, qui figurando duxerunt Christum usque ad sepulturam. Sed uirgo a duodecim apostolis, que fuit coronata *duodecim stellis*, Apocalypsis duodecimo.

Secundo, illi duo discipuli secreti Christi, isti manifesti.

Tertio, illi sancti et iusti, sed apostoli sanctiores fuerunt.

370 Differunt autem sepulchrum Christi et uirginis Marie in tribus.

375 Primo, quia sepulchrum Christi excisum in petra et clausum maxima petra, sed uirginis in terra ad notandum quod Christus erat petra figurata in ueteri testamento. Et sicut aqua exiuit de petra ad reflectionem populi iudaici, sic Christus debebat resurgere a petra, etcetera. Sed uirgo Maria non fuit significata per petram, sed per terram, unde Psalmi octogesimo quarto: *benedixisti, domine, terram*, etcetera. Item Psalmi octogesimo quarto: *terra nostra dabit fructum suum*. Vnde quando Danihel loquitur de his duobus dicit de Christo: *lapis scissus*, scilicet: Christus, *de monte*, scilicet: uirginis, igitur est terra montuosa, etcetera.

380 Secundo, hoc fuit quia a Christo erat sumendi omnes articuli fidei, qui concludebantur in eius resurrectione, scilicet: quod crederet mundus quod ille, qui mortuus fuit, resurrexit. Et sic in petra scissum habuit monumentum: «non ex lateribus nec ex multis lapidibus», ut dicit Hieronymus, quia: «fundamento suffosso sublato furto diceretur», ut ait sanctus Thomas tertia, questione quinquagesima prima, obiectione. Similiter noluit in terra sepeliri, ut dicit Augustinus, ne iudei dicerent: «suffoderunt terram et furati sunt eum». In uirgine autem hec non erant necessaria fieri.

385 Tertio, hoc fuit, scilicet: quod sepulchrum Christi fuerit in petra et magna petra clausum, ut ostenderet se quod ipse erat «uictor mortis», ut dicit Ambrosius, et sic a petra, etcetera. Virga autem non fuit uictrix mortis, nam de Christo dicit ecclesia: «qui mortem nostram moriendo destruxit», etcetera.

390 Secunda differentia fuit, quia sepulchrum Christi fuit altum in petra eminenti, quia illud corpus non fuit separatum a diuinitate, sed semper unitum, ideo in loco eminenti positum. Sed corpus uirginis inferius, quia per quindecim gradus descendebatur ad illud, denotans quod erat pura creatura et quod debuit ascendere per quindecim gradus, sicut fuit in conceptione filii, quando facta fuit mater, que ascendit quindecim gradus templi ipsum filium presentando et dicendo primo: *ad dominum cum tribularer*. Secundo: *leuaui*, etcetera.

---

366: cf. Apc. 12, 1. | 375: Ps. 84, 2. | 375-376: Ps. 84, 13. | 376-377: cf. Dn. 2, 34. | 394: cf. Ps. 119, 1. | cf. Ps. 120, 1.

380-381: Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, IV, 27, 64. PL 26, 215D-216A. | 382-383: Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 51, a. 2 ad 4, pp. 398-399; cf. *Cat. Aur.*, in Mt., XXVII, 64, 11, p. 416. | 386: cf. Ambr., *De Virgin.*, III, 14. PL 16, 270A. | 387-388: cf. Gre. Mag., *Lib. Sacr.*, in die sancto Pasc. PL 78, 92B.

- 395 Tertia differentia est quod sepulchrum Christi fuit separatum ab aliis in horto, sed uirginis inter alia sepulchra positum. Ratio est quia mors Christi habuit aliam rationem ab omnibus aliis, unde dicit Ambrosius quod licet sit communis omnibus secundum naturam corporis, est tamen specialis secundum uirtutem. Et sic in horto uoluit sepeliri ut notaretur quod per mortem et sepulturam suam liberemur a peccato Ade in horto commisso, sed per
- 400 mortem sue matris hoc non fit nec talem uirtutem habet mors uirginis. Igitur uoluit inter alios sepeliri in ualle Iosaphat, in quo speratur iudicium, ut credant quod in die iudicii sola illa erit aduocata peccatorum. Filius autem suus erit iudex super omnes, quia: *omne iudicium dedit filio*, ut dicit Apostolus et etiam Iohannes capitulo quinto. Et sicut anima fuit eleuata in celum ab angelis, sic corpus in sepulchrum ab apostolis. Et ibi iacuit per tres dies. Tertia
- 405 autem die Christus Iesus accepit animam uirginis et cum maxima comitiua curie angelorum et beatorum descendit in ualle Iosaphat et reuiuuit animam corpori. Et dum iam resuscitata uideretur filium, qui nullum dabat ei uerbum, dixit ipsa filio: *sonet uox tua in auribus meis, uox enim tua dulcis*, etcetera. Tunc filius ait: *ueni sponsa mea, formosa mea, ueni de Libano, ueni coronaberis*, et accepit illam cum dextera sua, quia: *dextera illius amplexabitur me*.
- 410 Et sic ascendit cum triumpho angelorum et beatorum et illa collocauit ad dexteram suam, ubi tamquam regina et aduocata certa stat. Et credant deuoti sui quod hac mediante hic recipient gratiam et in futuro gloriam, quam nobis, etcetera. Amen.

---

402-403: Io. 5, 22. | 407-408: cf. Ct. 2, 14. | 408-409: cf. Ct. 4, 8. | 409: cf. Ct. 2, 6.  
 397: cf. Ambr., *De Virgin.*, III, 14. PL 16, 269D-270A.



SERMO CENTESIMVS TERTIVS ET QVINTVS IN EODEM DIE ASSVMPTIONIS VIRGINIS MARIE

<THEMA> *Maria optimam partem elegit*, Luce decimo.

Originaliter, etcetera.

5 Omnia que sunt in mundo in tres partes diuiduntur, scilicet: in naturalia, gratuita et ad gloriam pertinentia. Nam ut dicunt doctores, bona sunt in triplici differentia, scilicet: bona nature, bona gratie et bona glorie, sed cum «bonum et ens conuertantur», quarto Metaphysice, sequitur quod entia in his tribus continentur. Est uerum quod quodlibet istorum multas habet in se partes, igitur si nos ostendemus quod uirgo Maria omnium istorum elegerit optimam partem, habebimus intentum.

10 Primo, naturalia sunt in triplici differentia, quia aut sunt corpora aut spiritus. Sed spiritus est duplex: aut unitus carni, et sic dicitur rationalis, ut homo, aut separatus ab corpore, et sic dicitur intellectualis, ut angelus. Et licet aliquis sit spiritus infernorum animalium, ut puta brutorum, de illo non curamus, quia cum corpore numeratur, nam incipit et definit cum corpore. Et sic Apostolus etiam homines qui uersantur circa ista inferiora appellat  
15 “carnales”, unde prima ad Corinthios tertio dicit: *adhuc enim estis carnales*. Et sic denominat eos a corpore et sic in naturalibus solum sunt ista tria, scilicet: corporalia, rationabilia et intellectualia. Virgo autem Maria habuit optimum omnium istorum.

20 Primo, enim excellit omnia corporalia inferiora, quibus propter suam excellentiam non est comparanda. Nam si quilibet homo et quilibet mulier excellit omnia ista, a fortiori beata uirgo Maria.

25 Secundo, excellit omnia elementa. Nam si corpora sanctorum habent dominium in elementis, a fortiori corpus domine omnium sanctorum, ut patet: nam si est aliqua pugna inter elementa, ut patet in tempestatibus aeris et aque adueniente parte corporis, que fuit alicuius sancti uel sancte, cessat tempestatas, ut uidemus cotidie in nubium tempestate. Item  
30 patet hoc in elemento ignis, ut habemus de sancta Agatha in insula Sicilie. Quando ignis incendium uorabat totam insulam, qui mediante uelo quod sepulchrum Agathe tegebat, cessauit et amplius non nocuit. Igitur a fortiori hoc faceret non solum corpus domine nostre, sed illud quod illud detigerat. Patet hoc quando tempore Iosue, ut habetur Iosue tertio, in presentia arce federis aque Iordanis aperte fuerunt. Igitur si hoc fecerunt in presentia umbre et figure, uirginis Marie multo magis fieret in presentia sui sacratissimi corporis.

Tertio, excellit corpus suum omnia celestia corporea tripliciter.

35 Primo, in uirtute, nam corpora celestia non dederunt sibiipsis uirtutem nec influentiam. Sed cum ad illam essent in potentia, receperunt illam ab illo qui erat in actu, scilicet: a Deo summo, nec dant uirtutem usque ad centrum terre, sed usque ad medium terre, in quo omnia mineralia generantur. Sed mediante corpore uirginis data fuit uirtus et perfectio ipsi terre usque ad centrum et ipsi celo, unde Bernardus dicit: «per te, uirgo beata, celum impletum est, infernus euacuatus», etcetera.

2: Lc. 10, 42. | 15: I Cor. 3, 2. | 29: cf. Ios. 3, 8.

6: cf. Arist. Lat., *Met.*, IV, 2, 1003b31, p. 61; cf. Th. Aq., *Qu. De Ver.* (vol. 3), q. 21, a. 2, p. 596. | 37-38: cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429B.

40 Secundo, excellit celum in continentia, nam licet celum in se contineat omnia creata, corpus uirginis continebat creatorem celorum, unde ecclesia cantat de ea: «quem celi capere non poterant tuo gremio contulisti».

45 Tertio, excellit celum, quia cum celum non ueniat in compositionem aliorum, nec «recipiat peregrinas impressionis», quod in ipso est alicuius excellentie, sed pars corporis uirginis Marie fuit unita diuinitati. Et sic fuit corpus Christi ex illa formatum et illa mediante omnia peccata abluta et totus mundus recreatus et celum nobilitatum et quod illi defuerat restitutum. Et sic quo ad partem corpoream naturalium excellit corpus beate uirginis omnia alia.

50 Secundo, excellit quo ad rationabilia omnia, quia nulla anima fuit sic purissima sicut anima uirginis Marie, etiam in naturalibus, in essentia et in potentiis. Nam intellectus uirginis Marie fuit magis eleuatus quam Aristotelis intellectus uel Platonis. Item similiter de memoria uel uoluntate, etcetera.

Item tertio, excellit omnia intellectualia.

55 Primo, in sapientia, que est sapida scientia respectu diuinorum, unde Anselmus in homilia hodierna dicit: «quid de Deo non sapiebat in qua Dei sapientia latebat». Hoc idem dicit Bernardus. Item quo ad uoluntatem, quia maxime Deum amabat, unde Hieronymus in sermone hodierno dicit: «totam repleuerat spiritus sanctus gratia», etcetera. Item quo ad memoriam nunquam enim oblita fuit aliquid ex diuinis, ideo dicitur Luce secundo: *Maria autem conseruabat omnia uerba hec conferens in corde suo*, etcetera, ut post Christi ascensionem illa narraret apostolis et discipulis Christi. Ipsa enim uirgo habuit plura secreta a Deo reuelata quam angeli. 60

Et si dicis: nobis reuelantur mysteria ab ipsis angelis, ut dicit Dionisius, igitur prius ipsi sciunt secreta quam uirgo Maria. Dicendum quod superior seraphin non recipit reuelationes ab aliquo alio, cum nullum habeat superiorem, sed immediate a Deo. Et sic cum uirgo Maria excedat omnes ordines angelorum, quia regina illorum, sequitur quod ipsa, licet 65 aliquas reuelationes habuit ab ipsis angelis, sed multas habuit immediate a Deo, quia alias angeli habuissent aliquam gratiam, quam ipsa non habuisset, quod est contra omnes doctores. Et sic dicit Bernardus quod mysterium incarnationis quo ad omnes conditiones singulares ipsa perfectius sciuit quam aliquis angelorum, unde ait Bernardus in persona angeli quando uirgo dixit angelo: *quomodo fiet istud?* Ait Bernardus in persona ipsius angeli: 70 «quid me interrogas, uirgo beata? Diuinum est hoc mysterium quod a me queris, et soli illi datum est nosse, cui datum est experiri», igitur, etcetera.

75 Secundo, excellit uirgo in gratuitis, quia tres sunt gratie partes. Prima instantanea et admissibilis, ut fuit gratia primorum parentum et angelorum. Secundo, fuit non instantanea, sed admissibilis et recuperabilis, ut gratia peccatorum. Tertia instantanea non admissibilis, sed intensibilis, ut fuit gratia uirginis Marie, quam habuit in primo instanti et non potuit perdi nec minui, sed augeri.

---

57-58: Lc. 2, 19. | 69: cf. Lc. 1, 34.

40-41: cf. Pseu. Bern. Cl., *Vit. Mys.*, IV, 12. PL 184, 644B. | 43: cf. Auctor. Arist., *Mete.*, I, 5, (341a17-23; 35-36), p. 171; *De Cael. Et Mun.*, I, 17, 270a27-35, p. 160. | 54: Ans., *Hom.*, IX. PL 158, 648C. | 55: Bernardus] *Auctor err.* cf. Pau. Dia., *Hom. De San.*, XLVIII. PL 95, 1508A. | 56: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 13. PL 30, 136D. | 61: cf. Pseu. Dio. Aer., *De Coel. Hier.*, IV, 2. PG 3, 179B. | 70-71: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, IV, 4. PL 183, 81B.

56: Totam repleuerat] M totam enim caluerat; X totum enim caluerat.

Si dicis: gratia quia fuit in primo instanti et non potuit minui nec perdi, sed non potuit  
 80 augeri, ut gratia Marie, igitur perfectior fuit gratia Marie quam Christi. Dicendum quod non,  
 nam gratia non posse augeri, stat dupliciter. Primo, cum non est in statu tali, ut gratia  
 comprehensorum uel illorum qui sunt extra uiam, et hec est imperfectio. Sed alio modo  
 non potest augeri, quia est infinita et infinito nihil potest addi. Sic fuit gratia Christi, que  
 non potuit intendi, sed gratia uirginis potuit augeri, quia non erat in termino, et ipsa erat  
 uia trix pure, quod non dicitur de Christo. Et sic uirgo *Maria optimam partem elegit* siue quo ad  
 corporalia et etiam quo ad intellectualia.

85 Tertio, quo ad gloriam recepit optimam partem, nam partes glorie sunt tres, scilicet:  
 gloria corporum sanctorum in hac uita, et gloria animarum in alia, et gloria coniuncti, et hec  
 est uirginis Marie. Et maior quam aliorum cum maiorem gratiam habuerit, et gloria datur  
 secundum gratie mensuram.

90 Sed dices: Christus elegit optimam partem, sed «quod per superabundantium dicitur uni  
 soli conuenit», igitur, etcetera. Dicendum quod Christus non elegit partem, sed totum, quod  
 fuit perfectionis corporum rationalium et intellectualium. Nam cum Christus dicat  
 suppositum duarum naturarum, in quantum Deus non elegit nec recepit, sed dedit. In  
 quantum homo recepit totum quod fuit in natura, in gratia et in gloria.

95 Primo, in natura perfectior anima et potentie illius et unita uerbo dupliciter, quod nullus  
 habuit.

100 Secundo, in gratia, quia gratia illa fuit infinita simpliciter, scilicet: gratia unionis. Gratia  
 habitualis infinita ut gratia, licet non in quantum ens, quia erat sic quid creatum fuit  
 instantanea non admissibilis. Si non fuit intensibilis, hoc non fuit ex defectum gratie, sed ex  
 perfectione illius, quia erat iam in termino. Et post istam gratiam maior fuit gratia uirginis,  
 nam alii sancti habuerunt gratias particulares, ista gratiam omnium aliorum, unde Bernardus  
 in sermone: «merito de te uirgo plenitudo gratie predicatur, quia non defuit tibi», etcetera.  
 Etiam uirgo Maria in se recepit datorem et fontem gratie et plenitudinem gratiarum in illo.  
 Ideo Hieronymus in sermone hodierno dicit: «ceteris per partes prestatur gratia. Marie uero  
 105 tota», etcetera. Et sic alii sancti succurrunt aliquibus deuotis in aliqua particulari necessitate,  
 sed uirgo Maria succurrit omnibus et in omnibus necessitatibus. Ratio huius est, quia illi  
 habuerunt particulares et singulares gratie, sed *uirgo Maria optimam partem elegit*. Ad hanc  
 igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Maria optimam partem elegit*, ubi supra.

110 Terribile est peccatoribus predicantibus habere sermonem de uirgine matre domini  
 nostri Iesu Christi, nam trepidant membra et deficiunt uerba. Ideo dicit Petrus Damiani,  
 qui multum circa laudes uirginis uacauerit: «qualiter eam laudare poterimus per transitorium  
 uerbum que protulit nobis uerbum eternum?» Et sic dicit Damascenus: «si laudem et  
 gloriam eius describere uoluerimus, deficient nobis uerba». Item trepidant membra, ideo  
 dicit Augustinus: «si omnium nostrum membra uerterentur in linguas eam recte nec  
 115 sufficient laudare posse», etcetera. Item dicit Bernardus de ea: «si tot essent lingue, ut stelle,

83: cf. Lc. 10, 42. | 106-108: cf. Lc. 10, 42.

89-90: cf. Auctor. Arist., *Top.*, V, 78, 134b23-24, p. 327. | 101: Bernardus] *NI*. cf. Ray. Id., *Cont. De B. V.*, par. 2, cont. 3, 2, col. 877. | 103-104: cf. MF. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. *PL* 30, 127A. | 111-112: Petr. Dam., *Serm.*, XLV. *PL* 144, 742C. | 112-113: Damascenus] *NI*. | 114-115: cf. Aug. Hipp., *Med.*, XV. *PL* 40, 911D. | 115-116: Bernardus] *Auctor err.* cf. Iac. Var., (1760) *Serm. Aur.* (vol 2), De Lau. Virg., II, p. 76.

minimam eius excellentiam narrare non possent». Sed licet digne eam laudare non possumus, ab eius laude cessare non debemus propter tria.

120 Primo, ut fiat uoluntas domini, nam sicut dicit Hieronymus in sermone hodierno: «si Deum ore prophetico in sanctis suis laudare iubemur, multo magis eum in hac celebritate uirginis Marie matris eius», etcetera. Infra dicit idem Hieronymus: «nulli dubium quin totum ad gloriam laudis eius pertineat quidquid digne generatrici sue impensum fuerit».

Secundo, non debemus cessare a laudibus suis considerando quod illa est que dat pro aliis modum dicendi, multo magis dabit pro se.

125 Tertio, hoc patet propter abundantiam excellentiarum illius, nam quando de aliquo sancto predicamus, querimus illius priuilegia et pauca inuenimus. Sed hec penuria non est in uirgine Maria, immo occurrunt nobis de tanta que intellectus noster capere non potest. De isto autem dicit Bernardus in sermone: «nihil est quod amplius me delectet, sed quod nec terreat magis quam sermonem habere de gloria uirginis matris. Terret enim me imbecilitas propria, delectat me uirginis laus et excellentia», etcetera. Igitur si in quolibet festo uirginis  
130 hec impedimenta occurrunt, quanto magis in isto festo quod est maius omni alio.

Primo, propter miraculorum accumulationem. Nam presciuit suam assumptionem, uocauit apostolos, non sensit dolorem, etcetera.

Secundo, propter gratie consummationem. Nam in aliis festiuitatibus augmentum gratie recepit, sed in hoc festo terminum et consummationem illius.

135 Tertio, propter priuilegia huius festiuitatis. Nam sola hec festiuitas ex precepto habet ieiunium, habet octauas. Et in hoc festo equater cum festiuitatibus Christi, nam licet fuerit interdicta ecclesia hac die pulsantur campane et ostia aperiuntur, alta uoce officia cantantur, sicut in festo natiuitatis resurrectionis et penthecostes, ut habetur in Sexto, De Sententia Excommunicationis, capitulo “Alma mater”, et Iohannes ante concludit quod  
140 hoc festum uirginis alias festiuitates suas excellit, etcetera. Et sic in isto nos, licet peccatores, a laudibus cessare non debemus. Vnde licet Dauid dicat in Psalmo quadragesimo nono quod peccatori dixit Deus: *quare tu enarras iniustitias meas et assumis testamentum meum per os tuum?*, non propter hoc uoluit quod peccator sileat, sed uult quod qui narrat non sit peccator, sed si est uidendo mirabilia et narrando illa efficitur iustus. Vnde in  
145 eodem Psalmo infra dicit: *sacrificium laudis honorificabit me et illic iter quo ostendam illi salutare Dei*. Et sic in laudibus ponitur iter, quod est uirgo Maria, unde Bernardus: «uirgo regia ipsa est uia per quam saluator descendit ad nos». Item Hugo dicit: «Maria uia, Christus ostium, pater occultum, per Mariam itur ad Christum et per Christum itur ad Deum». Et licet aperte et clare laudes uirginis, narrare non possimus, quia nec clare intelligimus, sed per  
150 similitudines et exempla illas narrare possumus, unde: «balbutiendo ut possumus excelsa Dei resonamus», ut dicit quidam doctor. Et sic per exempla et similitudines spiritus sanctus reuelauit ecclesiastico qualiter uirgo Maria excellit omnes nouem ordines angelorum per comparisonem ad nouem arbores. Et sic excellentias uirginis recapitulauit in illis nouem arboribus, nam sicut ille nouem arbores sunt excellentissime inter alias arbores mundi et  
155 nunquam perdunt folia et sunt salutifere inter alias, sic uirgo Maria.

---

142-143: Ps. 49, 16. | 145: Ps. 49, 23.

118-121: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 4. *PL* 30, 126C. | 127-129: cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 5. *PL* 183, 427D. | 139: cf. Bon. VIII., *Decr.*, V, 11, 24, col. 1106. | 146-147: cf. Bern. Cl., *In Adv. Dom.*, II, 5. *PL* 183, 43AB. | 147-148: Hugo] *NI*. cf. Iac. Var., (1590) *Serm. Aur.*, CVII, f. 142v. | 150-151: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 4, a. 1, p. 29; cf. Gre. Mag., *Mor.*, V, 36, 66. *PL* 75, 715C.

Et sic in lectione loco epistole ponuntur nouem arbores. Iste tres arbores notant uirginis excellentias ante filii conuersionem; tres alie notant excellentias eiusdem uirginis in uita et cum filii familiaritate; tres alie notant excellentias uirginis post filii sui ascensione. Tres prime sunt rosa, platanus et palma, nam rosa notat uirginis Marie gloriosam conceptionem. Secundo, platanus notat eiusdem uirginis natiuitatem. Tertio, palma notat filii sui, scilicet: Christi conceptionem. Et hec erit prima pars sermonis, etcetera.

Primo, comparatur uirgo Maria rose in sui conceptione tripliciter.

Primo, ratione temporis generationis, nam rosa concipitur post hiemem, scilicet: in tempore ueris, sic uirgo Maria. Nam post peccatum Ade, in quo perdidit calorem charitatis et gratie, fuit tempus hiemis in mundo, et in natiuitate uirginis cepit uer antequam sol iustitie nobis appropinquaret et esset in mundo estas, et hoc dicit Ecclesiasticus in capitulo quinquagesimo: *quasi flos rosarum in diebus uernis*. Et sic uirgo Maria post hiemem concepta, sicut tunc rose sunt clause in utero. Et de isto tempore loquebatur sponsus suus dicens, Canticorum secundo: *surge, amica mea*, etcetera, *iam hiems transit*, etcetera.

Secundo, ratione partis arboris, que dicitur “truncus”, a quo egreditur, nam exit de arbore spinosa sine spinis, sic uirgo Maria. Nam ex peccato Ade totum genus humanum fuit plenum spinis peccati. Et hoc fuit predictum Ade, Genesis tertio, quando post peccatum dixit illi dominus: *maledicta terra in opere tuo; spinas et tribulos germinabit tibi*, quod non solum fuit dictum ex terra materiali, sed carne sua, que sumpta fuit ex terra. Et sic nullus egressus fuit ex carne Ade per rationem seminalem quod non fuerit plenus de spinis, nisi sola uirgo Maria, que sicut fuit de arbore spinosa, quod nulla in se habuit spinam. Ideo cantat de ea ecclesia: «sicut spina rosam, genuit Iudea Mariam».

Tertio, uirgo Maria comparatur rose quo ad medicinam, nam est odorifera inter omnes flores, et sic dicitur “flos florum”, sic Maria “uirgo uirginum”. Et sic dicit Iohannes Mesue quod: «rosa est de medicinis benedictis, nullam in se habens malitiam», sic uirgo benedicta inter mulieres, etcetera. Ideo dicit Auicena De Viribus Cordis quod rosa confortat cor, sic uirgo Maria confortat fidem, que situatur in corde, unde ad Romanos decimo capitulo: *corde creditur ad iustitiam*, etcetera. Sicut rosa ualet contra dolorem capitis, ut dicit Serapion, auctore Dioscorides, sic uirgo Maria contra superbiam que facit capitis dolorem. Et sic dicit: *ego quasi plantatio rose in Hiericho*. Fuit autem plantata uirgo, non seminata, in Hiericho, id est, in mundo, uel in uentre matris Anne a Deo, nam quod seminatur non eligitur, nec sic preparatur terra ad seminationem sicut ad plantationem arborum. Et sic uirgo Maria fuit plantata et preseruata et electa in sui conceptione, quod nunquam de aliqua pura creatura fuit dictum nec repertum.

Secundo, uirgo Maria comparatur platano in eius natiuitate propter tria.

Primo, quia platanus est arbor maxime delectabilis in uiriditate, sic uirgo Maria in sua natiuitate, unde ecclesia de ea cantat: «natiuitas tua, Dei genitrix uirgo, gaudium attulit uniuerso mundo».

Secundo, ratione medicine, nam platanus habent folia ampla ad modum ficus, sed salutifera. Nam sicut folia ficus, quibus Eua fuit cooperta, fuerunt nobis causa mortis, unde

167: Sir. 50, 8. | 169: Ct. 2, 10-11. | 173: Gn. 3, 17-18. | 182-183: Rm. 10, 10. | 185: cf. Sir. 24, 18.

177: cf. Fulb., *Hymn.*, XI. PL 141, 345A. | 180: cf. Io. Mes., *De Simpl. Med.*, lib. 2, c. 10, f. 59v. | 181: cf. Avi., *De Vir. Cor.*, II, R, p. 339. | 183-184: cf. Io. Ser., *De Simpl. Med.*, c. CVIII, p. 89; cf. Diosc., *De Mat. Med.* (vol. 1), I, c. 130, p. 123. | 192-193: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Resp. sive Anti. de Nat. S. M., ad uesperas. PL 78, 802B.

Genesis tertio: *consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata*, etcetera. Sed folia uirginis Marie, que fuerunt uerba humilia, fuerunt salutifera, nam ut dicit Galenus: «folia platanus ualent pro apostematibus uulnerum et mundificant uulnera antiqua», sic uerba uirginis dicens: *ecce ancilla domini*, non sanant, sed preparant ad sanitatem. Sic uirgo Maria non sanauit, sed  
 200 preparauit uulnus peccati, ut sanitatem reciperet per filium, quo sanum fuit peccatum. Et sic dicunt doctores quod fructus platani ualet contra morsum serpentis. Sic Christus contra peccatum originale, quod fuit per uerbum serpentis seminatum.

Tertio, uirgo Maria comparatur platano, quia ut dicunt doctores, si puluis cadat supra folia platanus uel supra fructum, causat cecitatem oculorum. Sic est de uirgine Maria, que  
 205 est uera platanus, et de fructu, scilicet: Christo, nam si puluis terre cadat supra istos, scilicet: credendo ipsum fore hominem terrenum et non celestem, nam ut dicit Apostolus prima Corinthiis decimo quinto: *primus homo de terra terrenus, secundus de celo celestis*, talis efficitur cecus; et credendo uirginem fore similem aliis mulieribus et non esse matrem Dei, similiter, ut fuit Machometus, qui talia credidit, et sic puluis platani cecidit super oculos suos et  
 210 excecatus fuit. Et sic dicit: *quasi platanus exaltata sum iuxta aquam*, quia munda est existimanda et limpida et non cum terreno puluere.

Tertio, uirgo Maria dicitur “palma” in filii eius conceptione tripliciter.

Primo, ratione arboris, nam palma arbor sursum est lata, interius angusta, et quantum descendit in terram tantum ascendit sursum. Sic uirgo Maria lata sursum quo ad celestia,  
 215 stricta deorsum spernens mundum; quantum descendit per humilitatem tantum ascendit, quia fuit facta mater Dei dum dixit: *ecce ancilla domini, fiat*, etcetera.

Secundo, patet hoc ratione conceptionis siue quo ad modum concipiendi. Nam palma concipit cum societate, sed non de societate, nam ut dicunt doctores ad hoc, ut fructificet, opus quod plantentur masculus et femina, et tunc femina producit fructum, alias non. Sic  
 220 uirgo Maria concepit cum societate, scilicet: cum sponso, et dum esset desponsata, sed non de societate, sed de spiritu sancto. Quare uoluit Christus concipi de desponsata non est presentis speculationis pro nunc, etcetera.

Tertio, ratione fructus, ut dixi in sermone secundo huius festiuitatis, nam fructus palme habet tria, scilicet: corticem rubeum, qui significat carnem; secundo, habet carnositatem, in  
 225 qua sunt omnes sapes, scilicet: mellis, uue, ficus, etcetera. Sic Christus animam, in qua erant omnes gratie et perfectiones omnium, etcetera; tertio, habet inter ossum uel lapidem sine semine et sine uacuitate, quod significat diuinitatem eternam sine semine, sed ab illa est omne semen. Non habet uacuitatem, ut est in ceteris fructibus, quia ut dicit Apostolus: *creatura uanitati subiecta est*, ad Romanos octauo. Et sic dicit: *quasi palma exaltata sum in Cades*.  
 230 Secundum Hieronymum, “Cades” interpretatur “sanctam” uel “translata fons” uel “mare” uel “principium plasmationis”. Ista omnia dicuntur de uirgine Maria in conceptione filii sui, nam tunc fuit sancta, non quod ante non fuerit sancta, sed tunc excellenter translata de sancta in maximam sanctitatem, nam dixit illi angelus: *auē gratia plena*, sed iterum dixit: *spiritus sanctus superueniet in te*, etcetera. Tunc autem fuit mare omnium gratiarum; tunc fuit  
 235 fons, de quo ortum habuit riuulus uerbi Dei; tunc dici potuit principium plasmationis Christi, quia ipsa sola fuit principium sine uiro. Nam ceteri principiantur a patre et matre,

196: Gn. 3, 7. | 198-199: cf. Lc. 1, 38. | 207: I Cor. 15, 47. | 210: cf. Sir. 24, 19. | 216: cf. Lc. 1, 38. | 229: Rm. 8, 20. | cf. Sir. 24, 18. | 233: cf. Lc. 1, 28. | 234: cf. Lc. 1, 35.

197-198: Galenus] cf. Avi., *Can.* (vol. 1), lib. II, trac. 2, D, c. 214, p. 296. | 230: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, VT, Gn., C. PL 23, 776A.

197: Platanus] X platani.

sed Christus in quantum homo a sola matre quo ad carnem uel corpus, etcetera. Et sic uirgo Maria appropriatur his tribus arboribus antequam familiariter cum filio conuersaretur.

240 Secundo, uirgo Maria comparatur aliis tribus arboribus in uita sua et filii conuersatione, scilicet: oliue, cedro et cipresso.

Primo, oliue comparatur in filii natiuitate tripliciter uel quo ad tria.

245 Primo, ratione fructificationis, nam sicut oliua nunquam unum germen solum producit, sed producendo unum principale producit multa minus principalia, unde Psalmi quinquagesimo primo habetur: *ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei*, sic uirgo Maria in ecclesia producendo Christum filium suum naturalem produxit multos filios adoptiuos, unde Psalmi centesimo uicesimo septimo: *sicut nouelle oliuarum*, etcetera. Et sic omnes christiani sumus filii uirginis Marie, sic sumus fratres Christi, unde in Psalmo uicesimo primo: *narrabo nomen tuum fratribus meis*. Et sic dixit Christus Magdalene, Iohannis uicesimo: *uade ad fratres meos*, etcetera. Sic oliue arbor producit multos filios, qui inter se sunt tres, et licet unus sit excellentior aliis, omnes tamen ab una radice procedunt. Sic Christus excellentior cunctis, qui est Deus et homo, et non spiritus illi ad mensuram datus, sed alii christiani sunt etiam filii et fratres a radice gratie, que a Christo est.

255 Secundo, comparatur oliue ratione significationis, nam oliua, ut dicit Plinius et alii multi, significat pacem. Nam romani quando erant in exercitu contra inimicos, inter illos securi pergebant si ramum oliue in manu portabant, nam illud erat signum pacis. Et sic uirgo Maria mediante ramo, scilicet: Christo, dedit pacem mundo, unde Apostolus ad Colossenses primo: *pacificans que in celis*, etcetera. Figura huius habetur Genesis octauo, de columba que in signum pacis portauit ramum oliue ad arcam. Que columba significauit uirginem Mariam.

260 Sed si dicis: si erat columba, igitur non oliua. Dicendum quod sic, nam si ramus oliue fuit sumptus ex uirgine, igitur uirgo fuit oliua. Nam significatur per diuersas res quo ad diuersa. De ista pace loquebantur angeli in die natiuitatis, quando dixerunt: *gloria in altissimis et in terra pax*.

265 Tertio, comparatur oliue ratione fructus, qui significat misericordiam. Fructus autem oliue primo est uiridis, secundo rubeus, tertio niger.

Sic Christus fructus Marie, de quo dicit Elisabeth: *benedictus fructus uentris tui*, fuit uiridis in uita plenus uirtutibus.

Secundo, rubeus in passione, unde Isaie sexagesimo tertio: *quare rubrum est indumentum tuum*, etcetera?

270 Tertio, niger in morte, unde Apocalypsis sexto: *sol factus est niger*, etcetera.

Et sicut fructus oliue, ut dicit Isidorus, habet tria, nam ualet ad cibum, ad uisum et ad medicamentum, sic Christus.

---

244: Ps. 51, 10. | 246: Ps. 127, 3. | 248: Ps. 21, 23. | 249: Io. 20, 17. | 257: Col. 1, 20. | cf. Gn. 8, 11. | 262-263: cf. Lc. 2, 14. | 266: cf. Lc. 1, 42. | 268-269: Is. 63, 2. | 270: Apc. 6, 12.

253: cf. Plin., *Nat. Hist.* (vol. 2), XV, 1, 1, 1, pp. 511sq. | 271: cf. Isid., *Etym.*, XVII, 7, 62. PL 82, 618C.

257: Primo] M, X secundo.

Primo, fuit cibus angelorum et hominum, unde dicit: *ego sum panis*, etcetera. Item: *caro mea uere est cibus*, etcetera.

275 Secundo, est lumen, unde dicit Iohannis duodecimo: *ego lux ueni in mundum*. Item Iohannis primo: *erat lux uera*, etcetera.

Item est medicina, unde dicit Iohannis decimo: *ego ueni ut uitam habeant*, etcetera. Et sic, cum iste fructus fuerit Marie uirginis et fuerit misericordie, ipsa dicitur “mater misericordie”, et non solum misericordie, sed maxima misericordiarum, et non solum maxima, sed uniuersalis misericordia. Ideo dicit: *quasi oliua*, ratione misericordie. Item dicit: *speciosa*, quo ad maximam misericordiam omnium. Item tertio dicit: *in campis*, ratione uniuersalitat<sup>is</sup> misericordie. Non enim est in hortis clausa, sed patens in campis omnes ad illam inuitans. Vnde dicit Bernardus quod «Maria copiosissima misericordia omnibus debitorum se fecit, omnibus misericordie sinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant uniuersi», etcetera.

285

Secundo, uirgo Maria comparatur cedro in eius uita, ut dictum est in sermone precedente, sed maxime in filii a regibus adoratione tripliciter.

Primo, quia cedrus a doctoribus dicitur “regina arborum” in altitudine, sic uirgo Maria tunc ostensa fuit regina omnium, quando in manibus suis habuit illum regem, qui a tribus regibus in persona omnium regum mundi fuit adoratus. Et sic nunquam proprium filium dimisit usque ad passionem, quo tempore ad pedem crucis stabat, unde ait Iohannes capitulo decimo nono: *stabat iuxta crucem Iesu mater eius*. Et sic inferior pars crucis, que intrabat petram, erat cedrina, que Christi matrem figurabat, in qua parte crucis restitutus fuit sanguis Christi quem de uirgine acceperat. Et sicut cedrus est incorruptibilis, sic uirgo Maria. Et sicut ligna templi fuerunt de cedro, ut dicitur tertio Regum quinto, sic caro Christi ueri templi uel uirgo: «que templum domini fuit et sacrarium spiritus sancti», etcetera.

290

295

Secundo, comparatur cedro ratione fructus, nam semper in hac arbore reperiuntur flores et fructus acerbi et maturi, quod de uirgine recte dicitur.

300

Primo, respectu suiipsius, nam opera hominum dicuntur fructus. Sic in uirgine Maria fuerunt in triplici differentia.

Primo, operationes precedentes liberum arbitrium dici poterant flores.

Secundo, operationes sequentes liberum arbitrium in uita presenti dici poterant fructus acerbi. Non quod non essent meritorie, sed respectu illarum operationum que erunt in gloria que erunt fruitionis a fructus maturitate.

305

Tertio, fuerunt in uirgine fructus maturi in hac uita, ut non posse peccare et similia, que nulli alteri in hac uita communicatum fuit nisi uirgini. Item hoc potest considerari respectu Christi filii sui, qui dicitur fructus uirginis, nam in illo fuit flos, scilicet: caro pretiosa, unde Psalmista: *refloruit caro mea*, etcetera, Psalmi uicesimo septimo. Anima eius fuit uiridis a uirtute, nam plena omnium uirtutum et gratiarum diuinitas fuit matura plena omni

310

---

273: cf. Io. 6, 51. | 273-274: cf. Io. 6, 56. | 275: Io. 12, 46. | 276: Io. 1, 9. | 277: Io. 10, 10. | 280-281: cf. Sir. 24, 19. | 292: Io. 19, 25. | 295: cf. III Rg. 5, 6. | 309: Ps. 27, 7.

283-285: cf. MF. Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, II. PL 183, 430D. | 296: cf. Bed., *Hom.*, LXXI. PL 94, 453A.



suauitate, et ista sunt illa tria que erant in Christo secundum Augustinum, scilicet: «eternum, nouum et antiquum».

315 Tertio, comparatur cedro quo ad medicinam, nam cedrus curat uulnera pulmonis circa cor, sic uirgo curat uulnera infidelitatis que sunt in corde. Nam: *corde creditur ad iustitiam*, ut dicit Apostolus ad Romanos decimo. Refrigeratur autem duabus alis pulmonis, scilicet: quo ad diuinitatem et humanitatem, ideo cantat ecclesia: «cunctas hereses sola interemisti», etcetera. Item cedrus mediante sale liberat a morsu serpentis. Sic uirgo Maria mediante filio suo, qui est sal sapientie, liberat a morsu serpentis, id est, a demone. Et sic recitando adorationem regum quo ad illam uenerunt et filium in manibus suis inuenerunt. Dicit uirgo: 320 *quasi cedrus exaltata sum in Libano*, nam sicut a Libano, in quo sunt arbores alte cedri, de cuius radicibus exeunt duo fontes, scilicet: Ior et Dan, qui uniuntur in radice montis circa Cesaream Philippi, in qua Petrus confessus fuit dicendo: *tu es Christus filius Dei uiui*, sic in adoratione regum erat uirgo Maria cum filio suo, in quo duo illa, scilicet: duo fontes, erant, scilicet: diuinitatis et humanitatis, iuncto in uno supposito diuino confessa in Cesarea 325 Philippi a Petro et in sua confessione iuncta. Et quia tunc uirgo Maria in reginam fuit exaltata tunc a regibus, igitur dicit: *quasi cedrus exaltata sum in Libano*, etcetera.

Tertio, Maria comparatur cipresso in Christi morte tripliciter.

330 Primo, ratione arboris, quia est arbor alta, recta et solida. Sic uirgo Maria alta, quia mater Dei et regina angelorum; recta, sine peccato nullam curuitatem peccati in se habens; solida, sine concauitate cordis, quia fuit plena in corde et nullam titubationem fidei habens tempore passionis Christi, ut ceteri apostoli.

335 Secundo, ratione medicine comparatur illi, quia cipressus expellit serpentes et uermes, sic uirgo Maria demones et malas cogitationes, unde dicitur: *terribilis ut castrorum acies*, etcetera. Et sic dicit Galenus quod cipressus est totaliter salutifera in foliis, in ligno et in fructu, sic Maria in uerbis, factis et filio.

340 Tertio, comparatur cipresso in proprietatibus illius, nam est arbor alta in celum directa, sic Maria post filii mortem cupiebat esse in celo cum illo. Item dicit Plinius quod est arbor consecrata mortuis, sic uirgo accepit filium suum in manibus sumptus a cruce, etcetera. Item est arbor que non incuruatur maximo pondere. Sic uirgo non fuit incuruata pondere passionis filii nec mortis eius. Item dicit Ambrosius quod licet arbor ista ascendat in altum plusquam pinus, hec nunquam a uento nec tempestate suam coronam perdidit, ut pinus. Sic Maria uirgo in Christi passione et morte nunquam coronam martyrii perdidit, immo recuperauit, ut dicit Hieronymus, quod econuerso fuit in aliis arboribus, scilicet: in apostolis et discipulis, qui eo relicto omnes fugierunt. Ideo dicit uirgo Maria de illo tempore passionis 345 et mortis Christi quod fuit quasi cipressus in monte Sion.

Tertio, comparatur aliis tribus post Christi ascensionem. Et primo, cinamomo tripliciter.

Primo, ratione complexionis, nam ut dicit Auicena in secundo, est calidum et siccum. Sic Maria fuit calida per charitatem et sicca separata ab humiditate carnis et concupiscentie.

---

314: Rm. 10, 10. | 320: cf. Sir. 24, 17. | 322: cf. Mt. 16, 16. | 326: cf. Sir. 24, 17. | 333: cf. Ct. 6, 3.

311-312: Augustinum] *Auctor err.* cf. MF. Bern. Cl., *De Cons.*, V, 10, 23. PL 182, 801C. | 316: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In tertio nocturno. PL 78, 746B. | 334: Galenus] cf. Avi., *Can.* (vol. 1), lib. II, trac. 2, C, c. 150, p. 285. | 337: cf. Plin., *Nat. Hist.* (vol. 3), XVI, 33, 60, 139-140, p. 36. | 340: cf. Ambr., *Hex.*, III, 11, 47. PL 14, 175BC. | 343: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 14. PL 30, 138A. | 347: cf. Avi., *De Vir. Cor.*, II, C, p. 335.

350 Secundo, quia cinamomum non habet odoris suauitatem dum est uiride, sed dum est sicca. Sic uirgo in presentia filii et etiam in uita sua non reputabatur nisi una aliarum mulierum, sed post mortem habuit odorem suauissimum per famam miraculorum suorum. Item cinamomum non siccari debet in facie nec in presentia solis, sed ad umbram et in eius absentia. Sic uirgo Maria non debuit mori in presentia Christi patientis et morientis, nec ille permisit, sed in absentia eius, scilicet: post illius ascensionem.

355 Tertio, quia cinamomum expellit frigiditatem a stomacho et confortat cor, ut dicit Auicena De Viribus Cordis, et ualet contra uenenum. Sic uirgo Maria inflammat cor per charitatem et ualet contra omne peccatum. Item dicit Platearius quod «cinamomum seruatur duodecim annis». Sic uirgo Maria, nam post duodecim annos a Christi ascensione fuit assumpta in celum, et duodecim annis pro utilitate ecclesie fuit conseruata in uita  
360 presenti. Et sic anno duodecimo uenit angelus Gabriel ad uirginem a Deo missus, etcetera, dicens quod prepararet se ad Christi thalamum. Et sic ipsa gaudens uocauit ancillam et socias mulieres, etcetera, et uenerunt omnes apostoli ad ipsam, ut dicunt doctores, maxime sanctus Cosmas et Germanus archiepiscopus Constantinopolitanus, et Dionisius, qui dicit se esse presentem et sic pone hic partem historie festiuitatis, que patet ex precedentibus  
365 sermonibus. Et sic dicit: *sicut cinamomum*, etcetera, *odorem dedi*, etcetera.

Secundo, comparatur balsamo tripliciter.

Primo, quo ad hortum suum, nam ut dicit Plinius, nata fuit hec arbor in Iudea, sed transplantata alibi. Sic uirgo Maria nata in Iudea, sed per apparitionem transplantata aliunde, ut patet in Hispania in ciuitate Cesaraguste, in qua fuit a beato Iacobo uisa et etiam  
370 in multis aliis locis.

Secundo, dicit Isidorus quod: «oleum balsami fortius sumit radium solis quam aliquis alius liquor et non potest in manu sustineri cum calore solis». Et sic uirgo, cum radius solis sit filius Dei a patre uero sole, de quo cantat ecclesia in Symbolo: «lumen de lumine, Deum uerum de Deo uero», etcetera, dum substantia purissima uirginis fuit iuncta cum illo radio a  
375 mundo non potuit sustineri.

Tertio, comparatur illi quo ad proprietates, nam balsami arbor non consentit ferrum. Sic uirgo Maria non fuit permissa uulnerari a ferro, nam quando dicitur: *tuam ipsius animam pertransibit gladius*, non fuit ille gladius ferreus, sed doloris anime.

Secundo, non corrumpitur, sed seruat corpora incorrupta. Sic uirgo nullam in se  
380 sustinuit corruptionem, sed ab omni corruptione seruauit.

Tertio, ualet contra uenenum, sic illa contra peccatum.

Quarto, cognoscitur esse uerum, nam aliquando falsificatur uel adulteratur oleo caprino aut lentiscino aut mirtino uel melle mixto, sed cognoscitur esse uerum, si mediante eo lac coagulatur. Item cum sit oleum, si ponatur in ueste non maculat, sed mundificat. Item si  
385 ponatur in aqua non supernatat, sed ad profundum tendit, sic uirgo Maria. Primo, habuit uirtutem coagulandi, nam alia corpora hominum fuerunt mediante coagulo originalis

---

365: cf. Sir. 24, 20. | 377-378: cf. Lc. 2, 35.

356: cf. Avi., *De Vir. Cor.*, II, C, p. 335. | 357-358: cf. Mat. Plat., *De Simpl. Med.*, C, c. XVI, f. 13r. | 367: cf. Plin., *Nat. Hist.* (vol. 2), XII, 25, 54, 111, p. 413. | 371-372: cf. Isid., *Etym.*, XVII, 8, 14. PL 82, 623AB. | 373-374: cf. *Missa latina*. PL 138, 1321D.

357: Platearius] M, X Plateanus. | 358: Annis] M anis.

peccati coagulata, preterquam corpus Christi, unde Iob dicebat in capitulo decimo ad excusationem sui peccati: *nonne sicut lac mulsisti me et sicut caseum me coagulasti*, scilicet: cum peccato originali, quod dat infectionem carni, etcetera. Sed corpus Christi in uentre uirginis  
 390 non fuit cum illo coagulo coagulatum, sed mediante balsamo, id est, uirtute spiritus sancti, etcetera. Similiter uirgo non maculat, sed maculas mundificat. Item non tendit sursum, sicut demon et Adam et Eua per superbiam, sed ad profundum per humilitatem. Et quia uirgo fuit balsamum purum, dicit Ecclesiastici uicesimo quarto: *quasi balsamum non mixtum odor meus*. Et sic uirgo Maria dicit: *quasi balsamum aromatizans*, etcetera, nam uisa annuntiatione  
 395 angeli, uirgo uocauit Iohannem suum presbyterum, ut missam celebraret in capella cenaculi antequam indueretur uestibus sacerdotalibus. Petiit uirgo ut Iohannes illam audiret de confessione, ut dicit Albertus Super Missus Est.

Si autem dicis: quare non confessa fuit a Petro, qui erat summus sacerdos, cum ipsa fuerit summa et superior omnium? Dicendum quod non decebat, nam superior non debet  
 400 se intromittere de subditis inferioris, nisi in casibus reseruatis, uirgo nullum tale habuit, igitur, etcetera. Igitur dicit Albertus Magnus Super Missus Est quod Iohannes Euangelista audiuit uirginem de confessione, quia illi fuerat commissa a domino.

Et si dicis: ordo est inter confitendos et confessos et sic summus confessor debuit audire summa confitentium, sed hec fuit Maria uirgo et summus sacerdos fuit Petrus, igitur,  
 405 etcetera. Dicendum quod summus confitentium est maximus peccatorum et illum debet audire summus confessorum, ut est papa, nam talis habebit peccata sic grauiam quod solus papa poterit absoluere. Sed uirgo Maria non fuit in hoc genere summa et superior omnium, immo fuit inferior omnium, cum nullum habuerit peccatum. Et sic Iohannes debuit illam audire, ut fecit, etcetera. Sed contra uidetur quod uirgo Maria non fuerit confessa, nam cum  
 410 baptismus sit ianua sacramentorum, illa non fuit baptizata, igitur nec confessa. Et uidetur quod non fuerit baptizata.

Primo, quia baptismus est medicina contra peccatum originale, sed illa non contraxit illud, igitur, etcetera.

Secundo, si uirgo Maria reciperet sacramentum et non rem sacramenti, scilicet: gratiam, qua peccatum tollitur esset ficta, nam dicit Augustinus quod ficte uenit ad sacramentum qui  
 415 illud recipit et non rem, sed uirgo Maria esset talis quod non est dicendum, nam ut habetur Sapientie primo: *spiritus sanctus discipline effugiet fictum*, etcetera.

Tertio, Christus, qui fuit baptizatus, de quo legitur et habetur in scriptura. Igitur a simili, si uirgo fuisset baptizata de ea legeretur, sed non legitur, igitur, etcetera.

Quarto, sicut de purificatione uirginis fit festum, a fortiori fieret de baptismo illius, sed non fit, igitur non fuit baptizata.

Quinto, cum perfectius sit sanctificari uel preseruari quam baptizari, frustra uirgo baptizaretur.

Sexto, non habuit causam uirgo Maria baptizandi sicut Christus, quia ille per baptismum  
 425 «uim regeneratiuum contulit aque», sed illa nihil contulit, igitur, etcetera. Sed in oppositum

---

388: Iob. 10, 10. | 393-394: Sir. 24, 21. | 394: cf. Sir. 24, 20-21. | 417: Sap. 1, 5.

397: cf. Alb. Mag., *Mar.*, XL, p. 79b. | 415: cf. Aug. Hipp., *De Bap. Con. Don.*, I, 12, 19. PL 43, 119D-120A; Petr. Lom., *Sent.*, IV, 4, 2. PL 192, 846D-847A. | 425: cf. Bed., *Exp. In Ev. Lc.*, I, 3. PL 92, 358B; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 38, a. 5, p. 292.

est communis schola doctorum, maxime Albertus Magnus Super Missus Est et etiam sanctus Thomas in quarto, distinctione sexta, questione prima, articulo primo, questiuncula tertia, obiectione; et in tertia, questione sexagesima octava, primo ad tertium. Et in predictis locis dicit de omnibus sanctificatis in utero quod tenentur et debent baptizari propter tria.

430 Primo, ut suscipiant caracterem.

Secundo, ut configurentur passioni Christi.

Tertio, ut Christo obediant, qui precepit ut omnes baptizarentur, si possunt, etcetera. Et sic patet de uirgine quod fuerit baptizata, restat igitur respondere argumentis.

435 Ad primum dicitur quod uirgo Maria non recepit baptismum contra peccatum originale, quia ab illo fuit preseruata, sed medicina, licet primo instituatur ad tollendum morbum, nihilominus ualet ad multa alia, scilicet: ad preseruandum a morbo et ad ualitudinem augmentandum, etcetera. Sic de sacramentis. Et sic per baptismi assumptionem uirgo Maria non fuit sanata a peccato, quia illud non habebat, sed fuit aucta in ea gratia per obedientiam et humilitatem, etcetera.

440 Ad secundum dicitur quod uirgo Maria non fuit ficta in sacramento, nam non solum sacramentum, sed rem sacramenti, scilicet: gratiam, recepit.

Ad tertium dicitur quod multa sunt de Christo scripta que non sunt de uirgine Maria. Ratio est: quia Christus fuit uniuersale exemplar et in omnibus erat sequendus, sic in proposito.

445 Ad quartum dicitur quod non debet fieri festum de baptismo uirginis sicut de illius purificatione. Nam de purificatione uirginis non solum fit festum propter uirginem, sed propter Christum, qui fuit templo presentatus. Et sic in oratione illius festiuitatis dicitur: «sicut unigenitus tuus cum nostre carnis substantia in templo est presentatus, ita nos facias», etcetera.

450 Ad quintum dicendum quod licet perfectius fuerit sanctificari uel preseruari quam baptizari, non fuit superfluum baptizari, quia aliquid recepit per baptismum quod non receperat per preseruationem, ut recipere caracterem. Et licet maior gratia recipiatur in sanctificatione uel preseruatione quam in baptismo simpliciter, sed maior fuit gratia iuncta gratia baptismatis illi quam sola, quia omne tale additum tali augmentat illud.

455 Ad sextum dicitur quod uirgo Maria non habuit talem causam baptizandi, ut aquam sanctificaret, etcetera, sicut Christus, sed habuit aliquas causas, scilicet: recipiendi, caracterem configurari et augmentum gratie recipere, que in Christo non fuerunt, etcetera. Et sic uirgo Maria potuit alia sacramenta suscipere postquam baptismum ianuam sacramentorum susceperat. Sed adhuc uidetur quod sacramentum penitentiae non reciperet.

460 Primo, quia cum «penitentia sit secunda tabula post naufragium», uirgo Maria nunquam passa fuit naufragium, igitur non indigebat penitentia.

Secundo, quia confessio est ficta sine dolore contritionis, sed uirgo Maria dolorem talem non habuit. Igitur si fecte confiteretur, peccaret, quod non est dicendum.

---

426-428: cf. Alb. Mag., *Mar.*, XLIII, 2, p. 84a; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 7), lib. 4, dist. 6, q. 1, a. 1, qc. 3, p. 424; *S. Tb.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 68, a. 1 ad 3, p. 540. | 448-449: cf. Gre. Mag., *Lib. Sacr.*, IV nonas februarii. *PL* 78, 46A. | 460: cf. Hier., *Ep.*, CXXX, 9. *PL* 22, 1115BC.

465 Tertio, confessio est de peccatis. Hec nullum peccatum habuit, igitur, etcetera. Sed dicendum quod uirgo Maria confessa fuit ipsi Iohanni Euangeliste, ut diximus. Non fuit confessa, cum non haberet et falsum diceret, sed indignitatem gratiarum et insufficientiam. Quo ad illas confessio uel penitentia enim fuit precepta, igitur ut preceptum obseruaret oportebat, unde Christus dixit, Marci primo: *penitemini et credite euangelio*. Cum uirgo seruauerit omnia precepta, etiam hoc, etcetera.

470 Item patet quia, cum uirgo Maria seruauerit confessionem operis in purificatione, igitur debuit confessionem oris seruare, etcetera. Item cum penitentia sit uirtus, clarum est quod, si uirgo Maria illam non habuisset, quod non haberet omnem uirtutem, quod est contra doctores, maxime contra Hieronymum et Bernardum et multos, igitur, etcetera. Et sic confessa fuit. Ad argumenta respondetur.

475 Et ad primum dicitur quod uirgo Maria, licet nunquam naufragium innocentie habuit, quia nunquam peccauit, sed sicut primam tabulam, scilicet: baptismi, sine necessitate accepit, sic secundam penitentie. Et hoc fecit propter obedientiam et propter preceptum et propter exemplum aliorum et ad tollendum errores contra penitentiam et dicentium ipsa esse angelum, etcetera. Patet hoc per exemplum: nam si quis haberet nauem optimam et  
480 diceret aliis quod, si nauis rumperetur per fortunam, quod quilibet acciperet tabulam ab ea si posset, et sic saluaretur. Si illi essent increduli et inexperti de illo negotio, ille talis nauta relicta nauis acciperet tabulam que esset supra nauim et nataret cum illa tabula. Non faceret hoc propter fracturam nauis, quia sana erat, sed faceret illud ad conuincendum illos et ad instruendum eos. Sic uirgo fecit in proposito, etcetera.

485 Ad secundum dicendum quod uirgo Maria non uenit ficta ad confessionem, quia non intendebat dolorem de peccatis, sed augmentum suiipsius gratie et obedientiam precepti et humilitatem et exemplum aliorum. Etiam dolebat non de peccatis, sed de uirtutibus sibi commissis quod de illis non tantum Deo seruiuit quantum secundum dignitatem diuinam debuit. Et de illo non erat in culpa, quia fecit quidquid potuit et amplius non tenebatur.

490 Ad tertium dicendum quod non confessa fuit peccatum, sed alia dicta et propter alias rationes dictas. Et sic uirgo Maria confessa fuit Iohanni, cui fuerat commissa a Christo. Et post confessionem et Iohannis celebrationem uirgo Maria recepit corpus domini per communionem.

495 Sed dices: uirgo Maria non debuit sacramentum eucharistie recipere. Primo, quia triplex fuit causa institutionis illius. Prima, propter charitatis augmentum; sed cum in uirgine fuerit maxima charitatis, propter hoc non. Secunda, ad remissionem uenialium et cautelam mortalium; sed cum ipsa nullum peccatum habuerit, nec propter hoc, quia semper habuit «iugem memoriam filii passionis» et nunquam oblita fuit, quia, ut dicit Albertus, fuit Christi formis quo ad sensum et Dei formis quo ad intellectum, etcetera. Dicendum, ut dicit idem  
500 Albertus Super Missus Est, quod uirgo Maria non solum eucharistiam, sed etiam omnia sacramenta, preter sacramentum ordinis, recepit propter multas rationes.

505 Primo, propter suiipsius humiliationem; secundo, propter scandali uitiationem; tertio, propter precepti impletionem; quarto, propter meritorum supererrogationem; quinto, propter heresum confutationem, scilicet: propter hereses insurgentes contra uirginem uel contra sacramentum eucharistie; sexto, propter perfectorum eruditionem, ut: *qui sanctus est*

---

468: Mc. 1, 15. | 505-506: Apc. 22, 11.

473: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. *PL* 30, 127A; cf. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 6. *PL* 183, 428B. | 498: cf. Alb. Mag., *De Lau. B. M. V.*, V, 2, p. 298. | 500: cf. Alb. Mag., *Mar.*, XLIII, 2, pp. 83bsq.

*sanctificetur adhuc*, Apocalypsis uicesimo secundo; septimo, ad peccatorum redargutionem. Omnes iste septem rationes possunt reduci ad illas tres rationes, quas ponit Magister et doctores in quarto Sententiarum dicens quod: «sacramenta fuerunt instituta propter tria. Primo, propter humiliationem; secundo, propter eruditionem; tertio, propter exercitationem». Et sic uirgo, dum missam perficeret beatus Iohannes, uoluit sacramentum eucharistie recipere. Primo, propter impletionem precepti dicens: *nisi manducaueritis carnem filii hominis non habebitis uitam in uobis*, ex quo precepto omnes obligantur. Item ad uitandum scandalum, etcetera. Item quia est sacramentum amoris et uirgo Maria super omnes amauit Christum. Et sic in illo sacramento uirgo Maria recepit meritorum augmentationem et uirtutum exercitationem et deuotionis. Item contra corporalem absentiam filii consolationem. Et sic dum Iohannes in manibus post missam teneret corpus Christi, uirgo Maria lacrimas erat uerus balsamus. Rigabat enim per guttas lacrimarum pectus et ubera dicendo: “o fili dulcissime, ego recipio quod pepereris et adoro quod genui, o dator gratie, da mihi augmentum illius”, etcetera.

520 Tertio, uirgo Maria comparatur murre tripliciter.

Primo, sicut murra seruat corpora incorrupta, sic Maria uirgo.

Secundo, murra confortat cerebrum et uirtutem motiuam, sic uirgo Maria.

Tertio, significat mortem, et sic dicit: *quasi murra electa dedi*, etcetera. Dicit “electa” quia murra est triplex, ut dicunt doctores.

525 Prima est gutta manens a sole, ut rasina pini propter calorem solis.

Secunda est que manat per cissuram ossis, et hec non est sicut prima.

Tertia est que manat quando arbor destruitur per cissuram arboris totalem. Et sic est triplex mors.

530 Prima Christi, que facta fuit propter calorem charitatis, unde ait Propheta tractando de causa Christi passionis, dicit: *zelus domini exercituum faciet hoc*, etcetera, Isaie nono. Et hec mors est pretiosior cunctis.

Secunda est mors uirginis Marie, nam sicut illa murra causatur per apertura lateris arboris sine morte arboris, sic mors Christi in passione Christi fuit causata ex apertura lateris Christi sine morte Marie.

535 Tertia mors est per cissuram arboris quando moritur et exterminatur. Hec est mors aliorum. Et quia uirgo Maria fuit mortua non ex peccato suo, sed ut mortalitatem daret Christo, ideo dicit ipsa: *digiti mei distillauerunt murram*, scilicet: mortem Christi, que fuit a uirgine communicata. Et quia mors Christi fuit electa et assumpta ab eo, mors aliorum contracta per peccatum proprium. Mors Christi fuit media inter istas, ideo dicit ipsa de sua morte quod fuit “quasi murra electa”, id est, quasi mors Christi. Quia sicut Christus mortuus fuit non propter peccatum proprium, sed Ade, sic ipsa non propter peccatum proprium, sed propter peccatum Ade, ut Christo satisfacienti per mortem daret

---

511-512: Io. 6, 54. | 523: cf. Sir. 24, 20. | 530: Is. 9, 7. | 537: cf. Ct. 5, 5.

508-510: Petr. Lom., *Sent.*, IV, 1, 3. PL 192, 839D.

506: Vicesimo secundo] M, X uicesimo primo. | 511: Manducaueritis] M mandaueritis. | 514: Augmentationem] M augmentatonem.

545 mortalitatem. Sed licet fuerit similis illi, non tamen omnino, nam mors Christi fuit  
satisfactoria, non autem mors uirginis, sed quo adiuuans satisfactum. Sed mors Christi fuit  
cum maximo dolore et uirginis sine dolore, quia iam dolor fuerat solutus in morte Christi,  
etcetera. Sed nota quod Adam poterat et debebat comedere ex omni ligno paradisi,  
preterquam de illo prohibito; sic nos debemus de omnibus his lignis et arboribus comedere  
et fructum sumere, preterquam de arbore prohibitionum, in quo est fructus. Non furtum  
550 facies, non mechaberis, non concupisces, etcetera. Sed de omnibus aliis bene possumus et  
debemus sumere fructum.

Primo, de rosa debemus sumere, exire a spinis peccatorum, unde Psalmi tricesimo  
primo: *dum configitur spina*, etcetera, et sic exire, ut dicit Psalmista, Psalmi decimo septimo:  
*cum sancto sanctus eris et cum uiro innocente innocens eris.*

555 Secundo, de platano sumamus emplastrum recordationis peccati, quia tunc maturatur  
infirmetas uel uulnus.

Tertio, de palma uictoriam peccati habere.

560 Quarto, de oliua exercere opera misericordie, unde Tobie quarto: *elemosyna a peccatis  
liberat*, etcetera. Vel aliter sumamus quattuor arbores simul, scilicet: palmam, oliuam,  
cedrum et cipressum, ex quibus facta fuit crux Christi, et fructus istarum est Christus  
crucifixus, qui debet a nobis inspici. Ille inducitur ad humilitatem, ad paupertatem, ad  
penitentiam, etcetera.

Post istas sex arbores, septimo sumamus cinamomum confortans cor, qui significat  
contritionem.

Octauo, balsamum guttorum significans lachrymosam confessionem.

565 Nono, murram, que significat satisfactionem per carnis mortificationem, etcetera.

Et qui ista colligit, mediante hac, que significat Mariam, habet hic gratiam, etcetera.

---

552: Ps. 31, 4. | 553: Ps. 17, 26. | 557-558: Tb. 4, 11.

SERMO CENTESIMVS QVARTVS ET SEXTVS IN DIE EODEM ASSVMPTIONIS VIRGINIS MARIE

<THEMA> *Astitit regina a dextris*, Psalmi quadragesimo quarto.

Originaliter ad laudem, gloriam et triumphum alme Dei genetricis, assumpta thema scribitur presens.

5 Sententia est philosophorum, maxime Aristotelis in quinto Physicorum et in secundo Celi et in multis aliis locis, quod extrema et distantia inter se non coniunguntur nisi mediante aliquo medio, in tantum quod, sicut idem Philosophus dicit secundo De Anima, si non esset medium inter potentiam uisuiam et uisibile lux candele, quantumcumque propinqua esset uisui non uideretur in uacua, hoc autem esset propter defectum medii. Est  
10 uerum quod duplex est medium, scilicet: propinquum et intrinsecum remotum, et extrinsecum. Exemplum: quando aliqui reges sunt distantes loco et uoluntate coniunguntur per aliquod medium, ut puta per legatum, tamquam per medium intrinsecum et propinquum, quia intrat usque ad secreta cordium illorum. Et etiam per nuntium epistolam de uno ad alium tamquam per medium extrinsecum et remotum, quia iste non intrat secreta  
15 istorum. Sic est inter uisum et obiectum uisibile, mediat species uisibilis tamquam medium intrinsecum et propinquum, nam intrat usque ad sensum exteriorem. Et tunc dicitur species sensibilis et intrat usque ad sensum interiorem, et tunc dicitur fantasma et denudatum intrat usque ad intellectum, et dicitur tunc species intelligibilis. Est etiam aliud medium remotum et extrinsecum, quod est aer medius inter potentiam et obiectum, et sine isto nunquam  
20 species sensibilis ueniret nec diffunderetur usque ad uisum uel auditum. Sic in proposito, inter Deum et mundum, que erant maxime distantie, fuit duplex medium: primum propinquum, scilicet: Adam; secundum remotum, scilicet: Eua.

Sed quodlibet medium debet habere tria. Primo, ut sit rectum; secundo, esse potens et propinquum; tertio, habere omnia bona in se. Et hec tria habuerunt Adam et Eua.

25 Primo: *fecit Deus hominem rectum*, Ecclesiastes septimo, et hoc non solum corpore, sed anima. Vnde Ouidius in libro Methamorphosis dicit quod: «omnia animalia sunt prona uersus terram, solus homo respicit in celum». Et sic Adam et Eua facti fuerunt recti utroque modo, quia in gratia creati. Ideo astiterunt, scilicet: recti.

30 Secundo, habuerunt maximam potestatem, quia fuerunt reges et principes totius mundi, et sic omnia illis obediebant.

Tertio, habebant omnia in sua potestate et sic fuerunt pleni gratia et uirtutibus et aliis bonis mundi, et sic ad dexteram Dei, id est, in potioribus bonis illius.

Et si in bono perseuerassent, omnia ista tria haberent, sed per peccatum omnia perdiderunt, que ad rectum medium requiruntur.

35 Primo, peccando fuerunt non recti nec astiterunt, sed inclinati ad terram ipsa Eua comedendo fructum ex arbore et Adam ex Eua, et sic proni in terram.

Secundo, dominium perdiderunt per peccatum, unde: *homo cum in honore esset non intellexit comparatus est iumentis*, etcetera, Psalmi quadragesimo octauo. Sic Eua cum esset regina facta fuit ancilla, quia qui facti peccatum seruus est peccati.

---

2: Ps. 44, 10. | 25: Ecl. 7, 30. | 37-38: Ps. 48, 21.

5: cf. Arist. Lat., *Phys.*, V, 3, 227a30, p. 202; cf. Th. Aq., *Comm. De Cael. Et Mun.*, II, 4, 6, (296a1), p. 145. | 7: cf. Th. Aq., *Comm. De Ani.* (vol. 4), II, 15, 7, (419a6), p. 351. | 26-27: cf. Ov., *Meta.*, I, vv. 84-85, p. 4.



40 Tertio, perdiderunt omnia. Et sic cum essent ad dexteram fuerunt positi ad sinistram, ut  
habetur Luce decimo: *homo quidam descendebat de Hierusalem in Hiericho et incidit in latrones*.  
Nam sicut exponit Beda et etiam Ambrosius quod homo, scilicet: Adam, “descendit ab  
Hierosolymis”, id est, a uisione triplicis pacis per culpam a paradiso, ubi quidquid erat in  
45 illo erat pax. Et sic descendit a pace ad Deum per obedientiam, ad seipsum per  
innocentiam, ad totum mundum per predominationem, descendit in Hiericho, id est, in  
nostram transmutationem et mortalitatem, que significatur per lunam. Nam Hiericho  
interpretatur “luna” secundum Augustinum et secundum Hieronymum propter  
uariationem ipsius. “Incidit in latrones”, id est, in demonum potestatem, secundum  
Ambrosium, qui spoliauerunt eum indumenta gratie et innocentie auferendo. Ideo Genesis  
50 tertio post peccatum: *cognouerunt se esse nudos. Et plagis impositis*, id est, naturalibus uulneratus  
per peccatum, *seminiuo relicto*, quia «immortalis quo ad animam, et mortalis quo ad corpus»,  
secundum Theophilum. Et sic cum esse ad dexteram est esse in potioribus bonis, omnia  
per peccatum perdita fuerunt ad sinistram. Sed nec periret mundus, sed ad ipsum Deum  
uniretur, quia: «fecit creaturam rationalem ut summum bonum intelligere intelligendo  
55 amaret et amando frueretur». Ideo ne ab isto frustraretur, Deus dedit alia media  
excellentiora, scilicet: principale et intrinsecum, quod fuit Christus; et extrinsecum, quod  
fuit uirgo Maria.

Primo, Christus habuit tria requisita ad bonum medium. Primum est altare, scilicet:  
recte, qui fuit sine peccato et nunquam per peccatum inclinatum fuit hoc medium, unde  
60 Isaie quinquagesimo tertio: *nos omnes quasi oues errauimus unusquisque in uiam suam ipse  
iniquitatem non fecit, nec*, etcetera. Item prima Petri secundo: *Christus passus est pro nobis, uobis  
relinquens exemplum, qui peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius*, etcetera. Ideo astitit.

Secundo, fuit unitus Deo, non sicut Adam, sed intimius per unionem hypostaticam,  
sicut anima unitur corpori, unde Athanasius dicit: «sicut anima rationalis et caro unus est  
65 homo, ita Deus et homo unus est Christus». Ideo fuit rex, unde Psalmi octogesimo octauo:  
*et ego primogenitum ponam illum excelsum pre omnibus regibus terre*. Vnde: *fuit rex regum et dominus  
dominantium*, ut dicit Iohannes Apocalypsis decimo nono.

Tertio, fuit ad dexteram Dei, id est, in potioribus bonis collocatus, scilicet: gratie.  
*Vidimus eum quasi unigenitum a patre, plenum gratia et ueritate*, etcetera, Iohannis primo. *In quo  
70 sunt omnes thesauri sapientie et scientie Dei absconditi*, ad Colossenses secundo. Ideo fuit uerus  
mediator, unde Apostolus prima ad Timotheum secundo dicit: *mediator Dei et hominum homo  
Christus*.

Si forte dicas: non sufficiebat hoc medium excellens? Dico quod uere sufficiebat ex  
parte sua, sed non nobis ex parte nostra. Exemplum: licet gratia in nobis originaliter sit a  
summo pontifice, non sufficit nobis quod ipse habeat uoluntatem dandi illam gratiam, sed  
75 opus quod exprimatur per “fiat” et quod illud constet in aliqua charta. Et sic originaliter est  
ab intellectu suo uel uoluntate, sed mediante brachio quod scribit in charta. Et non sufficit  
brachium, sed opus quod sit aliud medium extrinsecum, scilicet: calamus ad scribendum  
illud “fiat”. Et iste calamus conuenit magis cum charta, nam sicut charta est inanimata, sic  
80 hic calamus. Nunc in proposito, sicut gratia aliqua est a uoluntate pape, que est spiritualis,

---

41: Lc. 10, 30. | 50: Gn. 3, 7. | 50-51: cf. Lc. 10, 30. | 60-61: Is. 53, 6. | 61-62: I Pt. 2, 21-22. | 66: Ps. 88, 28.  
| 66-67: Apc. 19, 16. | 69: Io. 1, 14. | 69-70: Col. 2, 3. | 71-72: I Tim. 2, 5.

42: cf. Bed., *Hom.*, XII. PL 94, 294C; cf. Ambr., *Exp. Ev. Sec. Lc.*, VII, 10, 73. PL 15, 1718A. | 47: cf. Aug.  
Hipp., *Ep.*, LV, 6, 10. PL 33, 209C; cf. Hier., *De Nom. Heb.*, NT, Mt., I. PL 23, 842B. | 49: cf. Ambr., *Exp.  
Ev. Sec. Lc.*, VII, 10, 73. PL 15, 1718B. | 51: Theophilum] cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Lc., X, 30, p. 152. | 54-55:  
cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 1, 4. PL 192, 653B. | 64-65: Ath., *Symb.*, I. PG 28, 1583B.

sicut a fonte, sed est mediante manu scribentis, que est ex anima et corpore, sic gratia principaliter est a Deo, qui est spiritus, sed mediante brachio uel manu dextera, que est Christus, qui constat ex spiritu diuino et carne, scilicet: corporea. Et licet sit hoc quid mirabile non sufficit nobis, sed opus quod detur aliud medium loco calami, quod conueniat nobiscum, scilicet: quod sit pura creatura, sicut est homo, qui recipere debet gratiam. Hoc  
85 medium fuit uirgo Maria nobis proportionata, unde Hugo de sancto Victore dicit: «o peccator, si ad Deum patrem uereris accedere, ad filium confuge Iesum, hunc tibi fratrem dedit Maria. Sed si in eo naturam uereris diuinam, ad Mariam confuge genus tuum, conspicis nihil in ea terrendum inuenis, quia mater est gratie, mater est misericordie». Hec  
90 ille. Ista igitur uirgo in illo “fiat” se habuit, ut calamus, unde Psalmi quadragesimo quarto: *eructauit cor meum uerbum bonum*, scilicet: illud “fiat”, quod dedit salutem mundo, sine quo salus non esset in mundo, scilicet: sine consensu uirginis.

Sed: qualiter se habuit lingua uirginis? Dico quod ut calamus, unde sequitur in Psalmo eodem: *lingua mea calamus scribe*, scilicet: spiritus sanctus, *uelociter scribentis*. Nam dum dixit: *fiat mihi*, mox *uerbum caro factum est*. Igitur hoc medium fuit ualde necessarium.

Sed si dicis: habuit conditiones tres medii? Dicendum quod sic.

Primo, fuit recta sine peccato. Canticorum quarto dicit Veritas: *tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*, scilicet: peccati. Ideo hec astitit.

Secundo, fuit potentissima et propinquissima Deo, scilicet: mater et regina, et fuerunt duo in carne una, quia: «caro Christi caro uirginis est», ut dicit Augustinus in sermone hodierno. Ideo sicut filius rex, sic ipsa fuit regina.

Tertio, fuit plena uirtutum et gratiarum, ideo a dextris Dei. Igitur hec sola ista tria habuit, nam omnes sancti ceciderunt per peccatum, ideo non astiterunt, unde prima Iohannis primo: *si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et ueritas in nobis non est*. Non fuerunt reges nec regine, sed serui uel filii Dei. Non a dextris, scilicet: in potioribus bonis, sed cuique data fuit gratia aliqua singularis, ideo non ad istos, sed ad uirginem est principaliter recurrendum. Et hoc dicit Bernardus in sermone: «ad Mariam tamquam ad medium, tamquam ad rerum causam, tamquam ad negotium seculorum respiciunt qui in celis sunt, nos qui sumus et qui nascentur et nati natorum», etcetera.

Igitur hodie in hac necessitate gratie, ad hanc recurramus, que *astitit regina a dextris*. Igitur in principio sermonis humili mente et pia dicamus: aue Maria, etcetera.

<THEMA> *Astitit regina a dextris*, loco et capitulo ubi supra.

Due erunt partes huius sermonis. Prima materie prosecutiua. Secunda sancti euangelii expositiua, si tempus aderit.

115 In prima autem parte tria sunt uidenda. Primo, receptio uirginis gloriosa; secundo, assumptio eius honorifica; tertio, coronatio magnifica.

Fuit autem hec receptio uirginis Marie excellentior cunctis receptionibus que fuerunt et erunt usque ad finem mundi, quod patet tripliciter. Primo, ratione multitudinis; secundo,

---

91-94: Ps. 44, 2. | 94-95: cf. Lc. 1, 38. | 95: cf. Io. 1, 14. | 97-98: Ct. 4, 7. | 104-105: I Io. 1, 8. | 110-112: cf. Ps. 44, 10.

86-89: Hugo de Sancto Victore] *Auctor err.* cf. Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 7. PL 183, 441C. | 100: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, V. PL 40, 1145B. | 107-109: Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328A.

120 ratione diuersitatis; tertio, ratione dignitatis recipientium. Nam secundum ista tria, aliqua receptio dicitur excellentior altera.

Primo, si multi exeunt ad recipiendum uel ad obuiandum alicui in aliqua ciuitate.

Secundo, si omnes exeunt de aliquo loco uel uilla, licet non sint multi, dicimus “omnes exierunt”, tam maiores quam minores, dicimus “nullus remansit” quando exiret, etcetera.

125 Tertio, si persone sunt notabiles, ut si duces, principes et uarones exeunt dicimus quod est quid mirabile.

Omnia ista tria concurrunt in hac solemnitate.

130 Primo, multitudo recipientium, etcetera. Nam fuit multitudo angelorum infinita, licet autem sit finita in se et quo ad Deum, sed nobis est infinita. Omnes enim chori angelorum affuerunt, ut dicit Hieronymus in sermone hodierno, unde Danihelis septimo habetur de illis: *milia milium ministrabant ei et decies centena milia assistebant ei*. Hic autem numerus determinatus secundum doctores ponitur pro indeterminato, nam ut dicit Thomas, «*numerus angelorum excedit omnem numerum rerum corporalium*».

Secundo, fuit mirabilis respectu diuersitatis. Nam non solum omnes angeli exierunt obuiam illi, sed etiam omnes electi, secundum Hieronymum in sermone.

135 Tertio, dignitate. Nam omnes angeli erant sanctissimi et gloriosi, omnes etiam sancti erant iam in gloria. Et nobilior est anima gloriosa pauperis in gloria quam sit imperator, rex uel dux in hac uita, quia isti sunt cum peccato ille sine omni peccato; isti in miseria, illi uero iam in gloria. Dimissis omnibus his, si consideramus dignitatem Christi, excellit omnium aliorum dignitatem, cum non solum homo, sed fuerit Deus et homo, igitur, etcetera.

140 Sed forte dices contra: cum dignitas Christi parte superet omnem creaturarum dignitatem, sic receptio illius in celum in die ascensionis eius superat omnem aliorum receptionem, igitur, etcetera.

145 Dicendum quod non est sic, licet dignior fuerit ipse matre sua, sed uoluit quod mater sua plus honoraretur. Nam cum honorare alium sit uirtus et non honorari, quia: «*honor est in honorante et non in honorato*», primo Ethicorum, sequitur quod honor filii est honorare matrem. Exemplum: in natiuitate filius fleuit pro peccatis nostris, unde Sapientie septimo: *primam uocem similem omnibus emisi plorans*. Sic dicunt doctores quod Christus fleuit quattuor uicibus.

150 Primo, in natiuitate, Sapientie septimo ut diximus, unde ecclesia in hymno cantat: «*uagit infans inter arta positus presepiæ*», etcetera.

Secundo, in Lazari suscitatione, Iohannis undecimo.

Tertio, super ciuitatem ruituram, ut habetur Luce decimo nono.

Quarto, in cruce, ad Hebreos quinto: *preces et supplicationes cum clamore ualido et lachrymis offerens ad Deum*. Sed licet ipse fleret in natiuitate, uoluit ut tunc mater gauderet, unde in

---

130: Dn. 7, 10. | 147: Sap. 7, 3. | 151: cf. Io. 11, 35. | 152: cf. Lc. 19, 41. | 153-154: Hbr. 5, 7.

129: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 8. PL 30, 130B. | 132: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 112, a. 4, p. 772. | 144-145: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, I, 3, 95b25, p. 145. | 149-150: cf. Ven. For., *Misc.*, II, 2. PL 88, 88B.

155 Psalmo sexagesimo quarto: *letabitur germinans*. Item: *germinans germinabit, letabunda et gaudens*,  
Isaie tricesimo quinto. Et dilexit plus matris honorem quam suum, nam honor matris  
redundabat in ipsum. Vnde Ambrosius super Lucam dicit: «maluit dominus aliquos de suo  
ortu magis quam de matris pudore dubitare». Hec ille.

160 Et sic uoluit de desponsata nasci, licet crederet ipsum esse filium Ioseph, potius hoc  
elegit quam si crederet matrem esse impudicam, etcetera.

Secundo, patet hoc quo ad angelos, nam in ascensione solum legimus duos angelos, ut  
testes adesse, sed hic infiniti.

165 Tertio, quo ad animas, nam in ascensione Christi anime non uenerunt illi obuam, sed  
illas recepit a limbo et fuerunt pauce respectu illarum que fuerunt in uirginis assumptione.  
Nam sine comparatione plures salui fuerunt post Christi passionem per remedia et  
documenta et auxilia, que ipse dedit mundo, quam ante eius aduentum. Et sic in illis  
duodecim annis ab ascensione ad uirginis Marie assumptionem plures anime fuerunt in celo  
quam in centum annis ante.

170 Sed dices: quomodo omnes angeli uenerunt obuam uirgini Marie, nam plures sunt  
assistentes qui nunquam a presentia Christi recedunt quam qui mittuntur. Igitur illi qui  
erant assistentes non exierunt celum, secundum Dionisium De Angelica Hierarchia et  
doctores illum sequentes. Dicendum quod omnes uenerunt obuam uirgini, nam si ad  
aliquem sanctum missa fuit multitudo angelorum, sicut ad sanctum Martinum, igitur ad  
175 reginam angelorum omnes debuerunt mitti. Sed assistentes non fuerunt missi, sed uenerunt  
cum Christo. Nam si rex remanet in una ciuitate et mittit consiliarios suos in aliam, sic uere  
mittuntur illi. Sed si rex portat secum consiliarios suos ad aliquem locum, tunc non  
mittuntur, sed ducuntur. Sic fuit in proposito et sic assistebant Deo.

180 Sed forte dices: quomodo omnes anime sanctorum potuerunt exire obuam uirgini, cum  
dicat in libro De Cura Pro Mortuis Habenda quod nunquam exeunt a celo anime beate?  
Dicendum quod uerum est de lege communi, sed precepto domini multe anime mittuntur  
in mundum. Et sic precepto suo in fine mundi, quando dominus dicit: «surgite mortui ad  
iudicium», omnes anime uenient in mundum et accipient corpora sua, sic in hac hora  
precepto eius omnes exierunt. Et sic ratione multitudinis et ratione diuersitatis et ratione  
185 dignitatis personarum. Hec fuit honorabilior receptio, que nunquam fuit nec erit in mundo.  
Quo ad primum.

Secunda pars erit de associatione in celum, que fuit excellens quo ad tria. Primo, quo ad  
modum; secundo, quo ad locum; tertio, quo ad situm.

190 Primo, quo ad modum ascendendi, pro quo est notandum quod Christus tertia die post  
mortem uirginis Marie uenit in mundum cum tribus hierarchiis et nouem ordinibus  
angelorum ad dexteram, et cum nouem ordinibus sanctarum animarum ad sinistram. De  
una erant angeli, archangeli, uirtutes, principatus, potestates, dominationes, throni, cherubin  
et seraphin. In alio latere Christi erant tres alie hierarchie hominum, que erant nouem  
ordines ipsorum.

---

155: Ps. 64, 11. | Is. 35, 2.

157-158: Ambr., *Exp. Ev. Sec. Lc.*, II, 1. PL 15, 1553A. | 171: cf. Pseu. Dio. Aer., *De Coel. Hier.*, VII, 1. PG 3,  
215D. | 179: cf. Aug. Hipp., *De Cur. Pro Mort. Ger.*, II, 4. PL 40, 594C. | 181-182: cf. MF. Hier., *Lzb. Con. Vig.*,  
XII. PL 23, 349B.

195 Prima hierarchia fuit ueteris testamenti, in qua erant tres ordines, scilicet: patriarche, prophete et rectores populi israhelitici.

In secunda hierarchia erant tres ordines apostolorum, martyrum et confessorum.

200 In tertia hierarchia erant alii tres ordines, scilicet: uirginum, uiduarum et nuptarum. In medio omnium istorum et supra illos ueniebat anima uirginis Marie, et in medio et super omnes simpliciter ueniebat ipse Christus festiuus. Cum autem applicuisset Christus in uallem Iosaphat, circa ciuitatem Hierusalem, et ueniret ad sepulchrum uirginis Marie, accepit animam suam pretiosam et reuiniuit corpori suo. Ipsa autem uidens suum pretiosum filium cum oculis suis dixit: “o fili dilecte, *trabe me post te*”, Canticorum primo. Ipse uero Christus posuit manum sinistram sub capite eius et cum dextera amplexabatur illam, sicut scriptum erat Canticorum secundo capitulo: *leua eius sub capite meo et dextera illius amplexabitur me*, etcetera. Videntes hoc omnes angeli fuerunt admirati qualiter Christus uirginem cum manibus propriis ducebat, cum omnes electi ducerentur per manus angelorum.

Et sic uenit prima hierarchia et dixerunt inter se illud Canticorum tertio: *que est ista que ascendit quasi uirgula fumi ex aromatibus murre et thuris?* Nam admirati fuerunt de quinque que in isto actu uiderunt.

210 Primo, de uirginis ascensu directo in celum sine detentionem anime eius in purgatorio uel in limbo, ut antiquitus fuit, ideo dicit: “que est ista que ascendit?” Scilicet: directe.

Secundo, mirabantur de uirginis humilitate quando dicit: “quasi uirgula”. Non dixit “uirga”, sed breuis et humilis “uirgula”.

215 Tertio, mirabantur de breui eius suscitatione, ideo dicit “fumi”. Nam uidebant quod omnes sperabant diem iudicii in resuscitatione. Hec autem tertia die resurrexit, ut Christus filius suus, ideo dicit “fumi”. Nam fumus candele uel lampadis sit mox post mortem ipsius, nam non durat diu post extinctionem ipsius candele uel lampadis.

220 Quarto, dicit: “ex aromatibus murre”, que notat mortem excellentissimam. Et de isto mirabantur ipsi, nam cum mors sit pena peccati, quia ut ait Apostolus: *stipendia peccati est mors*, in ista non uidebant debitum peccati, sed solum solutionem ipsius per mortem. Secundo, mirabantur quia mors omnium fuerat cum lamentationibus et suspiriis. Hec autem uirginis uidebatur esse sine aliquo dolore. Tertio, mirabantur de honore mortis, ad quam omnes apostoli interfuerunt et multi angelorum, sed nullus demonum, ut in aliis uidebatur.

225 Quinto, dicit: “et thuris”, nam thus est sacrificium quod soli Deo pertinet. Et sic inter omnia ista mirabantur quod hec uirgo erat sic Deo propinquissima quod aliquid diuinitatis in ipsa cernebant. Et hoc erat esse matrem Dei, quam cum tanta magnificentia et honore illam amplexabatur et recipiebat.

230 Dum autem prima hierarchia ueteris testamenti audiret admirationem huius hierarchie angelorum dicendo: “que est ista, etcetera?” Respondit: “huic”. Et primo patriarche cum sua diuisa in manu uenerunt.

Venit autem primo Adam cum costa in manu ad similitudinem sue coste et dixit angelis: “o uos omnes angeli, dicitis: que est ista, etcetera? Ista est de qua ego dixi hoc: *nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea*. Hec est ista qua mediante ego et totus mundus liberatus fuit a

---

202: Ct. 1, 3. | 204-205: Ct. 2, 6. | 207-208: Ct. 3, 6. | 219-220: cf. Rm. 6, 23. | 233-234: cf. Gn. 2, 23.

235 peccato. Hec est illa mulier de qua dixit Deus, Genesis tertio: *inimicitias ponam inter te et mulierem. Ipsa conteret caput tuum*, sicut fecit mediante filio suo glorioso”.

Secundo uenit Noe cum arca in manu et dixit: “o uos archangeli dicitis admirando: que est ista? Ista est que fuit per hanc arcam figuratam. Ista est illa sine qua in diluuiio peccatorum nullus saluus fuit continens in se animalia munda, id est, saluandorum  
240 numerum et iustorum et immunda, id est, peccatores, et eius intercessionem saluandos. Hec est illa que fuit eleuata peracto officio ad montem altum Armenie, id est, in celum, Genesis septimo”.

Tertio, uenit Iacob cum baculo in manu et dixit Virtutibus: “o Virtutes, dicitis: que est ista? Ista est de qua ego dixi Genesis tricesimo secundo, quando ueniebam ad terram  
245 promissionis: *in baculo meo transiui Iordanem, nunc cum duabus regredior*. Baculus est Christus, in quo uirga, id est, uirgo mater, sustentabatur, de quibus Dauid dicit: *uirga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*, etcetera, Psalmi uicesimo secundo. Vna turba est angelorum, alia hominum”.

Secundo, uenit hierarchia secunda angelorum et mirabatur de magnitudine glorie huius  
250 uirginis et dixit illud Canticorum sexto: *que est ista que progreditur quasi aurora consurgens pulchra ut luna, electa ut sol?* Tunc uenit secunda hierarchia hominum, scilicet: prophetarum.

Et primo Hieremias cum aquila in manu dicit Principatibus: “o uos Principatus, dicitis: que est ista? Dico uobis quod ista est illa aquila quam ego uidi in capitulo quadragesimo nono mei libri et dixi: *et ecce quasi aquila ascendet et nolauit et expandet alas*”.

255 Secundo, uenit Hiezechiel cum gloria fulgens et dixit Potestatibus: “o uos Potestates, dicitis: que est ista? Dico quod ista est quam ego uidi gloriosam, de qua dixi in capitulo undecimo: *ascendit gloria domini*, scilicet: mater, *de medio ciuitatis*, scilicet: Hierusalem, *stetitque super montem*, scilicet: celum empireum. De quo in Psalmo uicesimo tertio: *quis ascendit in montem domini*, etcetera?”

260 Tertio, uenit Helias cum nube in manu et dixit Dominationibus: “o uos Dominationes, dicitis: que est ista? Dico uobis quod ista est illa nubecula quam ego uidi, ut habetur tertio Regum decimo octauo, cum esset sterilitas in mundo et non plueret: *ascendit nubecula de mari in celum*, et tunc abundantia pluuię, etcetera. Sic cum sterilitas gratie in mundo ascendit nubecula, id est, uirgo peccatorum, aduocata in celum. Et sic fuit pluuię gratiarum”.

265 Tertio, uenit tertia hierarchia admirando, et dixit illud Canticorum octauo capitulo. Admiratio erat de multitudine meritorum eius. Dixit: *que est ista que ascendit de deserto delitiis affluens innixa super dilectum suum?* Mirabatur hec hierarchia qualiter uirgo Maria ascendebat de deserto huius mundi, in quo est siccitas meritorum, in quo cotidie erratur uia, in quo nulla est refectio glorie. Sed ista ascendebat delitiis affluens et, quod fortius erat, illam  
270 uidebant innixam super dilectum suum, quia amplexabatur a filio Dei, quod erat mirabilius. Ad hanc hierarchiam uenit tertia hierarchia hominum rectorum et gubernatorum populi israhelitici.

Et primo, uenit Moses cum uirga in manu et dixit ipsis Thronis: “o uos Throni, dicitis: que est ista, etcetera? Ista est illa uirga quam ego tenui in manu et, si non eleuaretur in

---

235-236: Gn. 3, 15. | 242: cf. Gn. 8, 4. | 245: Gn. 32, 10. | 246-247: Ps. 22, 4. | 250-251: Ct. 6, 9. | 254: Ier. 49, 22. | 257-258: Ez. 11, 23. | 258-259: Ps. 23, 3. | 262-263: cf. III Rg. 18, 44. | 266-267: Ct. 8, 5.

257: Vndecimo] M, X decimo.

275 altum, periret omnis populus. Et sic Exodi decimo quarto dixit mihi dominus: *tu eleua uirgam tuam et extende manum tuam super mare et diuide illud*, etcetera. Et sic mediante ista uirga, que est uirgo Maria liberata, liberati fuerunt de manu pharaonis, id est, demonis, etcetera”.

280 Secundo, uenit Daud cum arca in manu et respondit cherubin et dixit illis: “o cherubin, dicitis: que est ista, etcetera? Certe ista est illa arca, quam ego tuli secundo Regum sexto, nam bis ducta fuit illa arca domini, cum non esset in loco conuenienti”.

285 Primo, fuit adducta de domo Aminadab, qui erat in Gabaa, per Daud cum uiris triginta milia et fuit imposita plaustro. Et cum tulissent illam, extendit Oza sacerdos manus ad arcam et mortuus fuit circa arcam et habitauit arca domini in domo Obededon tribus mensibus. Ista fuit prima adductio arce a Hierusalem in sepulchrum ad uallem Iosaphat. Et sic in morte uirginis uenit ipse Daud, id est, Christus uerus Daud, cum triginta milibus, scilicet: cum tribus turmis, hoc est, angelorum, electorum et apostolorum, qui fuerunt uocati ad transitum. Et posito corpore in plaustro, id est, in feretro, sacerdos Oza, qui imponit manus in illud, mortuus fuit. Sic dum duceretur ad sepulturam sacerdos quidam, qui imposuit manus ad feretrum ipsius manus aruerunt, ut habetur in legenda ipsius. Et sic  
290 mansit hec pretiosa arca in domo Obededon, id est, in sepulchro, tribus diebus.

Secunda motio et ductio arce fuit a domo Obededon ad ciuitatem Daud, scilicet: a sepulchro ad celum empireum, et Daud cum iubilo ante arcam psallebat, etcetera. Hec est ista portatio arce in celum, etcetera.

295 Tertio, uenit Salomon rex cum quodam libro in manu dicendo: “que est ista, etcetera? Ista est illa de qua in isto libro Canticorum plene ego scripsi, non solum conceptionem, natiuitatem, uitam, etcetera, sed etiam gloriosam assumptionem ipsius”.

Sed uidentes mulieres ueteris testamenti quod solum homines loquebantur de ea, etiam ipse dixerunt. Et tres ipsarum pro omnibus aliis.

300 Primo, respondit Nohemi prime hierarchie angelorum et dixit: “quomodo admiramini uos dicentes: que est ista, etcetera? Ista est que fuit figurata per me, Ruth primo capitulo, quando post peregrinationem fui recepta in Bethleem ciuitatem Daud, sic uirgo Maria.

305 Secundo, affuit Bersabee et dixit secunde hierarchie: “quid uos admiramini hanc? Ego figurauit quando tertio Regum secundo ueni ad Salomonem et dedit mihi thronum ad dexteram suam. Sic uerus Salomon Christus hodie collocauit matrem suam ad dexteram eius”.

310 Tertio, uenit Hester et respondit tertie hierarchie dicens: “quid uos admiramini? Hec in me fuit figurata quando, Vasthi regina repulsa propter superbiam, ego fui electa per Asuerum et solemniter coronata. Sic hec uirgo, repulsa Eua per superbiam suam, hec electa et hodie in celo coronata erit, etcetera”. Dum autem prima hierarchia ueteris testamenti respondit angelis, uenit secunda hierarchia, que erat apostolorum, martyrum et confessorum.

Si forte dicis: non dum erant apostoli mortui, igitur non erat ordo apostolorum inter animas sanctas et iustas. Dicendum quod iam erat mortuus Iohannes Baptista, qui fuit apostolus, id est, missus, nam: *fuit homo missus a Deo*, Iohannis primo et Chrysostomus de

---

275-276: Ex. 14, 16. | 279: cf. II Sm. 6. | 300: cf. Rt. 1, 22. | 303: cf. III Rg. 2, 19. | 314: Io. 1, 6.

314: cf. Io. Chrys., *Comm. In Io.*, VI, 6. PG 59, 59D-62C.

315 ipso ait apostolorum princeps, etcetera. Et etiam mortuus erat Iacobus maior, filius Zebedei, frater Iohannis Euangeliste, et sic isti responderunt.

Dicit primo Iohannes: “dicitis: que est ista? Dico quod ista est mater mea spiritualis, que me in manibus pretiosis recepit in natiuitate. Ista est illa que me sanctificauit mediante filio in utero matris mee. Ista est mater domini mei de quo dixi: *non sum dignus soluere calciamenta*, etcetera. De quo redemptore dixi: *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, etcetera”. Item uenit Iacobus et dicit: “queritis: que est ista? Dico quod ista est mater mea et soror matris mee. Hec est illa que misit me ad predicandum uerbum Dei ad partes occidentales. Hec est illa que mihi supra columnam apparuit in insigni metropolitana ciuitate Cesaragusta et precepit mihi ut ecclesiam ibi fundare ad laudem nominis sui, ut feci. In qua ecclesia cotidie nomen filii et uirginis imploratur, in qua plura miracula perpetrantur, in qua plura beneficia impetrantur”.

Secundo, ueniunt martyres et dixerunt: “dicitis: que est ista? Ista est martyr super omnes. Prima, quia ante Stephanum passa ad pedem crucis. Hec est mater super omnes martyres, nam: «passa in parte impassibili», scilicet: in anima, alii uero in corpore. Hec est mater que omnes in passione excedit, nam maiorem dolorem obtinuit in compassione quam ceteri in passione”.

Tertio, ueniunt confessores et dicunt: “dicitis: que est ista? Ista est magistra omnium confessorum. Ista est que omnia conseruauit in corde. Ista est que instruxit omnes predicatores uerbi Dei, etcetera”.

335 Tertio, uenit tertia hierarchia, que erat uirginum, uiduarum et nuptarum,

et primo dixerunt uirgines: “dicitis: que est ista? Ista est uirgo uirginum. Ista est prima omnium. Ista est excellens, quia: «uirgo non solum corpore, sed etiam mente».

Secundo, ueniunt uidue et dixerunt: “ista est nostra magistra, que dum fuit in uiduitate non solum filii, sed proprii sponsi non uacauit nisi in uisitatione locorum sanctorum Christi, non in otio, non in uitio, etcetera”.

Tertio, dicunt nupte: “ista est exemplar omnium nostrarum. Ista est mater et uirgo. Ista est mater etiam Dei”.

His autem completis dixit Christus: *ueni sponsa mea, ueni columba mea, ueni coronaberis*, Canticorum quarto. Et sic dum ipse incepit ascendere, chori angelorum de una parte ceperunt cantare dicens: «aue regina celorum, aue domina angelorum», etcetera, et ex alia parte chori sanctarum animarum ceperunt dicere: «aue stella matutina, peccatorum medicina», etcetera. Et sic fuit posita in celo empireo ad dexteram filii et in loco meridiano, qui est locus medius regni et fulgens.

350 Tertio, fuit uirgo Maria coronata a tota trinitate. Nam sicut omnes puras creaturas excellit, nec defuit ei aliqua corona. Nam secundum doctores, triplex est corona.

Prima imperialis, que dicitur “dyadema”. Secunda uictorie, que dicitur “corona”. Tertia pulchritudinis, que dicitur “sertum”, que est ex floribus.

---

319: cf. Act. 13, 25. | 320: cf. Io. 1, 29. | 343: Ct. 4, 8.

329: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 14. PL 30, 138A. | 337: cf. Ambr., *De Virg.*, II, 2, 7. PL 16, 209A. | 345-347: cf. Anti. B. M. V.



Primam dedit ei pater, que erat aurea, unde ecclesia cantat: *corona aurea super caput eius*.  
 355 Secundam dedit ei filius, que fuit lapidea, unde Psalmi uicesimo: *posuisti super caput eius coronam de lapide pretioso*. Tertiam dedit spiritus sanctus, que fuit florida, de qua ecclesia cantat et dicit: «coronam pulchritudinis posuit super caput eius».

Quilibet istarum habuit tres differentias, sicut corona imperialis, nam uirgo Maria fuit imperatrix mundi, quia corona imperatoris continet tres coronas, ut habetur in Clementina De Iureiurando, capitulo “Romani”, in glosa. Prima est ferrea, quam recipit ab  
 360 archiepiscopo Coloniensi in Aquisgrani eiusdem diocesis. Secunda est argentea, quam recipit a Mediolanensi archiepiscopo in ciuitate Mediolani in ecclesia sancti Ambrosii. Tertia est de puro auro, qua coronatur per papam in ecclesia sancti Petri ad altare sancti Mauriti. Sic quelibet istarum habuit in se triplicem.

Prima igitur dedit pater ex auro, quod est metallum excellens. Prima significabat gloriam  
 365 essentialem anime excellentem, que redundat a gloria anime. Tertia fuit corona potestatis, quam dedit ei pater. Nam sic in conceptione dederat ei potestatem que patri attribuitur, ut esset mater in tempore illius, cuius ipse erat pater eternaliter, ipsa mater et ipse filius in quantum homo et filius patris ut Deus. Sic non in celo dedit illi potestatem, ut gubernaret  
 370 totum mundum ut imperatrix hominum et angelorum, unde Bernardus in sermone Assumptionis dicit: «data est tibi, o uirgo beata, potestas in celo et in terra, ut quodcumque uoueris ualeas impetrare. Tu es enim mater Dei et hominis, mater regis et exulis, mater rei et iudicis». Et sic hec potestas attribuitur ei ratione maternitatis in quantum fuit arca portans in utero filium Dei. Figura huius habetur Exodi uicesimo quinto et tricesimo septimo. Triplex corona aurea erat super arca.

375 Secundam coronam dedit illi filius et erat triplex ex lapide pretioso. Primo saphiri; secunda iacinti; tertia iaspidis. Prima saphiri notabat constantiam et fortitudinem, que pertinet martyribus. Secunda iacintina notabat acuitatem ingenii, que pertinet confessoribus. Tertia iaspidis, que habet uirtutem castitatis et pertinet uirginibus. Et sic iste triplex lapis notabat excellentiam uirginis in his tribus aureolis, etcetera. Fuit autem corona  
 380 filii lapidea, quia ipse fuit per lapidem figuratus, unde Isaie uicesimo octauo de ipso dicit: *ecce mittam in fundamentis Sion lapidem angularem electum*, etcetera. Item Danihelis secundo de ipsa dicitur: *lapis scissus de monte sine manibus*, etcetera. Item in Psalmo centesimo decimo septimo: *lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli*, etcetera. Item Apostolus dicit prima Corinthiis decimo: *petra autem erat Christus*. Et sic filius in uirtute  
 385 istorum lapidum dedit illi priuilegium, quod sicut ipse erat pater sue matris, quod nec patri nec spiritui sancto conuenit, sic ipsa esset mater sui patris. Nam filius erat pater eius ratione creationis et diuinitatis et erat filius ratione humanitatis et respectu huius ipse: *erat subditus illi*, ut dicit Euangelista. Exemplum regine respectu principis, nam licet ipsa cognoscat filium esse maioris dignitatis, quia rex, sed ipsa in quantum illum peperit habet auctoritatem  
 390 in illo et ipse obedit illi. Sic uirgo ut mater dixit illi: *fili, quid fecisti nobis sic*, etcetera? Luce secundo.

Tertiam coronam dedit illi spiritus sanctus et fuit sarta de floribus sic triplicata, ut in aliis, de quo habetur Apocalypsis duodecimo: *signum magnum apparuit in celo, mulier amicta sole et luna*, etcetera, *habens coronam duodecim stellarum*. Prima corona fuit respectu anime, secunda

353: cf. Sir. 45, 14. | 354-355: Ps. 20, 4. | 373: cf. Ex. 25, 25; Ex. 37, 2. | 381: Is. 28, 16. | 382: Dn. 2, 34. | 383: Ps. 117, 22. | 384: I Cor. 10, 4. | 387-388: cf. Lc. 2, 51. | 390: Lc. 2, 48. | 393-394: Apoc. 12, 1.

356: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In tertio nocturno. PL 78, 791D. | 359: cf. Cle. V., *Decr.*, II, 9, 1, col. 1147-1150. | 370-372: Bernardus] NI. cf. Petr. Dam., *Serm.*, XLIV. PL 144, 740B; cf. Pseu. Ans. Luc., *Med. Sup. Sal. Reg.*, VII. PL 149, 589A.

395 respectu corporis. In qualibet istarum erant quattuor stelle, que erant quattuor priuilegia magna.

In prima respectu anime quattuor. Primo, quod sola ista anima inter alias creaturas puras fuit ab omni peccato separata. Secunda omni uirtute dotata. Tertia altiori gradu possessa quelibet uirtus. Quarta altiori gradu glorie sublimata.

400 Secunda corona respectu corporis habens quattuor stellas. Prima, ratione carentie defectus nunquam instrumentum peccati fuit. Nullus in ea fomes peccati nec inclinatio ad illud; nulla infirmitas nec defectus, qui ex peccato prouenit. Secunda, ratione integritatis nunquam diuisa hec caro nec in conceptu filii nec in partu nec aliquo gladio. Tertia, ratione continentie uestitur hac carne uerbum continetur in utero, ut in arca et thalamo, etcetera.

405 Quarta, ratione, nam hac carne mediante abluitor mundus a peccato.

Tertia corona respectu mundi habet quattuor stellas. Prima est ante peccatum nostrum. Hec iuuat, consiliat, temptationes expellit. Secunda post nostrum peccatum illuminat, impetrat ueniam et gratiam. Tertia in purgatorio mitigat penam et tempus abreuiat. Quarta in paradiso dat electis letitiam. In huius figura dicitur Iudith decimo quinto capitulo: *tu letitia*  
410 *Israbel, tu gloria Hierusalem, tu honorificentia populi nostri*. Debet igitur quilibet christianus hoc signum saluationis inspicere, nam sicut sagitarii nihil faciunt nisi respiciant signum, sic nec uiatores, nam propter tria signum non uidetur.

Primo, si est paruum, ideo punctus non uidetur, sed iste est magnum.

415 Secundo, si cecus est et illi non apparet, sed hoc apparuit, quia ipsa est que illuminat peccatores.

Tertio, si deficit lux, hoc signum est lucidum, quia “amicta sole”.

Item si non potest uel non uult, hoc non quia “luna sub pedibus eius”, id est, mundus uel gubernatio ipsius, quod sit parata. Patet quia non sedet nec dormit, sed astitit, ut promptior sit ad succurrendum.

420 Item non est ancilla, sed imperatrix et regina.

Item tertio non deficit ei auxilium, quia est a dextris et plena gratiarum.

Et sic qui ad istam recurrit habet hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

409-410: Idt. 15, 10.

SERMO CENTESIMVS QVINTVS ET PRIMVS IN DOMINICA INFRA OCTAVAS ASSVMPTIONIS  
BEATE MARIE VIRGINIS

<THEMA> *Maria optimam partem elegit*, Luce decimo.

5 Sententia est Ambrosii in libro De Virginitate quod Maria uirgo fuit in quocumque statu exemplum omnium, et sic Deus uoluit quod per omnes status transiret, ut omnibus exemplum daret, unde quattuor sunt status hominum.

Primus, scilicet: ab infantia et pueritia usque ab adolescentiam ante annos determinationis. Secundus est continentium. Tertius est coniugatorum. Quartus uiduitatis. Maria autem per omnes istos transiuit et de quolibet istorum *optimam partem elegit*.

10 De primo autem elegit humilitatem. De secundo uirginitatem. De tertio charitatem. De quarto sanctitatem. Et per consequens omnium gratiarum accumulationem.

In primo statu sunt tres, scilicet: uoluntas, superbia et disciplina siue humilitas. De duobus primis habetur Genesis octauo: *sensus et cogitatio cordis humani prona sunt ad malum ab adolescentia sua*, nam sicut Adam et Eua peccauerunt per sensualitatem gulae et per  
15 cogitationem elationis superbiae, sic nobis illam inclinationem reliquerunt, licet simus per baptismum purificati semper in nobis restat illa inclinatio, scilicet: fomes peccati. Exemplum de arbore inserto in ramo alterius cum germen in radice producit. Si arbor erat spinosa illius nature exit germen uel fructus inserti, habet aliquid asperitatis a fructu alterius arboris. Sic in nobis est effrenata sensualitas et elatio superbiae est uerum quod est tertium  
20 in illa etate, scilicet: disciplina et obedientia per humilitatem, unde Aristoteles secundo Ethicorum: «non parum, immo multum confert ab adolescentia sic esse nutritos». Sicut arbor parua que potest bene duci ad partem bonam, si bene nutriatur, sic Maria uirgo non sensualitatem nec elationem, sed humilitatem in isto statu elegit, unde Augustinus: «cogitans magnam fabricam uirtutum construere de fundamento cogitet humilitatis». Et sic  
25 cum uirgo Maria plures uirtutes congregaret merito in fundamento edificii posuit humilitatem, ideo dixit: *respexit humilitatem ancille sue*, Luce primo. Vnde sicut nihil a nobis uidetur nisi fuerit coloratum, sic nihil a nobis factum uidetur a Deo nisi colore humilitatis fuerit informatum. Et sic humilitas est color uirtutum, ut dicit Augustinus, et sicut corpus aeris non uidetur, licet sit ante oculos nostros, quia non est coloratum, sic uirtus sine  
30 humilitate non respiciuntur a Deo, licet illas habeat coram oculis, quia sunt uentus sine colore.

In secundo statu, scilicet: continentium, que est religionis, sunt tres uota, scilicet: obedientie, castitatis et paupertatis, sed uirgo de isto elegit uirginitatem tamquam excellens bonum non obedientiam, quia iam includebatur in humilitate, nec paupertatem uouit, quia  
35 erat de minori bono, sed uouit uirginitatem, que ordinabatur ad puritatem et sanctitatem persone sue, que in matrem Dei ordinabatur, unde Ambrosius et habetur tricesimo secundo, questione prima, capitulo “Nuptie” dicit: «nuptie replent mundum, uirginitas paradysum». Et sic de isto statu elegit integritatem carnis sine sterilitate prolis.

40 In tertio statu erant tres, scilicet: «fides, proles et sacramentum», et omnia ista fuerunt in matrimonio inter Mariam et Ioseph, ut habetur uicesima septima, questione secunda,

3: Lc. 10, 42. | 9: cf. Lc. 10, 42. | 13-14: Gn. 8, 21. | 26: Lc. 1, 48.

4: cf. Ambr., *De Virg.*, II, 2, 5. PL 16, 208C. | 21: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, II, 1, 03b24, p. 6. | 24: Aug. Hipp., *Serm.*, LXIX, 1, 2. PL 38, 441A. | 28: cf. Aug. Hipp., *Serm.*, LXIX, 1, 2. PL 38, 441A; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 161, a. 5, p. 934. | 37-38: Ambrosius] *Auctor err.* cf. Hier., *Adv. Iov.*, I, 16. PL 23, 235C; cf. Gra., *Decr.*, XXXII, 1, 3, 12. PL 187, 1467A. | 39: cf. Aug. Hipp., *De Bon. Coni.*, XXIV, 32. PL 40, 394D.

capitulo “Omne bonum”. Fuit autem in illo matrimonio maior fides quam in aliquo alio, quia non adulterium nec etiam imaginatum. Vnde uterque eorum uouit uirginitatem et fuit uirgo. Sacramentum etiam maius quam in aliquo alio matrimonio, scilicet: ut celaretur uirginitas diabolo, et etiam cum per matrimonium significaretur coniunctio duarum naturarum in Christo, in isto matrimonio fuit iuncta ueritas cum figura. Dico in  
 45 matrimonio, non autem ex matrimonio, etcetera. Fuit autem optima proles, scilicet: filius Dei benedicti, ex quo Maria uirgo habuit maximam charitatem, quia digniorem filium habuit et totum filium suum, quia non ex patre carnali illum habuit. Et sic magis eum dilexit, quia tunc nouum respectum amoris erga ipsum habuit, nam ante ea dilectus erat ut  
 50 creator, tunc post conceptionem non solum ut creator, sed ut filius et redemptor.

In quarto fuerunt tria, scilicet: corruptio carnis, priuatio consolatoris et sancta libertas ad Deum. Non recepit primum, quia incorrupta fuit et uirgo. Nec secundum, quia licet fuisset priuata consolatione sponsi, nam tempore passionis iam mortuus erat Ioseph, ut dicunt doctores super illud “*mulier, ecce filius tuus*”, Iohannis decimo nono. Sed fuit semper  
 55 consolata per uerum sponsum Christum, qui hodie dixit: *ueni, sponsa mea*, etcetera. Elegit autem libertatem uacandi in Dei seruitio, quia ut dicit Hieronymus, semper post ascensionem domini uisitabat loca sacrata et sic ex hoc elegit sanctitatem. Vnde prima Corinthiis septimo: *mulier innupta et uirgo cogitat que domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu*.

Et sic uirgo mediante ista sanctitate habuit excellentissimam gratiam, quia habuit omnes gratie dispositiones, nam a uirginitate est puritas a charitate gratie capacitas, quia charitas nihil aliud est quam uas in quo gratia recipitur; humilitas est illud quo gratia adipiscitur et consequitur. Exemplum in lampade uitrum. Significat uirginitatem oleum charitatem, quia quantum est de oleo tantum est de lumine, illo deficiente deficit lumen. Sic lumen est gratia, unde Augustinus De Natura et Gratia dicit: «gratia est lumen habilans animam ad bene  
 60 operandum. Humilitas est chorda lampadis, qua accepta uenit lampas ad nos, si fuerit in rota turni, quanto magis ad terram prostramur, tanto magis descendit ad nos». Et sic dicit Augustinus in sermone Assumptionis: «facta est Marie humilitas scala celestis, per quam saluator descendit ad nos», unde Psalmi sexagesimo tertio: *accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus*. Et sic dicit Bernardus in sermone secundo Assumptionis quod uirgo Maria fuit princeps illarum prudentissimarum uirginum habens lumen, scilicet: gratie, in lampade. Vnde Prouerbiorum ultimo dicitur de ea: *mulierem fortem quis inueniet?*, etcetera. Infra dicitur: *non extinguetur in nocte lucerna eius*, quia in nocte peccatorum semper subuenit, nec fuit  
 70 extincta in nocte passionis Christi quando omnes perdiderunt fidem. Habuit uitrum christallinum, id est, per quod Christus transiuit sine fractione uirginitatis. Habuit oleum charitates quod fatue uirgines non habuerunt, unde Gregorius: «cum de uirginitate sua foris expetunt in uasis suis oleum habere noluerunt». Quia illa uirginitas erat propter gloriam seculi et non propter amorem Dei, ideo non habuerunt charitatem, sed uirgo Maria illam charitatem excellentius habuit. Etiam habuit maximam humilitatem, quia «uirginitate placuit, sed humilitate concepit». Vnde Bernardus super Missus Est dicit: «Maria uirginem  
 75 se oblita gloriatur de humilitate».

Et sic his mediantibus habuit optimam gratiam.

---

54: cf. Io. 19, 26. | 55: cf. Ct. 4, 8. | 58: I Cor. 7, 34. | 68-69: Ps. 63, 7-8. | 71-72: Prv. 31, 10-18.

40-41: cf. Gra., *Decr.*, XXVII, 2, 10. PL 187, 1395A. | 56: Hieronymus] *NI*. | 64-66: cf. Aug. Hipp., *De Nat. Et Gra.*, XXVII, 31. PL 44, 262BC. | 67-68: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCVIII, 10. PL 39, 2133C. | 69: cf. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, II, 9. PL 183, 421BC. | 75-76: Gre. Mag., *Hom.*, I, 12, 1. PL 76, 1118C. | 78-80: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, I, 5. PL 183, 59B.

Primo, optima est qua maior haberi non potest extensivae, unde Bernardus super illud “*in plenitudine sanctorum detentio mea*” dicit: «merito de te uirgo beata, plenitudo gratie predicatur, quia non defuit tibi fides patriarcharum, charitas apostolorum, patientia martyrum, 85 sobrietas confessorum, castitas uirginum et puritas angelorum».

Secundo, illam gratiam habuit plenam intensione, quia quecumque gratia fuit in ea perfectiori modo quam in aliis. Et sic dicit Bernardus: «in ea gratie fuerunt singulares et proprie, que in aliis uidebantur esse communes». Et hoc dicit Hieronymus: «ceteris per partes prestatur», etcetera, in sermone hodierno.

90 Item quo ad dispensationem et usum gratiarum sunt due partes, scilicet: illas recipere in se et illas dare aliis. Et licet magnum sit recipere illas, tamen maius est dare, quia ut habetur Actuum uicesimo: *beatius est dare quam recipere*, et hoc habuit uirgo. Vnde Bernardus: «totius boni plenitudinem contulit in Maria, ut si quid gratie, si quid uirtutis uel spei, totum ab ea nouerimus redundare».

95 Et sic quo ad omnes status et quo ad omnes extensiones uel intensiones gratie, de ea possumus concludere quod certe *Maria optimam partem elegit*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Maria optimam partem elegit*, ubi supra.

100 Quia in primo die assumptionis sermone fuit presuppositum quod uirgo fuit assumpta in corpore et anima in celum, in isto probatur tripliciter, scilicet: rationibus, auctoritatibus et exemplis.

105 Prima ratio est ex parte puritatis uirginis Marie, sicut perfecta puritas et perpetua non patitur secum aliquam impuritatem, sed puritas Marie fuit perfecta et perpetua, quia a Deo confirmata, igitur non compatitur secum aliquam impuritatem. Sed putrefactio et incineratio sunt impuritates, igitur in uirgine Maria minime reperte sunt. Maior huius rationis est ipsius Anselmi De Conceptu Virginali: «decurt ut uirgo illa ea puritate niteret, que maior sub Deo nequit intelligi», igitur, etcetera.

110 Si forte dicis: loquitur de puritate anime et non corporis. Contra: quia aut uirgo Maria fuit pura mente et corpore, aut sola mente, si utroque modo habet intentum, si sola anima ergo purior esset illa mulier que mente et corpore esset, cum sit possibile, et sic illa esset intelligenda sub Deo, et sic de necessitate illa esset mater Dei. Igitur cum Maria fuerit mater Dei, sequitur quod puritas uirginis fuit non solum in mente uel in anima, sed etiam in corpore, unde sanctus Thomas dicit quod «puritas Marie fuit maxima sub Deo», in primo, distinctione decima septima, questione secunda, et distinctione quadragesima quarta, tertio ad tertium; et in tertio, distinctione tertia, questione prima, articulo primo, questione secunda ad tertium; et prima secunde, questione octogesima prima, quinto ad tertium; et tertia, questione uicesima septima, secundo ad secundum. Vnde Sanctus Doctor dicit in opusculo expositionis angelice quod puritas Marie excedit puritatem angelorum, sed cum angeli sint incorruptibiles, sequitur quod etiam ipsa uirgo Maria.

82-83: cf. Sir. 24, 16. | 92: Act. 20, 35. | 96-98: cf. Lc. 10, 42.

83-85: Bernardus] NI. cf. Ray. Id., *Cont. De B. V.*, par. 2, cont. 3, 2, col. 877. | 87-88: Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 6. PL 183, 428B. | 88-89: cf. MF. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. PL 30, 127A. | 92-94: Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 6. PL 183, 441AB. | 106-107: Ans., *De Conc. Virg.*, XVIII. PL 158, 451A. | 113: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 1), lib. 1, dist. 17, q. 2, a. 4, p. 894; (vol. 2), lib. 1, dist. 44, q. 1, a. 3, p. 900; (vol. 5), lib. 3, dist. 3, q. 1, a. 1, qc. 2, p. 162; *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 81, a. 5, p. 535; (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 27, a. 2, p. 206. | 117: cf. Th. Aq., *In Sal. Ang.*, 1113, p. 239.

120 Sed dicet aliquis quod angeli sunt incorruptibiles, quia non sunt compositi ex materia et  
 forma, sicut uirgo Maria. Dicendum quod angelis sunt incorruptibiles natura, Maria uero  
 gratia et uirtute diuina. Vnde tripliciter aliquid dicitur imputrefactibile, scilicet:  
 125 temperamento complexionis et unione anime et aliquo liquore adiuuante, ut mediante  
 balsamo. Omnibus istis modis uirgo Maria dicitur incorruptibilis et incinerabilis quo ad  
 corpus.

Primo modo, si caro pauonis est per magnum tempus incinerabilis, ut dicit Augustinus  
 uicesimo primo De Ciuitate Dei, capitulo septimo, quod est credendum propter  
 temperamentum humorum uel calidi extrinseci. Cum in uirgine fuerit optima complexio  
 130 post Christum, nam complexio corporis Christi aliquid sumit a uirgine, cum natus ex  
 optima complexione sequatur illam, et si aliquod corpus mundi fuit “heucraton”, hoc fuit  
 corpus Christi, sequitur, etcetera.

Secundo modo, si ab anima, cum anima uirginis fuerit sanctissima et iuncta diuinitate,  
 quia uerbum diuinum in se habuit non solum in mente, sed in corpore, sequitur, etcetera.

Tertio, si aliquo liquore balsami hoc potest artificio hominis, quanto magis hoc poterit  
 135 illa plenitudo gratie quam in sanctificationibus uirgo habuit. Vnde si illud quod est  
 corporale et incinerabile per naturam ars humana potest illud facere incorruptibile per  
 magnum tempus, a fortiori ars diuina. Exemplum de uitro quod sit ex quadam parua herba,  
 que uulgariter in patria mea dicitur “sosa”, que naturaliter est corruptibilis et sit in  
 140 congregationibus aquarum, sed industria humana comburitur et in terra occultatur et  
 efficitur ex combustionem quasi lapis. Sed si secundo ponitur in fornace mediante maximo  
 igne efficitur quasi pasta. Et sic si artifex uult ex illa facere uas pulchrum, accipit de illa cum  
 trumpa et mittendo spiritum per illam et exsufflando facit uas optimum et incorruptibile, ut  
 patet in uitro, quod nunquam incineratur. Non dico de corruptione, que est separatio anime  
 a corpore, de qua Aristoteles in libro De Generatione et Corruptione, sed de putrefactione,  
 145 de qua est nunc sermo. Et sic partes uasis bene sunt ad inuicem separabiles, sed quelibet  
 pars siue ponatur in aqua siue in terra siue in stercore, semper remanet incorruptibilis et  
 nunquam minuitur, etcetera.

Si dicis: licet Maria uirgo fuerit incorruptibilis, imputrefactibilis et incinerabilis, tamen  
 bene potest esse in sepulchro, quia multa uidemus talia mediante balsamo, etcetera.  
 150 Dicendum quod Aristoteles dicit quod locus corruptibilium est concauum lune, sed locus  
 incorruptibilium est locus sursum. Et cum: «locus et locatum debeant proportionari»,  
 sequitur quod postquam corpus uirginis fuit incinerabile, quod debuit esse supra lunam,  
 scilicet: in loco ingenerabilium et incorruptibilium.

Secunda ratio est talis eodem priuilegio gaudent rex et regina, quia censentur eadem  
 155 persona, sed priuilegium regis Christi est esse incorruptibile et incinerabile, unde Psalmi  
 decimo quinto: *non dabis sanctum tuum uidere corruptionem*, sic debemus dicere: “non dabis  
 sanctam tuam uidere corruptionem”, etcetera.

Si dicis: priuilegia que sunt stricti iuris non debent extendi nec ampliari, sed in Psalmis  
 non dicit “sanctam”, sed “sanctum”, igitur, etcetera. Dicendum quod stante ratione legis  
 160 debet stare lex, sed ratio illius legis est sanctitas Christi, que est, scilicet: *quia peccatum non fecit*

156: Ps. 15, 10. | 160-161: cf. Is. 53, 9; I Pt. 2, 22.

127: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XXI, 7, 2. PL 41, 719CD. | 144: cf. Arist. Lat., *De Gen. Et Corr.*, I, 3, 317b25,  
 p. 17. | 151: cf. Arist. Lat., *Phys.*, IV, 4, 211a1, p. 145; cf. Th. Aq., *Con. Gent.* (vol. 15), lib. 4, c. 87, p. 276.

128: Temperamentum] M temperamentum.

165 *nec inuentus est dolus in ore eius*, Isaie quinquagesimo tertio et prima Petri secundo. Sed ista uerba de aliquo non possunt dici nisi de uirgine, igitur, etcetera. Vnde sicut fides non edificaretur, si Christi corpus remaneret in sepulchro, quia dicitur Psalmi uicesimo nono: *que utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem?* Sic nec edificaretur fides mediatrix si ipsa de qua Christus carnem assumpsit remaneret in sepulchro, unde etiam ipsa poterat dicere filio suo: *que utilitas in sanguine meo*, de quo corpus formasti, *si descendo in corruptionem?* Ideo perderet fides de ea, nec credendo esse matrem Christi, nec credendo Christum esse filium Dei, etcetera.

170 Tertia ratio: regina debet esse circa regem et etiam regnum perfectum non debet carere regina, cum in his inferioribus regnum sine regina dicitur “diminutum”, sed cum perfectio istorum inferiorum sit a perfectione superiorum, sequitur quod in illo debet esse non solum rex, sed regina. Cum igitur rex Christus sit in celo, etiam uirgo Maria debet esse in illo.

175 Si dicis: iam est anima uirginis. Dicendum quod sic debet esse regina sicut est rex, sed rex est in corpore et anima, igitur, etcetera. Quod sit in corpore et anima patet Psalmi quadragesimo quarto: *astitit regina a dextris tuis in uestitu deaurato*, etcetera. Clarum est quod uestitus anime est corpus, igitur, etcetera.

180 Quarta ratio est talis: aduocata debet esse ubi est curia, sed curia est in celo, igitur, etcetera. Et sic dicit Hieronymus in sermone hodierno quod: «aduocatam misit in celo peregrinatio nostra», etcetera. Vnde Bernardus dicit in sermone: «data est tibi omnis potestas, o uirgo beata, in celo et in terra, ut quodcumque uolueris, ualeas impetrare. Tu es enim mater Dei et hominis, mater rei et iudicis, mater regis et exulis».

185 Si dicis quod potest esse aduocata quo ad animam, sicut anima Petri est aduocata et anima Pauli, sic anima uirginis. Dicendum quod cum hec fuerit perfectissima aduocata, non debuit ei deficere aliquid quod ad aduocationem pertineret, sed corpus pertinebat ad aduocationem, igitur. Exemplum: sicut falco licet ad uocem domini sui ueniat aliquando, sed dum ostenditur ei “aloyre” uel “senyuelo” citius uenit, quia in illo sumpsit cibum sepe. Sic uirgo Maria, licet uerbo oret filium pie, sed dum ostendit ei pectus, in quo lactatus fuit sepe, inclinatur ad preces matris, unde Bernardus: «securum habemus, o christiane, accessum ad Deum, ubi filius ante patrem et mater ante filium. Filius ostendit patri latus et uerbera, mater ostendit filio pectus et ubera, nulla igitur potest esse repulsa, ubi tot sunt amoris insignia».

195 Quinta ratio Deus precepit Exodi uicesimo: *honora patrem tuum et matrem tuam*. Glosa: scilicet: «quantum potes». Sed ipse dixit: *non ueni soluere legem, sed adimplere*, scilicet: dando ceremonialia quod eis deficiebat et moralia seruando, sed patrem honorat, Iohannis octauo: *ego honorifico patrem*, etcetera. Igitur debuit matrem honorare quantum posset, sed non illam sic honoraret si solum hoc faceret quo ad animam, solum postquam posset quo ad corpus. Igitur maxime cum ista fuerit dignior mater et ipsa eum honorauerit non solum quo ad animam, sed recipiendo illum in corpus. Vnde Hieronymus in sermone: «sicut hic non est

---

164-166: Ps. 29, 10. | 175: Ps. 44, 10. | 192: Ex. 20, 12. | 193: cf. Mt. 5, 17. | 195: Io. 8, 49.

178-179: Hieronymus] *Auctor err.* cf. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, I, 1. PL 183, 415C. | 179-181: Bernardus] *NI.* cf. Petr. Dam., *Serm.*, XLIV. PL 144, 740B; cf. Pseu. Ans. Luc., *Med. Sup. Sal. Reg.*, VII. PL 149, 589A. | 188-191: Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Ern. Bon., *De Lau. B. M. V.*, 1. PL 189, 1726CD. | 193: cf. Isid., *Qu. In VT.*, in Ex., XXIX, 9. PL 83, 302C. | 198-200: Hieronymus] *Auctor err.* cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, I, 3. PL 183, 416B.

161: Inuentus] M inuenius.

200 locus dignior utero uirginali, in quo Maria Christum suscepit, sic nec in celis regali solio, in quo Christus Mariam collocauit».

205 Sexta ratio: amor est bis unitiua amantium, sed maior fuit charitas inter matrem hanc et filium suum quam alias matres. Igitur debuit illos uniri non solum quo ad animam, sed etiam quo ad corpus, unde Augustinus: «Christus totus uoluit esse matris sue, quia patrem carnalem habere noluit, uoluit et matrem totam esse suam, quia alios filios non generauit. Igitur qui eam noluit communicari homini quando communicauit uermi, et qui ex ea noluit generare filios, quomodo generauit uermes putridos?».

210 Septima ratio: si angelus dixit: “aue”, id est, sine “ue” maledictionis, sed incineratio est una de quinque maledictionibus mulieris, Genesis tertio. Igitur si istam habuisset angelus ex parte Dei non uerum dixisset. Item cum constet uirginem esse immunem a quattuor prioribus, sequitur quod etiam a quinque fuerit immunis.

215 Prima est: *multiplicabo erumnas tuas*, que sunt grauitates partus, hanc non habuit, unde Bernardus: «fuit autem uirgo sine grauedine grauida». Exemplum nubis, que licet sit grauis et circa terram, si radius solis in ea incorporatur, efficitur leuis et ascendit, sic uirgo. Vnde Hiezechielis tricesimo secundo: *solem nube tegam*. Vnde post conceptionem legitur de ea: *surgens Maria abiit in montana cum festinatione*, Luce primo. Hoc etiam dicit Isaias tricesimo quinto capitulo: *letabitur deserta et inuia et florebit sicut lilium, germinans germinabit et exultabit letabunda et laudans, gloria Libani data est ei uirgo*. Fuit hec et inuia, quia a uiro non cognita, Hiezechielis quadragesimo quarto: *uir non transiuit per eam*. Causam assignat quia: *gloria Libani*, id est, celi, *data est ei*, quia non concepit purum hominem sicut ceterae mulieres.

220 Secunda est: *multiplicabo conceptus tuos*, hec uirgo nunquam alium concepit quam Christum.

Tertia: «sine dolore puerpera», ut dicit Bernardus. Igitur ab ista que est in dolore paries fuit immunis.

225 Quarta: *sub uiri potestate eris*, ab ista immunis fuit, quia hec, ut dicit Bernardus: «fuit domina non solum hominum, sed angelorum».

230 Quinta est communis homini et mulieri, scilicet: *puluis es*, etcetera. Igitur si ab istis quattuor fuit immunis, etiam a quinta oportet, quia omnes date ab eodem, etcetera. Vnde Augustinus super illud “*translato sacerdotio*”, etcetera, dicit quod: «enim simul et ab eodem et sub eadem sponsione data sunt, quod de uno dicitur oportet quod de alio intelligatur». Sic in proposito, igitur immunis ab omnibus.

Secundo, principaliter probatur hoc per auctoritates.

Prima Augustini in sermone hodierno aperte hoc dicens.

Secundo, Bernardus hoc dicit in multis locis.

---

208: cf. Gn. 3, 16. | 211: cf. Gn. 3, 16. | 214: Ez. 32, 7. | 215: Lc. 1, 39. | 216-217: Is. 35, 1-2. | 218: Ez. 44, 2. | 218-219: cf. Is. 35, 2. | 220: cf. Gn. 3, 16. | 224: cf. Gn. 3, 16. | 226: cf. Gn. 3, 19. | 228: cf. Hbr. 7, 12.

203-206: Augustinus] NI. cf. Iac. Var., (1590) *Serm. Aur.*, XIII, f. 13r. | 212: Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, VII. PL 183, 433B. | 222: Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, VII. PL 183, 433B. | 224-225: cf. Pseu. Bern. Cl., *Trac. De St. Virt.*, I, 13. PL 184, 797D. | 228-229: Augustinus] *Auctor err.* cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Hbr., 7, 12. PL 114, 655BC; cf. Gre. IX., *Decr.*, I, 2, 3, col. 8.

228: Quod] M, X que.



235 Tertio, sanctus Thomas hoc dicit in quarto, distinctione duodecima, questione prima, articulo tertio, questiuncula tertia, contestatione; et in tertia parte, questione uicesima septima, primo capitulo; questione octogesima tertia, quinto ad octauum; opusculo octauo, scilicet: in Expositione Salutationis Angelice, capitulo primo in fine, etcetera.

240 Si forte dicatur: sed Hieronymus dicit contrarium. Dico quod non dicit contrarium, sed reliquit illud indeterminatum dicens: «melius est dubitare quam temere definire». Sed dico quod etiam spiritus sanctus uoluit quod Hieronymus in eodem sermone illud diceret quando dixit: «ceteris per partes prestatur gratia. Marie autem tota se infudit plenitudo gratie». Si igitur: *multa corpora sanctorum surrexerunt cum Christo*, etcetera, Matthei uicesimo septimo, dicit enim Remigius et multi alii quod: «illi qui in resurrectione surrexerunt cum Christo, in ascensione ascenderunt cum eo in celum». Igitur si alicui sancto est data gratia, 245 quod esset in celo cum Christo cum corpore et uirgini data non fuerit, aliquis sanctus haberet aliquam gratiam quam uirgo non haberet, quod esset contra dictum Hieronymi et Bernardi, etcetera. Igitur cum non sit dicendum, clare constat quod uirgo fuerit in celo in corpore et anima.

250 Item probatur per auctoritatem ecclesie, que est maior omni sancto, nam Augustinus dicit in epistola: «fundamenti euangelio non crederem nisi illud ecclesia approbare», sed ecclesia dicit uirginem esse in celo in corpore et anima, igitur. Hoc etiam probatur quia ecclesia facit duplex festum in hac festiuitate de uirgine, scilicet: in uigilia, quam facit solemnem, et hoc propter collocationem anime Marie in celum, unde in collecta misse illius diei dicitur: «concede misericors Deus fragilitati nostre presidium, ut qui sancte Dei 255 genitricis et uirginis Marie requiem celebramus», etcetera. In die autem dicit in collecta: «ueneranda nobis domine huius diei festiuitas opem conferat salutarem, in qua sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, que filium tuum dominum nostrum de se genuit incarnatum», etcetera. Igitur nexus erat respectu anime et nexus respectu corporis, et sic dixit: “nec tamen nexibus mortis deprimi potuit”, 260 etcetera.

Tertio, probatur hoc exemplis.

265 Primo sic: quecumque matrona seruat pannum, qui superauit ex uestibus nuptialibus, in eodem loco in quo seruat illas uestes, sed Christus in nuptiis incarnationis uestitus fuit ex carne uirginis Marie, unde: *quasi sponsus procedens de thalamo suo*, etcetera, Psalmi decimo octauo. Et sic angeli dixerunt ei: *quare rubrum est indumentum tuum et uestimenta tua, quasi calcantium in torculari?* Isaie sexagesimo tertio. Igitur si ipse cum ueste sua est in celo, similiter corpus uirginis, ex quo illa assumpta fuit, unde Augustinus in sermone dicit: «caro Christi caro uirginis est». Sed: «si elegit diuina uoluntas puerorum uestimenta in igne seruare illesa, cur abnuet in matre propria, quod elegit in ueste aliena?». Quasi dicat: minime.

270 Secundo, probatur hoc, quia Maria est thronus Christi et thalamus et tabernaculum eius. Igitur, sicut reges immediate portare faciunt thronum suum ad locum ad quem uadunt,

242: Mt. 27, 52. | 264: Ps. 18, 6. | 265-266: Is. 63, 2.

234: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 7), lib. 4, dist. 12, q. 1, a. 3, p. 920; *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 27, a. 1, pp. 203sq; q. 83, a. 5 ad 8, p. 720; *In Sal. Ang.*, 1120, p. 241. | 239: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 2. *PL* 30, 124A. | 241-242: cf. MF. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. *PL* 30, 127A. | 243-244: cf. Rem., *En. In Psal.*, XXXIV. *PL* 131, 320A; cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Mt., XXVII, 10, p. 414. | 250: cf. Aug. Hipp., *Con. Ep. Man.*, V, 6. *PL* 42, 176B. | 254-255: cf. Gre. Mag., *Lib. Sacr.*, Eodem die in uigilia Ass. San. Mariae. *PL* 78, 133A. | 256-258: cf. Gre. Mag., *Lib. Sacr.*, XVIII kalendas septembris. *PL* 78, 133B. | 267-269: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, V-VIII. *PL* 40, 1145B-1147B.

239: Reliquit] M reliquid.

sequitur postquam ipse est in celo quod etiam sit thronus eius, scilicet: Maria. Vnde Augustinus: «thronum Dei thalamum domini atque tabernaculum Christi dignius est esse ubi ipse est».

275 Tertio, si crux Christi in qua membra Christi tribus horis permanserunt propter illud habuit hoc priuilegium, scilicet: quod non corrumpatur, etiam ab elemento maxime actiuo, scilicet: igne, cum de natura sua illa ligna essent putrefactibilia.

280 Igitur corpus uirginis, in quo nouem mensibus Christus requieuit, de quo carnem assumpsit et in eius brachiis triginta tribus annis requieuit, et etiam de cruce ipsa in brachiis suis recepit, non gaudebit eodem priuilegio? Dico quod sic. Augustinus ibidem: «illud sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit escam uermibus esse traditum, quia sentire non ualeo dicere pertimesco».

Clare igitur concludendum est quod *Maria optimam partem elegit* hic per gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, etcetera. Amen.

---

283: cf. Lc. 10, 42.

273-274: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, VI. PL 40, 1146A. | 280-282: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, VI. PL 40, 1146B.

SERMO CENTESIMVS SEXTVS ET SECVNDVS IN EADEM DOMINICA INFRA OCTAVAS  
ASSVMPTIONIS VIRGINIS MARIE

<THEMA> *Non est talis mulier super terram, Iudith undecimo.*

5 Originaliter ad laudem, gloriam et triumphum Dei genitricis assumptum thema scribitur  
presens.

Ultra tres excellentias uirginis Marie ex parte corporis, quas in die beate uirginis habuimus, reperimus uirginem excellere omnes mulieres et etiam omnes puras creaturas in aliis tribus ex parte anime, et sunt iste: prima omnium uirtutum repletio; secunda gratie plenitudo; tertia immunitas ab omni peccato.

10 Primo, uirgo Maria fuit plena omni uirtute, unde Prouerbiorum ultimo: *multe filie congregauerunt diuitias. Tu autem supergressa es uniuersitas.* Non solum enim uirgo habuit omnes uirtutes, sed illas habuit excellentes, unde Bernardus: «in Maria uirtutes erant singulares, que in ceteris uidebantur esse communes». Sed ad hoc uidendum esset difficile per omnes uirtutes discurrere, sed de edificio uirtutis possumus iudicare, sicut de alio edificio. Nam si  
15 edificium excellit aliud in fundamento et in culmine et in medio quo ad stantias, dicitur excellere simpliciter omne edificium, ut patet in turri Babilonie. Sed edificium uirtutis Marie uirginis est huiusmodi, igitur.

Primo, quo ad fundamentum, quia humilitas est fundamentum uirtutum, unde Augustinus dicit: «cupiens magnam uirtutum fabricam construere de fundamento cogitet  
20 humilitatis». Et sic cum humilitas uirginis Marie fuerit maior omni alia pure creature, sequitur, etcetera. Quod patet, quia obtinuit quod maius erat in mundo, scilicet: filium optimum, et obtinere respectu Dei est modo opposito respectu mundi. Nam in mundo, si uolumus aliquid altum recipere, opus quod erigamur in altum, sed respectu Dei econuerso: si erigimur, eleuatur, unde Psalmi sexagesimo tertio: *accedet homo ad cor altum et exaltabitur  
25 Deus*, sicut qui uult lapidem in altum porrigere, opus quod humiliet manum, sic in proposito. Cum uirgo obtinuerit filium supremum, opus quod hoc fecerit maxima humilitate, ideo dicit Bernardus quod: «Maria humilitate concepit». Hoc dicit Machometus in Alchorano, libro primo, azora secunda, alea quadragesima tertia, quod tempore conceptionis Marie dixerunt angeli ei: ‘o Maria, humilia te tuo creatori’. Quasi dicat quod  
30 sine humilitate non posset concipere. Et sic ipsa dixit: *respexit humilitatem ancille sue*, Luce primo.

Secundo, hoc patet ratione culminis edificii, quod est respectu uirtutum per respectum ad Deum, scilicet: uirtutum theologalium, que in ipsa fuerunt et excellentes. Vnde Bernardus: «Marie non defuit fides patriarcharum, charitas apostolorum, patientia  
35 martyrum, sobrietas confessorum, castitas uirginum nec puritas angelorum».

Tertio, ratione medii, et cum sit mulier optima uirtutum, est castitas in muliere. Et sic, cum uirgo non solum non cognouerit uirum, sed nec proposuerit cognoscere, sequitur, etcetera. Hoc habetur in Alchorano, libro primo, azora secunda, que est patris Marie, et alea quadragesima septima, et in tertio, azora prima, alea decima septima.

3: Idt. 11, 19. | 10-11: Prv. 31, 29. | 24-25: Ps. 63, 7-8. | 30: Lc. 1, 48.

12-13: Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 6. PL 183, 428B. | 19-20: Aug. Hipp., *Serm.*, LXIX, 1, 2. PL 38, 441A. | 27: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, I, 5. PL 183, 59B. | 29: cf. Q 3, 43. | 34-35: Bernardus] NI. cf. Ray. Id., *Cont. De B. V.*, par. 2, cont. 3, 2, col. 877. | 38: cf. Q 3, 47. | 39: cf. Q 19, 20.

3: Iudith] X Indith. | 39: Quadragesima septima] M, X quadringentesima septuagesima.

40 Secunda excellentia fuit gratie plenitudo, unde Hieronymus in sermone hodierno dicit: «ceteris per partes prestatur gratia. Marie uero tota se infundit gratie plenitudo». Hoc patet quia cum: «signum dilectionis sit exhibitio operis», ut dicit Gregorius, et cum uirgini Marie fuerit datus maior filius qui fuerit in mundo, ut dicit Alchoranus in libro primo, azora secunda, alea quadragesima quinta, ubi dicitur: 'hic erit magnus in hoc seculo et alio',  
45 etcetera. Item Luce primo: *hic erit magnus et filius altissimi uocabitur*.

Tertia excellentia fuit immunitas ab omni peccato, unde Augustinus De Natura et Gratia dicit: «cum de peccatis agitur de uirgine», etcetera. Esse autem sine peccato conuenit illi ex parte filii et ex parte nostri, unde Sapientie primo: *in maliuolam animam non introibit sapientia neque habitabit in corpore subdito peccatis*. Vnde solum uirgo Maria et filius suus fuit sine  
50 peccato, et hoc dicit Alchoranus in libro primo, azora secunda, alea tricesima sexta, quod 'Maria fuit preseruata a potestate demonis cum filio suo'. Ipse, scilicet: ut redimeret. Illa ut pro omni peccato intercederet. Exemplum: «intellectus noster qui est ut tabula rasa», ut omnes species accipiat. Sic uirgo Maria sine peccato, ut pro omnibus peccatis intercederet. Clarum est quod: *qui facit peccatum seruus est peccati*. Igitur si uirgo et filius suus fuerunt  
55 exempti a potestate demonis, quod fuerunt sine omni peccato, nam demon est qui inclinatur ad peccatum et Deus ad uirtutem, ut dicit Machometus libro primo, azora prima, alea centesima sexagesima octaua. Ex istis tribus excellentiis habemus tria.

Primum, quod si uirgo Maria habuit excellenter omnes uirtutes, per consequens habuit excellenter uirtutem misericordie: «que miseris sapit dulcius», ut dicit Bernardus, unde dicitur "mater misericordie". Et Machometus dicit quod Deus dixit quod 'mittebat Iesum Christum misericordiam in mundo'. Cum uirgo Maria sit mater eius, sequitur quod est mater misericordie, in Alchorano, libro tertio, azora prima, que dicitur "Marie".

De secunda, se habet omnem gratiam et datorem gratie, sequitur quod potest nobis impetrare gratiam.

65 De tertia, si forte peccatum impedit nobis recipere illam, hec sine peccato intercedet pro omnibus peccatis. Nam si multi essent sancti et sancte, ad quos possumus recurrere, sed illi non sic excellenter habuerunt uirtutes, nec gratiam, et etiam fuerunt cum peccato. Vnde Iohannes in canonica dicit quod si omnes sancti congregarentur dicentes: *si dixerimus quod peccatum non habemus*, etcetera. Et sic ad hanc nunc singulariter est recurrendum, quia *non est talis mulier super terram*. Ad hanc igitur in principio, etcetera.  
70

<THEMA> *Non est talis mulier super terram*, ubi supra.

Ad uidendum excellentiam uirginis Marie opus eam comparare nouem mulieribus. Tribus legis nature, scilicet: Eue, Sarre et Agar; tribus legis scripte, et quia agareni habent maximam notitiam Mosi, sumamus eius analogiam, scilicet: matrem Mosi, Iocabeth, et  
75 uxorem suam, scilicet: Sefforam, et eius sororem, scilicet: Mariam. Et etiam comparabimus eam tribus aliis mulieribus legis gratie, scilicet: Anne, matri uirginis, et Anne prophetisse uidue existenti in templo, et Elisabeth, matri Iohannis Baptiste.

Primo, igitur magnam habuit excellentiam Eua inter mulieres tripliciter.

45: Lc. 1, 32. | 48-49: Sap. 1, 4. | 54: Io. 8, 34. | 68-69: I Io. 1, 8. | 69-71: cf. Idt. 11, 19.

41: cf. MF. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. PL 30, 127A. | 42: Gre. Mag., *Hom.*, XXX, 1. PL 76, 1220C. | 44: cf. Q 3, 45. | 47: Aug. Hipp., *De Nat. Et Gra.*, XXXVI, 42. PL 44, 267B. | 51: cf. Q 3, 36; cf. Io. And., *Conf.*, c. XI, p. 212. | 52: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, III, 146, (429b30), p. 186. | 56: cf. Q 2, 168. | 59: Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429A. | 60-61: cf. Q 19, 21.

80 Primo, quo ad productionem, nam Eua fuit producta supranaturaliter ex uiro sine muliere, sed ad hoc: ut filios naturaliter produceret. Sed uirgo Maria excellit in hoc multum, quia etiam supranaturaliter producta et ut filium supranaturaliter generaret. Quod autem esset mulier ex aliqua substantia uiri genita hoc uel illo modo non differebat. Et sic esse ex costa uiri fuit miraculum in Adam, non autem in Eua. Nam Eua fuit genita sine femina propter nature defectum, quia nulla alia femina erat in mundo, ex qua naturaliter esset  
85 genita, sicut de primo martello patet quod fuit productum sine martello, sed hoc non fuit excellentia in martello producto, sed necessitas in illo. Sic in proposito, quod Eua fuerit sine femina producta non fuit in illa mirabile, sed in uiro ex qua fuit Eua. Fuit supranaturaliter producta, ut filios naturaliter produceret, sed uirgo Maria econuerso naturaliter producta, ut filium supranaturaliter produceret.

90 Secundo, in moribus Maria excellit, nam si Eua fuit in gratia producta et iustitia originali, uirgo Maria in maiori gratia. Nam illa potuit perdi, ista uero non. Illa causa omnis peccati, hec sine omni peccato. Illa superba, hec humilis. Illa obprobrium mulierum, hec tollit omne obprobrium, etcetera.

95 Tertio, excellit in maternitate, quia Eua mater omnium uniuersalitate, sed Maria magis uniuersalis, unde Eua non fuit mater Ade, sed Maria uirgo fuit mater Ade et Eue. Sed illa mater nature, hec mater gratie, «non solum hominum, sed angelorum», unde Augustinus in sermone: «letare pater Adam, sed magis tu, mater Eua exulta, quia sicut omnium fuistis parentes, sic et omnium fuistis peremptores, et quod infelicius est prius peremptores quam  
100 illa obprobrium matris auferat», etcetera.

Secundo, excellit in corruptione, quia Eua fit mater omnium per corruptionem carnis, sed Maria mater Dei et hominum sine aliqua corruptione, immo uirgine remanente. Non ut agareni dicunt, quod Maria fuerit uirgo ante partum et post partum, sed in partu fuit rupta, quod in illa non esset mirabile, sicut dicit Isaïas quod: *signum esset quod uirgo concipiet et pariet*,  
105 etcetera, Isaïe septimo. Et sic non fuit sic quod rumperetur in partu filii, ut dicunt agareni. Item Hiezechielis quadragesimo quarto: *porta hec clausa erit et non aperietur*, etcetera. Item Canticorum <quarto>: *hortus conclusus et fons signatus*, etcetera. Vnde Augustinus: «fas non erat ut matris integritatem uiolaret, qui uenerat sanare corrupta». Igitur uirgo Maria non erat dicenda uirgo propter hoc quod *uir non transiret per eam*, sed propter hoc: quia nullo modo  
110 erat corrupenda in partu.

Tertio, excellit in filio, quia Eua habuit filium purum hominem, ut Cain, Abel, Seth, etcetera, sed uirgo maria Deum et hominem simul. Et sic inter Eua et Mariam uirginem nulla conuenientia est, sed illa, scilicet: Maria uirgo, excellit Euam in summo.

Secunda est Sarra, quam excellit uirgo in tribus.

115 Primo, hec excellit alias, quia filius suus fuit promissus quod in illo benedicerentur omnes cognationes terre, sed licet descenderet ex filia Sarre, filius Marie fuit qui dedit benedictionem omnibus, unde Apostolus ad Galatas tertio: *non dicit in seminibus quasi in multis, sed in uno semine, qui Christus est*. Et sic perfectio fuit a Christo, qui exire debuit ex filio Sarre, qui fuit Isaac, unde: *in Isaac uocabitur tibi semen*, Genesis uicesimo primo et Apostolus

---

104: Is. 7, 14. | 106: Ez. 44, 2. | 107: Ct. 4, 12. | 109: cf. Ez. 44, 2. | 117-118: Gal. 3, 16. | 119: cf. Gn. 21, 12; cf. Hbr. 11, 18.

96: cf. Pseu. Bern. Cl., *Trac. De St. Virt.*, I, 13. PL 184, 797D. | 97-100: Augustinus] *Auctor err.* cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62BC. | 107-108: Aug. Hipp., *Serm.*, CXCIV, 1. PL 38, 1015D.

120 ad Hebreos undecimo. Exemplum: si ex grano tritici aliquando esset oriundus lapis pretiosus per diuersas seminationes, tota benedictio esset attribuenda lapidi pretioso, sic in proposito. Igitur cum Christus lapis pretiosus fuerit datus a uirgine Maria, sequitur quod excellat, etcetera.

125 Secundo, Sarra parit supranaturam angelo nuntiante, sed dubitauit dicendo: *nunc in senectute uoluptati operam dabo*, Genesis decimo octauo. Sed Maria uirgo firmiter credidit mysterium, sed demon uoluit ab angelo informari et sic credendo demon petendo dixit: *quomodo fiet istud? Quoniam uirum*, etcetera, Luce primo. Et hoc habetur in Alchorano, libro primo, azora tertia, alea quadragesima septima, quando ipsa dixit: ‘quomodo fiet, etcetera, dixit ei angelus quod Deus facit quod uult et qualiter uult, quia dicendo “fiat”, sit quod uult’, etcetera. Et concordat cum Psalmista, qui dicit ipse dixit: *et facta sunt*, etcetera, Psalmi tricesimo secundo.

135 Tertio, Sarra conficit panem ex tribus satis farine, Genesis decimo octauo, sed uirgo Maria fuit illa que uere hunc panem confecit, qui de seipso dicit: *ego sum panis uiuus*, etcetera. Nam tria sata fuerunt: «eternum, nouum et antiquum», ut dicit Augustinus et Bernardus, et sic Sarra fecit hoc in figura, Maria uero in in ueritate. Et sic tanta differentia est inter istas quanta est inter solem et umbram.

Tertia fuit Agar, quam excellit in multis.

140 Primo, quia angelus dixit ei quod filium esset paritura et dat ei nomen dicendo quod *uocaretur Ismahel*, id est, auditus a Deo. Sed in isto Maria excellit, nam nuntiatur ei filius ante conceptionem, alteri aut post conceptionem in utero, et dat ei nomen dicendo: *uocabis eum Iesum*, id est, saluatorem. Alteri non dat excellentiam in nomine, sed isti sic, dicendo quod esset saluator mundi.

Secundo, magna est differentia inter istas in se.

145 Primo, Agar fuit ancilla Sarre, Maria autem domina. Agar superba et ingrata; Maria humilis. Et sic de multis.

150 Tertio, est excellentia ratione filii, quia Ismahel homo ferus sagittator; Christus humilis, qui dicit: *discite a me, quia mitis sum et humilis corde*, Matthei undecimo capitulo. Illius manus contra omnes; iste, scilicet: Christus, pro omnibus manus posuit in cruce. Item benedictio fuit facta per Christum, sed non per Ismahel, unde dicitur: *in Isaac uocabitur tibi semen*, scilicet: benedictionis, Genesis uicesimo primo.

155 Si autem dicis: Isaac fuit pater innumerabilium gentium, et sic, si non esset uoluntas domini cum agarenis, non sic multiplicaretur. Dicendum quod non sunt plures quam christiani, nam Europa tota est christianis plena et Asia etiam, nam in illa sunt multe secte christianorum, ut sunt Iacobite, Nazarei et Dela cintura, etcetera, et in India est ille presbyter Iohannes, etcetera.

Et si forte non credunt agareni quod sint christiani in tanto numero, dico quod propter multitudinem non concludunt bonitatem fidei. Nam plures erunt damnati quam salui in gloria; plures sunt homines uitiosi quam uirtuosi in mundo. Et sic cum inter christianos sint

---

124-125: Gn. 18, 12. | 127: Lc. 1, 34. | 130: Ps. 32, 9. | 132: cf. Gn. 18, 6. | 133: cf. Io. 6, 51. | 139: cf. Gn. 16, 11. | 140-141: cf. Lc. 1, 31. | 147: Mt. 11, 29. | 149: Gn. 21, 12.

128-130: cf. Q 3, 47. | 134: cf. MF. Bern. Cl., *De Cons.*, V, 10, 23. PL 182, 801C.

160 multe religiones hominum et mulierum, que non sunt inter agarenos. Et illi utuntur pluribus mulieribus, et cum sit lex uitiorum, cotidie ad illam multi conuertuntur et in bellis deprehenduntur pueri et in illa secta nutriuntur et sic sunt multi, sed non electi. Nam, ut dixi, plures sunt herbe male quam bone et pauciores lapides pretiosi quam alii lapides, etcetera. Et sic quando tempore promissionis Ismahelis ei promittitur semen dicitur: *multiplicabo semen tuum ut puluerem*, etcetera, Genesis decimo tertio. Sed quando tempore  
165 Isaac, scilicet: post sacrificium, ei promittitur, dicitur: *multiplicabo semen tuum ut stellas celi*, Genesis decimo quinto et Genesis uicesimo sexto. Tantum igitur distat semen Ismahel a semine Isaac et Iacob, ex quibus oritur Christus, quantum distat puluis a stellis celi, igitur, etcetera.

170 Si forte dicunt agareni: nos habemus dominium terre sancte, in qua Christus tanta fecit miracula, quod non posset esse sine Dei uoluntate. Dicendum quod non est uerum, nam Soldanus est quidam malus christianus et non potest esse ismaheliticus ex genere, et ille dominatur et etiam Christus est dominus. Nam in Hierusalem et Bethleem et in pluribus locis aliis est presentialiter Christus in sacramento, qui dixit: *cotidie uobiscum sum usque ad consummationem seculi*. Et sic est in illo loco ut dominus et nunquam permisit Deus ut  
175 destruerentur monasteria illa, etcetera. Non autem commisit Deus ismahelitis illam terram propter eorum bonitatem, ut habetur Hiezechielis septimo, quod de Hierusalem dicitur: *et adducam malos gentium et possidebunt domos eorum et habitabunt sanctificata eorum*, etcetera. Et priuati fuerunt christiani propter causas positas in sermone decimo septimo contra hereticos et infideles.

180 Alie autem tres mulieres legis scripte fuerunt iste, que sunt magis note agarenis: prima Iocabeth, mater Mosi; secunda Seffora, uxor ipsius Mosi; tertia Maria, soror Mosi et Aaron.

Prima igitur Iocabeth excellit in multis.

185 Primo, quia descendente patriarcha Iacob uoluntarie in Egiptum pharaonis precepto, infantes mox ut nascerentur interficiebantur, sed hec Iocabeth industria sua parit filium, scilicet: Mosen, quem posuit *in fiscellam uirgarum scirpeam et linitam bitumine*, Exodi secundo. Et sic habuit filium, qui non solum fuit liber a morte, sed etiam saluauit totum populum et fuit legislator, in qua lege omnes saluabantur. Sed uirgo Maria excellit istam, quia illa fuit figura, in hac est completa ueritas. Nam cum magnus patriarcha Adam descendisset uoluntarie in Egiptum seruitutis per peccatum et subderetur pharaoni, id est, demoni, pueri,  
190 mox ut erant nati, moriebantur per peccatum originale. Sed uenit Maria uirgo et parit filium a morte peccati liberum et saluatorem totius mundi; posuit illum in fiscellam scirpeam uirgarum, scilicet: in uentre suo uirginali linito bitumine gratie. Fuit enim ipsa uirga Aaron, unde: *oriatur uirga de radice Iesse*, etcetera. Nullum habebat uirge ille nodum peccati. Si ille Moses saluauit populum iudeorum a seruitute corporali, Christus saluauit totum mundum a morte peccati quo ad animam. Vnde ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis  
195 eorum. Si ille dedit legem scriptam, hic legem gratie, quia impleuit que illa promisit.

Secunda, scilicet: Seffora, excellit in multis.

200 Primo, cum Deus uellet patrem filii sui Eliezer interficere, mater ipsius fudit sanguinem filii, que illa illi communicauit, et circumcidendo et fundendo illum liberauit patrem pueri a morte. Sed illud fuit in figura, nam cum pater Adam esset obligatus ad mortem, liberatus fuit mediante uirgine, scilicet: fundendo sanguinem filii, quem illi communicauit, et hoc

---

164: Gn. 13, 16. | 165: Gn. 26, 4; cf. Gn. 15, 5. | 173-174: Mt. 28, 20. | 176-177: Ez. 7, 24. | 185: Ex. 2, 3. | 193: cf. Is. 11, 1.

205 primo in circumcissione. Et sic saluus factus fuit pater Adam. Item cum Seffora acciperet pedes filii, dixit uidendo sanguinem eius sponsus: *sanguinis tu mihi es*. Sic fuit Christus in circumcissione sponsus sanguinis: nam sicut dos ducitur a sponsa, sed anulus arre datur a sponso, sic dos fuit sanguis fusus in passione, quem portauit uirgo Maria, sed anulus fuit circumcisio, cum quo anulo fuit desponsata, unde Agnes uirgo dicebat: «anulo suo subarrauit me». Et sic dum uirgo Maria in circumcissione filii accepit illum, uidens sanguinem dixit: *sponsus sanguinis mihi est*, etcetera.

210 Tertia, fuit Maria, soror Mosi, circa quam Machometus, ut mere laicus, errauit dicendo quod illa fuit mater Iesu Christi. Hoc dicit in libro primo Alchorani, azora secunda, que dicitur “Ambre”, patris Marie, matris Christi. Et idem dicit libro tertio, azora prima, alea uicesima quarta, ubi dicit quod mater Christi fuit soror Aaron, quod manifeste est falsum, nam de illa usque ad uirginem fluxerunt quingenti septuaginta anni. Et quod non fuerit illa patet per historias grecas et latinas et per sacram scripturam et per iudeos, scilicet: per Iosephum, etcetera. Sed quod uirgo Maria fuerit excellentior illa patet, nam illa fuit superba murmurando de Aaron, sed uirgo Maria humilima. Illa peccatrix, hec sine peccato. Illa percussa lepra et caro eius scissa, hec nunquam infirma nec caro eius corrupta. Si illa cantauit canticum nouum, scilicet: «cantemus domino gloriose», etcetera, uicto pharaone, sic uirgo Maria uicto demone cantauit canticum nouum, scilicet: *magnificat anima mea dominum*, etcetera. Si illa sequebantur uirgines omnes cum timpano, hanc sequuntur omnes in gloria tamquam primiceriam, unde Psalmi quadragesimo quarto: *adducentur uirgines post eam*, etcetera.

Alie tres fuerunt mulieres legis gratie.

225 Prima fuit Anna, mater uirginis Marie, que licet fuerit sancta inter sanctas, Maria fuit sanctissima. Et primo, Anna fuit miraculose preparata ad conceptionem, sed Maria fuit excellentius preparata. Nam Anna fuit preparata ad concipiendum puram creaturam, Maria uero ad concipiendum Deum et hominem et sine uiro, quod alteri non fuit datum. Nam Christus fuit conceptus de spiritu sancto, sed Maria dicitur concepta de spiritu sancto, unde Bernardus in sermone de conceptione dicit: «dico uirginem gloriosam de spiritu sancto 230 concepisce, non conceptam fuisse», etcetera. Nam licet illi, scilicet: Anne, fuerit data uirtus concipiendi supranaturaliter, sed conceptio respectu uirginis fuit naturalis, sicut ceco existente a natura datur supranaturaliter uirtus uisuiua, sed illa habita ille naturaliter uidet, ut dicit sanctus Thomas. Et sic conceptio Anne, qua uirginem concepit, licet quo ad uirtutem fuerit supranaturalis, fuit tamen naturalis quo ad modum, quia concepit mediante uiro, ut 235 cetere mulieres. Et non fuit uirgo Maria concepta ex osculo, ut quidam heretici dicunt. Et sic esse conceptum de spiritu sancto est priuilegium Christi dumtaxat. Item sine dubio excellit Maria, nam Anna habuit obprobrium sterilitatis, sed Maria non, sed tollit omne obprobrium mulierum, unde Augustinus: «iam non habet quid dicat uir aduersus feminam», etcetera. Item Anna plures filias concepit, sed Maria uirgo solum unum filium, qui fuit 240 omnibus excellens, ut tota esset filii et filius totus esset sue matris.

Secunda legis gratie fuit Anna uidua, de qua habetur Luce secundo. Hec fuit excellens in multis.

203: Ex. 4, 25. | 208: cf. Ex. 4, 25. | 219-220: cf. Lc. 1, 46. | 221-222: Ps. 44, 15. | 241: cf. Lc. 2, 36.

206-207: cf. Petr. Ber., *Dict.*, c. anulus, p. 182. | 210-211: cf. Q 3, 35; 19, 28; cf. Io. And., *Conf.*, c. IV, p. 138. | 218: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Responsoria. PL 78, 757B. | 229-230: Bern. Cl., *Ep.*, CLXXIV, 7. PL 182, 335C. | 233: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 77, a. 4 ad 3, p. 638. | 238: Augustinus] *Auctor err.* cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62C.



245 Primo, laudatur quod sancte uixit in omni statu, nam mansit cum uiro annis septem a uirginitate sua, et sic patet quod fuit uirgo et nupta et postremo uidua. Sed uirgo Maria excellit sine comparatione, nam similiter fuit uirgo, nupta et uidua, quia tempore passionis filii iam mortuus erat Ioseph, sponsus suus, ut dicunt doctores, et sic illam filius commendauit Iohanni. Sed Anna uidua dum fuit nupta perdidit uirginitatem, sed Maria minime, unde Bernardus: «unum est quo nec primam uisa est nec habere sequentem gaudium». Videlicet: «matris cum uirginitatis honore».

250 Secundo, excellit Anna, quod fuit prophetissa, ut habetur Luce secundo. Sed in hoc excellit Maria, nam hec perfectissima habuit spiritum prophetie secundum omnem modum et gradum, ut dicit sanctus Thomas tertia parte, questione uicesima septima, quinto ad tertium.

255 Primo, de preterito, sicut Moses dixit: *in principio creauit Deus celum et terram*, Genesis primo. Sic Maria dicit: *fecit mihi magna, qui potens est*, etcetera. In quo includitur eius sanctificatio et preseruatio et gratie plenitudo, etcetera.

Secundo, de futuro quando dixit: *ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes*, Luce primo. Nota hic qualiter omnes dicunt illam “beatam”, etiam agreni, etcetera.

260 Tertio, de presenti occulto, ut quando dixit: *suscepit Isabel puerum suum recordatus misericordie sue, sicut locutus est*, etcetera. Cognouit quod in illo omnes scripture implebantur.

Tertio, excellit Anna in hoc quod fuit presens quando Christus presentatus fuit in templo, sed Maria uirgo illam excellit, quia Anna fuit testis presentationis, sed Maria uirgo fuit illa que presentabat illum, unde: *cum induceret Iesum parentes eius*, etcetera.

265 Tertia legis gratie fuit Elisabeth.

270 Primo, excellit quia fuit preparata quo ad sterilitatem suam, ut habetur in Alchorano, libro primo, azora secunda, alea tricesima octaua, tricesima nona, etcetera, et etiam libro tertio, azora prima, quinta, sexta. Sed Machometus errauit dicendo quod propter incredulitatem mysterii Zaccharias fuit mutus tribus diebus solum, ut dicit libro primo, azora secunda, alea quadragesima, et tribus noctibus, ut habetur libro tertio, azora prima, alea octaua. Sed si Elisabeth fuit preparata ad concipiendum filium ex suo uiro, Maria uirgo excellentius fuit preparata, ut conciperet filium sine uiro, ut habetur libro primo, azora tertia, alea quadragesima septima.

275 Secundo, excellit Elisabeth, quia fuit a Maria salutata, unde: *exurgens Maria abiit in montana*, etcetera. Sed in hoc maior est excellentia Maria uirginis, quia: «honor non est in honorato, sed in honorante», ut ait Aristoteles primo Ethicorum. Et sic ex hoc ostenditur maxima humilitas Marie uirginis, sed in hoc errauit Machometus, quando uirgo Maria subiit in montana, quia dicit quod propter uerecundiam conceptionis iuit Maria uirgo in eremum et peperit ad radicem palme et comedebat de fructu illius palme. Hoc dicit libro tertio, azora prima, alea decima nona. Clarum est quod peperit in Bethleem, ut dicit Euangelista Mattheus secundo capitulo: *cum natus esset Iesus in Bethleem Iudee*, etcetera.

---

250: cf. Lc. 2, 36. | 254: Gn. 1, 1. | 255: cf. Lc. 1, 49. | 257: Lc. 1, 48. | 259-260: Lc. 1, 54-55. | 264: cf. Lc. 2, 27. | 274-275: cf. Lc. 1, 39. | 281: Mt. 2, 1.

248-249: Bern. Cl., *In Ass. B. V. M.*, IV, 5. PL 183, 428A. | 252: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 27, a. 5 ad 3, p. 211. | 266-268: cf. Q 3, 40; 19, 5-6. | 269-270: cf. Q 3, 41. | 270-271: cf. Q 19, 10. | 272-273: cf. Q 3, 47. | 275-276: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, I, 3, 95b25, p. 145. | 279-280: cf. Q 19, 22-26.

285 Tertio, excellit Elisabeth, quia peperit filium sanctificatum et plusquam prophetam, de quo dicitur quod: *inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista*. Sed in hoc plus excellit Maria uirgo, nam si Iohannes fuit sanctificatus, Christus fuit causa sue  
 290 sanctificationis mediante uirgine, dum amplexata fuit ab ipsa Elisabeth. Si Iohannes Baptista fuit propheta, Christus dominus prophetarum. Si ille fuit maior inter natos mulierum, scilicet: corruptarum, hic natus ex uirgine Maria sine corruptione excellit simpliciter. Quod autem Maria excellat omnes sanctos et sanctas patet per Machometum, libro primo Alchorani, azora tertia, alea quadragesima secunda, ubi dicit quod angeli  
 295 dixerunt ei: ‘o Maria, Deus elegit te et mundificauit te et proposuit te super omnes mulieres mundi’, igitur, etcetera. Isti uero proximi mei ismalite non sunt in tanta cecitate sicut iudei in his, que pertinent ad Christum et uirginem, nam ut dicit Apostolus ad Romanos undecimo: *cecitas ex parte contingit in Israhel, nam cum introiret plenitudo gentium, tunc omnis Israhel saluus fiet*.

295 Et sic isti agareni sunt aliquo modo illuminati, nam cognoscunt lucernam, scilicet: Iohannem Baptistam, aliquo modo, de quo saluator ait, Iohannis quinto: *ipse erat lucerna lucens et ardens*, etcetera. Item Dauid in Psalmo centesimo tricesimo primo: *parauit lucernam christo meo*, etcetera.

300 Secundo, cognoscunt lucem, id est, Christum, aliquo modo, qui: *est uera lux*, Iohannis primo. Item dicit Iohannis octauo: *ego sum lux mundi*, etcetera.

305 Tertio, cognoscunt candelabrum, id est, uirginem Mariam, que fuit figurata per candelabrum templi habens supra se septem lucernas, id est, Christum lucentem, per septem dona spiritus sancti, de quibus Isaie undecimo: *egredietur uirga de radice Iesse*, etcetera, et *requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientie et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis*, etcetera. Vnde: *nemo accendit lucernam et in abscondito ponit, sed supra candelabrum*, Matthei quinto. Nam Maria mediante omnes illuminamur et sic isti debent ab ea illuminari. Vnde ut habui  
 310 ab alphaquinis suis, mulieres parturientes, quando sunt in labore partus, petunt nomen Marien et scriptum ponunt sibi in collo cum euangelio suo et sic liberantur a dolore, mediante illa que nullum sensit dolorem in partu. Et sic conuersio istorum in pauco stat solum uideant illud lumen, scilicet: Christum, clare sine nebula et candelabrum etiam sit ex auro purissimo, ut habetur Exodi tricesimo septimo, et sic mundissimum, Leuitici uicesimo quarto. Isto modo erigatur in parte australi, id est, meridionali, que est Africa, et tunc omnes conuertentur. Illud lumen si clare aspicerent, cognoscerent esse Deum. Et illud candelabrum, si esset apud eos ex auro purissimo, cognoscerent esse matrem Dei. Nam  
 315 illud est excellentius in ea, quia ratio Machometi non ualet, quod Deus non habeat filium. Nam esset inter eos rixa. Si inter mortales uirtuosos non est rixa inter patrem et filium, quanto magis inter Deum patrem et filium. Si inter beatos nulla potest esse rixa, quia sunt conformes uoluntati diuine, quanto magis inter illos, in quibus est una et eadem uoluntas, sicut in Deo patre et filio.

320 Secunda ratio sua est: Deus non habet filium, quia non habet mulierem. Clarum est quod illa generatio in diuinis non est per applicationem corporum. Nam Deus incorporeus est et in Deo non est talis modus generationis, sicut est in nobis. Nam si productio Eue fuit sine muliere, ut dicit Machometus in libro primo, azora tertia, alea prima et in secundo, azora prima, alea centesima octogesima nona, et generatio Christi fuit sine uiro solum per

---

283: cf. Mt. 11, 11. | 293-294: Rm. 11, 25-26. | 296-297: Io. 5, 35. | 297-298: Ps. 131, 17. | 299: Io. 1, 9. | 300: Io. 8, 12. | 303-304: Is. 11, 1-2. | 305: Mt. 5, 15. | 311: cf. Ex. 37, 24. | cf. Lv. 24, 4.

290-291: cf. Q 3, 42; cf. Io. And., *Conf.*, c. XI, p. 212. | 323-324: cf. Q 4, 1; 7, 189. | 325-326: cf. Q 3, 42; 47; 19, 21.

325 uoluntatem Dei, ut dicit Machometus in libro primo, azora secunda, alea quadragesima secunda, quadragesima septima, et in libro tertio, azora prima, alea decima septima, sed concepit de spiritu sancto, libro primo, azora secunda, alea quadragesima secunda, et libro tertio, azora prima, alea decima octaua, sequitur quod etiam generatio filii Dei potest esse et est sine muliere solum secundum operationem intellectus.

330 O filii Agar! Si clamaretis ad Deum mediante matre sua, ostenderet uobis aquam, ut fecit ipsi Agar quando filius suus moriebatur, ostendit aquam angelus. Sed modum lotionis ignoratis, quia opus quod fiat in nomine sancte trinitatis in baptismo mediante sacerdote in ecclesia, quod uos non facitis, sed in flumine, etcetera. O si Agar poneret filium suum sub arbore, scilicet: crucis, sicut illum posuit circa uel sub arbore, Genesis uicesimo primo. Et  
335 sic si isti crederent Christi mortem, in qua fuit salus totius mundi, non perderentur. Sed Machometus patenter dicit de Christi morte, libro primo, azora secunda, alea quinquagesima quarta, dixit Deus: 'Iesu Christo ego te faciam mori et postea assumam te et eleuabo te ad me et mundificabo te ab his qui blasphemarunt te et maledixerunt te et ponam illos qui secuti sunt te', scilicet: christianos, 'supra illos qui blasphemauerunt te in die iudicii'. Hec ille. Clarum est quod hoc dicitur de passione Christi ad litteram, quam isti  
340 ignorantes negant.

Et sic, si Agar poneret filium suum, id est, populum ismahelitarum, in arbore crucis, id est, crederet Christi passionem, et clamaret ad Deum, quod illuminaret ipsum ad uiam rectam mediante uirgine Maria, quam uenerantur et colunt, certe illuminarentur et  
345 conuertentur et haberent hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis, etcetera. Amen.

---

334: cf. Gn. 21, 15.

327-328: cf. Q 3, 42; 19, 17. | 337-340: cf. Q 3, 55.

SERMO CENTESIMVS SEPTIMVS ET PRIMVS IN DOMINICA DVODECIMA POST  
PENTHECOSTEM

<THEMA> *Bene omnia fecit*, Marci septimo.

5 Quattuor operationes Dei excellentes legimus, scilicet: creationem, conseruationem, recreationem uel reparationem et iustificationem peccatorum. Et sunt tante excellentie quod soli Deo competunt.

10 Primo, quod creare sit a solo Deo. Patet nam non potest conuenire creature, quia ad illud requiritur potentia infinita, que possit ex nihilo aliquid facere. Quod non conuenit creature, cum habeat potentiam finitam et limitatam, ut dicit sanctus Thomas, prima parte, questione quadragesima quinta, articulo quinto; et De Potentia Dei, questione tertia, articulo quarto, contestatione. Et sic dicit Augustinus tertio De Trinitate quod: «nullus angelus, nec bonus nec malus, potest esse creator».

15 Secundo, conseruare res in esse est etiam a solo Deo, quia eadem uirtus requiritur ad creandum et ad conseruandum. Et sic res create, si a Deo non conseruarentur, omnia in nihilum redigerentur, ut dicit sanctus Thomas, prima parte, questione centesima quarta, articulo secundo; et tertia parte, questione decima tertia, articulo secundo in contestatione. Hoc idem dicit Augustinus super Genesim ad litteram. Exemplum huius patet in sole quod ad illuminandum requiritur radius eius per lineam rectam. Hoc idem requiritur in conseruatione luminis, nam absente sole, nullum est lumen.

20 Tertio, recreatio uel reparatio etiam est a solo Deo, quia cum tota natura fuerit corrupta, non poterat aliquod indiuiduum reparare. Item offensa infinita, quia contra infinitum, et sic a finito non potuit reparari. Item, ut dicit Alexander de Ales, quidquid creatura faceret erat Deo debitum ex creatione. Igitur nihil ei poterat dare ex recreatione, et sic nullum creatum posuit satisfacere, sed solus Deus.

25 Item quarto, iustificatio est a solo Deo, quia iustificare impium est maius creatione, non quo ad modum, sed quo ad rem, ut dicit sanctus Thomas, prima secunde, questione centesima decima tertia, articulo nono, obiectione; tertia, questione quadragesima tertia, quarto ad secundum et Augustinus super Iohannem decimo quarto capitulo. Igitur si creatio non potuit nisi a solo Deo fieri, cum hoc sit maius, sequitur quod nec hoc. Item  
30 cum iustificatio non possit fieri sine gratia et, ut dicitur Psalmi octogesimo tertio: *gratiam et gloriam dabit dominus*, sequitur, etcetera. Et sic licet omnia ista quattuor sint a Deo solo facta quo ad substantiam et quo ad esse, sed etiam facta fuerunt a uirgine quo ad bene esse et quo ad pulchritudinem et perfectionem. Exemplum: licet pictor non faciat domum quo ad suum esse, sed facit illam quo ad bene esse, scilicet: illam pingendo et coloribus ornando.  
35 Et sic hec quattuor sumpserunt complementum a uirgine. Primum in sua conceptione; secundum in sua natiuitate; tertium in natiuitate filii; quartum in sua assumptione.

Primum igitur, scilicet: creatio, licet non fuerit facta a uirgine, sed fuit perfecta ab ea. Non quod creata a Deo iam non esset bona, nam de quolibet illorum dixit Deus, Genesis primo, quod erat bonum et omnia in se comparata in ordine ad finem ualde bona, etcetera.

---

3: Mc. 7, 37. | 30-31: Ps. 83, 12. | 38-39: cf. Gn. 1, 31.

9: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 45, a. 5 ad 2, pp. 330-331; *Qu. De Pot. Dei* (vol. 8), q. 3, a. 4, pp. 222-226. | 11-12: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, III, 8, 13. PL 42, 876C. | 15: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 104, a. 2, p. 718; (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 13, a. 2, p. 112. | 17: cf. Aug. Hipp., *De Gn. Ad Lit.*, I, 4, 9. PL 34, 249BC. | 22: Alexander de Ales] *NI*. | 26: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 113, a. 9, p.803; (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 43, a. 4 ad 2, p. 330. | 28: cf. Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, LXXII, 2. PL 35, 1823D.

40 Vnde: «uidit Deus cuncta que fecerat et erant ualde bona», etcetera, in ordine suo, ut dicit Augustinus in Enchiridion, sed a uirgine habuerunt ultimam perfectionem in superlatiuo. Exemplum: si aliquis artifex faceret pulchram coronam lapidum, etcetera, licet quilibet lapis in se esset bonus et omnes lapides in se ordinatim ualde boni, sed si in summitate corone deficerent duo lapides pulcherrimi, dum illi adessent, corona esset perfectissima, sed ante  
45 non. Sic in uniuerso fuit, quia omnes res create erant bone, nam malum non fuit a Deo creatum et in se ordinate, sed deficiebant duo lapides, scilicet: Christus et uirgo Maria. Sicut ipse quo ad corpus et quo ad animam omnes homines excedit, sic sua mater omnes mulieres. Et sic mundo deficiebat illud quod erat optimum, scilicet: optima anima rationalis et optima mater, etcetera. Hoc dicit Albertus Magnus. Sed aduerte quod illa dedit filium  
50 mundo, sequitur quod habetur intentum. Item quattuor fuerunt creati in principio, scilicet: «materia prima, celum empireum, natura angelica et tempus». Omnia ista perfecta a uirgine fuerunt. «Materia appetit omnem formam» et tunc habuit optimam, scilicet: animam Christi et diuinitatem unitam. Natura angelica reparata per istam. Celum impletum per istam. Tempus perfectum, quia eternum sub tempore fuit.

55 Secundum, scilicet: conseruatio facta a Deo, sed continuata mediante uirgine Maria, quia ut dicunt doctores, Adam et Eua propter peccatum erant annihilandi, sed quia ex eis sperabatur quedam mulier, que in eis erat secundum rationem seminalem, fuerunt conseruati, et propter eos tota posteritas. Exemplum: spina conseruatur propter hoc, quia ex ea speratur rosa. Hec rosa est Maria uirgo ex infecta radice, unde ecclesia cantat: «sicut spina rosam, genuit Iudea Mariam». Vnde: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, Canticorum secundo.  
60

Tertio, est recreatio et reparatio conuenientius fuit a Deo incarnato, ut dicit Augustinus decimo tertio De Trinitate. Et sicut mulier Eua dedit fructum homini, sic Maria uirgo carnem redemptori, qua mediante potuit pati et mori. Vnde de his tribus loquitur  
65 Bernardus in sermone dicens: «merito in te respiciunt oculi totius creature, quia in te, per te et de te benigna manus omnipotentis quidquid creauerat recreauit». In te quo ad creationem, per te quo ad conseruationem. De te quo ad recreationem, quia reparator ex ea exiuit.

70 Quartum, iustificatio, licet a Deo sit, tamen uirgine mediante. Nam iustificatio est triplex, scilicet: miraculosa sanctificatio; secunda, mediante aliquo sacramento; tertia, conuersione ad Deum per contritionem. Omnia ista, licet fiant principaliter mediante Christo, unde prima Corinthiis sexto: *iustificati estis in nomine domini Iesu Christi*, sed aliquo modo cooperatur Maria, unde in sanctificatione miraculosa ipsa intercedit. Et sic si Hieremias fuit sanctificatus, fuit causa finalis, Maria, scilicet: ut sanctificatus ex utero  
75 Mariam excellentissimam sanctificatam pronuntiaret dicendo capitulo tricesimo primo: *nouum creauit dominus super terram, femina circumdabit uirum*, etcetera. Accipiamus igitur sanctificationem excellentem, que fuit Iohannes Baptista. Clarum est quod Maria uirgo portauit Christum ad illam, ut crederemus quod nullus potest sanctificari nisi uirgine mediante, et sic: *surgens Maria abiit in montana*, Luce primo. In illa salutatione Iohannes fuit  
80 sanctificatus, in qua inter sanctificante et sanctificatum mediauit uterus uirginalis.

---

60: Ct. 2, 2. | 72: I Cor. 6, 11. | 76: Ier. 31, 22. | 79: Lc. 1, 39.

40: Aug. Hipp., *Ench.*, X. PL 40, 236A. | 49: cf. Alb. Mag., *De Lau. B. M. V.*, I, 6, pp. 44-48. | 51: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 46, a. 3, p. 342. | 52: cf. Arist. Lat., *Phys.*, I, 9, 192a24, p. 40; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 2), lib. 1, dist. 45, q. 1, a. 1, p. 921. | 59-60: cf. Fulb., *Hymn.*, XI. PL 141, 345A. | 62-63: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, XIII, 19, 24. PL 42, 1033B. | 65-66: cf. MF. Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328B.

77: Baptista] M Baptiste.

Secundo, si mediantibus sacramentis hoc fit, cum sacramenta efficaciam habuerunt a passione et a sanguine sua, quam habuit a uirgine, sequitur quod fuit illa mediante uirgine, unde ad Hebreos decimo dicitur: *in sanguine sanctificati estis*, etcetera.

85 Tertio, conuersio ad Christum fit uirgine mediante et etiam pro peccatoribus illa intercedit, quia: «nihil a nobis uenire uoluit quin manibus uirginis non transiuit». Et sic in sanctificatione Iohannis necessaria fuit uox Marie, unde: *ut uox salutationis*, etcetera, *exultauit infans*, etcetera, Luce primo. Et sic, si iustificatio impii non potest fieri sine gratia et hec uirgo, scilicet: Maria, illam nobis impetrat, clarum est quod licet non fecerit uirgo omnia, sed *bene omnia fecit*. Ad hanc igitur in principio, etcetera.

90 <THEMA> *Bene omnia fecit*, ubi supra.

Duo sunt uidenda in presenti sermone. Prima pars erit thematis introductiua. Secunda sancti euangelii expositiua, etcetera.

In prima parte solum declarabimus que in principio diximus. Et primo de creatione qualiter illam Deus fecit bene, quia cum esset eternus, omnia creauit in tempore, unde 95 Psalmi centesimo decimo tertio: *omnia quecumque uoluit Deus*, etcetera. Et sic omnia fuerunt creata bona in se, sed in ordine finis ualde bona, etcetera, unde Sapientie undecimo: *omnia constituisti, domine, in numero, pondere et mensura*. Et quo ad essentialia meliora non posset 100 facere, quia ut dicit Aristoteles octauo Metaphysice: «species sunt sicut numeri, ut sicut additione alicuius unitatis ad numerum uariatur ille numerus, sic additio perfectionis essentialis uariat speciem». Exemplum: si aqua ponatur ad ignem, per maiorem subtilitatem euaporando conuertitur in aerem. Et sic si meliora fierent, corrumpetur ordo uniuersi, sicut 105 in organo fit, quia si uariantur uoces, corrumpitur melodia, bene possent apponi alie uoces, sic in proposito. Hoc patet in primo scripto Thome, distinctione quadragesima quarta; et in prima parte, questione uicesima prima.

105 Tria enim creauit Deus perfecta, scilicet: creaturas spirituales, que dicuntur angeli nomine lucis.

Secundum, omnes doctores et creaturas corporales, sicut lapides, arbores et similia.

Tertio, creaturas compositas ex utroque istorum, ut homines. Et ut dicit Augustinus, sicut fecit arbores in sua perfectione in ordine ad finem, scilicet: cum fructu et cum semine, 110 sic produxit angelos et homines cum gratia. De angelis dicit Augustinus libro De Natura et Gratia: «simul erat condens naturam et largiens gratiam». De hominibus Ecclesiastes septimo: *fecit Deus hominem rectum*. De utroque sanctus Thomas, prima parte, questione nonagesima quinta, articulo primo; et secundo, distinctione uicesima nona, questione prima, secundo capitulo; et in Questionibus De Malo, questione quarta, secundo ad 115 decimum septimum. Et hoc dicit de homine, sed de angelis patet secundo, distinctione quarta, tertio, obiectione; prima parte, questione sexagesima secunda, tertio, obiectione.

83: cf. Hbr. 10, 10. | 86-87: Lc. 1, 44. | 89-90: cf. Mc. 7, 37. | 95: Ps. 113, 11. | 96-97: Sap. 11, 21. | 112: Ecl. 7, 30.

85: cf. Bern. Cl., *In Vig. Nat. Dom.*, III, 10. PL 183, 100A. | 98-100: cf. Arist. Lat., *Met.*, VIII, 3, 1043b34, p. 162; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 47, a. 2, p. 344. | 103: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 25, a. 6 ad 3, p. 204. | 111: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XII, 9, 2. PL 41, 357A. | 112: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1) Ia, q. 95, a. 1, pp. 678-679; *Sup. Sent.* (vol. 4), lib. 2, dist. 29, q. 1, a. 2, p. 412. | 115: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 4, q. 1, a. 3, p. 258; *S. Th.* (vol. 1), q. 62, a. 3, p. 428.

96: Vndecimo] M, X octauo.

120 Sed licet Deus perfecta et sapienter omnia creauerit, presumptuosi iudicant illum non bene fecisse, et primo de angelis dicunt: quare Deus non creauit illos cum gratia confirmatos, ita ut mutari non possent? Respondeo quod bene fecit Deus angelos sic mutabiles tripliciter.

125 Primo, propter Dei dignitatem, quia proprium est Deo esse immutabilem, nam quidquid mutatur, mutatur a suo superiori, sed cum creator sit superior creaturis, sequitur, etcetera. Vnde Psalmi centesimo primo: *mutabis eos et mutabuntur, tu autem idem ipse es*, etcetera. Vnde Boetius: «immobile manens dans cuncta moueri». Et sic in signum domini oportuit quod omnia mutarentur et ipse non, ut unde Malachie tertio: *ego dominus et non mutor*.

Secundo, hoc fuit ne angeli crederent quod ex meritis propriis erant immutabiles.

Tertio, ut in illis reluceret iustitia et misericordia Dei, que est diuisa in creatis a Deo. Et sic in illis qui non mutati fuerunt resplenduit misericordia, in mutatis iustitia, igitur, etcetera. Et sic bonis dedit premia et malis supplicia.

130 Secundo, etiam presumptuosi iudicant de hominibus dicendo: cur produxit Deus hominem, quem sciebat esse peccatum? Quam questionem monet Magister in secundo, distinctione uicesima tertia.

135 Dicendum quod bene hoc Deus fecit. Et primo propter libertatem, quia melius est dare esse cum aliquo defectu quam omnino non dare esse, quia non esse nihil est. Et sic Deus melius estimauit dare esse uariabile et mutabile quam omnino non dare, sicut fuit de quodam qui nolebat dare pauperibus petentibus elemosynam.

Dicendum quod ipse Deo erat dandum illud quod perfectum erat. Et ipse non habebat florenum nec denarium, de quo aliquid non deesset, et sic nolebat dare. Sed melius esset dare cum illo defectu aliquid quam omnino non dare, sic facit Deus liberalis.

140 Sed dicet aliquis: si in breui sciret carpentarius arcam esse comburendam, illam non faceret. Sic Deus sciebat hominem esse in breui casurum, igitur, etcetera. Dicendum quod licet hoc sciret, non propter hoc ab operatione debuit desistere, si in illa reluceret sapientia et iustitia artificis. Patet de “cohet” (sic dicto uulgariter) comburendo, in quo sapientia artificis relucet, licet modico tempore duret, maxime si daret modum quo posset non deficere. Exemplum: si sutor sciret quod illa uestis esset dilaceranda in breui et sic reluceret  
145 sua sapientia in dilaceratione et in sua iustitia, et si posset dare remedium ut non demoliretur a tinea nec huiusmodi, nihilominus non cessaret ab opere. Sic in proposito, sicut in factione uestis relucet sapientia artificis dicendo qualiter est bene scissa, sic, dum illa perdit lanam, uidetur puncta clarius. Et sic, si artifex diceret: opus quod hec uestis ponatur  
150 quolibet mense ad celi influentiam in mane, et dum plicatur oportet quod aliqua scopa mundetur a puluere, et dum seruatur in teca oportet quod intra illam ponatur “exençum” amarum, ne tinea intret et etiam si forte est aliquod lignum cipressi inter illam positum. Sic fecit Deus omnipotens, qui dedit homini quo posset seruari a casu, scilicet: mediante  
155 influentia celi, scilicet: gratia, et mediante illa scopa, si puluis terre miscetur, scilicet: scopa sacramentorum. Et si forte uexatur a tinea demonis est herba exençii, scilicet: memoria Christi passionis, que est amara. Et si temptatur a demone accipiat crucem, scilicet: lignum cipressi. Et sic, licet esset peccabilis, Deus dedit remedia, ne caderet in peccatum per

---

123: Ps. 101, 27-28. | 125: Mal. 3, 6.

124: Boe., *De Cons.*, III, 9. PL 63, 758A. | 131: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 23, 1. PL 192, 700BC.

125: Tertio] M, X quinto.

160 gratiam. Et si caderet, dedit sacramenta, quibus resurgeret. Et si secundum omnia ista remedia nollet saluari, etiam in inferno reluctet iustitia et Dei sapientia, igitur, etcetera, unde Apocalypsis nono: *querent mortem et non ueniet eis*.

Secundo, hoc fuit propter Dei prouidentiam, que magis intendit ad uniuersale bonum. Et quia ex multis damnatis multi salui nascuntur, ut ex Esau Iob et ex malo Achab bonus Ezechias et ex malis Ahazias, Ioas et Amasias, nata fuit uirgo Maria. Vnde Augustinus: «melius iudicauit Deus ex malis bonum elicere quam mala ne fierent prohibere».

165 Tertio, propter Dei reuerentiam, etcetera, quia supplicia damnatorum augent gloriam beatorum, unde: *letabitur iustus*, etcetera, Psalmi quinquagesimo septimo. Et letabitur quia talia euasit et in uita etiam sumunt. Exemplum: sicut quando leo corrigitur in flagellis catelli et princeps filius regis in flagellis alterius pueri, sic in proposito.

170 Tertio, dicit aliquis: multa superflua uidemus in rebus inferioribus et minimis, sicut in herbis, in animalibus, etcetera. Dicendum quod omnia Deus fecit sapienter, quia si aliqua animalia sunt uenenosa, sunt facta a Deo ut homo exemplum sumat de peccato commisso et peniteat. Nam ante peccatum nullum animal poterat homini nocere, sed post serpentem temptantem omnia animalia nocent homini. Igitur quando aliquod animal mordet hominem, recordatur de peccato suo, quia omnia peccata originem habuerunt a peccato  
175 originali, igitur, etcetera. Item alia animalia que non sunt uenenosa, licet minima, sunt etiam ad exemplum homini.

Primo, scinifes sunt exemplum superbo, qui non consentit quod homo ciuilis ei loquatur. Ille scinifes ponit se in barba et aliquando in oculo. Etiam in exemplum dominorum et regum, qui aliquando pauperi non prestant auditum, ille uenit et ponit se in  
180 oculo, ut cognoscant se esse terram, et etiam portant buccinam secunum, que significat uocem tube iudicii finalis quando audient: «surgite mortui», etcetera, quando regibus queretur ratio de istis.

Secundo, auaro est in exemplum talpa, que comedit terram. Et dum oculos pulchros habeat, portat illos coopertos quadam pellicula toto tempore sue uite. Sic auarus uersatur  
185 circa terram et non comedit nisi uilia. Et cum habeat duos oculos, scilicet: intellectum et uoluntatem, nunquam ei seruiunt, quia non intellegit que Deus precepit nec amat proximum nec Deum, sed istos oculos habet uelatos.

Item piger habet in exemplum formicas et pulices, que faciunt illum de mane a lecto surgere. Et sic isti sunt qui religiosos uocant ad matutinos, etcetera. Vnde dicit ille doctor:  
190 «exemplum nobis prebet formica laboris», etcetera, et dicit Salomon, Prouerbiorum sexto: *uade ad formicam, o piger*, etcetera. Similiter herbe sunt ad Deum seruitium, licet tu non intelligas eorum proprietates, etcetera.

Sed iterum querit presumptuosus de conseruatione et gubernatione rerum. Dicendo quod homo casualiter disponitur, quia cum sit nobilis creatura, minus de causali ibi debet  
195 reperiri, ut dicit Aristoteles secundo Physicorum. Sed uidebimus quod Hieremias duodecimo capitulo conqueritur dicens: *quare uia impiorum prosperatur?* Sed iste presumptuosus ignorat quare fit cum illud Deus faciat sapienter, unde Chrysostomus: «quid enim infirmo conueniat, magis scit medicus quam egrotus».

---

160: Apc. 9, 6. | 166: Ps. 57, 11. | 191: Prv. 6, 6. | 196: Ier. 12, 1.

164: Aug. Hipp., *Ench.*, XXVII. PL 40, 245D. | 181: cf. MF. Hier., *Lib. Con. Vig.*, XII. PL 23, 349B. | 190: cf. Hild. Cen., *Physio*. PL 171, 1219D. | 195: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 5, 196b25, p. 69.



200 Et sic hoc fit primo propter differentiam meritorum, unde: «cum nullum bonum irremuneratum nec aliquod malum impunitum», cum boni aliquando aliquod malum faciant et mali aliquando aliquod bonum, dat malis premium momentaneum, quod est bonorum temporalium et bonis malum momentaneum, etcetera, unde Luce decimo sexto: *recordare, fili, quia recepisti bona in uita tua*, etcetera.

205 Secundo, hoc fuit propter differentiam infirmitatum, quia reprobis sunt insanabiles. Vnde Hieremie tricesimo: *insanabilis fractura tua*, sed infirmitates iustorum sunt sanabiles. Vnde: *septies in die cadit iustus et resurgit*, Prouerbiorum uicesimo quarto. Et sicut medicus desperatis dat quecumque uoluerint, sed illis, de quibus est spes euandendi, dat dietam, sic reprobis temporalia, que hic appetunt conceduntur, sed electis datur infirmitas. Hoc tangit Gregorius in Moralibus dicens: «negantur electis in hac uita bona presentia, quia egris 210 quibus spes uiuendi est, nequaquam a medico cuncta que appetunt conceduntur. Dantur autem reprobis bona que in hac uita appetunt, quia desperatis egris cuncta que desiderant non negant».

215 Tertio, hoc fit ratione terminorum motus, quia secundum Philosophum: «motus est de contrario in contrarium». Et sic, si reprobis tendunt ad penam, que erit in termino ad quem oportet quod gloria huius mundi sit terminus a quo, et electis econuerso. Hoc tangit Gregorius dicens: «perpendant iusti que sunt mali que iniquis imminet et nequaquam eorum felicitati inuidebunt, quid enim est quod de eorum gaudiis admirantur, quando ipsi per asperum ad salutis patriam illum per amena prata ad inferni foueam tendunt?».

220 Tertio, recreatio sapienter facta fuit a Deo, unde Iob uicesimo sexto: *prudencia eius percussit superbum*.

Sed presumptuosi dicunt: quare non redemit mundum solo imperio saltem minore pena? Dicendum quod hoc fuit factum iusto Dei iudicio.

Primo, ut in omnibus operibus eius esset iustitia et misericordia, ut dicit Augustinus.

225 Secundo, propter exemplum nostrum obedientie et humilitatis, unde prima Petri secundo: *Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum ut sequamini*, etcetera. Ideo Augustinus: «erubescat homo superbus, pro quo humilis factus est Deus».

230 Tertio, ostendit charitatem suam maximam in hoc, unde ad Romanos quinto: *commendat Deus suam charitatem in nobis, quia*, etcetera. Et sicut care animam nostram emit, dedit nobis documentum, ut illam seruemus, unde prima Corinthiis sexto: *empti enim estis pretio magno*, etcetera. Quod fuit pretium declarat Petrus, prima Petri primo: *non corruptibilibus auro et argento, sed pretioso sanguine*, etcetera. Igitur si proprium sanguinem pro animabus nostris dedit, uoluit ut illas a peccatis custodiamus.

Quarto, retributio uel iustificatio impiorum facta est sapienter.

235 Sed dicunt presumptuosi: quare pro peccato momentaneo eternaliter homo punitur? Dicendum quod iuste hoc sit.

---

202-203: Lc. 16, 25. | 205: Ier. 30, 12. | 206: Prv. 24, 16. | 219-220: Iob. 26, 12. | 225: I Pt. 2, 21. | 227-228: Rm. 5, 8. | 229: I Cor. 6, 20. | 230-231: I Pt. 1, 18-19.

197-198: Chrysostomus] cf. Th. Aq., *Cat. Aur.* In Mt., VII, 4, p. 124. | 199-200: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm. Ad Fr. In Er.*, XLI. PL 40, 1315D. | 209-212: Gre. Mag., *Mor.*, XXI, 4. PL 76, 193C. | 213-214: cf. Arist. Lat., *Phys.*, V, 2, 226b3, p. 199. | 216-218: Gre. Mag., *Mor.*, XXI, 4. PL 76, 193C. | 223: cf. Aug. Hipp., *De Corr. Et Gra.*, XIII, 41. PL 44, 941CD. | 226: Aug. Hipp., *En. In Psal.*, XVIII, 2, 15. PL 36, 163D.

Primo, propter culpe commisse incorrigibilitatem, quia manente culpa debet manere pena, sed illa culpa erat tollenda in hac uita et mediante gratia, que iam non est in aliquo statu, igitur. Item propter obstinationem non potest ueniam querere. Exemplum: si aliquis fecit iniuriam alicui et ponerentur uel intrarent duellum in campo, si intra campum non dicit contrarium et confitetur peccatum, sed solum extra, nihil ei prodest. Sic campum certandi habemus hic in isto mundo et gratia ibi datur et uenia. Extra istud nihil gratie datur nec etiam est lingua ad confitendum apta, sed obstinata, unde Salomon Ecclesiastes undecimo dicit: *si ceciderit lignum ad austrum uel aquilonem, ibi est*. Vnde Bernardus: «ubi te inuenerit, ibi te iudicabit. Videat arbor antequam cadat, quia post casum etiam moueri non poterit. Et si uis scire ad quam partem ceciderit, uide ad quam partem est abundantia ramorum, quia semper arbor ad illam cadit». Rami sunt affectiones, si uersus celum tendunt, ad celum uolabit. Si ad terram, similiter.

Secundo, pena peccati mortalis est eterna, quia per illud Deum eternum et infinitum offenderunt. Et secundum leges, quis priuatur illo bono contra quod agit. Exemplum: qui contra bonum commune et contra rem publicam delinquit punitur per mortem uel exilium perpetuum. Bonum commune est Deus. Agit contra Deum et contra charitatem, que est uinculum, etcetera, et sic priuatur societate, etcetera. Et ut dicit sanctus Thomas quarto, distinctione quadragesima sexta, tertio, si ista pena non est perpetua, hoc est quia uita hominis non est perpetua. Et ista ciuitas non est perpetua secus est de illa que perpetua est.

Tertia, sicut premia ad uirtutes, sic pena se habet ad peccata. Sed propter actum conuersionis ad Deum meretur quis uitam eternam, ergo propter auersionem penam eternam. Exemplum de sagittante. Illud perdit in malo tiro, quod lucratur in bono. Et sic tam in creatione quam in recreatione, conseruatione et iustificatione, Deus *bene omnia fecit*. Quo ad primam partem.

Secunda pars expositiua euangelii.

Primo, literalis: *exiens Iesus de finibus Tyri, uenit per Sidonem ad mare Galilee per medios fines decapoleos*, quia postquam Iesus curauerat filiam cananee, que uexabatur a demone, exiuit de finibus Tyri. Que ciuitas erat sita in corde maris et erat metropolis prouincie Phenicee, quod regnum fuit Iran, amici regis Daud, qui ei mittebat ligna de monte Libano pro domo edificanda, secundo Regum quinto. Et: *uenit Christus per Sidonem*, que est ciuitas iuxta montem Libani, *et transiuit per medios fines decapoleos*, scilicet: predictae prouincie, habentes ciuitates decem in se. Nam “decapolis” est nomen grecum et dicitur a “deca”, quod est “decem”, et “polis”, quod est “ciuitas”, quasi prouincia decem ciuitatum. Sicut in regno Aragonum sunt decem ciuitates, scilicet: Cesaragusta, Osca, Iacca, Barbastro, Daroca, Torolium, Albarracin, Calataiut, Boria et Taraçona, et Iber fluuius per medium currit a parte Montis Caci, sic Iordanis fluuius currit per medium Phenicie a monte Libano ortus et habet quinque ciuitates de una parte et quinque de alia uersus mare. Sunt: Tyrus, Siron, Sarepta, Beritus et Accom. In alia parte sunt alie quinque. Iordanis fluuius currit per medium, qui exit a monte Libano, et currit uersus meridiem ad Mare Mortuum. Sed in fine Phenicie et in principio Galilee facit magnum pelagus et dicitur “Mare Galilee”, quia secundum hebreos, omnis congregatio aquarum dicitur “mare”, Genesis primo: *congregationes aquarum appellauit maria*, etcetera. Esset ibi per omnia simile, scilicet: circa Cathaloniam esset pelagus magnum, quod non est, sic in proposito. Et sic Christus

243: Ecl. 11, 3. | 258: cf. Mc. 7, 37. | 261-262: cf. Mc. 7, 31. | 265: cf. II Sm. 5, 11. | 265-266: cf. Mc. 7, 31. | 277: Gn. 1, 10.

243-246: cf. Bern. Cl., *Serm. De Div.*, LXXXV. PL 183, 702B. | 252: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 46, q. 1, a. 3, p. 404.

280 ambulabat *per medios fines decapoleos circa fluiuium Iordanis usque ad mare Galilee*, etcetera, *et adducunt ei surdum et mutum*, scilicet: a demone factum, ut dicit Lyra, uel si naturaliter erat, quia «omnis surdus est mutus», ut dicit Albertus Magnus, nam ideo mutus, quia surdus. Et: *apprehendens Iesus eum a turba seorsum, misit digitos in auriculas eius et exponens tetigit linguam*, etcetera.

285 Secundum sensum spiritualem. Per hoc notatur aduentus Christi in mundum, nam exiuit a finibus Tyri, que est extra terram promissionis, quia: *insula in corde maris*, Hiezechielis uicesimo septimo. Et capta a Nabuchodonosor uoluit illam aquam mediam implere terra, ita ut per terram firmam haberetur accessus et non potuit. Sed post septem annos hoc fecit Alexander ueniens de Egipto cum uictoria cum multitudine Ethiopum. Et sic nunc habet planum accessum et significat “celum”, quod est extra terram, a quo uenit filius Dei solus.

290 Et licet angeli uenirent, sed hic solus exiuit a finibus Tyri, etcetera, id est, ab eterno patre, quia: *exiui a patre et ueni in mundum*, etcetera. Vel a finibus eternitatis, quia angeli non sunt eterni, sed solus Deus, unde Sapientie octauo: *attingit a fine usque ad finem fortiter*, etcetera, uel a Tyro, id est, a superbia exiuit, quia: *exinaniuit semet ipsum formam serui accipiens*, etcetera. Venit per Sidonem, que interpretatur uenatio tristitie, quia: *languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portauit*, Isaie quinquagesimo tertio. Venit ad mare, id est, ad mundum istum, unde Psalmi centesimo tertio: *hoc mare magnum*, etcetera. Vel uenit ad mare, id est, ad Mariam, quia: *congregationes aquarum appellauit maria*, in qua sunt congregationes gratiarum. Et sicut portus ubi applicuit fuit Maria, sic est portus peccatorum ipsa. Et sicut hoc mare factum est ex fluuio Iordanis, scilicet: ex duobus fontibus Ior et Dan, sic uirgo Maria fuit plena gratiarum ex illo fluuio, de quo Psalmi quadragesimo quinto: *fluminis impetus letificat*, etcetera. Duo fontes fuerunt in ea due sanctificationes. Prima in utero matris, que fuit preseruatio. Secunda in conceptione filii. Vel per Sidonem uenit ad mare, quia per passionem uenit ad amaram mortem crucis, etcetera, unde Psalmi centesimo nono: *de torrente in uia bibet*, etcetera. Et tunc obtulerunt ei patriarche et prophete, reges et sacerdotes, genus humanum surdum, quia non audiuit preceptum domini dicens: *in quacumque die comederitis morte*, etcetera. Mutum, quia nesciuit dicere “peccauit”, sed excusando dixit: *mulier quam dedisti mihi sociam*, etcetera, Genesis tertio. Apprehendit eum in unitate suppositi seorsum, non sicut ceteri, sed Deus et homo. Item non cum peccato, quia: «non ex uirili semine», etcetera, sanauit illum cum digitis et saliuu. Digni significant dona spiritus sancti, igitur mediante gratia spiritus sancti. Saliua est quid super additum, scilicet: dum humanitas passa fuit uel saliuu, que est aqua ab ore sumpta, significat sacramenta, quia: «accedit uerbum ad elementum et fit sacramentum», igitur, etcetera.

315 Tertius sensus moralis est iste: *exiens Iesus de finibus Tyri*, id est, de mente superba, *uenit per Sidonem*, id est, humilitatem, quia peccator debet humiliari coram Deo ad mare, id est, ad penitentem, *et adducitur ei surdus et mutus*, id est, peccator, qui est surdus et mutus a demone, uel sic: «omnes Christi actio nostra est instructio». Igitur, si uis curari, exi de Tyro, id est, peccato, per angustiam contritionis ueni per Sidonem, id est, confessionem, que est uenatio peccatorum et circumstantiarum ad mare satisfactionis inter medios fines, etcetera, id est, obseruando decem precepta inter amorem et timorem, etcetera. Diabolus facit surdum peccatorem.

279-280: Mc. 7, 31-32. | 282: cf. Mc. 7, 33. | 285: Ez. 27, 4. | 291: cf. Io. 16, 28. | 292: Sap. 8, 1. | 293: Phil. 2, 7. | 294-295: Is. 53, 4. | 296: Ps. 103, 25. | 297: Gn. 1, 10. | 300: Ps. 45, 5. | 303-304: Ps. 109, 7. | 305-306: Gn. 2, 17. | 306-307: Gn. 3, 12. | 313-315: cf. Mc. 7, 31-32.

280: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 5), Mc. 7, 32, f. 103v. | 281: cf. Alb. Mag., *In Ev. Mc.*, VII, 32, p. 505a. | 308-309: cf. Ambr., *Hymn.*, IV. PL 16, 1410D. | 311-312: cf. Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, LXXX, 3. PL 35, 1840B. | 316: cf. Al. Ins., *S. De Arte Prae.*, I. PL 210, 113C; cf. Th. S. Th. (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 40, a. 1, p. 307.

282: Exponens] X expuens. | 304: Bibet] M, X bibit. | 320: Peccatorem] M peccatorum.

Primo, ut non audiat uocem creaturarum, que omnes clamant quod in eis non est uera fruitio, sed in Deo solo, unde Augustinus dicit: «domine, celum, terra, mare et omnia que in eis sunt clamant quod amem te super omnia». Hanc uocem non audit peccator, qui spem suam et finem ponit in creatura, sicut auarus in diuitiis, superbus in honoribus, et sic de aliis. Vnde Bernardus: «mundus clamat, ego deficio, caro clamat, ego inficio, diabolus clamat, ego decipio, Christus clamat, ego reficio. Quem ergo sequeris miser homo?». Vnde homo debet notare breuitatem uite, fallacem pulchritudinem et astuciam demonis et benignitatem Christi, qui cotidie nos sperat, etcetera.

Secundo, ut non audiat clamorem misericordie sanguinis Christi, quam uocem Lazarus audiuit quando surrexit, terra quando tremuit, celum quando obtenebratum est, monumenta quando aperta sunt, ut ait Augustinus quarto Confessionum. Hanc uocem non audit peccator, sed audit uocem sanguinis Abel, que clamat uindictam. Ideo homo ulcisci uult et non misereri, unde Apostolus ad Hebreos duodecimo: *accessistis ad mediatorem testamenti Iesu et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel*, quia illa clamat uindictam, Christi sanguis misericordiam. Vnde Luce uicesimo tertio: *pater, ignosce illis*, etcetera.

Tertio, ut non audiat pauperem, unde Prouerbiorum uicesimo primo: *qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, clamabit ipse ad Deum et non exaudietur*. Vnde Augustinus super illud “*dormierunt somnum suum*”, etcetera, dicit: «transit somnus iste et transit uita ista et nihil inueniunt in manibus suis, qui nihil posuerunt in manibus Christi». Hec ille.

Quarto, ne audiant tubam iudicii, scilicet: “surgite mortui ad iudicium et ite maledicti”, unde Hieronymus: «siue comedam, siue bibam, siue quicquid aliud faciam, semper uidetur resonare in auribus meis illa tuba: “surgite mortui”», etcetera. Malus autem sic agit, ut esset semper uicturus, sed diabolus facit hominem mutum. Primo, ut non cofiteatur peccatum. Secundo, ut non reddat gratias Deo de beneficiis receptis. Tertio, ut non edificent proximum. Quarto, ut non oret pro necessariis. Adducitur autem peccator ad Deum. Primo, per predicationem. Secundo, per infirmitates. Tertio, per exemplum alterius, etcetera: *apprehendit eum seorsum*, etcetera.

Primo, ut ostendat fugere gloriam inanem, ut ait Chrysostomus.

Secundo, ut ostendat quod principium sanande mentis est a turbis cogitationum segregare dolentem, ut dicit glosa.

Tertio, dat exemplum quod peccator: qui curari desiderat, debet se a tumultibus mundi separare, unde Hieremie quadragesimo octauo: *relinquite ciuitates et habitate in petra*, id est, in Christo, unde prima Corinthiis decimo: *petra autem erat Christus*. Vnde Arsenius miles romanus petens modum sue salutis in reuelatione audiuit: «Arseni, fuge homines, si uis saluus fieri». Omnibus igitur, sic agentibus, dabit hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

**333-334:** Hbr. 12, 22-24. | **335:** Lc. 23, 34. | **336-337:** Prv. 21, 13. | **338:** cf. Ps. 75, 6. | **347:** cf. Mc. 7, 33. | **352:** Ier. 48, 28. | **353:** I Cor. 10, 4.

**322-323:** Aug. Hipp., *Conf.*, X, 6, 8. *PL* 32, 782D. | **325-326:** Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Aug. Hipp., *Sol.*, XIII. *PL* 40, 874C. | **331:** cf. Aug. Hipp., *Conf.*, X, 6, 8. *PL* 32, 782D. | **338-339:** Aug. Hipp., *En. In Psal.*, LXXV, 9. *PL* 36, 963D. | **341-342:** cf. MF. Hier., *Lib. Con. Vig.*, XII. *PL* 23, 349B. | **348:** Chrysostomus] cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Mc., VII, c. 4, p. 486. | **350:** cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Mc., 7, 33. *PL* 114, 207D. | **354-355:** cf. Theo. Stu., *Orat.*, XII, 1, 4. *PG* 99, 851C.

**337:** clamabit] M, X clamauit.

## Sermo CVIII

SERMO CENTESIMVS OCTAVVS ET SECVNDVS IN EADEM DOMINICA DVODECIMA IN QVA  
CELEBRATVM EST FESTVM SANCTI BARTHOLOMEI APOSTOLI

<THEMA> *Tu fac similiter*, Luce decimo.

Tria perdidit Eua prima mater dum gratiam perdidit.

5 Primo, datorem gratie, nam secundum Augustinum: «peccare est spreto bono incommutabili adherere bono commutabili».

Secundo, perdidit uiam ad gratiam, que erat operatio uirtuosa, unde Psalmi centesimo decimo octauo: *uiam mandatorum tuorum cucurri*, etcetera.

10 Tertio, perdidit mediatorem gratie, nam licet Adam esset medium gratie, quia conferendo naturam conferebat gratiam. Sed Eua erat aliquo modo mediatrix gratie, quia mediabat ad naturam. Et sic causato peccato nullum medium ad gratiam remansit usque ad tempus Marie.

Sed uirgo Maria inuenit illa tria que Eua perdidit.

15 Primo, datorem gratie a quo nunquam auertit et nobiliori modo in illa quam in Eua et in aliqua alia pura creatura dempta illa cui fuit unita, scilicet: Christi, etcetera. Ideo dicit angelus in sermone de natiuitate uirginis: «dominus tecum, tecum in corde, tecum in ore, tecum in mente, tecum in uentre», etcetera.

20 Secundo, inuenit uiam ad gratiam, unde Augustinus: «quid prodest nosse quo eundum sit, si ignoratur uia qua eundum sit?». Nam quando quis perdit rem aliquam, si uult illam inuenire, debet reuertere econuerso per eandem uiam. Sed Eua perdidit ista per tres passus, scilicet: cogitatione, locutione et consensu. Sic Maria his tribus passibus inuenit.

25 Primus passus Eue fuit uane cogitationes et leuitatis quando dixit ei demon: *cur precepit uobis Deus ne comederitis*, etcetera? Dicit: *ne forte moriamur*. Dicit: *nequaquam*, etcetera. Sed: *scit enim Deus quod eritis sicut dii scientes bonum et malum*, etcetera. Immediate sine aliqua indagatione credidit Eua, sed Maria non sic leuiter credidit, sed dictum angeli examinauit quando ei dicit: *ecce concipies*, etcetera. Dicit: *quomodo fiet istud, quoniam*, etcetera? Vnde Augustinus: «dictum examinat Eue leuitatem fugiens, simul et duritiam Zaccharie».

30 Secundo, ex locutione fuit superbie elatio: *eritis sicut dii*, etcetera. Sed Maria non sic, sed humiliatur, unde dicit: *ecce ancilla domini*, etcetera. Vnde Bernardus de his duabus dicit: «redditur femina pro femina, sapiens pro stulta, humilis pro superba».

Tertius fuit confessus Eua consensit in malum fructum, sed Maria in bonum, unde dicit: *fiat mihi secundum uerbum tuum*, etcetera.

Et sic habendo datorem gratie fuit uirgo Maria mediatrix ad omnem gratiam, unde Bernardus: «queramus gratiam, sed per inuentricem gratie Mariam», etcetera. Sed si illam

---

3: Lc. 10, 37. | 8: Ps. 118, 32. | 22-24: Gn. 3, 1-5. | 26: cf. Lc. 1, 31-34. | 28: cf. Gn. 3, 5. | 29: cf. Lc. 1, 38. | 32: cf. Lc. 1, 38.

4-5: Aug. Hipp., *De Liber. Arb.*, II, 19, 53. PL 32, 1269A. | 16-17: cf. Fulb., *Serm. Ad Pop.*, IX, 1. PL 141, 336D; cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CXX, 3. PL 39, 1985C. | 18-19: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XI, 2. PL 41, 318B. | 27: Augustinus] NI. cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Lc., I, c. 9, p. 14. | 30: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62D. | 34: Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 8. PL 183, 442A.

35 uis habere, debes per passus Marie tendere, scilicet: in illam cogitando, loquendo et  
consentiendo, unde Bernardus: «in periculis, in angustiis, etcetera, Mariam cogita, Mariam  
inuoca, non recedat a corde, non transeat ab ore, sed ut impetres orationis auxilium, non  
deseras conuersationis exemplum». Si igitur uis habere gratiam mediante Maria, debes illa  
40 querere sicut ipsa fecit, scilicet: illa recessit a peccato et applicuit Deo humiliando se apud  
ipsum. Si gratiam uis, *tu fac similiter*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Tu fac similiter*, ubi supra.

Quia in presenti dominica est festum beati Bartholomei, ad eius exaltationem tria sunt  
uidenda, que debet quilibet christianus facere, que fecit beatus Bartholomeus. Primum est  
querere et sequi Christum; secundum ampliare fidem suam; tertium est mori pro ipso et  
45 dare uitam suam, etcetera.

Primo, debet christianus nunc querere Christum, nam ante incarnationem non sic erat  
querendus, quia absconditus, unde Isaie quadragesimo quinto: *uere tu es Deus absconditus*. Sed  
nunc uisus est a nobis, unde Baruch tertio: *in terris uisus est et cum hominibus conuersatus*,  
etcetera. Item Iohannis prima: *uidimus oculis*, etcetera, *et manus nostre contractauerunt*, etcetera.  
50 Ideo natus in domo non clausa, sed aperta, scilicet: in diuersorio. Item ante erat nimis altus  
et non poterat inuocari et sic dicit Dauid, Psalmi centesimo quadragesimo tertio: *domine*,  
*inclina celos tuos et descende*, etcetera. De his duobus dicit Isaie capitulo quinquagesimo quinto:  
*querite dominum dum inueniri potest*, quo ad primum, *inuocate eum dum prope est*, quo ad  
secundum. Item ante erat nimis magnus et fortis, ideo dicebatur: *Deus ultionum*, etcetera, sed  
55 nunc *paruulus natus est nobis*, etcetera. Et propter hoc dicit Apostolus: *ecce nunc tempus*  
*acceptabile*, etcetera, secunda Corinthiis sexto. Et sic propter oportunitatem temporis nunc  
est querendus et sequendus Deus.

Secundo, propter beneficia nobis exhibita, quia si homo libenter sequitur benefactorem,  
cum Deus pro nobis sit incarnatus, passus et mortuus, etcetera, et nos liberauit a potestate  
60 demonis et sanctos a carcere limbi, etcetera, et dimisit nobis medicinam sacramentorum  
pro nostra salute, igitur nos a fortiori tenemur illum sequi. Ideo de isto secundo dicit  
Apostolus, secunda Corinthiis sexto: *ecce nunc dies salutis*.

Tertio, libenter sequitur quis illum in quo habet fidem et magistrum qui est uerax in  
doctrina cum Christus sit huiusmodi. Nam doctrina eius et fides est consona uirtutibus  
65 extirpatiua uitiorum, probata multis testibus et infinitis miraculis.

Ideo propter ista tria quilibet christianus debet querere et sequi Christum. Sic fecit  
beatus Bartholomeus, cum esset nepos regis Syrie dictus Diutinus, nam legitur in Cathalogo  
Sanctorum congregato a domino Petro de Vali, episcopo Equilino, quod: «Bartholomeus  
natione syrus et nepos regis syrorum clarus nobilitate secundum carnem, nam propter  
70 ipsum in cena domini facta est contentio inter apostolos, quis eorum uideretur esse maior.  
Nam cum Christus dixisset quod unus ipsorum ipsum traheret, qui putabant quod proditor  
hoc faceret propter cupiditatem regni, nam sperabant illud carnaliter Christum obtenturum  
et sic crediderunt et sunt suspicati quod solus Bartholomeus ad hoc aspirasset propter  
nobilitatem regiam et sic illum habuerunt suspectum. Hoc dicit Damascenus et sic in

40-41: cf. Lc. 10, 37. | 47: Is. 45, 15. | 48: Bar. 3, 38. | 49: I Io. 1, 1. | 51-52: Ps. 143, 5. | 53: Is. 55, 6. | 54:  
cf. Ps. 93, 1. | 55: Is. 9, 6. | 55-56: II Cor. 6, 2. | 62: II Cor. 6, 2.

36-38: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 17. PL 183, 70D. | 68-84: cf. Petr. Nat., *Cat. San.*, VII, 102, p. 402.

50: Item] X itam. | 51: Tertio] M, X quarto.

75 quibusdam ecclesiis legitur in suo festo euangelium, scilicet: *facta est contentio*, etcetera. Legitur etiam in quadam historia, ut idem recitat, quod cum Bartholomeus audiret famam Christi et suorum discipulorum et expectaret regnum Syrie, quia eius auunculus rex erat sine liberis, misit Bartholomeus nuntium ad Christum dicens quod libenter eius discipulum se faceret si Iesus gratiam unam illi concederet. Audierat enim quod discipuli sui in habitu  
80 pauperum incedebant. Si ergo propter honorem regie dignitatis sibi concederet, ut purpura indutus uteretur, ipsum perpetuo sequeretur. Cui Christus oblata libere concessit, dixit tamen in nuntio quod diceret Bartholomeus quod qui naturalem clamidem deponere recusaret adhuc pro eius amore naturalem uestem corporis dimitteret. Et sic Christus Bartholomeum in apostolum recepit et ille semper purpure usum retinuit». Et sic pingitur  
85 et sic uirtute Christi uestes nunquam inueterate fuerunt, sed pellem siue uestem corporis pro Christo dimisit. Et sic solus iste inter apostolos fuit gentilis, quod patet:

primo, quia licet aliqui iudei essent dispersi in utraque captiuitate, sed non sic ad partes remotas regnarunt.

90 Secundo, licet auunculus Bartholomei esset dispersus aduena, non sic efficeretur rex Syrie. Nam qui repente fiunt reges fiunt ui armorum et cum multa copia exercitus, quod de isto nec de aliquo iudeo non legitur, etcetera.

Tertio, patet ex habitu, quia iudei portabant in palio fimbrias, hic margaritas, etcetera.

Sed si dicis contra: quia est quidam doctor qui dicit quod omnes apostoli fuerunt iudei. Dicendum quod est uerum, quia hic beatus Bartholomeus fuit proselitus et factus iudeus, ut  
95 fuit Herodes, qui erat Idumeus. Et sic soluuntur omnes rationes sue. Et sic cum Bartholomeus audisset famam trium regum magorum qui uenerant Hierosolymam ad inquirendum illum potentissimum regem et dominum totius mundi, hic, relicta patria, etiam ad querendum illum uenit de remotis. Petrus et Andreas erant de prouincia et noti et uocati Iohannes et Iacobus de patria et de parentela et Iacobus et Symon et Iudas de patria, de  
100 prouincia et de parentela. Sed Bartholomeus nullo uiso miraculo nullo sumpto beneficio ad Christum querendum uenit.

Secundo, debet fidem Christi dilatare et augmentare tripliciter.

105 Primo, ratione fidei in se, quia qui fidem non auget non habet fidem in seipso. Exemplum: agricola qui non habet curam seminandi in tempore suo non est agricola uel non habet semen. Sic qui non inducit ad suam credulitatem ipse non credit.

Secundo, ratione amoris et charitatis Christi, nam qui amat aliquem doctorem debet uelle omnes sequi illum doctorem et si non uult econuerso ipse non amat.

Tertio, ratione charitatis proximi, unde: *quod tibi uis, alteri facies*, etcetera.

110 Igitur Deus uult omnes saluos fieri, debemus conformare uoluntatem nostram cum uoluntate diuina. Igitur si non facimus, signum est quod non credimus in fide Christi saluari, ut isti heretici nostri temporis faciebant. Nam potius inclinabant homines ad legem Mosi quam ad legem Christi. Igitur qui hoc facit aut non amat Deum aut proximum, unde Iohannis decimo quinto: *hoc est preceptum meum, ut diligatis inuicem*, etcetera. Ideo in euangelio hodierno dominice dicitur: *diliges dominum Deum tuum*, etcetera, Luce decimo. Sic fecit beatus

---

108: cf. Tb. 4, 16; Mt. 7, 12; Lc. 6, 31. | 112-113: Io. 15, 12. | 114: Lc. 10, 17. | 75: cf. Lc. 22, 24.

85: Siue] M sine.

115 Bartholomeus: «qui in Indiam missus ad predicandum idolatriam extirpauit. Queratur hic  
quid sit idolatria et a quo habuit initium et utrum sit grauius peccatum quam heresis uel sit  
grauissimum peccatorum, etcetera. Dum autem esse in India, ingreditur quoddam templum  
in quo erat idolum Astaroth, etcetera, in alia ciuitate in quo erat Berith, etcetera. Pone  
120 historiam latius liberatur filia Polemii regis et ipse cum regina et liberis baptizantur et  
duodecim ciuitates», ut dicit Ambrosius in sermone.

Sed quare Bartholomeus attribuitur potestas excellenter super demones? Dicendum  
quod propter tria.

125 Primo, quia duo fuerunt apostolis collata miracula infirmitatum et potestas expellendi  
demonia, sed cum alii apostoli fuissent iudei, excellebant in aliis signis, unde Apostolus:  
*iudei signa petunt, greci sapientiam querunt*, que in demonibus queritur.

Secundo, quia hic apostolus excessit in abstinentia et orationibus, nam aliquando per  
multum tempus non comedebat et orabat centum uicibus in die, sed Matthei decimo  
septimo dicitur: *hoc genus demoniorum non expellitur nisi in ieiunio et oratione*.

130 Tertio, propter mundiciam castitatis que est angelis cognata et inimica demonibus. Ideo  
uestes sue erant candide per uiginti sex annos, etcetera. Exemplum in religione, si exterius  
est munda ut plurimum interius est similiter.

135 Tertio, debet mortem sustinere pro Christo, tum propter Christi consilium, nam debet  
esse paratus si casus eueniret, unde Matthei decimo: *qui perdiderit animam suam propter me, in  
uitam eternam custodit eam*, etcetera. Tum etiam propter preceptum, quia habere animum  
preparatum est de necessitate precepti, Thomas secunda secunde, questione centesima  
uicesima quarta; et quarto, distinctione quadragesima nona, etcetera.

Tertio, propter plenam absolutionem a culpa et pena, quarto, distinctione quarta.

140 Item quarta, propter charitatem maximam, nam si ille mortuus est propter te, tu debes  
etiam propter illum, unde Iohannis decimo quinto: *maiolem hac dilectionem nemo habet, ut  
animam suam*, etcetera. Sic beatus Bartholomeus fecit, nam: «capitur ab Astriage rege  
Armenie in Albano ciuitate metropoli et conteritur idolum Baldach». Vide latius. Sed quia  
in martyrio suo est diuersitas uel uidetur tamen nulla est, nam dicit beatus Dorotheus in  
sermone quod primo fuit crucifixus capite deorsum et dicit Theodorus doctor quod:  
145 «postea fuit excoriatus antequam in cruce moreretur et alii dicunt cum ipso quod post hoc  
cum etiam non moreretur capite fuit truncatus et sic mortuus et fuit sepultus honorifice. Sed  
cum homines illius prouincie uiderent maxima miracula ab eo post mortem eius, facta  
omnes ad tumultum eius concurrentes rectores prouincie posuerunt illum in mari cum arca  
et simul cum eo quattuor martyres in suis sepulchris, scilicet: Papinum, Lucianum,  
Gregorium et Achacium. Dum autem isti quinque irent per mare et uenirent in insulam  
150 Lipariam circa Siciliam et in qua tunc sanctus Agathon episcopus Hostiensis residebat,  
uidens quod quattuor arce martyrum reuerenter in medio arcam sancti Bartholomei  
portabant, uolens ipse omnes quinque recipere solum pro tunc Bartholomei arcam recepit  
et alie quattuor per mare pergentes. Arca Papinii uenit ad ciuitatem Milas Sicilie. Lucianus  
ad Messanam ciuitatem Sicilie. Gregorius uenit in ciuitatem Lupna Calabrie. Achacius uenit

125: cf. I Cor. 1, 22. | 128: Mt. 17, 20. | 133-134: Mt. 10, 39. | 139-140: Io. 15, 13.

115-120: Ambrosius] *Auctor err.*, cf. Petr. Nat., *Cat. San.*, VII, 103, p. 402-403. | 135-136: cf. Th. Aq., *S. Th.*  
(vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 124, a. 3, p. 751; *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 49, q. 5, a. 3, pp. 862-864. | 137: cf. Th. Aq.,  
*Sup. Sent.* (vol. 7), lib. 4, dist. 4, q. 2, a. 1, qc. 2, p. 300. | 140-141: cf. Petr. Nat., *Cat. San.*, VII, 103, p. 403. |  
144-155: Theodorus] *NI.* cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, CXXIII, p. 548.



155 ad ciuitatem Chale Calabrie». Demum corpus Bartholomei uenit Benauentum qualiter uenit quare latius, sed cum pars corpus fuerit Rome deportata, aliquando romani dicunt habere corpus, aliquando benauentini, quod de multis aliis martyribus accidit cum partes sint in diuersis locis. Sed uideamus si Cesaragustani faciant ista tria, sed iudicio meo quod non.

160 Primo, non sequuntur Christum, qui dicit: *uenite ad me*, non autem superbi, nam ipse dicit, Matthei undecimo: *discite a me, quia mitis sum et humilis corde*, nec auari, quibus dicit: *nisi quis renuntiauerit omnibus*, etcetera.

Secundo, non dilatant fidem Christi, sed sunt hereticorum fautores et fautores in fidelium iudeorum dum erant in hac patria et agarenorum, ut eis non predicentur de lege nostra.

165 Tertio, retrahentes a conuersione infideles et fauentes illis, propter quod isti possent accusari de suspicionem heresis.

170 Tertio, non fiunt martyres, nec uolunt fieri, sed confessores nullus est qui corrigat errores in predicationibus. Non extirpant uitia, nullus narrat ueritates, regibus, prelatibus et dominis, etcetera, sed sunt adulatorum. Sed Bartholomeus gratiam obtinuit et gloriam, quia quesiuit et secutus fuit Christum, legem dilatauit, mortem pro eo sumpsit.

Igitur, si uis ista, *uade et tu fac similiter*, et habebis hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis, etcetera. Amen.

---

159-160: Mt. 11, 28-29. | 160-161: cf. Lc. 14, 33. | 171: Lc. 10, 37.

## SERMO CENTESIMVS NONVS ET PRIMVS IN DIE NATIVITATIS VIRGINIS MARIE

<THEMA> *Orietur stella ex Iacob*, Numeri uicesimo quarto capitulo.

Originaliter ad laudem, gloriam et triumphum alme Dei genitricis assumptum thema scribitur presens, etcetera.

5 Sententia est Alberti Magni in suo Magno Mariali et etiam deuoti Bernardi in sermonibus uirginis quod uirgo Maria in sacra scriptura dicitur “stella”, quod patet tripliciter.

10 Primo, propter eius puritatem et sanctitatem, nam omnes sancti et sancte in sacra scriptura propter puritatem et sanctitatem dicuntur “stelle”, unde Iob uicesimo quinto dicitur quod: *stelle non sunt munde in conspectu Dei*, et sic loquitur de sanctis. Item Apostolus, prima Corinthiis decimo quinto, dicit quod: *stella differt a stella in claritate*, loquitur de sanctis. Igitur, si omnes dicuntur “stelle” propter hoc, a fortiori illa sancta sanctorum et pura super omnes puras dicitur “stella”, etcetera.

15 Secundo, hoc patet ratione receptionis luminis, nam licet «omne diaphanum cum sit corpus perspicuum et sit receptium luminis», ut habetur secundo De Anima, sed magis hoc facit quando est densum et compactum. Et sic licet aer recipiat lucem, sed magis lucet nubes illuminata, quia est magis condensata, et hic aqua recipiat lumen, magis hoc facit quando est congelata. Et quanto magis condensatur, magis recipit, ut patet in christallo. Sic licet celum illuminetur, sed magis recipit lumen stella, que licet sit eiusdem nature cum celo,  
20 ut dicit Philosophus, secundo Celi et Mundi, sed est «densior pars sui orbis», ut dicit ibidem commentator, et sic ratione condensitatis magis recipit. Sic in proposito, licet omnes sancti aequaliter recipiant lumen, sed magis uirgo Maria, in qua omnes uirtutes et gratie fuerunt congregatae, unde: *congregationes aquarum appellauit maria*. Item sancti solum receperunt quo ad animam, hec etiam quo ad corpus.

25 Tertio, hoc patet ratione dationis luminis, nam sicut stella dat radium suum sine corruptione nec minoratione, sic uirgo Maria, unde Bernardus dicit: «uere uirgo Maria stelle comparatur, nam sicut stella sine sui corruptione emittit radium, sic uirgo Maria sine sui corruptione peperit filium, nec sideri radius minuit dignitatem nec uirgini filius suam integritatem». Hec ille. Et sicut stella remanet perfectior dando radium, sic uirgo Maria  
30 pariendo filium, unde in oratione secreta officii hodierni habetur: “qui uirginitatem suam non uiolauit, sed sacrauit”, etcetera. Et sic ecclesia, que est maioris auctoritatis quam omnes sancti, semper in festiuitatibus suis dicit: «aue maris stella», etcetera, et appropriat illam stelle maris, scilicet: polo, nam sicut omnes nauigantes reguntur per illam stellam, sic omnes uiatores per Mariam. Vnde Bernardus in sermone dicit: «oportet uniuersos christicolos inter  
35 fluctus huius seculi remigantes hanc maris stellam que supremo cardini proxima est respicere et ad eius exemplum cursum uite sue dirigere quod qui fecerit non timebit», etcetera. Sic omnes uiatores *in hoc mari magno*, ut dicit Psalmista, Psalmi centesimo tertio, nauigantes debent hanc uirginem respicere et in periculis inuocare. Vnde dicit idem Bernardus in sermone: «si insurgunt uenti temptationum, si scopuli tribulationum respice  
40 stellam, uoca Mariam, si iactaris superbie undis, si ambitionis et elationis, respice stella,

2: Nm. 24, 17. | 10: Iob. 25, 5. | 11: I Cor. 15, 41. | 23: Gn. 1, 10. | 37: Ps. 103, 25.

5: cf. Alb. Mag., *Mar.*, CXLVI, pp. 207asq.; cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 17. PL 183, 70BC. | 14-15: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, II, 68, (418b4-7), p. 180; cf. Th. Aq., *Comm. De Ani.* (vol. 4), II, 15, 6, p. 351. | 20: cf. Auctor. Arist., *De Cael. Et Mun.*, II, 72, p. 165. | 26-29: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 17. PL 183, 70BC. | 32: cf. Ven. For., *Misc.*, VIII, 5. PL 88, 265C. | 34-36: Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Fulb., *Serm. Ad Pop.*, IV. PL 141, 322A. | 39-43: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 17. PL 183, 70D-71A.

uoca Mariam in necessitatibus, in angustiis, in tribulationes Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat a corde, non transeat ab ore, nam ipsa tenente non corruiis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris. Et sic», etcetera.

45 Igitur, hec uirgo in necessitatibus semper debet a peccatore inuocari. Non autem est sicut illa stella qui aliquando propter pluias et tempestates non uidetur. Hec autem semper est parata subuenire peccatori imploranti. Vnde Bernardus: «quid mirum si aduocata adest, que cum non uocatur presto est». Item dicit: «ille solus, o uirgo beata, misericordiam tuam sileat, qui senserit inuocatam aliquando defuisse». Et sic credat peccator et peccatrix quod  
50 quodcumque hanc in necessitatibus inuocauerint statim *oriatur stella ex Iacob*. Ad hanc igitur in principio sermonis recurramus, etcetera.

<THEMA> *Orietur stella ex Iacob*, loco ubi supra.

Due erunt partes sermonis. Prima thematis introductiua. Secunda materie prosecutiua. Est doctrina Philosophi in sua naturali philosophia quod quidquid manifestatur homini, manifestatur aut per uerba aut per signa uel per actus, qui aliquid signant, ut monachi,  
55 quando non possunt loqui, per signa ostendunt que uolunt. Item multum distantes quando uerba usque ad auditum eorum mittere non possunt per signum dicunt et ostendunt que uolunt. Et quia signa percipiuntur per uisum, ut Aristoteles in principio Metaphysice dicit: «sensum uisus maxime diligimus, quia plures rerum differentias nobis ostendit». Item quia uoces per auditum suscipimus, ut dicit idem Philosophus in libro De Sensu et Sensato:  
60 «auditus multum confert ad intellectum et doctrinam». Igitur cum omnia necessaria sint nobis, manifestata et notificata his duabus uis. Isto modo etiam fuit nobis ostensum illud, maxime necessarium, quod fuit de redemptore totius mundi. Nam primo fuit nobis ostensum per signa et miracula, nam omnia miracula facta a principio mundi usque ad incarnationem fuerunt ordinata ad illud manifestandum et ostendendum. Et ideo dicit  
65 sanctus Thomas De Potentia Dei, questione sexta, secundo; et Contra Gentiles quarto, capitulo uicesimo septimo; et in tertia, questione tricesima secunda, quod fuit miraculum miraculorum, id est: «fuit miraculum ad quod omnia alia ordinabantur». Item fuit nobis ostensum per uerba prophetarum et sic fuit terminus omnium prophetarum et omnis prophetia de illius mysterio, nam etiam prophetie que restant implende dicte fuerunt de eo,  
70 ut patet de prophetis iudicii, etcetera. Sed in his locutionibus prophete fuerunt locuti per terminos magis conuenientes redemptori, et quia per peccatum primi parentis Ade fuit mundus obtenebratus, ideo peccatum dicitur tenebra et per messiam et redemptorem mundi illud erat purgandum et sic erat mundus illuminandus. Inter omnia que de ipso dixerunt fuit quod erat lux, et sic propheta Dauid dixit, Psalmi centesimo tertio: *posuisti tenebras et facta est nox*, scilicet: per peccatum Ade. Sed considerando quod illuminatio erat  
75 fienda per redemptorem, dixit in Psalmo quadragesimo secundo: *emitte lucem tuam*, scilicet: filium tuum. Item ille magnus propheta Isaias capitulo sexagesimo dicit: *surge illuminare Hierusalem, quia uenit lumen tuum*, etcetera. Dat causam dicens: *quia ecce tenebre operirent terram et caligo populos*, scilicet: per peccatum. Item post aduentum illius dicit Iohannes Euangelista capitulo primo: *erat lux uera que illuminat*, etcetera. Dat causam: *quia lux in tenebris lucet et tenebre eam non comprehenderunt*. Et ut ipsemet Christus approbaret prophetias et euangelistas ipsemet dicit: *ego sum lux mundi*, Iohannis octauo. Et sic, si Christus dicitur “lumen”, cum

49-51: cf. Nm. 24, 17. | 74-75: Ps. 103, 20. | 76: Ps. 42, 3. | 77-79: Is. 60, 1-2. | 80: Io. 1, 9. | 80-81: Io. 9, 5. | 82: Io. 8, 12.

46-48: cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 428D. | 58: cf. Arist. Lat., *Met.*, I, 1, 980a21sq, p. 7. | 60: cf. Th. Aq., *Comm. De Sen. Et Sens.*, I, 1, (437a11), p. 11. | 67: cf. Th. Aq., *Qu. De Pot. Dei* (vol. 9), q. 6, a. 2 ad 9, p. 40; *Con. Gent.* (vol. 15), lib. 4, c. 27, p. 108.

58: Sensus] M sensam.

illud corpus a quo lumen procedit dicitur “corpus luminosum”, ideo uirgo Maria, a quo idem redemptor sperabatur a prophetis, dicta fuit tale corpus. Et sic quidam illam dixerunt nubem lucidam, alii sol, alii lunam, ut dicit Salomon, Canticorum sexto: *pulchra ut luna, electa ut sol*. Et quia etiam inter corpora stella dat lumen, ideo ab ipso propheta Balaam dicitur “stella”. Loquens autem de natiuitate sua dicit: *orietur stella ex Iacob*. Quo ad primam partem.

In secunda parte uidebimus unam conclusionem talem: quod natiuitas uirginis Marie fuit excellentior et nobilior omnibus aliis, dempta Christi natiuitate. Probatur tripliciter secundum uerba thematis. Primo, ratione prioritatis et perfectionis, nam sola illa dicitur orta ad uiuendum et alii nati ad moriendum, ideo dicitur in thema: “orietur”. Secundo, ratione puritatis et perfectionis, ideo dicitur: “stella”. Tertio, ratione generositatis et parentele, quia “ex Iacob”.

Probatur primo, nam sola Maria nata fuit ad uiuendum, nam sol quando oritur dicitur “nasci” et dum tendit ad occasum dicitur “occidi”, unde primo Macchabeorum duodecimo: *cum occidisset sol precepit*, etcetera. Igitur, si dum planeta uel stella uadit ad occasum dicitur occidere, cum quolibet creatura, in illa hora qua nascitur, tendat ad occasum suum, sequitur quod natiuitas illius non erit oriri, sed magis occidere. Exemplum: aqua mox ut nascitur a fonte tenditur ad mare et sic semper cadit. Sic etiam nos ex quo nati sumus semper sumus in casu et in die mortis applicamus ad terminum mortis, unde secundo Regum decimo quarto, dixit illa mulier ipsi Dauid: *omnes morimur et quasi aqua dilabimur in terram que non reuertitur*, etcetera. Et sic dicit Sapiens, Sapientie quinto: *nos ut nati sumus continuo desiuimus esse*. Item ille magnus philosophus mortalis Seneca, epistola uicesima quarta dicit: «cotidie morimur, cotidie demitur aliqua pars uite nostre». Igitur mori nihil aliud est quam perdere uitam. Cum ex quo nascimur quolibet die perdatur aliqua pars uite nostre, sequitur quod quolibet die morimur, etcetera, et sic habetur propositum. Hoc autem est quod dicebat Gregorius in homilia: «temporalis uita eterne uite comparata mors est potius dicenda quam uita. Ipse enim cotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam quedam prolixitas mortis?». Vnde Iob decimo quarto: *homo natus de muliere breui uiuens tempore, repletus multis misteriis, qui quasi flos egreditur et conteritur et fugit uelut umbra et nunquam in eodem statu permanet*. Sed uirgo Maria nunquam fuit mortua quo ad animam per peccatum nec etiam habuit quo ad corpus istas miserias, nam nunquam infirmitatem nec penalitates habuit, igitur, etcetera.

Si dicis: numquid ipsa fuit nata de muliere? Dicendum quod non eo modo ut intelligit Iob, nam dicit: “natus de muliere”, id est, de Eua. Nam licet uirgo Maria fuerit ex Eua quo ad generationem carnalem, non autem quo ad spiritualem, quia massa illa, in qua anima sua fuit unita, mundata fuit ab infectione originalis peccati per preservationem illius. Nam quando aliqua filia male uiuit, sicut sua mater dicitur de illa: “bene est filia ista illius matris” quando ex uirtuosa femina nascitur alia et uirtuose uiuit. Etiam dicit: “uere filius eius est”, sic illi qui fuerunt infecti peccato originali per Euam procurato dicuntur ex illa nasci quo ad infectionem, etcetera, et qui infirmitates pueritie et alie proueniunt ab infectione peccati. Virgo Maria, sicut a peccato fuit, sic et ab illis, etcetera.

Sed dicis contra: si non habuit peccatum originale, quare mortua fuit? Quia Apostolus dicit, ad Romanos quinto: *per unum hominem peccatum et per peccatum mors intrauit in mundum, ita in omnes homines pertransiit in quo omnes peccauerunt*. Et sic uidetur dicere quod mors intrat per peccatum et quod ad omnes transit mors ad quos transit peccatum. Si igitur ad uirginem

85-86: Ct. 6, 9. | 87: cf. Nm. 24, 17. | 96: I Mcc. 12, 27. | 101-102: II Sm. 14, 14. | 102-103: Sap. 5, 13. | 109-110: Iob. 14, 1-2. | 123-124: Rm. 5, 12.

103-104: cf. MF. Sen., *Ep. Ad Luc.* (vol. 1), III, 24, 20, p. 63. | 107-109: Gre. Mag., *Hom.*, XXXVII, 1. PL 76, 1275B.

130 Mariam non transit peccatum, quomodo mors, etcetera? Dicendum quod uerum est quod ad omnes ad quos peccatum pertransit, etiam mors pertransit. Sed ad aliquos transit mors ad quos peccatum non transiuit, sicut ad Christum, qui uoluntarie illam assumpsit, et ad uirginem, ad quam mors pertransit, ut mortem carnem daret filio suo et pro nobis posset  
 135 mori. Et sic mors Christi et Marie fuit per peccatum Ade, scilicet: ad illud purgandum. Item Maria uirgo de necessitate debuit mori, nam ut dicit Augustinus, uniuersalis articulus fidei erat quod omnes debemus resurgere. Igitur cum resurrectio non sit nisi iterum corpus unire ad animam, si anima non esset prius separata, non posset reuniri ad corpus, sicut in die iudicii omnes spoliabuntur, ut iterum resurgant.

135 Sed dices: si fuit terminus mortis igitur uia, nam non est uia si est terminus nec econuerso. Dicendum quod uerum est quod fuit in uirgine terminus mortis et uia, sed sicut ille terminus fuit alterius rationis quam in aliis, sic etiam uia. Nam terminus mortis Marie fuit dulcis sine pena et dolore, nam iam receperat dolores in cruce, ut dicit Damascenus et Albertus Super Missus Est. Sic etiam uia fuit sine penalitatibus et miseris, et sic fuit  
 140 perfectior omnibus. Ratio potest fieri sic: motus et mutationes respiciunt speciem a termino et tanto perfectiores sunt quanto terminus est perfectior, quinto Physicorum. Sed cum generatio sit de non esse ad esse, corruptio de esse ad non esse, cum natiuitas uirginis Marie habuerit nobiliorem formam et nobilius esse quam ceteri, nam alii, ut diximus, tendebant ad non esse, illa uero ad esse et ad perfectionem, sequitur quod alii in natiuitate dicuntur occidi  
 145 et illa sola oriri. Ideo dicit prophetia “orietur”, quo ad primum.

Secunda ratio sumitur ex perfectione, quia stella et merito spiritus sanctus dixit uirginem esse stellam maris, scilicet: polum, propter tria.

150 Primo, quia illa stella est parua in apparientia et in quantitate et est maxima in uirtute, sic Maria. Nam licet dicat: *ecce ancilla domini*, etcetera, superat omnes alios in uirtute. Illa enim stella excellit omnes alias, nam ut dicunt doctores, quattuor sunt species stellarum, scilicet: stella cometa, stella erratica, stella cadens et stella fixa, in octaua sphaera. Sicut autem illa stella poli, omnes istas quattuor species excellit, sic Maria omnes existentes in mundo et in celo.

155 Primo, per stellas cometas et luminosas intelliguntur ipsi angeli quos singulariter uirgo excellit in puritate familiaritate Dei et plenitudine gratie, ut dicit sanctus Thomas in opusculo octauo Super Salutatione Angelica.

Secundo, stelle cadentes sunt demones, de quibus nulla est questio.

Tertio, stelle erratice sunt peccatores, qui illam habent pro domina et aduocata.

160 Quarto, stelle fixe sunt sancti et omnes illa excellit. Nam hec sola stat immobilis et nunquam mota fuit per peccatum; omnes alie stelle aliquo modo mouentur in circuitu. Vnde Psalmi undecimo: *in circuitu impij ambulabant*. Clarum est quod omnes peccauerunt, saltem uenialiter, etiam quod fuerint sanctificati, unde prima Iohannis primo capitulo dicitur: *si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsi seducimus et ueritas in nobis non est*. De peccato autem originali non est dubium quod omnes fuerunt sub illo preter Christum et uirginem

149: cf. Lc. 1, 38. | 161: Ps. 11, 9. | 162-163: I Io. 1, 8.

131: cf. Aug. Hipp., *De Nat. Et Gra.*, XLI, 48. *PL* 44, 270CD. | 138: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, IV, 14. *PG* 94, 1162CD. | 139: cf. Alb. Mag., *Mar.*, CXXXI, 2, p. 183a. | 141: cf. Arist. Lat., *Phys.*, V, 1, 224b7sq, pp. 193sq. | 155: cf. Th. Aq., *In Sal. Ang.*, 1119-1120, pp. 240-241.

158: Stelle] M stella.

165 Mariam. Nam Adam accipiens fructum arboris mouendo arborem mouit totum mundum, qui describitur ut arbor. Et sic cum uirgo Maria esset preseruata, illam non potuit mouere, et sic in persona sua dicebat Dauid, Psalmi tricesimo quinto: *manus peccatoris*, scilicet: Ade, *non moueat me*. Dat causam: *quia ibi*, id est, in actu illo, *cecidērunt qui operantur iniquitatem expulsi sunt angelici et non potuerunt stare*. Sola igitur uirgo Maria stetit, sicut sola hec stella stat.

170 Secundo, hec stella conuertit ferrum in polum, sic uirgo Maria corda ferrea in Christum.

Tertio, hec stella ostendit polum qui est inuisibilis et facit illum nobis uisibilem et notabilem et est propinqua polo inter omnes. Sic uirgo Maria fecit nobis filium Dei uisibilem et est super illi propinqua, nam in natiuitate eius fuit illi propinqua per gratiam in conceptione Christi; propinqua in utero in natiuitate; propinqua in gremio in uita; 175 propinqua in misterio in cruce; propinqua quia: *stabat circa crucem Iesu mater eius*, ut habetur Iohannis decimo nono. In descensu in brachiis, in ascensione ad dexteram illius, ut sciant et credant deuoti eius quod illa mediante, hic debent recipere gratiam, etcetera.

## Sermo CX

SERMO CENTESIMVS DECIMVS ET SECVNDVS IN EODEM DIE NATIVITATIS BEATE MARIE  
VIRGINIS

<THEMA> *Liber generationis Iesu Christi*, Matthei primo.

Originaliter recitatiue, etcetera.

5 Liber nihil aliud est quam continentia secretorum, ut aliquando ad memoriam redeant.  
Et sic tres libri reperiuntur in sacra scriptura.

10 Primus est liber eternus, qui est sanctissime trinitatis, in quo sunt secreta  
incomprehensibilia, que non potuerunt plene comprehendere ab angelis nec sanctis. Vnde  
licet Paulus apostolus fuerit raptus usque ad istum librum, non ualens illum  
15 comprehendere, dixit ad Romanos undecimo: *o altitudo diuinitarum sapientie et scientie Dei quam  
incomprehensibilia sunt iudicia eius*, etcetera. Solus autem Christus apperuit secreta ista mundo,  
unde Iohannes, cui reuelata fuerunt secreta celestia, Apocalypsis quinto: *flebat non inueniens  
creaturam que aperiret hunc librum, et responsum fuit ei quod agnus erat dignus aperire librum et soluere  
20 septem signacula eius*. Tria signacula fuerunt ostendere esse tres personas distinctas in unitate  
essentie, alia tria signacula fuerunt processiones personarum, scilicet: ostendere quod pater  
a nullo procedebat et quod filius a solo patre, unde dixit: *exiui a patre* eternaliter; et *ueni in  
mundum* temporaliter; et quod spiritus sanctus procedebat ab utroque, unde dixit de spiritu  
sancto: *quem mittet pater in nomine meo et de meo accipiet*. Septimum fuit ostendere creationem  
esse a tota trinitate, etcetera.

20 Secundus fuit liber Sapientie, scilicet: uerbi Dei, quod est sapientia patris, unde  
Bernardus in sermone De Resurrectione Domini dicit: «uenit si quidem ad nos Dei  
sapientia. Sed in libro clauso si quidem et signato septem sigillis», etcetera. Hic est enim:  
*liber scriptus intus et foris*, Apocalypsis quinto. Sed primus liber eternus trinitatis fuit  
simplicissimus et breuissimus. Habebat autem in uno libro tres quinternos et quidquid in  
25 uno illorum erat scriptum in altero continebatur. In nullo differebant nisi quia secundus  
quinternus filii erat eternaliter et extractus a patre. Ideo dicebat filius: *doctrina mea non est mea,  
sed eius qui misit me*, Iohannis septimo capitulo. Et sic tertius quinternus spiritus sanctus  
sumpsit eternaliter a patre et filio, unde dicit: *spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo ille  
uos docebit omnia*, etcetera, Iohannis decimo quarto. Hic igitur liber erat unus quo ad  
30 essentiam et trinus quo ad quinternos, sed quinternus secundus qui erat filii fuit ligatus inter  
duas tabulas, sicut accidit in materialibus libris. Hoc autem fuit in incarnatione, in qua  
uerbum fuit clausum inter animam et corpus. Et sic dicit Petrus Rauennas quod: «fuit  
Christus uerbum abreuiatum inter animam et pellem humanitatis, nam de Deo dicitur: *celum  
et terram ego impleo*, sed Christus fuit uerbum abreuiatum. Abreuiatum in mundo, in utero, in  
35 cruce, in sepulchro. Fuit autem signatus hic liber septem sigillis, sicut quilibet liber  
materialis, quinque autem habebat ex una parte ex corio, duo autem corrigiam cum gaffetis  
erant ex altera parte, unam notans unionem hypostaticam, nam fuit maximum secretum  
quomodo diuinitas uniebatur terre», etcetera. Aliud autem fuit plenitudo gratie illi  
communicata non ad mensuram, nam mirabile fuit quod in illo esset fons gratie ipsa  
40 diuinitas et reciperetur in eodem supposito quo ad humanitatem. Alia quinque signacula  
fuerunt ex parte humanitatis.

---

3: Mt. 1, 1. | 10-11: Rm. 11, 34. | 12-14: cf. Apc. 5, 4-5. | 16-17: cf. Io. 16, 28. | 18: cf. Io. 14, 26; Io. 16, 14. |  
23: Apc. 5, 1. | 26-27: Io. 7, 16. | 28-29: Io. 14, 26. | 33-34: Ier. 23, 24.

21-22: cf. Bern. Cl., *In Die San. Pasc.*, 10. PL 183, 279CD. | 32-38: Petrus Rauennas] NI.

Primum quo ad tempus, scilicet: quomodo filius eternus potuit esse et fieri filius temporalis ut homo.

Secundum quo ad patrem, quomodo fuit hic filius sine patre.

45 Tertium quo ad uitam, quomodo ille qui erat beatus et in plenitudine gaudiorum poterat flere et fatigari.

Quartum quo ad mortem, scilicet: quomodo uita potuit mori.

50 Quintum quo ad resurrectionem, quomodo ille qui flebat et uidebatur coacte pati et ignominiose, ut agnus, post quadraginta horas uictor resurrexit infernum spolians, ut leo. Vnde Bernardus in sermone De Resurrectione Domini dicit: «quis ergo non illo tempore fleret clausum artius librum et non esse qui aperiret? Flebat Iohannes apostolus, quia nemo inueniebatur aperire dignus. Indignum et ipse Baptista se dixit quo *nemo maior inter natus mulierum surrexit. Non sum* –inquit– *dignus soluere corrigiam calciamenti eius*. Postremo liber ipse qui clausus erat inuentus est dignus aperire seipsum». Hec ille Bernardus.

55 Tertius liber fuit liber uite, qui est ipsa uirgo Maria, unde Hugo dicit: «hic est enim liber», de quo euangelista dicit: *Iesus inclinans se scribebat in terra*, scilicet: uirginis Marie. Dicitur liber uite, nam ipsa est uita omnium, unde ecclesia cotidie cantat: «salue regina, etcetera, uita dulcedo, spes nostra salue», etcetera. Nam ut dicit Iohannes, Apocalypsis uicesimo et uicesimo primo, solum saluabitur ille *qui inuentus fuit in libro uite scriptus*, qui est hec uirgo, 60 unde Bernardus in sermone dicit de uirgine: «sicut a te despectus et auersus necesse est quod pereat, sic a te reuersus et ad te respectus impossibile quod pereat», etcetera. In isto autem libro contingentur omnes perfectiones tamquam in horto omnes fructus, unde Cantorum quarto: *hortus conclusus et fons signatus*, etcetera. Fuit autem signatus septem sigillis, ut ceteri.

65 Primum fuit eius dispensatio, in qua, ut ait Bernardus in sermone de Christi Resurrectione, uirginitas in partu uirginis celata fuit.

70 Secundum angelica salutatione, que fuit secreta, in qua modus concipiendi fuit celatus quando dixit: *quomodo fiet istud*, etcetera. Nam ipsa bene sciebat et non angelus, unde Bernardus respondet in persona angeli dicens: «quid me interrogas, uirgo beata, etcetera. Sequitur: illi soli datum est nosse, cui datum est experiri».

Tertium fuit in partu in stabuli habitaculo, in quo celabatur dominium uirginis Maria, cum esset «domina mundi et regina celorum», non habuit mansionem in ciuitatem.

Quartum fuit eius in templo purificatio, in qua celabatur peccati immunitas.

Quintum fuit lamentatio circa crucem, in qua celabat eius de filio reuelatio.

75 Sextum sigillum fuit uirginis sepultura, in qua celabatur corporis dignitas Marie.

---

52-53: cf. Mt. 11, 11. | 53: cf. Mc. 1, 7. | 56: cf. Io. 8, 6. | 59: Apc. 20, 15; 21, 27. | 63: Ct. 4, 12. | 68: cf. Lc. 1, 34.

50-54: Bern. Cl., *In Die San. Pasc.*, 11-12. PL 183, 280BC. | 55: cf. Hug. Card., *Sup. Psal.*, XXXIX, 9, f. 105v; cf. Hug. Fol., *De Clan. Ani.*, IV, 33. PL 176, 1170BD. | 57-58: cf. Ans., *Hymn. Et Psal. De San. Mar.*, Saluatio deprecatoria, ante Psal. B. V. dicenda. PL 158, 1037D. | 60-61: Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Ans., *Orat.*, LII. PL 158, 956C. | 65: cf. Bern. Cl., *In Die San. Pasc.*, 5. PL 183, 277A. | 69-70: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, IV, 4. PL 183, 81B. | 72: cf. Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328A.



Septimum fuit resurrectio eius et gloriosa assumptio in corpore et anima quando a filio recepta aperuit.

80 Omnia ista signacula matris. Et est notandum quod iste liber uirginis habuit tria quinterna uel continet tres partes, sicut tres sunt librorum species, scilicet: doctrine, morum et rationum. Doctrine in quo sunt speculabilia, ut liber metaphysice et physice. Morum est liber qui tractat de moribus, ut ethica et politica, etcetera. Rationum est liber qui continet compota, ut est liber mercatorum, in quo continentur debita que debet et que ei debentur. Omnia ista fuerunt in uirgine Maria.

85 Primo, ipsa habuit omnia per reuelationem, unde Bernardus: «quid de Deo non sapiebat in qua Dei sapientia latebat», quia ut dicit euangelista, Luce capitulo secundo: *Maria conseruabat omnia uerba hec conferens in corde suo*. Et sic secreta celestia hac mediante reuelantur omnibus sanctis et etiam angelis.

90 Secundo, in alia parte libri huius sunt omnia pertinentia ad uitam et mores, unde Ambrosius libro secundo De Virginibus dicit: «sit uobis tamquam in imagine descripta puritas uite Marie, in qua uelut in speculo refulget species castitatis et forma uirtutis. Hinc sumatis exempla uiuendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debetis, ostendunt». Hec ille.

95 Tertio, est in ea compotum quod debet mundo et quod illi debet mundus. Et in hoc duo sunt consideranda. Primum quo ad uirginis dignitatem. Secundum quo ad eius officium nos debemus illi quo ad dignitatem, que maior est in ea esse matrem Dei ad orationem et prostrationem, non solum dulie, sicut aliis sanctis, sed hyperdulie super omnes sanctos. Et debemus illi ratione officii, quod est esse dispensatricem gratiarum, orationem assiduum supplicando, ut nobis impetret gratiam, quia: *pulsanti aperietur*, etcetera. Sed etiam secundum ista duo, ipsa debet nobis et est in obligatione. Nam si fuit mater Dei, hoc fuit propter  
100 peccatores, quia si peccatores non essent, filius Dei non fuisset incarnatus et per consequens nec ipsa fuisset mater Dei. Secundo, debet nobis gratiam ex obligatione, nam non solum illi fuit data gratia personalis pro se, sed pro toto mundo.

105 Igitur, si hanc uolumus habere, soluamus quod debemus et habebimus quod querimus, et ad uidendum compotum, et summam recurramus ad hanc, que est *liber generationis Iesu Christi*. Igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Libre generationis Iesu Christi*, ubi supra.

110 In presenti sermone uidebimus aliquid de isto triplici libro. Sed quia de libro eterno est dicendum in die natiuitatis domini quando legitur euangelium Iohannis primo: *in principio erat uerbum*, etcetera, igitur de aliis duobus aliquid est dicendum. Et primo, de libro sapientie patris, qui est eius filius; secundo, de libro uite, qui est eius mater. Prima, de dignitate uirginis quo ad eius filium. Secunda, de dignitate eius quo ad maternitatem. In prima parte uidebimus tria. Primo, quomodo uirgo Maria fuit electa ut esset in mundo mater sine filii patre, etcetera. Secundum ut esset mater sine corruptione uirginitatis. Tertium ut esset: «mater non cuiuscumque, sed Dei».

85-86: Lc. 2, 19. | 98: cf. Lc. 11, 10. | 104-106: cf. Mt. 1, 1. | 108-109: Io. 1, 1.

84-85: Bernardus] *Auctor err.* cf. Pau. Dia., *Hom. De San.*, XLVIII. PL 95, 1508A; cf. Ans., *Hom.*, IX. PL 158, 648C. | 89-92: Ambr., *De Virg.*, II, 2, 6. PL 16, 208C. | 114: cf. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 5. PL 183, 428B.

115 Primo, igitur magna fuit uirginis dignitas, quod Christus esset in seculo filius solius eius. Nam sicut uerbum fuit in celis filius patris eterni solius et sine matre quo ad diuinitatem, sic in mundo fuit filius solius matris quo ad humanitatem, quod de nullo alio in mundo dicitur nec dici potest, nec de aliqua alia matre. Nam nullus pater nec aliqua mater dicere potuit: “hic est filius meus in hoc mundo”, sed possunt dicere: “hic est filius noster”, ut religiosi  
 120 sic possunt dicere: “hic est filius noster”, quia est ex patre et matre simul. Sed de Christo hoc potest dici in quantum Deus et in quantum homo. Nam pater dixit quo ad diuinitatem: *hic est filius meus*, unde Psalmi secundo: *dominus dixit ad me: “filius meus es tu”*, etcetera. Item Matthei tertio et decimo septimo: *hic est filius meus*. Et hoc idem potuit dicere mater eius ut homo, unde Matthei primo dicitur: *peperit filium suum*, etcetera, ideo omnes qui sunt ex patre  
 125 et matre dicuntur *filii hominum*, Psalmi quarto. Sed Christus non sic, sed *filius hominis*, Matthei duodecimo et Lyra super Psalmum septuagesimo nono. Sola igitur uirgo Maria fuit Christi mater, nam quidquid ex parte uiri debuit dari suppletum fuit uirtute spiritus sancti.

Sed forte dices: igitur spiritus sanctus fuit pater Christi. Dico quod non propter hoc: primo, non fuit de sua substantia. Item non in similitudinem speciei fuit autem de spiritu  
 130 sancto, sicut ex principio actiuo «non ut ex patre», ut dicit Augustinus in Enchiridion.

Secunda excellentia in uirgine fuit ex parte filii quod esset mater sine corruptione uirginitatis et integritatis illius, nam solus iste filius potuit sine corruptione matris de eius uentre exire. Quia hic non erat purus homo, sed Deus et homo, et corpus alterius pueri non poterat esse simul, cum alio sine penetratione corporum uel dimensionum.

135 Si autem dices: hic puer quomodo potuit exire, cum secundum Aristotelem: «sit impossibile duo corpora esse simul?». Dicendum quod si uirtute diuina potest esse unum corpus simul cum alio corpore, ut patet in corpore glorioso, a fortiori per unionem diuinitatis in Christo. Igitur si nullus alius filius hoc potuit, nisi Christus, sequitur quod uirgo Maria habuit talem dignitatem ratione filii sui, etcetera.

140 Tertio, habuit maximam excellentiam, scilicet: habere talem filium, scilicet: Deum. Nam sepe dignificatur mater ratione filii quando habet filium nobilissimi patris et filium dignissimum. Et sic maxima dignitas et excellentia Maria fuit habere filium et talem filium, scilicet: Deum, sine hoc quod perderet uirginitatem. Et sic filius uirginis est filius Dei et primogenitus et dominus totius mundi.

145 Secunda pars in qua uidebimus dignitatem et excellentiam uirginis quo ad maternitatem, et ista consistit in tribus.

Primo, qualiter fuit excellentissima mater inter omnes matres, quo ad hoc quod filio communicauit substantiam purissimam, quia relique matres dederunt filio materiam infectam in conceptione, ex qua peccatum originale contraxerunt. Hec uero non.

150 Sed dices contra: matres infideles bene conferunt materiam infectam, sed matres purificate iam per baptismum a peccato originali non conferunt materiam infectam, quia iam sunt purificate per baptismum. Dicendum quod omnes mater preter istam uirginem contulerunt materiam infectam filiis. Nam licet alie matres essent per baptismum purificate quo ad personam, non tamen erant purificate quo ad naturam, quia in Adam primo fuit

---

122: cf. Mt. 3, 17. | Ps. 2, 7. | 123: Mt. 3, 17; 17, 5. | 124: Mt. 1, 25. | 125: cf. Ps. 4, 3. | cf. Mt. 12, 8; cf. Ps. 79, 18.

126: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 3), Psal. 79, 18, f. 205r. | 130: cf. Aug. Hipp., *Ench.*, XXXVIII, 12. *PL* 40, 251B. | 135-136: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, II, 69, (418b17), p. 180.

155 infecta persona; secundo, persona infecit naturam. Sic Christus primo purificauit personam, secundo, purificauit naturam in resurrectione finali. Sed hic natura infecta in matre inficit personam filii in aliis matribus preter uirginem Mariam. Exemplum: triticum purgatur in area a palea solum quo ad personam; sed dum seminatur, quia natura non fuit purgata a palea, illud quod nascitur uenit cum palea. Sed in resurrectione finali totaliter purgabitur et  
 160 persona et natura quando *corruptibile hoc induet incorruptionem*, ut dicit Apostolus, prima ad Corinthios decimo quinto, etcetera. Tunc purgabitur triticum quo ad personam et quo ad naturam, de quo dicitur Matthei tertio et Luce tertio dicens: *cuius uentilabrum in manu sua et purgabit triticum in horreo suo, paleas autem comburet*, etcetera. Tunc omnes erunt purgati et quo ad naturam et quo ad personam. Sed uirgo Maria purgata in persona, quia iam naturam  
 165 recepit sine infectione et dedit filio purissimam materiam et sine uiri semine ex parte patris, et sine concupiscentia ex parte matris. Et hec fuit sua dignitas inter omnes matres mundi, etcetera.

Secundo, patet dignitas Marie, quia separata a penalitatibus et laboribus parientium. Hec non habuit obstetrices, quia tales sunt necessarie propter fatigationem parientis. Sed uirgo  
 170 Maria non solum non habuit laborem, sed habuit gaudium, unde Psalmi sexagesimo quarto: *letabitur germinans*. Item Isaie tricesimo quinto de ea dicitur: *germinans germinabit et exultabit letabunda et gaudens*, etcetera. Item alie matres indigent adiuuamentis ad dandum lac filiis suis, ut in cibo et potu uel huiusmodi. Hec uero non indigebat, quia lac dabatur uirgini de celo, et sic cantat ecclesia: «ubere de celo pleno», etcetera.

175 Tertio, fuit mater excellentissima in generatione, potentia et uirtute.

Primo, in generatione, nam Mattheus noluit generationem suam in narrando incipere ab Adam, a quo exortum fuit peccatum et omnes peccatores incipiunt ab ipso, sed hec nullum habuit peccatum. Ideo illam incepit a rege Dauid, qui fuit rex excellentissimus et figurauit in multis Christum filium suum, et deinde iuit ad Abraham, qui fuit maximus patriarcha et  
 180 principium fidelium, cui facte fuerunt promissiones de Christo et de uirgine matre sua.

Secundo, fuit potentissima, nam multe sunt mulieres generose, sed non potentes, quia hereditas sequitur filios, sed hec mater fuit regina mundi et celorum.

Tertio, fuit mater uirtuosa, nam multe mulieres fuerunt generose et potentes, sed uitiose. Hec in uirtutibus perfectissima et plena omnium gratiarum non solum pro se, sed pro  
 185 ipsius deuotis. Igitur qui talem librum habet debet facere tria.

Primo, illum reuerenter tractare, sed hoc non fecerunt infideles nec heretici, sed solum fideles; secundo, debet illum contemplare et legere. Hoc bene faciunt deuoti sui, unde Ambrosius libro secundo De Virginibus dicit: «sit uobis tamquam in imagine descripta uirginitas et puritas uite Marie, in qua uelut in speculo refulget species castitatis et forma  
 190 uirtutis. Hinc sumatis», etcetera; tertio, debet deuotus ea que dicit seruare, unde Ambrosius, ubi supra, dicit: «talís fuit Maria ut eius uita omnium fuerit disciplina». Item dicit Bernardus: «in angustiis et necessitatibus, Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat a corde, non transeat ab ore». Igitur qui hanc deuote inuocant, hic recipient gratiam et in futuro gloriam, quam nobis, etcetera.

---

160: I Cor. 15, 53. | 162-163: cf. Mt. 3, 12; Lc. 3, 17. | 171: Ps. 64, 11. | 171-172: Is. 35, 2.

174: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In tertio nocturno. PL 78, 735A. | 188-190: Ambr., *De Virg.*, II, 2, 6. PL 16, 208C. | 191: Ambr., *De Virg.*, II, 2, 15. PL 16, 210D. | 192-193: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 17. PL 183, 70D.

SERMO CENTESIMVS VNDECIMVS IN DOMINICA INFRA OCTAVAS NATIVITATIS BEATE  
MARIE VIRGINIS

<THEMA> *Est ista que progreditur quasi aurora*, Canticorum sexto capitulo.

5 Sententia est deuoti Bernardi in sermone uirginis Marie et Alberti in Mariali et etiam  
sancti Thome in quarto, distinctione tricesima, questione secunda, articulo primo ad  
primum, quod uirgo Maria in sacra scriptura dicitur “aurora”. Ipsam etiam esse auroram  
potest demonstrari tripliciter secundum triplicem etymologiam uocabuli “aurore”,  
secundum doctores, et maxime ipsius Isidori in libro Etymologiarum dicitur autem “aurora  
10 quasi aurea hora”, etcetera. Item secundo, dicitur “aurora quasi auium hora”. Dicitur tertio,  
“aurora quasi roris hora”.

Primo, igitur dicitur “aurora quasi aurea hora”, nam sicut septem sunt metalla simplicia,  
secundum Isidorum decimo sexto Etymologiarum, scilicet: «plumbum, ferrum, argentum,  
aurum, es, electrum et stannum», sic septem fuerunt hore in mundo.

15 Prima autem hora fuit plumbea, nam sicut plumbum inter metalla est obscurum et  
uersatile et semper dimittit maculam quando transit per papirum, pergamenum uel tabulam,  
etcetera, sic in prima hora mundi per peccatum Ade fuit facta obscuritas. Et licet Adam  
esset formatus in gratia et Eua, sed illa ad uocem serpentis fuit mox conuersa et ipse ad  
uocem sue mulieris, etcetera. Et sicut plumbum per transitum maculam dimittit, sic etiam  
Adam maculam peccati originalis dimisit in mundo.

20 Secunda hora fuit tempore patriarcharum, maxime Abrahe, in quo inchoauit fides, et  
fuit ferrea. Nam sicut ferrum uincit et domat omnia metalla, ut dicit Isidorus, ubi supra, sic  
fides uincit omnia que sunt in mundo. Vnde Iohannes dicit, prima Iohannis quinto  
capitulo: *hec est uictoria que uincit mundum fides nostra*. Et sic illa fides incepit in Abraham, ut  
patebit.

25 Tertia hora fuit prophetarum et fuit argentea, nam ut dicit Nicholaus de Lyra et omnes  
exponentes illam statuam Danihelis secundo, per argentum intelligitur sapientia. Sic  
prophetis data fuit sapientia in illo statu, etcetera.

30 Quarta hora fuit aduentus uirginis Marie et fuit aurea, quia duxit illum qui est quasi  
aurum. Nam sicut aurum inter metalla, sic Christus inter alias creaturas, nam excellit omnes,  
quia uerus Deus, unde Iohannis tertio: *qui desursum uenit super omnes est*.

35 Quinta fuit erea, scilicet: tempore apostolorum. Et sicut es mixtum cum aliis et per  
ignem opere fusili preparatum sit ex eo cymbalum sonorosum, sic fuerunt apostoli mixti,  
nam fuerunt electi de populo iudeorum et facti christiani, scilicet: per ignem spiritus sancti,  
opere fusili fuerunt cymbalum sonans per totum mundum, unde Psalmi decimo octauo: *in*  
*omnem terram exiuit sonus eorum*, etcetera, scilicet: apostolorum, etcetera.

Sexta hora fuit martyrum et fuit electro puro et lucido. Nam sicut electrum est coloris  
sanguinei, sic illa hora fuit plena sanguine, sed lucidissima per meritum.

3: Ct. 6, 9. | 23: I Io. 5, 4. | 26: cf. Dn. 2, 31. | 30: Io. 3, 31. | 34-35: Ps. 18, 5.

4-5: cf. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, II, 9. PL 183, 421C; cf. Alb. Mag., *De Lam. B. M. V.*, VII, 7, p. 384; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 9), lib. 4, dist. 30, q. 2, a. 1, p. 344. | 8: cf. Isid., *Etym.*, V, 31. PL 82, 218AC. | 12-13: Isid., *Etym.*, XVI, 17. PL 82, 583C. | 21: cf. Isid., *Etym.*, XVI, 17. PL 82, 583C. | 25: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 4), Dn. 2, 39, f. 298r.

Septima fuit ex stanno et fuit hora confessorum. Nam sicut ex illo fiunt uasa ad  
 40 portandum aquam, etcetera, sic confessores portauerunt doctrinam contra hereticos et ad  
 ecclesie instructionem. Et sic tres hore fuerunt noctis ueteris testamenti et tres diei noui. Et  
 sicut inter noctem et diem mediat aurora, sic media inter illas fuit aurea, scilicet: in aduentu  
 uirginis Marie. Nam illa duxit aurum purissimum, scilicet: filium Dei in mundum. Nam  
 sicut aurum confortat cor et dat uitam miraculose, ut patet in auro potabili, etcetera, et sicut  
 45 puluerizatum preseruat et sanat a lepra, sic illud aurum dedit uitam mundo et preseruauit a  
 lepra primi parentis Ade. Et sic uirgo Maria fuit aurora, id est, aurea hora.

Secundo, dicitur “aurora quasi auium hora”, nam sicut in nocte ambulant bestie nociue  
 et adueniente aurora recluduntur in cauernulis suis, sic ante aduentum uirginis in nocte  
 ueteris testamenti demones infestabant homines, donec aurora dedit solem lucidum, unde  
 50 Psalmi centesimo tertio: *posuisti tenebras et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestie silue  
 catuli*, etcetera. *Ortus est sol et congregati sunt et in cubilibus suis collocabuntur, exiuit homo ad opus  
 suum*, etcetera. Vnde de istis dicit Iob uicesimo quarto capitulo: *si subito apparuit aurora*, id  
 est, uirgo Maria, *arbitrantur umbram mortis*. Figura Exodi decimo quinto de exercitu  
 pharaonis, qui in aurora submersus fuit in mari, etcetera. Sed dum bestie nociue  
 recluduntur, aues pullulant, sic in aurora, scilicet: in aduentu uirginis, uolucres celi, id est,  
 55 angeli, frequentarunt inter homines et nuntiauerunt benedictionem. Patet quia angelus  
 mittitur ad Ioachim, item ad Annam, item ad Zacchariam, ad Ioseph, ad Mariam nuntiando  
 et canendo cantilenas, quas nunquam audiuerant dicendo: *auē gratia plena*, etcetera. Figura  
 Genesis tricesimo secundo: angelus in aurora benedixit ipsi Iacob et mutauit nomen illius in  
 Israhel quasi «uidens Deum». Et sic patet quod uirgo dicitur “aurora quasi auium”.

Tertio, dicitur “aurora quasi roris hora”, nam sicut in nocte non stillat ros, sed in aurora,  
 sic in ueteri testamento quasi in nocte non fuit ros gratie, sed siccitas, unde Psalmi uicesimo  
 primo: *aruit tamquam testa uirtus mea*. Et sic desiderabant illum rorem sancti patres, unde  
 Genesis uicesimo septimo, quando Isaac benedixit Iacob dixit: *det tibi dominus de rore celi et de  
 pinguedine*, etcetera. Nunquam autem distillauit ros, nisi in aduentu uirginis Marie, que fuit  
 60 gratia plena. Figura Iudicum sexto de Gedeone quando plena fuit concha de rore, ex qua  
 aera fuit plena. Concha fuit uirgo Maria humilis, ex qua plenus fuit mundus, etcetera, per  
 filium suum. Figura Numeri undecimo: *in aurora cadebat ros et supra illum manna*. Sic primus  
 fuit ros gratie, quando dixit ei angelus: *auē gratia plena*, et subito: sol iustitie, de quo dixit:  
*dominus tecum*.

Et sic habemus quod illa que duxit solem iustitie, illa que mediauit inter nocte  
 70 peccatorum et solem iustitie, illa que distillauit rorem gratie *est ista que progreditur quasi aurora*.  
 Ad hanc igitur in principio sermonis recurramus dicendo humili mente et pia: auē Maria.

<THEMA> *Est ista que progreditur quasi aurora*, ubi supra.

In presenti sermone uidebitur una conclusio, que talis est: quod natiuitas uirginis est  
 75 excellentior omnibus aliis, dempta Christi natiuitate, quia licet fuerit probata in primo  
 sermone precedenti natiuitatis, probatur tamen discurrendo per omnia genera causarum.  
 Nam ut dicit Aristoteles quinto Metaphysice et secundo Physicorum: «causa et principium  
 conuertuntur» et quod: «causa et effectus proportionantur». Hoc presupposito probatur

49-51: Ps. 103, 20-23. | 51-52: Iob. 24, 17. | 52: cf. Ex. 15, 19. | 57: cf. Lc. 1, 28. | 58: cf. Gn. 32, 2. | 62: Ps. 21, 16. | 63-64: cf. Gn. 37, 28. | 65: cf. Idc. 6, 37. | 67: Nm. 11, 9. | 68-69: cf. Lc. 1, 28. | 71-73: cf. Ct. 6, 9.

59: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, NT, Mc., I. PL 23, 843C. | 77-78: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 9, 200a35, p. 94. | 78: cf. Arist. Lat., *Phys.*, IV, 4, 211a1, p. 145; cf. Th. Aq., *Con. Gent.* (vol. 15), lib. 4, c. 87, p. 276.

80 conclusio discurrendo per principia et causas. De causa formali iam in predicto sermone habitum est. Et sic restat de aliis causis uidere.

85 Et primo de causa materiali illius natiuitatis que fuit populus, a quo illa materialiter oriebatur. Ratio est ista: illa que nata fuit de populo excellenti et tribu et familia dicitur esse excellens inter alias. Sed Maria uirgo orta fuit de excellenti populo, tribu et familia, igitur, etcetera. Patet hoc, nam Maria, et per consequens Christus, ortum habuit a quattuor  
 90 patriarchis, scilicet: ab Adam, Noe, Abraham et Dauid. A duobus ortus fuit ostendens ad quid ueniebat et a duobus ostendens quam dignitatem debuit habere. Descendit autem de Adam ostendens quod propter peccatum illius ueniebat, et a Noe ostendens quod in ligno debebat genus humanum saluare. Nam Noe saluauit mundum in ligno et nullus fuit saluus nisi qui in ligno illo positus fuit. Sic nullus saluus in mundo nisi qui in ligno crucis cum  
 95 Christo crucifigeretur, unde: *qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum Christo*, ad Galatas quinto. Item uoluit descendere de Abraham ut ostenderet se uerum sacerdotem, nam ut dicit sanctus Thomas in tertia parte, questione tricesima prima, articulo secundo, contestatione: «Abraham fuit sacerdos». Et sic uoluit exire de Dauid ut ostenderet se esse regem, nam Christus, secundum omnes, sperabatur sacerdos et rex, unde Psalmi secundo:  
 100 *ego autem constitutus sum rex*. Item Psalmi octogesimo octauo: *et ego primogenitum ponam illum excelsum pre regibus terre*. Item: *tu es sacerdos in eternum*, etcetera, Psalmi centesimo nono. Voluit autem primo exire ex Adam.

105 Si dicis: non esset melius nouam matrem creare quam exire ex linea peccatrice? Dicendum quod non, nam ut dicit Augustinus, homo non potuit satisfacere cum ad hoc requireretur meritum infinitum. Et sic solus Deus potuit, sed non debebat Deus, sed homo, qui peccauit. Et sic Deus factus est homo et sic si carnem nouam crearet, illa non debebat, quia non peccauit. Et sic ut satisfaceret qui peccauit, oportebat quod caro Ade satisfaceret et pateretur, et non alia, sed que ab ipso descendebat. Exemplum: ad consolidandum membra humana quando sunt confracta, ualet, secundum medicos, caro humana, que  
 110 dicitur “momia”. Non alia caro alterius animalis, nec caro cruda hominis. Sed posita in arenosa terra et desiccata per radium solis et sic puluerizata ualet ad consolidationem membrorum. Sic in proposito, tota caro humana fuit uulnerata et maculata per peccatum Ade. Ad hoc remedium fuit ut curaretur mediante eadem carne humana, sed non habente humorem in se, sed quod descenderet ab ipso Adam et quod poneretur in terra arenosa uirginis Marie, que nunquam alium genuit nisi illum, unde Psalmi octogesimo quarto:  
 115 *benedixisti, domine, terram tuam*, etcetera. Et sic caro illa in uentre uirginali fuit desiccata et depurata mediante calore spiritus sancti, non mediante semine uiri.

120 Si autem dicis: sicut illa caro Ade que peccauit fuit cum illo humore peccati, non fuisset melius quam ille qui patiebatur etiam esset cum peccato illo et peniteret de illo? Dicendum quod non, nam cum illud peccatum traducatur cum semine uiri et Adam non fuit natus ex semine uiri, qui primo peccauit, igitur, etcetera. Item solum requirebatur quod substantia Ade pateretur, nam ad aliquam operationem uel medicinam, que substantia ouis requireret, ut lac illius uel caseum, non requireretur quod caseus ille fieret cum coagulo arietis uel ouis, sed solum quod substantia casei esset descendens ab illa oue. Exemplum: si ex lacte ouis  
 125 coagulatur caseus cum coagulo et ex eodem lacte coagulatur cum flore tribuli, clarum est quod eque potens erit ad sanandum iste sine coagulo quam alter, immo alter erit infectus coagulo et iste non. Sic in proposito, nam in aliis hominibus et mulieribus erat substantia Ade coagulata cum coagulo seminis uiri, sed in uirgine non, sed mediante flore spiritus

90: Gal. 5, 24. | 95: Ps. 2, 6. | 95-96: Ps. 88, 28. | 96: Ps. 109, 4. | 111: Ps. 84, 2.

93: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 31, a. 2, p. 232. | 99: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, XIII, 10, 13. *PL* 42, 1024AC.

125 sancti. Nam Christus fuit ex Adam quo ad corpulentam substantiam et non quo ad  
 rationem seminalem, ceteri uero utroque modo. Et sic Iob excusabat se et fragilitatem suam  
 propter hoc dicendo: *nonne sicut lac mulsisti me et sicut lac me coagulasti?* Scilicet: sicut ceteri  
 homines in peccato. Et sic ad satisfactionem et purgationem peccati solum requisitum fuit  
 esse ex Adam quo ad substantiam, non autem quo ad semen peccati, etcetera. Christus  
 igitur ortum habuit ex Adam per Seth.

130 Sed dices: non esset melius quod descenderet per Cain uel per Abel, nam Cain erat  
 primogenitus, Abel uero secundus filius, igitur nobilior esset ex istis. Dicendum quod non  
 erat possibile de Abel, nam immediate mortuus fuit et non reliquit semen. Nec conueniens  
 fuit de Cain, nam fuit primus peccator post Adam et etiam peccauit contra illud ad quod  
 Christus filius Dei ueniebat, scilicet: ad dandum uitam homini. Ille autem interfecit  
 135 hominem et sic tota posteritas sua fuit plena peccatis. Vnde Lamech etiam homicida, ut  
 ostenderet quod ipse detestabatur peccatum et ueniebat ad illud tollendum, noluit de gente  
 tam peccatrice exire. Vnde ut dicit Augustinus decimo quinto De Ciuitate Dei, posteritas  
 Cain fuit plena peccatis contra decem precepta, primo fracta per mulierem. Et sic fuerunt  
 undecim generationes decem hominum ad hoc ostendendum et terminata ad mulierem,  
 140 scilicet: ad Nohemam, ut illud significaret. Igitur postquam Christus ex Abel exire non  
 potuit nec ex Cain decuit, exiuit ex Seth quasi primogenito Ade. Nam alii filii fuerunt quasi  
 abortiuui; iste autem quasi primogenitus et optimus uir in fide. Et sic filius suus Enos, quia  
 primus cepit inuocare nomen domini, et sic quia posteritas Cain et aliorum filiorum Ade  
 periit in diluuiio, Christus ex necessitate exiuit ex Noe, qui fuit radix alterius mundi, sicut  
 145 Adam prioris, et fuit uir optimus. Exiuit autem ex primogenito suo Sem, primo, quia sicut  
 Sem fuit dominus maioris partis mundi, scilicet: Asie, que maior est quam Africa et Europa  
 simul, ut notaret quod ex illo expectabatur dominus totius mundi. Item secundo, quia sicut  
 erat dominus orientis, et lucide partis mundi significat quod ex illo exiret lux uera, qui  
 dicitur “oriens”, unde Zaccharie sexto: *ecce uir oriens nomen eius*. Item Zaccharias, Luce primo:  
 150 *uisitauit nos oriens ex alto*, etcetera, et lux erat totius mundi. Tertio, etiam quia ipse fuit  
 optimus filiorum suorum in fide.

Tertio, exiuit de Abraham, quia tempore suo (ut dicit Iosephus) totus mundus erat  
 hereticus. Hic autem solus fuit iustus et fidelis et primus credidit supranaturaliter, ut dicit  
 sanctus Thomas prima secunde, questione centesima secunda, et sic ipse fuit primus cui  
 155 Christus fuit promissus, unde Genesis uicesimo secundo: *in semine tuo benedicentur omnes gentes*  
*terre*. Et in hoc habuit fidem et reuelationem quod ille ex semine suo non esset homo purus,  
 sed Deus et homo. Nam quando dixit procuratori suo, Genesis uicesimo quarto, quod non  
 duceret uxorem filio suo Isaac de filiabus cananeorum et dixit ille: *pone manum tuam subter*  
*femur meum, ut adiurem te per Deum celi et terre, ut non accipias*, etcetera. *Posuit ergo seruus manum*  
 160 *sub femore Abraham, domini sui, et iurauit illi*, etcetera. Et sic fuit hoc iuramentum nouum et  
 solemne, nam iurauit per Deum celi et per humanitatem illius, que sperabatur ex femore  
 suo, etcetera. Fuit item illi reuelatum qualiter sperabatur de femina, quando fecit panem pro  
 angelis et hominibus et dixit Sarre, Genesis decimo octauo: *accelera tria sata farine commisce*,  
 etcetera, scilicet: «eternum, nouum et antiquum», tres substantie in Christo, ut dicunt  
 165 Augustinus et Bernardus. Item quando in hora sacrificii dictum fuit illi, Genesis decimo  
 quinto, quod semen erat futurum peregrinum et captiuum, etcetera, sed liberaretur  
 generatione quarta. Quia prima sine uiro et muliere, ut Ade; secunda de uiro sine femina, ut

126: cf. Iob. 10, 10. | 149: Za. 6, 12. | 150: Lc. 1, 78. | 155-156: Gn. 22, 18. | 158-160: Gn. 24, 2-9. | 163: Gn. 18, 6. | 165: cf. Gn. 15, 16.

137: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XV, 20, 1. PL 41, 462D. | 152: cf. Fl. Ios., *Ant. Ind.*, I, 7, 1, pp. 46-47. | 154: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 102, a. 5 ad 1, p. 693. | 164: cf. MF. Bern. Cl., *De Cons.*, V, 10, 23. PL 182, 801C.

Eue; tertia de uiro et muliere, ut omnes alie; quarta sperabatur de muliere sine uiro, ut fuit Christi generatio, in qua a captiuitate liberati sumus per uirginem mediatricem.

170 Descendit autem de Abraham per Isaac, unde Genesis uicesimo primo dictum fuit Abrahe: *in Isaac uocabitur tibi semen*. Item dicitur ipsi Isaac: *in semine tuo benedicentur omnes gentes terre*, Genesis uicesimo sexto.

175 Sed dices: non esset melius quod exiret de Ismahel, qui fuit primogenitus? Dicendum quod non, nam Christus uenit ad liberandum hominem. Et sic oportebat quod de libera exiret, que fuit Sarra, et non de captiua, que fuit Agar. Vnde Apostolus dicit ad Galatas quarto: *scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit, unum de libera et unum de ancilla*, etcetera. *Hierusalem enim libera est*, id est, ecclesia, igitur, etcetera.

180 Descendit autem de Iacob, qui fuit filius Isaac, unde Numeri uicesimo quarto: *de Iacob erit qui dominetur*. Vnde Isaie sexagesimo quinto: *educam de Iacob semen*, etcetera. Et Luce primo: *regnabit in domo Iacob*. Item non solum illi promittitur filius, sed uirgo mater illius, unde: *oriatur stella ex Iacob et consurget uirga de Israhel*, etcetera.

185 Si dices: non esset melius quod exiret de Esau, qui fuit primogenitus? Dicendum quod non, nam Esau fuit malus, unde: *Iacob dilexi et Esau odio habui*, Malachie primo et ad Romanos nono. Item ex quo Abraham constitutus fuit pater multarum gentium, noluit Christus exire ex aliquo primogenito, ut ostenderet quod Abraham non fuit dictus pater secundum carnem, sed secundum fidem. Ideo dicebat Christus iudeis se iactantibus, quia erant filii Abrahe, dixit: *si filii Abrahe essetis, opera Abrahe faceretis*, Iohannis octauo. Item ut ostenderet se esse primogenitum, ut dicit Romanos octauo: *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Item: *primogenitus omnis creature*, ad Colossenses primo. Item Apocalypsis primo: *primogenitus mortuorum et princeps regum terre*. Et sicut licet esse unigenitus, dixit illum primogenitum, Matthei primo: *peperit filium suum primogenitum*, nam nunquam alium peperit.

195 Item exiuit de Iuda, qui fuit excellentior tribus. Nam in ingressus Maris Rubri nunquam aliqua tribus uoluit intrare, donec primo intraret Iudas, unde Psalmi centesimo decimo tertio: *in exitu Israhel de Egipto domus Iacob de populo*, etcetera, *facta est Iudea sanctificatio eius*. Et sic illi tribui data fuit gratia et priuilegium, ut ex illa essent reges. Et sic in benedictionibus filiorum Iacob, Genesis quadragesimo nono habetur: *non auferetur sceptrum de Iuda nec dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est et ipse erit expectatio gentium*. Item Isaie sexagesimo quinto quando dicit: *educam de Iacob semen –dicit dominus– et de Iuda possidentem montes meos*. Et sic patet quod exiuit de excellenti populo et etiam de nobilissima tribu, scilicet: de Iuda.

200 Exiuit autem per Phares et non per Zaram. Nam hic Zaram, qui extendit brachium et coccinum ligatum posuit, significabat Adam, qui per manum effudit sanguinem mundi. Igitur non de isto, sed de Phares, qui est diuisio. Nam dicit Christus: *ignem ueni mittere uel gladium*, etcetera.

205 Item geniti fuerunt ante ingressum in Egiptum, qui postea cum patre intrarunt, etcetera. Sed in Egipto: *genuit Phares Esrom, Esrom Aram, Aram Aminadab, Aminadab Naasson*. Tunc Moses duxit eos et tunc Naasson fuit dux cum Mose in tribu Iuda per desertum. Et in deserto genuit Salmon et iste fuit princeps in Iuda, qui cum Iosue in terram promissionis intrauit, et iste *Salmon in terra promissionis genuit Booz de Raab. Booz genuit Obeth et Ruth*. Nam ut dicit Nicholaus de Lyra, Booz fuit nobilior de ciuitate Bethleem. Et sic patet quod de

---

171: Gn. 21, 12. | 171-172: Gn. 26, 4. | 176-177: Gal. 4, 22-26. | 178-179: Nm. 24, 19. | 179: Is. 65, 9. | 180: Lc. 1, 33. | 181: cf. Nm. 24, 17. | 183: cf. Mal. 1, 2-3; Rm. 9, 13. | 187: Io. 8, 39. | 188-189: Rm. 8, 29. | 189: Col. 1, 13. | 190: Apc. 1, 5. | 191: Mt. 1, 25. | 194: Ps. 113, 1-2. | 196-197: Gn. 49, 10. | 198: Is. 65, 9. | 202: cf. Lc. 12, 49. | 205: cf. Mt. 1, 3-4. | 208: cf. Mt. 1, 5.



210 nobilissimis exiuit, nam Obeth fuit auus Dauid et pater Iesse. Tertia etiam exiuit de nobilissima familia et domo ipsius tribus, scilicet: de familia Iesse et de domo Dauid, unde Isaie undecimo: *egredietur uirga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet*. Et sic: «Maria est uirga, Christus est flos», ut dicit Augustinus. Sicut autem Christus fuit promissus ipsi Abrahe, sic etiam fuit promissus ipsi Dauid, unde Psalmi centesimo tricesimo primo: *iurauit dominus Dauid ueritatem*, etcetera, *de fructu uentris tui ponam super sedem tuam*. Et sic non solum Christum illi promisit exiturum ex semine suo, et sic dixit: “de fructu uentris tui”. Clarum est quod Dauid non erat pariturus illum, sed mulier ex Dauid, ad insinuandum quod non haberet patrem in terra. Et licet esse ex Salomone uenturus, ut insinuaret quod non erat ipse Salomon, dicit secundo Regum septimo: *suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo*. Et sic dicit: “post te”. Salomon etiam in uita patris incepit regnare et iterum dicit quod: “erit de utero tuo”, scilicet: de una uirgine sine uiro, etcetera. Item Hieremie uicesimo tertio: *suscitabo Dauid germen iustum regnabit rex et sapiens erit*, etcetera. Ideo sicut germen non est nec fit per coniunctionem maris et femine, sed ex sola terra uirtute diuina, sic Christus a Deo et ex sola terra uirginis Marie, de qua Psalmi sexagesimo sexto: *terra nostra dedit fructum suum*, etcetera. Et sic habemus quod fuit de excellenti populo, de excellenti tribu et de excellenti familia.

Si queris: quare Mattheus et Lucas non numerant generationem Marie, sed sui sponsi Ioseph? Dicendum quod ratio est ista, quod consuetudo erat in ueteri lege nunquam numerare generationem mulierum. Et sic quando Exodi duodecimo numerat populus qui egressus fuit de Egipto, non numeratur mulieres. Item quando populus Dei precepto numeratur, Numeri sexto, non fit mentio de mulieribus. Item quando Dauid populum numerauit, secundo Regum uicesimo quarto, non fit mentio de mulieribus.

Si dicis: qualiter igitur cognoscebatur de quo generatione esse mulier? Dicendum quod quando erant in domo patris, ex suo patre cognoscebantur, quando autem in domo mariti, ex marito uel sponso. Nam preceptum erat, Numeri tricesimo sexto, quod nullus duceret mulierem nisi de propria tribu et familia, ne hereditates confunderentur. Igitur si ex parentela uel familia erat sponsus, ex illo poterat genealogia mulieris cognosci. Est uerum quod tribus Iuda, ex qua reges creabantur et tribus, ex qua erant sacerdotes, iungebantur per matrimonium. Tum quia principaliores erant, tunc etiam quia tribus Leui non habuit hereditatem in terra sancta.

Et si dicitur: quod Bethphage circa Hierusalem dicebatur “uicus sacerdotum”? Dicendum quod erat ad sustinendum gregem templi et erat quid commune episcopi templo et ex illo ducebantur oues et agni ad sacrificandum. Sed hereditatem bonorum immobilium non habebat illa tribus. Et sic poterat iungi cum qualibet tribu, maxima cum Iuda. Et sic Aaron, primus sacerdos, duxit Elisabeth in uxorem, Exodi sexto, *que erat filia Aminadab et soror Naasson*. Clarum est quod Aaron fuit de Leui et Aminadab de Iuda, ut patet Ruth quarto et Matthei primo.

Si dicis: hoc fuit ante illam legem Numeri tricesimo sexto, sed post legem data non sic. Dicendum quod Ioiada, summus sacerdos, et de Leui duxit uxorem Iosabam, filiam regis Ioram, de tribu Iuda, et hoc post legem, sed hoc fuit de generatione regio, ideo de tribu Iuda.

---

212: Is. 11, 1. | 214-215: Ps. 131, 11. | 219: II Sm. 7, 12. | 222: Ier. 23, 5. | 224-225: Ps. 66, 7. | 229: cf. Ex. 12, 37. | 231: cf. Nm. 6. | 232: cf. II Sm. 24, 15. | 235: cf. Nm. 36, 8. | 245-246: Ex. 6, 23. | 246-247: cf. Rt. 4, 18-22; cf. Mt. 1, 3-5.

209: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 5), Mt. 1, 3-5, f. 5v. | 212-213: cf. Aug. Hipp., *De Symb. Ad Cat.*, III, 4, 4. PL 40, 655A.

255 Sed nunc restat dubitatio cum Lucas in capitulo primo dicat quod Elisabeth, mater Iohannis, erat cognata uirginis Marie. Et ipsa Elisabeth, secundum eundem Lucam ibidem, erat de filiabus Aaron, et per consequens de tribu Leui. Quomodo probatur quod uirgo et per consequens Christus fuerit de tribu Iuda et non de tribu Leui? Dicendum quod hoc probatur sic, nam licet Numeri tricesimo sexto habeatur quod quilibet duceret uxorem de tribu sua et familia et ad hoc non obligaretur tribus Leui, cum non haberet sortem nec etiam obligantur, ad hoc illa que in aliquo tribu non haberet sortem bonorum immobilium. Nam Daudid de Iuda duxit uxorem Nichol, filiam Saul, de tribu Beniamin, quia non 260 obligabatur ad illud, cum non haberet hereditatem. Sed ille qui habebat hereditatem non poterat ducere, nisi de tribu et familia sua, ut diximus. Vnde Numeri uicesimo septimo dicitur quod filius haberet hereditatem quando talis haberet filios, sed si non haberet filios, tunc filia heres esset bonorum patris. Sed cum Ioachim esset de tribu Iuda, Anna uero de tribu Leui, cum Maria uirgo esset unica ipsius Ioachim, sequitur quod non posset ducere 265 uirum nisi de Iuda, quia erat heres. Et sic dicit Gregorius Nazanzenus quod hoc fuit dispositione diuina factum, ut Christus simul esset de tribu Iuda et Leui, quia debebat esse rex et sacerdos. Et sic fuit de Iuda ex parte patris et de Leui ex parte matris, ut dicit Augustinus contra Faustum. Et sic fuit de notabili populo, de excellenti tribu et de expectabili familia tribus, scilicet: de Daudid per Iudam et de Isachar per Leui. Sed licet hoc 270 esset, omnes generationes istarum erant in peccato et in nocte ueteris testamenti. Vnde: «sicut spina rosam, genuit Iudea Mariam», unde Cantorum secundo: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Sola natiuitas Marie effudit lumen et sic sola Maria est ista que progreditur quasi aurora. Quo ad primum.

275 Secundo, hoc patet ex causa finali, nam hec generatio uel natiuitas uirginis fuit causa finalis aliarum natiuitatum et causa finalis huius fuit sola natiuitas Christi. Nam ut dicunt doctores, ex quo Eua peccauit, fuit digna ut in nihilum conuerteretur, sed Deus misertus fuit ei prouidens quod ex ipsa Eua erat nascitura quedam femina per natiuitatem, cuius peccatum illud redimeretur, ut Maria. Et sic si ex Eua natus fuit Seth et Delbora, ex quibus sperabatur Maria. Et sic ex Sarra natus Isaac, etcetera, ex quibus sperabatur Maria. Et sic 280 omnes natiuitates fuerunt ordinate ad illam, et sic ipsa finis aliarum. Sed cum finis sit nobilior eorum «que sunt ad finem», sequitur, etcetera.

Item tertio, patet ex causam efficienti, nam licet Deus sit causa efficiens omnium natiuitatum, excellentiori modo fuit huius. Nam Maria nata fuit cum excellentiori gratia quam aliquis nunquam fuit, sed si consideremus cuius hec natiuitas fuit causa efficiens, quia 285 natiuitatis Christi cum «causa et effectus debeant proportionari», sequitur quod hec fuit excellens natiuitas, quia causa ineffabilis natiuitatis Christi fuit eius natiuitas. Cum hec uirgo peperit solem iustitie, sicut ipse ea mediante totum mundum illuminauit, sic, mediante ipsa, omnes peccatores nunc illuminantur et diriguntur et, ea mediante, hic recipiunt gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

252: cf. Lc. 1, 36; 1, 5. | 256: cf. Nm. 36, 8. | 261: cf. Nm. 27, 8. | 271-272: Ct. 2, 2. | 272-273: cf. Ct. 6, 9.

265: cf. Gre. Naz., *Carm.*, I, 18. PG 37, 480Dsq. | 268: cf. Aug. Hipp., *Con. Fau. Man.*, XXIII, 9. PL 42, 472A. | 271: cf. Fulb., *Hymn.*, XI. PL 141, 345A. | 281: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, III, 4, 11b27, p. 183; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 13, a. 3, p. 95. | 285: cf. Arist. Lat., *Phys.*, IV, 4, 211a1, p. 145; cf. Th. Aq., *Con. Gent.* (vol. 15), lib. 4, c. 87, p. 276.

SERMO CENTESIMVS DVODECIMVS IN DOMINICA DECIMA QVINTA POST PENTHECOSTES

<THEMA> *Tibi dico: "surge"*, Luce septimo.

Originaliter recitatie autem in euangelio dominice presentis.

5 Sententia est Philosophi in libro Predicamentorum, quod tanta est inimicitia inter  
 contraria quod ubi unum est, aliud esse non potest, sed dicit quod: «mutuo se expellunt». Exemplum: frigiditas expellit calorem et econuerso; quod est maioris uirtutis expellit alius. Sic etiam tenebra expellitur a luce et adueniente luce cedit tenebra et recedente luce remanet camera tenebrosa. Sic in spiritualibus peccatum et gratia sunt contraria, ut dicunt doctores et sanctus Thomas Questionibus De Veritate, questione uicesima septima, primo.  
 10 Et adueniente gratia cedit tenebra peccati, nam ut dicit Augustinus: «gratia est lux decorans animam et habilitans illam ad bene operandum». Et sicut sol, ex quo ascendit horizontem nostrum et tendit supera hemispherium nostrum, semper illuminat, unde Matthei quinto: *qui solem suum facit oriri super bonos et malos*, et ille non illuminatur qui claudit fenestram aut non uult aperire ipsam, sic Deus semper dat gratiam. Et solum ille non recipit eam, qui  
 15 impedimentum non tollit per peccatum obmissionis aut impedimentum ponit per peccatum commissionis. Et sic dicit sanctus Thomas in tertio Contra Gentiles, capitulo centesimo quinquagesimo nono. Sed cum uirgo Maria fuerit magis preparata ad recipiendum gratiam et magis separata ab omni impedimento gratie, sequitur quod ipsa maiorem gratiam habuerit quam aliqua pura creatura, quod dico propter animam Christi gloriosam, que  
 20 ratione unionis ad Deum nulla ad ipsam est comparatio, sed uirgo Maria recepit maiorem gratiam quam angeli et sancti omnes. Et licet omnes lapides qui sunt in superficie terre illuminentur a sole, lapis christalli aut carbunculi perfectius recipient lumen ratione maioris dispositionis et diaphanitatis. Sic uirgo Maria, quia maiorem puritatem habuit quam angeli et sancti, igitur, etcetera. Item magis separata ab omni impedimento receptionis gratie, quod  
 25 probatur nam impedimentum gratie (ut diximus) est peccatum. Et sic sunt tria impedimenta, sicut sunt tres species peccatorum, scilicet: originale, mortale et ueniale. Sed uirgo Maria fuit magis separata ab omnibus his, igitur, etcetera.

Primo, patet de peccato originali, quod est quasi naturale consequens totam naturam humanam, quia dicitur "languor nature", ut dicit sanctus Thomas in secundo, distinctione  
 30 tertia. Et sic in Adam tota natura fuit uulnerata et confracta, nam Deus in principio conditionis humane fecit duo uasa pulchra, scilicet: Adam et Euam. Erant lucida sicut uas uitreum, recepit lumen integrum, sed confractum in partes minutas non potest recipere lumen. Sic in proposito, ista duo uasa erant lucida per lumen gratie, nam fuerunt in gratia creata secundum communem opinionem. Sed uas Eue, sicut fuit factum ad hoc ut esset  
 35 medium ad producendam naturam humanam cum iustitia originali, que erat gratia, aut non sine illa, ut dicit sanctus Thomas, sed obediendo demoni et peccato fuit fractum et illud confractum fuit medium ut Adam frangeretur et per consequens nullum uas fuit integrum in natura humana. Ideo dicebat Dauid, Psalmi tricesimo: *factus sum tamquam uas perditum*, etcetera. Item Ecclesiastici uicesimo primo: *cor fatui*, id est, peccatoris, *tamquam uas confractum*  
 40 *fuit*. Igitur conueniens ne tota humana natura frustraretur quod alia duo uasa fierent, et primo illud mulieris, quo mediante uas uiri erat producendum. Et hoc desiderabat Salomon dicens Prouerbiorum uicesimo quinto: *aufer rubiginem de argento et egredietur uas purissimum*,

2: Lc. 7, 14. | 13: Mt. 5, 45. | 38: Ps. 30, 13. | 39-40: Sir. 21, 17. | 42: Prv. 25, 4.

5: cf. Arist. Lat., *Met.*, X, 4, 1055a5-33, pp. 192-193; cf. Dun. Scot., *Qu. Sup. Prae.*, q. 14, 2, p. 382. | 9: cf. Th. Aq., *Qu. De Ver.* (vol. 2), q. 27, a. 1, p. 791. | 10-11: cf. Aug. Hipp., *De Nat. Et Gra.*, XXVII, 31. PL 44, 262BC. | 16: cf. Th. Aq., *Con. Gent.* (vol. 14), lib. 3, c. 159, p. 465. | 29: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 4), lib. 2, dist. 30, p. 500. | 36: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2) I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 85, a. 5, p. 556.

scilicet: uirginis Marie. Nam in sacra scriptura corpus uirginis comparatur argento et corpus Christi auro purissimo. Nam sicut argentum excellit omnia alia metalla, preter aurum, sic uirgo Maria omnes sanctos, preter Christum. Vnde de illo pretioso corpore dicitur  
 45 Ecclesiastici quinquagesimo: *quasi uas auri solidum ornatum omni lapide pretioso*. Quia: *in illo fuerunt omnes thesauri sapientie et scientie Dei absconditi*, ad Colossenses secundo. Nam in Christo fuit omnis plenitudo gratie *non ad mensuram*, Iohannis tertio. Et sic Salomon petebat quod illud uas uirginis et secunde mulieris fieret ex argento purissimo sine peccato. Declarauit  
 50 enim in fine Prouerbiorum, de quo uas loquebatur, quomodo dixit: *mulierem fortem quis inueniet*, etcetera? Et sic ex eadem massa factum fuit aliud uas mulieris, scilicet: Maria uirgo. Hoc fuit ostensum Hieremia quando dixit illi dominus, Hieremie decimo octauo: *quod factum est ad Hieremiam a domino dicens: "surge et descende in domum figuli, ubi audies uerba mea", et descendi in domum figuli et ecce ipse faciebat opus super rotam et dissipatum est uas quod ipse faciebat e*  
 55 *luto manibus suis conuersusque fecit illud uas alterum, sicut placuerat in oculis eius, ut faceret, et factum est uerbum domini ad me dicens: "numquid sicut figulus iste non potero uobis facere domus Israhel –ait dominus–, etcetera?"* Et sic fracto uase Eue, fecit dominus aliud uas Marie ex eadem massa, sed melius purificata. Nam sicut artifex, qui facit uitrum ex eadem massa ex qua fecit uas unum, magis illam purificando facit aliud uas purissimum christallinum, sic fecit uirginem ipsa trinitas, etcetera. Nam artifex uitri accipit tubam in manu et dum uas aliquod est  
 60 confractum sumit illam materiam et ponit in fornacem et iterum cum tuba accipit eandem massam et mittendo spiritum per tubam facit aliud uas. Sic in proposito, artifex est Deus pater, tuba procedens a patre per filium, scilicet: per tubam, est spiritus sanctus. Hoc idem est quod dicit Dauid in Psalmo tricesimo secundo: *uerbo domini celi firmati sunt et spiritu oris eius omnis uirtus eorum*. Et sic a sancta trinitate factum fuit uas uirginis, de quo habetur Ecclesiastici quadragesimo tertio: *uas admirabile opus excelsi*, etcetera. Et fuit uas christallinum, quia ad recipiendum Christum.

Sed dices: quomodo ex eadem massa Ade fuit factum purum, cum tota massa fuerit in eo infecta, etcetera? Dicendum quod illa partiuncula corporis uirginis fuerit a Deo  
 70 preseruata et non infecta, nam si hoc potest facere homo purus, a fortiori omnipotens Deus. Verbi gratia: homo astrologus, qui ex principiis naturalibus cognosceret et preuideret quod in hieme uentura speraretur magnum frigus et uellet in horto suo plantare quandam arborem, antequam plantaret iam preuiderat quod omnes rami arboris erant comburendi a gelu frigoris, ille cooperiret gemmam unam aliquo coopertorio. Et sic illa gemma esset ab  
 75 eo ante plantationem arboris preseruata et illa faceret uirgam germinis et illa uirga florem et ex illo fructu per insertionem essent multe arbores uiuificate, etcetera, sic in proposito. Et hoc est sic, quia Adam fuit arbor nature humane et mortuus fuit per frigus peccati originalis, sed a Deo illa gemma uirginis fuit preseruata et creuit in uirgam et ex illa flos, etcetera. Hoc dicit Isaias capitulo undecimo: *egredietur uirga de radice Iesse et flos*, etcetera. Vnde canit ecclesia: «uirgo est uirga, Christus est flos», etcetera. Nam descendit fructus, de quo dicit Elisabeth: *benedictus fructus uentris tui*, Luce primo. Et sic patet quod uirgo Maria fuit a peccato originali preseruata, quod est primum impedimentum gratie post peccatum Ade.

Secundum impedimentum est peccatum mortale. Et hoc non consequitur totam naturam, sed solum personam. Et per hoc non frangitur uas, sed maculatur, ut lumen gratie  
 85 non recipiat. Exemplum: quando in uase uitreo, quod ante erat diaphanum et lucidum, si in illo ponatur incaustum nigrum, recipit in se maculam, sic quod lumen clarum recipere non potest. Sic quando anima peccat mortaliter contrahit maculam perdendo nitorem gratie. Hanc maculam peccati mortalis nunquam uirgo Maria habuit, unde Salomon in persona

46: Sir. 50, 10. | 46-47: Col. 2, 3. | 48: cf. Io. 3, 34. | 50-51: Prv. 31, 10. | 52-57: Ier. 18, 1-6. | 64-65: Ps. 32, 6. | 66: Sir. 43, 2. | 79: Is. 11, 1. | 81: Lc. 1, 42.

80: cf. Aug. Hipp., *De Symb. Ad Cat.*, III, 4, 4. PL. 40, 655A.

90 sponsi dicit, Canticorum quarto capitulo: *tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*. Nam frustra esset preseruata a peccato originali, si incideret in mortale et macularetur. Nam ad hoc fuit facta purissima, ut in se reciperet lumen increatam, scilicet: filium Dei, de quo dicit ecclesia: «lumen de lumine, Deum uero de Deo uero», etcetera. Ideo dicitur Sapientie septimo quod: *est candor lucis eterne et speculum sine macula*, etcetera. Nam Sapientie primo  
95 capitulo: *in animam maliuolam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Vnde Augustinus in sermone dicit: «lacta Maria creatorem tuum, etcetera, lacta eum qui fecit te et talem fecit te, ut ipse fieret in te», etcetera.

Tertium impedimentum est peccatum ueniale, et hoc non frangit uas nec ponit in anima maculam, sed occupando animam uenit contra feruorem charitatis. Nam sine peccato originali feruentius tendit anima in Deum, ut patet in olla feruenti quando aqua ascendit,  
100 ponendo guttam aque in illa non ascendit in altum nec feruet. Et sic peccatum ueniale non tollit lumen gratie, sed impedit. Exemplum in pomo uitreo quod habent mercatores in studio suo, in quo sunt animalia et arbores, etcetera. Clarum est quod illud uas non est fractum nec habet macula in se, sed est lucidum, sed habet occupationem terrenorum, etcetera. Sed hoc non habuit uirgo Maria, nam meruit in quolibet actu, in quo alii peccant  
105 aliquando uenialiter, ut in comedendo, bibendo, etcetera.

Sed dices contra: quia Aristoteles dicit quod: «ex his que a natura insunt nec laudamur nec uituperamur, sed talia sunt naturalia nobis», igitur, etcetera. Dicendum quod non merebatur illis in quantum naturalia, sed in quantum limitata per rationem informata charitate et gratia. Exemplum: bibere prohibetur infirmo, sed medicus dat illi potionem  
110 secundum rationem limitatam, et in illa est mixtura casie aut reobarbari, et sic confert sanitati. Sic ista naturalia.

Sed in uirgine erat talis limitatio, nam illa nunquam bolum superfluum comedit nec bibit guttam aque superfluum. Nam sacerdos ieiunans, si non potest in principio noctis dormire, ut disponatur ad surgendum ad matutinum, facit modicam collationem in cibo et potu.  
115 Dico quod non solum uenialiter non peccat, sed in illo meretur. Nam: «moralia sumunt speciem a fine», etcetera. Vnde Apostolus prima Corinthiis decimo dicit: *sine manducatis sine bibitis uel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Sic fecit uirgo Maria: omnia dirigebat in gloriam Dei. Igitur si in actibus in quibus alii, ut plurimum peccant uenialiter, ista merebatur, cum plus sit mereri quam non peccare, igitur, etcetera. Igitur, si uirgo Maria fuit  
120 purior cunctis aliis creaturis et fuit magis separata ab impedimentis receptionis gratie, sequitur quod maiorem gratiam recepit, non solum personalem, sed fuit media ad impetrandum gratiam uniuerso mundo. Nam Deus est dator principalis gratie, uirgo uero agens instrumentale, cum sit magis conformis Deo.

Sed dices contra: quia Damascenus dicit quod humanitas Christi est instrumentum diuinitatis. Respondeo quod uerum est, sed instrumentum est duplex, scilicet: coniunctum et separatum. Christus quo ad humanitatem est instrumentum coniunctum in unitate  
125 suppositi, sed uirgo Maria instrumentum separatum. Exemplum: primum principium inscribendo est intellectus; instrumentum coniunctum est manus uel brachium; sed separatum est calamus. Sic primus est Deus. Brachium est Christus, unde Psalmi centesimo

89: Ct. 4, 7. | 93: Sap. 7, 26. | 94: Sap. 1, 4. | 116-117: I Cor. 10, 31.

92: cf. *Missa latina*. PL 138, 1321D. | 95-96: Augustinus] *Auctor err.* cf. Pseu. Max. Tau., *Serm.*, XII. PL 57, 867CD. | 106-107: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, II, 4, 05b31, p. 169; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 125, a. 1, p. 754. | 115-116: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 60, a. 1, p. 372. | 124: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, III, 26-27. PG 94, 1094B-1098B; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 62, a. 5, p. 481-482.

110: Casie aut reobarbari] X cassie aut reubarbari.

130 decimo septimo: *dextera domini fecit uirtutem*, etcetera. Et: *brachium domini cui reuelatum est?* Isaie quinquagesimo tertio. Sed calamus fuit uirgo Maria quando consentit dicendo: *ecce ancilla domini, fiat*, etcetera. Vnde ipsa dicit, Psalmi quadragesimo quarto: *lingua mea calamus scribe uelociter scribentis*, scilicet: spiritus sancti, qui scripsit prouisionem omnium gratiarum pro toto mundo. Sicut igitur Christus fuit medium et *mediator Dei et hominum*, sic uirgo Maria

135 mediatrix inter Christum et mundum. Patet, nam medium debet sapere naturam extremorum, scilicet: conuenire cum utroque extremorum. Sic fecit uirgo Maria, nam Christus nec peccauit nec peccare potuit; mundus peccare potuit et peccauit; uirgo Maria potuit peccare, sed non peccauit. Igitur conuenit cum mundo in posse peccare et conuenit cum Christo in non peccando. Igitur sola ipsa fuit aperta ad mediandum pro uniuerso

140 mundo, et hoc significauit Dauid in Psalmo quadragesimo quarto, quando dixit: *astitit regina a dextris tuis in uestitu deaurato circumdata uarietate*. Dicit:

primo, quod hec regina circa regem astabat non prostrata nec sedendo, sed erecta sine peccato.

Secundo, dicit quod “in uestitu deaurato” in gratie plenitudine quo ad personam.

145 Tertio, dicit “circumdata uarietate” omnium nationum, quia mediatrix omnium conferendo gratiam. Vnde Bernardus in sermone dicit ad beatam uirginem: «sicut ad medium, sicut ad arcanum Dei, sicut ad negotium seculorum respiciunt, et qui in celis sunt et qui in inferno habitant et quos precesserunt et nos qui sumus», etcetera. Item idem in sermone dicit: «sicut a te despectus et auersus necesse est quod pereat, sic ad te reuersus et

150 a te respectus impossibile est quod pereat». Igitur si solum saluatur qui hanc querit et supplicat, queramus igitur gratiam, sed per inuentricem gratie Mariam, sed credo quod ipsa dicet: “ego recepi gratiam non prostrata in peccato. Ego astiti erecta”. Igitur si tu peccator uel peccatrix uis gratiam recipere, *tibi dico: “surge”*. Ad hanc igitur in principio, etcetera.

<THEMA> *Tibi dico: surge*, ubi supra.

155 Due erunt partes in presenti sermone. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda sancti euangelii expositiua. Et quia Christus in uerbis thematis hortatur nos ut a peccato surgamus, uidebimus quod est iustissimum a peccato surgere propter tres rationes. Prima ex parte Dei; secunda ex parte proximi; tertia ex parte nostra.

160 Primo, patet nam quilibet laborat non habere regem inimicum, sed quod sit in amore eius, a fortiori Deum et dominum omnium, qui omnia diligit, unde: *nihil odisti eorum que fecisti*, Sapientie undecimo. Solum adheret peccatum, quod ipse non fecit cum sit nihil, unde Sapientie decimo quarto: *abominabilis est Deo impius et impietas eius*. Igitur Deus solum odit peccatores propter peccatum, unde Psalmi quinto: *odisti omnes qui operantur iniquitatem*, etcetera. Igitur tanto magis debemus laborare non habere hunc regem odiosum quanto

165 differt a terreno rege, quia rex huius mundi forte nunquam uidebit nos nec habemus aliquid ab eo. Sed Deus creauit nos, gubernauit et cotidie conseruat nos, qui in nihilum tenderemus. Hic rex terrenus ignorat in quantis ipsum offendimus, sed Deus scit omnia et cogitationes nostras, unde Psalmi septimo: *scrutans corda et renes Deus*. Item hic rex terrenus indiget multis et sic tollerat offensas, quia qui eum hodie offendit, cras poterit illi seruire,

170 sed Deus nullo indiget, unde Psalmi decimo quinto: *dixi domino: “Deus meus es tu, quoniam*

130: Ps. 117, 16. | Is. 53, 1. | 131-132: cf. Lc. 1, 38. | 132-133: Ps. 44, 2. | 134: cf. I Tim. 2, 5. | 140-141: Ps. 44, 10. | 153-154: cf. Lc. 7, 14. | 160-161: Sap. 11, 25. | 162: Sap. 14, 9. | 163: Ps. 5, 7. | 168: Ps. 7, 10.

146-148: Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328A. | 149-150: cf. MF. Ans., *Orat.*, LII. PL 158, 956C.

155: Sermone] M *omm*.

*bonorum meorum non eges*”. Item possumus fugere regem terrenum, sed non Deum, unde Psalmi centesimo tricesimo octauo: *quo ibo a spiritu tuo et quo*, etcetera. *Si ascendero ad celum, tu illic es*. Igitur debemus fugere peccatum ne Deum offendamus.

175 Secundo, hoc debemus ratione proximi, nam proximus noster est quilibet angelus bonus, quilibet sanctus et quilibet homo, ut dicit sanctus Thomas super epistola ad Romanos decimo tertio capitulo.

180 Primo, igitur debemus surgere a peccato ratione angelorum, nam gaudent de penitentia peccatoris, unde: *gaudium est angelis super uno peccatore penitentiam agente*, Luce decimo quinto. Item defraudantur a premio accidentali, unde Augustinus in Soliloquio dicit: «quotiens bene agimus, gaudent angeli et tristantur demones. Si peccamus, diabolus letificamus et angelum suo gaudio defraudamus».

185 Secundo, ratione sanctorum, nam peccando et non surgendo a peccato sanctos iniuramus, quia frustrantur orationes eorum et quodam modo minuitur gloria accidentalis eorum. Quia tantum gaudent de gloria proximi sicut de sua, et aliquando plus si maior est gloria alterius.

190 Tertio, ratione uiatoris, nam dum existis in peccato, frustratur tuis orationibus, que tunc non sunt Deo accepte et essent accepte si surgere a peccato. Item punitur pro te in bonis, in uita, etcetera. Patet hoc in siccitate, in tempestate, in mortalitate, etcetera. Sicut tota terra maledicta fuit in peccato Ade, sic aliqua ciuitas uel prouincia propter peccata, maxime publica, unde dicit Salomon, Prouerbiorum decimo quarto: *miseros facit populos peccatum*. Patet in diluuiio, patet in Sodoma, etcetera.

Tertio, hoc debet quis facere propter seipsum, nam incurrit tria mala propter peccatum, scilicet: maculam, infirmitatem et reatum pene.

195 Primo, enim anima, que est facta ad imaginem Dei et est lucida per gratiam, maculatur per priuationem gratie in peccato existens.

Secundo, infirmatur in corpore per luxuriam, per iram, per gulam, etcetera. Item in anima, primo in intellectu, in quo erat prudentia, est per peccatum ignorantia; in uoluntate, in qua erat iustitia, est malitia; in irascibili, in qua erat fortitudo ad resistendum, est infirmitas et debilitas; in concupiscibili, in qua erat temperantia, est intemperantia.

200 Tertio, incurrit peccator reatum pene. Et sicut in peccato erant duo, scilicet: auersio a Deo; secundo, conuersio ad bonum commutabile et transitorium; quo ad primum habet priuationem uisionis diuine essentie; quo ad secundum habet penam eternam inferni.

205 Sed dices: quomodo pro peccato temporali datur pena eterna, cum *Deus sit iudex iustus*, Psalmi septimo. Dico quod recte hoc fit, quia offensa mensuratur secundum personam offensam. Sed Deus est infinitus et eternus, igitur meretur peccator penam eternam. Secundo, dico quod hoc fit cum maxima iustitia, nam sicut se habet premium ad meritum, sic culpa ad penam. Sed per unum actum uirtutis acquiritur uita eterna, igitur per alium

---

170-171: Ps. 15, 2. | 172-173: Ps. 138, 7-8. | 178: Lc. 15, 7. | 190: Prv. 14, 34. | 203: Ps. 7, 12.

175: cf. Th. Aq., *Sup. Rm.*, XIII, 2, p. 840. | 179-181: Aug. Hipp., *Sol.*, 27. PL 40, 885D. | 208: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XXI, 12. PL 41, 726D-727A.

190: Decimo quarto] M, X quarto.

peccati pena eterna. Hoc idem fit in mundo, ut dicit Augustinus De Ciuitate Dei. Nam pro peccato temporali furti qualificati priuatur quis uita eternaliter, igitur, etcetera.

210 Sed dices: Deus est multum misericors, igitur debet uti misericordia. Dicendum quod est misericors quod, si peccator peteret ueniam, ille indulgeret, sed uita presens erat data ad miserendum. Vnde: *in die mandauit dominus misericordiam, etcetera*, Psalmi quadragesimo primo. Igitur si peccator semper est in culpa, igitur iustum est quod semper sit in pena. Ideo dicit Gregorius: «momentaneum est quod delectat, sed eternum est quod cruciat». Propter  
215 pericula peccati, Augustinus De Verbis Domini dicit quod «audacior est qui cum uno peccato mortali dormit quam qui cum septem hostibus». Nam illi solum uitam temporalem possunt tollere, sed peccatum uitam eternam. Considera quot sunt pericula subite mortis, igitur si existendo in peccato tot bona perdis et tot mala incurris. Ergo *tibi dico: “surge”*. Quo ad primum.

220 Secunda pars euangelii, in qua dicit Lucas quod postquam Christus sanauerat in Capharnaum seruum centurionis uoluit uisitare ciuitatem Naym, que est ciuitas Galilee ad duas dietas de Hierusalem et duas leucas de Nazareth, ad duo miliaria de monte Thabor sita in latere montis Hermon, circa uillam Endor: *et ibant cum Iesu discipuli eius et turba maxima* que crediderat in Capharnaum propter miraculum factum: *cum appropinquaret porte ciuitatis, ecce,*  
225 *etcetera, erat filius uidue*. Nam antequam intraret ciuitatem permisit Deus quod moreretur filius uidue nobilis et diuitis, ut melius crederet ciuitas. Dum autem appropinquaret porte ciuitatis uidens uiduam, cuius maritus olim obierat et filius unicus mortuus fuerat, quem in locum uiri habebat. Dum autem fleret ad preces discipulorum, ut fecit cananee, misericordia motus dicit: *uidue, noli flere*, et suscitauit filium et reddidit illi uiuum. Viso  
230 miraculo, dicit Lucas quod *accepit omnes timor et magnificabant Deum dicentes: “quia propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus uisitauit plebem suam”*. Spiritualiter hec dicit Hieronymus, quod Naym dicitur “commotus” uel “fluctus” aut “fluctuans” uel “commouens”.

Et sic potest hec ciuitas interpretari aut passiuie aut actiue, et in utraque significatione conuenit ciuitati Cesaraguste passiuie. In ea est commotio, quia cotidie in armis posita;  
235 cotidie gladio uulnerati et mortui, ut potest uideri in nostro hospitali. Est etiam actiue commouens alias ciuitates, quia ad eius exemplum gubernantur et reguntur. Igitur si male est recta et gubernata, sic alie huius regni. Si bene, econuerso. Vidua erat ipsa congregatio ciuium ipsam regentium, nam aliquando nomen ciuitatis sumitur pro ambitu mororum, aliquando pro numero et corpore rectorum. Et sic dicimus quod in porta ciuitatis, ipsa  
240 ciuitas dedit clauis domino regi. Erat hec ciuitas Cesaraguste uidua, quia olim mortuus fuerat maritus eius senex, quando ciues anciani audebant mori pro libertate et pro iustitia; apprehendebant arma ad tuitionem et defensionem uiduarum et pupillorum, remanserat regimen iuuenum et mortuum fuerat, etcetera. Hoc idem dicebat Hieremias, Trenorum primo, dicens: *quomodo sedet sola ciuitas plena populo! Facta est quasi uidua domina gentium,*  
245 *etcetera*. Verissime hoc potest dici nunc de hac ciuitate: mortuus fuit filius uidue antequam Christus ueniret ad ciuitatem, quia mortuus fuit iuratus, qui fuerat principalis et capitis. Et sic multi alii ciues postquam uisitauerat Capharnaum, quod interpretatur “ager pinguedinis”, scilicet: regnum Nauarre uel “ciuitas consolationis”, scilicet: ciuitatem Tutelle, uenit ad Naym, id est, ut uisitare Cesaragustam. Veniebant cum eo discipuli et turba plurimam.  
250 Cum autem appropinquaret porte ciuitatis, scilicet: ad portellum, uidens turbam maximam cum uidua ciuitate plorantem, tunc inter apostolos orauit Iacobus, consanguineus Christi, pro ciuitate dicendo: “o domine, hec est ciuitas in qua ego plures

212: Ps. 41, 9. | 218: cf. Lc. 7, 14. | 220-231: cf. Lc. 7, 10-16. | 244: Lam. 1, 1.

214: cf. Gre. Mag., *Mor.*, XIV, 10, 12. *PL* 75, 1046A; cf. Th. Aq., *Qu. De Mal.*, q. 1, a. 5, 15, p. 23. | 215-216: Augustinus] *NI*. cf. Vinc. Beau., *Spec. Mor.*, I, 27, 1, p. 96. | 231: cf. Hier., *Ep.*, XXI, 8. *PL* 22, 383C.



255 conuerti quam in tota prouincia; supplico ut illis miserearis”. Tunc turba plurima martyrum, que cum illo ueniebat dixit quod hec erat ciuitas irrigata sanguine ciuium. Orabat igitur quod daret illis misericordiam. Vltimo orauit mater ante faciem, cuius processio faciebant, et dixit: “o fili charissime, hec est ciuitas quam ego ante mortem in proprio corpore uisitauit, in qua ecclesiam primam post illam que in monte Sion sita est fieri precepi. Hec est illa ecclesia in qua mihi et tibi orationes deuotissime cotidie presentantur. Oro igitur in stantissime, ut des illis tempus penitentie et cesset iam ira tua pro presenti”.

260 Et sic Christus misericordia motus dixit uidue ciuitati: “noli flere mortuos, sed conforma uoluntatem tuam cum mea, que est diuina. Ego scio tempus dispositum. Item mee erant anime iste, quod meum est accepi, ipsi debebant hoc tributum, quia: *statutum est hominibus semel mori*. Ideo soluerunt quod debebant, etcetera. Item orant pro te sicut martyres, quia omnes quasi fuerunt pueri ante peccatum, sed potius debemus flere peccata nostra propter  
265 que ista euenerunt. Considera peccatum superbie, quia in hac ciuitate pauperes erunt nudi et spoliati et pompa mulierum infinita in auro et argento in uestibus de grana et serico, nunc tota ciuitas plena de pannis lutei. Considera peccatum auaritie: pauperes pereunt fame et in horreis perditur triticum. Fuit contractus usurarii non solum contractus, sed tractus damnati. Considera peccatum luxurie inuerecunde perpetratum in religionibus, in nuptiis, in  
270 domicellis, etiam in puellis in octo annorum, ut sunt plures in nostro hospitali. Considera inuidiam ciuium inter se. Nulla est uirtus, nulla est charitas. Deus autem habuit misericordiam de nobis, ut emendemus uitam nostram, ut peniteamus de preteritis et caueamus a futuris. Et in hoc maxime misericorditer se habuit, quia accepit omnes timor, Deus pater immisit timorem in cordibus nostris, ut fugeremus a tam crudeli pena, nam  
275 aliquos castigauit interficiendo et alios peregrinando, etcetera”.

Et sicut illi magnificabant Deum, quia prophetam misereat et uisitauerat plebem suam, sic nos debemus gratias immensas dare, quia cautiores nos reddidit in uita et dedit tempus nobis penitendi in hac uisitatione huius ciuitatis. Et sic si penitemus de peccatis factis et emendamus uitam nostram, in melius dabit nobis hic gratiam et in futuro gloriam, quam  
280 nobis concedat, etcetera. Amen.

---

262-263: cf. Hbr. 9, 27.

## SERMO CENTESIMVS DECIMVS TERTIVS IN DIE SANCTORVM COSME ET DAMIANI

<THEMA> *Dedit eis potestatem curandi infirmitates, Marci tertio.*

Originaliter, etcetera.

5 Tria requiruntur ad curationem infirmitatum. Primum est habere habitum medicandi; secundum habere medicinas; tertium tollere impedimenta que obstant sanitati.

Primum est habere scientiam, secundum quam scit regulas curandi, nam si illam non habet non poterit bene curare.

10 Secundum est habere materialia que infirmo debent applicari, nam si illas medicinas non habet, licet sciat regulas, non curabit. Ideo dicit medicus: “si haberemus talem uel talem herbam, ego curarem hunc morbum”, etcetera.

Tertium est scire remouere impedimenta, nam si hoc non scit, etiam non curabit, uerbi gratia: licet aliquis sciat curare uulnus sagitte alicuius, si habet ferrum in corpore et nescit extrahere illud, nec poterit curare. Et sic qui ista tria habet erit bonus medicus et quanto perfectius hec tria habebit tanto perfectius medicabit.

15 Sed cum uirgo Maria hec tria habuerit super omnes sanctos et sanctas, sequitur quod ipsa perfectius habuerit gratiam et potestatem curandi? Dico igitur quod uirgo habuerit hec tria perfectius a primo et maximo medico, scilicet: a filio Dei et suo.

Primo, habuit habitum secundum quem curantur infirmitates, scilicet: gratiam excellentibus omnibus sanctis.

20 Secundo, habuit medicinas in se, quia ut dicit Damascenus: «humanitatis caro Christi erat instrumentum diuinitatis». Et sic ille sanguis pretiosus, quem Christus a uirgine accepit, fuit medicina totius mundi. Vnde Apocalypsis primo habetur: *qui lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo*, etcetera.

25 Tertio, ipsa tollit impedimentum sanitatis, nam impedimentum est duplex quoddam est preter intentionem infirmi, ut repletio aliqua, uel prouenit ex uoluntate infirmi, ut non habere deuotionem in medico, uel non obedire medico.

Primum facile tollitur ab ipso medico, quia ad illud non repugnat infirmus.

Secundum tollitur a medico cum magna difficultate, quia habet fieri per uoluntatem infirmi et medicus solum ad illud operatur persuadendo uel consulendo.

30 Primum impedimentum est peccatum aliquod, ad quod uirgo Maria ut media operatur, unde Bernardus Super Missus Est dicit: «si criminum immanitate turbatus, si conscientie feditate confusus, etcetera, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat ab ore, non recedat a corde, et ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperans, ipsam cogitans non erras, ipsa terrente non corruis, ipsa

35

2: Mc. 3, 15. | 22-23: Apc. 1, 5.

20-21: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, III, 26-27. PG 94, 1094B-1098B; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 62, a. 5, p. 481-482. | 31-36: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 17. PL 183, 70D-71A.

1: Decimus] M *omm.* | 25: Repletio] M repletio.

protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris». Et sic ipsa mediante tollitur peccatum. Sed de alio impedimento persuadet exire quando Ecclesiastici uicesimo quarto dicit: *in me est omnis gratia uie et ueritatis, in me est omnis spes uite et salutis, transite ad me omnes qui concupiscitis me et a generationibus meis implemini*, etcetera. Et sic dicit quod habet omnem medicinam gratie.

40 Quo ad primum.

Secundo, dat consilium ut sequamur eam. Et sic, cum ipsa supra omnes sanctos hec tria habuerit, clarum est quod dominus excellenter ei contulit *potestatem sanandi infirmantes*. Ad hanc igitur in principio sermonis recurramus, etcetera.

<THEMA> *Dedit eis potestatem sanandi infirmitates*, ubi supra.

45 In presenti sermone erunt due partes principales. Prima thematis introductiua et declaratiua, etcetera. Secunda materie prosecutiua, etcetera.

Sententia est apostolis Pauli, ad Romanos quinto, quod: *per unum hominem*, scilicet: Adam, *intrauit mors in mundum et omnes mortui fuerunt*. Et sicut per illum intrauit mors, sic et intrauit infirmitas, que est uia in mortem. Et hec infirmitas fuit grauissima quo ad tria.

50 Primo, quia non solum fuit in una parte corporis, sed in totum corpus, unde Psalmi sexto: *infirmus sum, sana me, domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea*.

Secundo, non solum fuit in corpus, sed etiam in animam, unde Psalmi quinquagesimo quinto: *eripuit animam meam de morte*, etcetera.

55 Tertio, uniuersalitate, quia transiuit in omnes, ut Apostolus dicit ibidem ad Romanos quinto. Et sic propter grauitatem infirmitatis nullus fuit repertus medicus in mundo, sed solus Deus.

Primo, quia ad uniuersalitatem medicine solum fuit sufficiens medicus uniuersalis.

60 Secundo, quia infirmitas anime solum potest curari ab illo qui est super animam, unde dixit Christus: *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, Matthei decimo.

65 Tertio, quia si omnes homines erant infirmi, nullus poterat esse medicus illius infirmitatis. Nam quando aliquis medicus infirmatur, non a se, sed per alium debet curari, sic in proposito. Igitur solus Deus fuit illius infirmitatis medicus, unde Hieremias dicebat uidendo hoc, Hieremie decimo septimo: *sana me, domine, et sanabor*, etcetera. Quasi dicat: “non est alius qui me possit sanare”. Hic autem medicus sapienter fecit medicinam proportionatam morbo, nam sicut infirmitas prouenit ex uerbo serpentis posito in muliere, sic infirmitas fuit uerbum positum in muliere. Vnde centesimo sexto, narrando Dauid infirmitates mundi dicit: *appropinquauerunt usque ad portas mortis et clamauerunt ad dominum cum tribularentur et de necessitatibus eorum liberauit eos*. Dicit modum liberandi dicens: *misit uerbum suum et sanauit eos*, etcetera. Sed sicut infirmitas fuit non solum dum uerbum serpentis fuit iunctum mulieri, sed quando fuit, scilicet: uerbum, iunctum fructui in ipsa muliere, et sic medicina non solum fuit iuncta in muliere, sed cum fructu qui de muliere assumptus fuit, unde Ecclesiastici tricesimo octauo dicitur: *medicinam altissimus de terra creauit*. Ideo dicit Psalmista, Psalmi octogesimo quarto: *terra nostra dabit fructum suum*, scilicet: Maria filium

---

37-39: Sir. 24, 25-26. | 42-44: cf. Mc. 3, 15. | 47-48: Rm. 5, 12. | 51: Ps. 6, 3. | 53: Ps. 55, 13. | 54: cf. Rm. 5, 12. | 59: Mt. 10, 28. | 64: Ier. 17, 14. | 68-69: Ps. 106, 18-19. | 69-70: Ps. 106, 20. | 73: Sir. 38, 4. | 74: Ps. 84, 13.

75 suum. Et sicut illa terra peccati fuit maledicta, unde Genesis tertio habetur: *maledicta terra in opere tuo*, sic hec terra gloriose uirginis fuit benedicta, unde Psalmi octogesimo quarto: *benedixisti, domine, terram tuam*. Et non solum fuit benedicta in prima sanctificatione, quando in utero matris fuit.

80 Primo, sanctificata uel ante conceptionem fuit preseruata, ut alii dicunt, sed tempore conceptionis filii fuit plenius sanctificata, sicut terra que debet seminari, licet fuerit disposita ante iam, sed specialibus disponitur quando debet in ipsa poni semen. Et de ista preparatione dicit Psalmista, Psalmi sexagesimo quarto: *uisitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam*, etcetera. Et sic, licet angelus dixisset uirgini: *ave gratia plena*, sed dixit: *spiritus sanctus superueniet in te*, etcetera, quod fuit illud quod dicebat Psalmo predicto.

85 Et sicut infirmitas que fuit ex peccato Ade, primo infecit animam et secundo corpus, sic medicus iste, scilicet: Christus, primo sanabat animam et secundo corpus, sed quia: «nostra cognitio ortum habet a sensu», ideo: «ex sensibus ad intelligibilia procedimus», ut dicit Philosophus, primo Posteriorum et Apostolus ad Romanos primo: *inuisibilia Dei*, etcetera. Et sic, ut notificaret nobis uirtutem suam, sanabat corpora sanando animam. Et sic signum

90 aduentus sui fuit sanatio corporum, Isaie tricesimo quinto: *tunc aperientur oculi cecorum et aures*, etcetera. Et sic quando discipuli Iohannis uenerunt ad Christum dicendo: *es tu qui uenturus es, an alium*, etcetera? Dixit illis, Matthei undecimo: *ite, dicite Iohanni, quia ceci uident, claudi ambulant et leprosi mundantur*, quia secundum modum nostrum sic erat cognoscendus ipse. Et sic dum misit ad predicandum discipulos et apostolos dixit: *ite, predicate omni creature*,

95 etcetera. Et licet principaliter mitteret eos ad sanandum animas dicens: *quorum remiseritis peccata remittentur*, etcetera, sed ut cognoscerent mundus quod erant sui discipuli et ab eo missi, etiam supra corpora *dedit eis potestatem sanandi infirmitates*. Quo ad primam partem, etcetera.

100 In secunda parte erunt tres conclusiones. Prima conclusio: quod uirgo Maria super omnes sanctos et sanctas excellenter habuit potestatem curandi infirmitates. Secunda conclusio: quod alii sancti habuerunt mediante ea et non aliter. Tertia conclusio est quod, ea mediante, Cosmas et Damianus habuerunt excellentis et singulariter hanc potestatem a Deo primo et supremo medico.

Prima conclusio probatur,

105 primo ex parte artis, nam ille discipulus uel discipula que plenius recepit precepta summi medici sui magistri perfectius sciet curare infirmitates. Sed uirgo Maria fuit hec sub medico summo Christo, unde prima regula fuit humilitas, qua debet magistro obedire et credere, unde Christus dicit, Matthei undecimo: *discite a me, quia mitis sum et humilis corde*. Sed hanc primam lectionem uirgo Maria in se recepit, unde Bernardus in sermone loquens de eius

110 humilitate ait: «hec enim que totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit», etcetera.

Secundo, probatur ille medicus, qui perfectius infirmitates cognoscit, ille talis excellentius sanat. Nam principium sanandi est infirmitates cognoscere, maxime per pulsum, quem medici cum difficultate cognoscunt, ut dicit Auicena in primo, fen secunda,

---

75-76: Gn. 3, 17. | 77: Ps. 84, 2. | 82-83: Ps. 64, 10. | 83: cf. Lc. 1, 28. | 84: cf. Lc. 1, 35. | 88: Rm. 1, 20. | 90: Is. 35, 5. | 91-93: Mt. 11, 3-5. | 94: cf. Mc. 16, 15. | 95-96: cf. Io. 20, 23. | 97: cf. Mc. 3, 15. | 108: Mt. 11, 29.

86-87: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 80, a. 3, p. 527. | 87: cf. Alb. Mag., *Post. Anal.*, I, 4, 7, p. 105b; cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 84, a. 2, p. 529. | 110-111: Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429A. | 114-115: cf. Avi., *Can.* (vol. 1), lib. I, fen 2, doc. 3, s. 1, d. 2, c. 1, p. 130; cf. Gal., *De Puls. Ad Tyr.*, c. 1, p. 173.

115 doctrina tertia. Nam allegat Galenum dicentem cum quanta difficultate ipse cognouit  
sumpsionem pulsus, nam opus quod medicus habeat tactum regulatum ad hoc ut pulsum  
recte cognoscat. Et sic quando medicus est infirmus non sanat seipsum nec permittitur  
quod tangat suum pulsum, nam per tactum inordinatum iudicium rectum non potest  
120 facere. Sed cum uirgo Maria habuerit plures reuelationes secretorum Dei et etiam ipsa  
nunquam habuit infirmitatem corporis nec anime, sequitur quod perfectius cognouit  
miserias et infirmitates nostras.

Tertio, probatur per maiorem diligentiam. Nam medicus qui cum maiori conatu et  
uoluntate uisitat infirmum perfectius curat et citius quam alter. Sed cum uirgo Maria  
propter maiorem charitatem quam habet ad nos cum maiori diligentia curat de nobis, unde  
125 Bernardus in sermone dicit: «Maria copiosissima charitate sapientibus et insipientibus  
debitricem se fecit, omnibus misericordie sinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant  
uniuersi, captius redemptionem, tristis consolationem, eger curationem», etcetera.

Quarto, probatur hec conclusio ratione medicinarum. Nam medicus non habens in se  
medicamenta, aliquando propter illorum defectum curare non potest, sed uirgo Maria in se  
130 habuit. Patet quia medici habent duplices medicinas: prima est non tanti ualoris, ut habere  
aliquam herbam medicinalem in horto proprio. Alia est maximi ualoris que uenit de  
partibus longinquis, ut riubarbarum, etcetera. Has duas habuit uirgo Maria: prima fuit  
humanitas que erat plantata in horto suo, de quo Canticorum quarto: *hortus conclusus est, soror  
mea*, etcetera. Fuit autem accepta mediante uirtute spiritus sancti, unde ibidem: *ueni auster,  
135 perfla hortum meum*. Et sic post hanc preparationem sancti spiritus uenit filius Dei in eius  
uterum, unde Canticorum quinto: *ueniat dilectus meus in hortum suum*, scilicet: filius. Diuinitas  
fuit alia medicina de summo celo, unde Prouerbiorum ultimo: *de ultimis finibus pretium eius*.  
Quia: *a summo celo egressio eius*, Psalmi decimo octauo.

Quinto, probatur conclusio, quia multi medici, licet habeant medicamenta,  
140 compositionem illarum nesciunt facere, sed querunt apothecarium ut illa faciat et misceat.  
Sed uirgo Maria non solum in se habuit medicinam, sed ipsa miscuit, unde ut dicit sanctus  
Thomas, ad conceptionem filii Dei hec sola se habuit actiue ad preparandam materiam.  
Hoc dicit tertia, questione tricesima secunda, quarto, obiectione; et questione tricesima  
145 tertia, quarto, secundo; et in tertia distinctione, questione secunda, primo, obiectione. Et  
sic, ad hoc officium non fuit dignus aliquis angelus nec archangelus nec aliquis homo preter  
ipsam, unde ecclesia de ipsa dicit: «reporta nobis antidotum reconciliationis», etcetera.

Sexto, probatur ratione euacuationis, nam medicus bene cognosceret utrum humor et  
quis illorum sit euacuandus, sed ipse non faciet, sed mittet pro chirurgia et faciet  
phlebotomiam. Sed uirgo Maria fuit talis quod ipsa fuit medium euacuandi peccatum, ut  
150 diximus. Ideo de ea cantat ecclesia: «aue stella matutina, peccatorum medicina», etcetera.  
Igitur, si hec faciunt medicum excellentem, cum uirgini fuerint hec a Deo excellenter  
concessa, dicemus ueraciter quod huic Deus dedit excellentem potestatem curandi  
infirmitates.

Secunda conclusio probatur ratione, auctoritate et exemplo.

---

133-134: Ct. 4, 12. | 134-135: Ct. 4, 16. | 136: Ct. 5, 1. | 137: Prv. 31, 10. | 138: Ps. 18, 7.

125-127: cf. MF. Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, II. PL 183, 430D. | 142: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 32, a. 4, p. 250; q. 33, a. 4 ad 2, p. 255; *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 3, q. 2, a. 1, pp. 184-190. | 146: cf. Fulb., *Serm. Ad Pop.*, IX, 5. PL 141, 338D. | 150: cf. Anti. B. M. V.

155 Primo, ratione, quia: «primum est causa posteriorum», secundo Metaphysice. Sed cum  
 anima uirginis Marie sit prior omni alia creatura, scilicet: post animam Christi, sequitur  
 quod, sicut anima Christi prius recipit notitiam et gratiam a Deo, postea anima uirginis,  
 quod ab illa mediante ista omnes alii sancti recipiunt. Item ut dicit sanctus Thomas, prima,  
 160 questione centesima quarta, articulo quarto: «omnes creature ex diuina uoluntate participant  
 ut bonum quod habent in aliam diffundant, nam de ratione boni est quod se aliis  
 communicet, quanto igitur aliqua magis in diuine bonitatis participatione consistunt tanto  
 magis perfectiones suas in alios transfundunt, unde prima Petri quarto dicit: *unusquisque sicut*  
*accepit gratiam in alterum illam*, etcetera». Sed cum gloriosa uirgo Maria non solum animas  
 sanctorum, sed etiam omnes angelos excedat in participatione diuine bonitatis per gratiam  
 165 et non per naturam, ideo excellentius suam perfectionem in alios participat.

Secundo, hoc probatur auctoritate Bernardi in sermone dicens: «quanto deuotionis  
 affectu a nobis eam uoluit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut si quid  
 uirtutis et spei in nobis est, si quid gratie, si quid salutis ab ea nouerimus redundare». Et  
 infra: «totis ergo medullis cordium, precordiorum affectibus et uotis omnibus Mariam hanc  
 170 ueneremur, quia sic est uoluntas eius, qui totum nos habere uoluit per Mariam». Hec ille in  
 sermone De Natiuitate Marie, sermone octogesimo quarto.

Tertio, probatur exemplo sic: sicut pater dicitur occultum, sic Christus ostium et Maria  
 uia, unde Hugo dicit: «Maria uia, Christus ostium, pater occultum per Mariam. Igitur itur ad  
 Christum et per Christum itur ad Deum». Igitur quidquid habetur a diuinitate habetur  
 175 mediante Christo, et quod habetur mediante Christo habetur mediante uirgine Maria. Igitur  
 ideo diximus quod Deus pater est occultum et abyssus Christus uena gratiarum, unde  
 Hieremie decimo septimo: *omnes qui te derelinquuntur confundentur*, etcetera. Dat causam  
 dicens: *quoniam dereliquerunt uenam aquarum uiuentium dominum*, etcetera, scilicet: Christum.  
 Virgo autem est fons, Canticorum quarto: *fons signatus*. Igitur, licet aque uite sint ab abyssu,  
 180 non sumuntur in illo. Et licet sint a uena subterranea, non sumuntur ab illa immediate, sed  
 accipiuntur a fonte que est in superficie terre, unde Canticorum quarto de ea dicitur: *fons*  
*hortorum*, etcetera. Igitur, cum omnes gratie sint in ista uirgine et alii sancti ab ista accipiunt  
 gratiam sanitatis, ab ista omnes sancti et sancte ea mediante receperunt.

Tertia conclusio probatur, scilicet: quod isti duo martyres, scilicet: Cosmas et Damianus  
 185 receperunt hanc gratiam a Deo hac uirgine mediante et excellentius omnibus aliis sanctis.  
 Probatur hoc, quia ut dicit sanctus Thomas, cuilibet sancto data est uirtus curandi de aliqua  
 infirmitate, et hoc dicit in glosa super Iob. Sed isti sancti habuerunt gratiam curandi de  
 omnibus apud omnes homines et apud omnia alia animalia.

Si dicis: quare sic fuit istis communicata hec uirtus et potestas? Dicendum quod propter  
 190 tria.

Primo, quia gratis dabant et curabant alios, ut fuit a Christo preceptum, Matthei decimo  
 capitulo, ubi habetur: *conuocatis duodecim apostolis dedit eis potestatem*, etcetera. *Infirmos curate*,  
*mortuos suscite, leprosos mundare*, etcetera, *gratis accepistis, gratis date*. Et sic isti faciebant, nam  
 cum: «quedam matrona dicta Palladia omnem substantiam in medicos consumpsisset et  
 195 nunquam curari potuit, per istos tandem fuit curata propter eius importunitatem. Recepit

163: I Pt. 4, 10. | 177-178: Ier. 17, 13. | 179: Ct. 4, 12. | 181-182: Ct. 4, 15. | 192-193: Mt. 10, 1-8.

155: cf. Arist. Lat., *Met.*, X, 1, 1052b19, p. 185; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 56, a. 1, p. 435. | 159-163: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 106, a. 4, p. 735. | 166-170: Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 6-7. PL 183, 441AB. | 173-174: Hugo] *NI.* cf. Iac. Var., (1590) *Serm. Aur.*, CVII, f. 142v. | 186: Thomas] *NI.* | 194-197: cf. Vinc. Beau., *Spec. Hist.*, XII, 43, p. 470; cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, CXLIII, p. 637.

ab ea Damianus quoddam munusculum. Sciens Cosmas precepit quod corpus eius circa corpus fratris non sepeliretur, sed Christus ipsum excusauit». Vide latius in Vincentio et in Floribus Sanctorum, etcetera.

200 Si queritur: quare nostro tempore medici non faciunt sic? Dicendum quod ratio est quia creuit auaritia et cupiditas circa finem mundi, unde Apostolus secunda ad Timotheum tertio: *in nouissimis diebus erunt homines seipsos amantes, cupidi*, etcetera. Sed dicitur quod non est eadem ratio nunc, quia illi recipiebant scientiam et doctrinam immediate a spiritu sancto, et sicut gratis accipiebant, gratis dabant. Sed isti acquirunt scientiam cum maximo labore et consumendo substantiam et bona patris, etcetera, ideo non est simile. Est uerum quod  
205 tenentur gratis sanare et uisitare pauperes Christi, unde Chrysostomus dicit: «pascere fame morientem, si non pauisti, occidisti». Igitur magis est necessaria medicina quam cibus corporis. Igitur a simili, si non medetur a medico, occiditur uel interficitur ab eo.

Secundo, hoc fuit, quia sicut Christus, primo fuit medicus animarum, secundo corporum, sic isti. Ideo in hoc hospitali nullus potest intrare nisi prius confiteatur et recipiat sacramenta que est laudabilis consuetudo. Non sic faciunt medici nostri temporis. Nam cum de precepto habeant hoc De Penitentis et Remissionibus, capitulo “Cum infirmitatis”, etcetera, non ducunt illud in consuetudinem. Et sic in hoc hospitali multe infirmitates curantur que alibi non potuerunt sanari. Ratio est quia domina nostra est mediatrix curationis in hac domo sua. Et ideo isti martyres commodius hic collocantur quam in  
215 aliquo alio loco, quia ab ipsa immediate recipiuntur.

Tertio, fuit hoc propter uniuersalitem martyrii, nam sicut Christus, supremus medicus, passus fuit omnia genera passionum, sic isti inter omnes sanctos. Et sicut alii sancti, qui aliquod genus martyrii passi fuerunt, de aliqua infirmitate sanabant, sic isti de omnibus, quia omnia quasi genera martyrii passi fuerunt. Ideo de communi infirmitate febrium multos curarunt de infirmitate occidentali, ut patet de illo qui serpentem in corpore habebat, cui dormiendo per os intrauerat. Tertio, de cirurgia patet de illo deuoto qui tybiam consumptam ab igne habebat, et in nocte in uisu curatus fuit et tybiam nigri oppositam habuit. Quod isti habuerunt omnia genera martyrii patet, nam si Andreas fuit crucifixus, et isti; si Paulus fuit capite truncatus; si Clemens mersus in mari, et isti; si Laurentius in igne,  
220 et isti; si Vincentius in eculeo, et isti; si Sebastianus sagittatus, et isti.  
225

Et sic obtinuerunt quod qui illos deuote inuocaret. Non solum sanitatem corporis reciperet, sed illis mediantibus hic reciperet gratiam et in futuro gloriam, quam nobis, etcetera. Amen.

---

201: II Tim. 3, 1-2.

205-206: Chrysostomus] *NI*. cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ac</sup>, q. 32, a. 7, p. 225. | 211: cf. Gre. IX., *Decr.*, V, 38, 13, col. 888.

## SERMO CENTESIMVS DECIMVS QVARTVS IN DIE SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI

<THEMA> *Pugnauit pro eis et uicit*, Iudith quinto capitulo.

Originaliter, etcetera.

5 Sententia est Augustini et aliorum ponendo differentiam inter ecclesiam triumphantem et militantem, quod uiator et comprehensor differunt in hoc: quod comprehensor gaudet iam et triumphat de uictoria; uiator autem est etiam in continua pugna quamdiu est uiator. Vnde Christus, licet fuerit comprehensor quo ad animam, quia erat uiator quo ad corpus, etiam in hac uita habuit pugnam cum demone, unde: *ductus est Iesus in desertum*, etcetera, *ut temptaretur*, etcetera, Matthei quarto. Hoc autem fecit ut faceret nos cautos et instrueret ad pugnam, et sic hoc fuit commune omnibus uiatoribus. Incepit autem in Adam et Eua, qui fuerunt primi qui pugnarunt cum hoste et fuerunt uicti ab ipso. Causa autem fuit, quia defuerunt illis ea que faciunt ad uictoriam. Sunt enim tria requisita ad uincendum: primum est unitas principis. Secundum obedientia cum humilitate ad illum. Tertium est fiducia et spes uictorie. Et qui cum his tribus fortiter pugnat est impossibile non uincere.

15 Primo, in exercitu requiritur unitas principis, nam diuersi principes semper habent diuersas fantasias et sic exercitus non bene regitur. Sic dixit Aristoteles in fine sue Metaphysice, quod cum gubernationem mundi: «mala erat pluralitas principum, sed unus erat princeps». Et sic cognouit unitatem Dei esse in mundo necessaria.

20 Secundo, requiritur quod princeps obediatur, nam si exercitus ei non humiliatur et subditur, mox perditur.

Tertio, quod habeat fiduciam et spem uincendi, nam nullus mouetur ad impossibile, ut dicit Aristoteles primo Celi et Mundi. Et sic cum his tribus fortiter pugnare.

Sed primi parentes non habuerunt ista.

25 Primo, non habuerunt unitatem principis, sed duos principes, scilicet: summum Deum, et cum hoc demonem, de quo dicit Christus: *nunc princeps mundi huius eiecietur foras*, etcetera.

Secundo, non fuerunt humiliati nec subditi principi supremo, sed inobedientes, unde ille dixit, Genesis secundo: *de ligno quod est in medio paradisi non comedes*. Illi elati comederunt.

30 Tertio, non habuerunt fiduciam nec spem uictorie, nam ille dixit: *in quacumque die comederitis morte moriemini*, etcetera. Illi non crediderunt hoc, sed Eua dicit: *ne forte moriamur*, et dum Adam uidit quod Eua comederat et non fuit mortua, non credidit mori. Et sic per defectum istorum illi fuerunt fragiles et sic uicti a demone et spoliati gratia, ut dicit Beda super illud Lucam decimo “*homo quidam*”, etcetera, «spoliatus», etcetera. His uictis immediate incepit aliud prelium. Dicit autem dominus: *inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius*. Et sic semen uirginis fuit filius suus, et sicut homo et mulier fuerunt uicti, sic homo et mulier sperabant uincere, sed quia mulier fuit uicta prius et per mulierem homo, sic mulier fuit prius uictrix, ideo dicit: *ipsa conteret caput tuum*, etcetera. Hec

2: Idt. 5, 16. | 8-9: Mt. 4, 1. | 25: cf. Io. 12, 31. | 27: Gn. 2, 17. | 28-29: cf. Gn. 2, 17. | 29-30: cf. Gn. 3, 3. | 32: cf. Lc. 10, 30. | 33-34: cf. Gn. 3, 15. | 36: cf. Gn. 3, 15.

4: Augustinus] *Nl.* cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 15, a. 10, p. 132; *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 14, q. 1, a. 1, qc. 5, p. 720; dist. 18, q. 1, a. 2, p. 934; *Qu. De Ver.* (vol. 2), q. 29, a. 6, p. 864; *Qu. Quodl.* (vol. 10), IX, q. 4, a. 3, p. 304. | 17-18: cf. Arist. Lat., *Met.*, XII, 10, 1076a4, p. 224. | 22: cf. Auctor. Arist., *De Cael. Et Mun.*, I, 13, 270a3-5, p. 160; cf. Th. Aq., *Qu. De Mal.*, q. 16, a. 3, p. 293. | 32: cf. Bed., *Hom.*, CV. PL 94, 507A.



autem fuit uirgo Maria, unde Bernardus de uirgine loquens dicit Super Missus Est homilia secunda: «ipsa est mulier, que caput serpentis contriuit uenenatum, dum omnimodam maligni suggestionem, tam de carnis illecebra quam de mentis superbia deduxit ad nihilum».

- 40 Item Fulbertus Carnotensis episcopus in sermone de Natiuitate Virginis Marie dicit: «quid est serpentis caput contere nisi principalem diaboli suggestionem resistendo superaret? Si ergo queratur, que nam mulier operata sit huiusmodi uictoriam, profecto non reperitur in linea generationis humane, donec perueniatur ad Mariam, que nimirum illud serpentis caput uirtutis pede contriuit, in eo quod uirginitatem simul et humilitatem Deo consecrauit.
- 45 Virginitatem concupiscentiam carnis, humilitatem quidem concupiscentiam mentis».

Et sic uirgo Maria fuit illa que cum serpente agressa est pugnam et certe uicit, quia tria necessaria ad uictoriam seruauit.

Primo, unitatem principis, nam in solo Deo credidit et dixit in cantico: *fecit mihi magna, qui potens est*, et factum, etcetera.

- 50 Secundo, per humilitatem obediit quando angelo dixit: *ecce ancilla domini, fiat*, etcetera. Vnde Bernardus: «redditur femina pro femina, humilis pro superba», etcetera.

- Tertio, firmiter credidit uincere, nam fidem maxime seruauit, unde Bernardus: «tria magna in Christi conceptione intueor, Deum hominem, matrem uirginem et cor uirginis fidele, ut tam firmiter crederet quod ea que angelus nuntiabat in se aduenisse non dubitaret et sic fortiter pugnauit». Vnde Salomon Prouerbiorum ultimo: *mulierem fortem quis inueniet*, etcetera? Ideo Bernardus Super Missus Est dicit: «quia Salomon Deum promississe legerat et ita congruere uidebat, ut qui uicerat per feminam uinceretur per ipsam. Hanc solam requirebat et uehementer admirans aiebat: *mulierem fortem quis inueniet?* Et ne hoc quesissetur desperando subdidit prophetando: *procul et de ultimis finibus pretium eius*. Hoc est non uile, non mediocre, non denique de terra nec saltem de celo terris proximo pretium fortis mulieris huius, sed: *a summo celo egressio eius*». Hec ille.
- 55  
60

- Igitur uirgo uicit demonem et illum spoliavit, nam inuenit gratiam, quam illi uicti perdiderant, et hanc gratiam dat suis deuotis, unde idem Salomon dicit: *nocte consurgit deditque predam domesticis suis*, etcetera. Igitur nos, qui hanc gratiam querimus, non ad primos parentes curramus, quia uicti et spoliati fuerunt, sed ad uirginem recurramus, que *pugnauit pro eis et uicit*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.
- 65

<THEMA> *Pugnauit pro eis et uicit*, loco et capitulo ubi supra.

- Due partes erunt in presenti sermone. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda materie prosecutiua et in ambabus partibus tractabitur ista conclusio: quod licet omnes angeli pugnent pro hominibus, sanctus Michahel excellentius *pugnauit pro eis et uicit*.
- 70

Sententia est omnium doctorum sequendo Magistrum in secundo Sententiarum, distinctione duodecima, maxime Sancti Doctoris in prima parte, questione quadragesima sexta, articulo tertio, quod: «quattuor fuerunt creata simul a Deo in principio mundi,

48-49: cf. Lc. 1, 49. | 50: cf. Lc. 1, 38. | 55: Prv. 31, 10. | 58-59: cf. Prv. 31, 10. | 61: cf. Ps. 18, 7. | 63-64: cf. Prv. 31, 15. | 65-67: cf. Idt. 5, 16. | 70: cf. Idt. 5, 16.

38-39: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 4. PL 183, 63B. | 40-45: Fulb., *Serm. Ad Pop.*, IV. PL 141, 320D. | 51: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62D. | 52-55: Bernardus] NI. | 56-61: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 5. PL 183, 63BC. | 73-74: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 12, 1. PL 192, 675C; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 46, a. 3, p. 342.

67: 1<sup>o</sup> Et] M ut.

75 scilicet: materia prima, tempus, celum empireum et natura angelica». Est uerum quod nobilior omnium fuit natura angelica, que habuit tria in sua creatione optima, scilicet: quo ad locum; quo ad quantitatem et numerum; tertio, quo ad qualitatem, scilicet: ad gratiam.

Primo, quo ad locum fuit creata in celo empireo, secundum glosam prima Genesis ipsius Strabi dicens quod: «celum empireum mox ut fuit creatum angelis fuit repletum».

80 Secundo, quo ad numerum, nam secundum Dionisium De Celi Hierarchia capitulo nono, excedunt omnia corporalia que sunt in mundo. Vnde Danihelis septimo: *milia milium ministrabant ei et decies centena milium assistebant*. Et sic a propheta ponitur numerus determinatus pro indeterminato, etcetera.

85 Tertio, fuerunt creati in gratia lucidi et perfecti, ut dicit sanctus Thomas in prima parte, questione sexagesima secunda, tertio; et secundo, distinctione quarta. Vnde Augustinus de angelis loquens duodecimo De Ciuitate Dei dicit: «Deus erat in eis simul condens naturam et largiens gratiam». Et sic in primo instanti omnes secundum illam gratiam meruerunt.

Si dicis: postquam omnes meruerunt beatitudinem, quare non omnibus data fuit a Deo? Dicendum quod Lucifer et quidam alii non steterunt, nam si stetissent, recepissent gloriam a Deo. Exemplum: dum scintille oriuntur a petra, omnes oriuntur lucide nec sunt ante  
90 scintille quam sint lucide. Sed quedam illarum tendunt inferius et perdunt lumen, alie uero ascendunt supra yescam et confirmantur in igne et fiunt lucidiores nec deinceps possunt perdere lumen. Sic in proposito, nam omnes angeli fuerunt creati lucidi, sed quidam non ascenderunt et facti fuerunt obscuri, alii uero confirmati, scilicet: qui ascenderunt. Si illi expectassent, post primum instans omnes habuissent gloriam. Exemplum iterum: si plures  
95 pauperes essent ad ostium ecclesie et postularent elemosynam propter passionem Christi, clarum est omnes merentur in uirtute illius. Sed si interim quod alter aperit bursam, quidam expectant, alii uero dicunt quod a se habebunt denarium et non indigent postulare, etcetera, clarum est quod illi qui cum manu extensa remanserunt reciperent denarium; alii uero qui superbe nollent ab illo sperare ut reciperent non habuissent. Sic in proposito fuit in angelis,  
100 nam Lucifer dixit: *super astra exaltabo solium meum, ascendam in celum et similis ero altissimo*, Isaie decimo quarto. Voluit igitur Lucifer cum suis adequari Deo, ut dicit sanctus Thomas in Questionibus De Malo, questione decima sexta, articulo tertio, quod auctoritates sanctorum in hoc tendunt quod diabolus peccauit appetendo inordinate diuinam equalitatem. Non autem appetiit absolute diuinam equalitatem per essentiam; hoc autem erat impossibile.

105 Primo, ex parte Dei, cui impossibile est aliquid equari. Etiam est contra rationem essentie eius; Deus enim per suam essentiam est ipsum esse subsistens, nec est possibile esse duo huiusmodi, sicut nec possibile foret esse duas ideas hominis separatas aut duas albedines per se subsistentes. Ergo quidquid aliud ab eo est, est participans esse, quod non potest esse equale ei, quod est essentialiter ipsum esse, nec hoc potuit diabolus ignorare.  
110 Nam naturaliter intelligebat suum esse et cognoscebat quod esse suum erat ab aliquo superiori participatum. Que cognitio non erat etiam corrupta per peccatum: «et sic non poterat apprehendere equalitatem sui ad Deum sub ratione possibilis, nullus autem tendit in id quod apprehendit ut impossibile, ut dicitur primo Celi et Mundi».

---

80-81: Dn. 7, 10. | 100: Is. 14, 13-14.

78: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Gn., 1, 2. PL 113, 69C. | 79: cf. Pseu. Dio. Aer., *De Coel. Hier.*, VI, 2. PG 3, 199D-202A. | 83: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 62, a. 3, p. 428; *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 4, q. 1, a. 3, p. 258. | 85-86: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XII, 9, 2. PL 41, 357A. | 101: cf. Th. Aq., *Qu. De Mal.*, q. 16, a. 3, p. 293. | 111-113: cf. Th. Aq., *Qu. De Mal.*, q. 16, a. 3, p. 293.

115 Item nullus appetit illud quo existente ipse non esset, quod sequitur si angelus simpliciter appeteret Dei equalitatem, nec potuit appetere quod absolute non esset Deo subiectus, quia erat impossibile, et non poterat cadere in eius apprehensionem. Fuit enim primum peccatum angeli in hoc quod ad consequendam supra naturalem beatitudinem, non se erexit in Deum tamquam in finalem perfectionem ex eius gratia desiderans cum angelis suis, sed eam consequi uoluit per uirtutem sue nature. Non tamen sine Deo in 120 naturam operante, sed sine Deo gloriam conferente, ut dicit Augustinus De Libero Arbitrio. Et quia habere beatitudinem finalem per uirtutem sue nature et non ex gratia alicuius superioris est proprium Deo, patet quod quantum ad hoc appetiit diabolus Dei equalitatem. Et sic primus peccauit et secuti sunt eum aliqui de qualibet hierarchia. Et sic tertia pars illorum fuit perdita, nam omnes doctores quasi tenent quod plures remanserunt 125 quam peccauerunt. «Tot enim saluabuntur quot ceciderunt», secundum Gregorium et Augustinum, et forte plures. Non potuerunt autem angeli mali penitere de offensa sua, nam ut dicit Augustinus: «simplex, ubi se conuertit, totaliter se conuertit». Homo autem non qui componitur ex spirituali et corporali. Nam ut dicit sanctus Thomas: «differentia est inter liberum arbitrium Dei, angeli et hominis. Nam liberum arbitrium Dei inuertibile est ante electionem et post. Hominis autem uertibile ante et post. Angeli uero tamquam medium 130 illorum uertibile ante electionem et inuertibile post, cum sit simplex». Exemplum statere, que ducitur ad unam partem et aliam, quia habet duas partes differentes, etcetera. Sic in homine. Sed romana nunquam reuertitur. Sic in angelis. Cum igitur angelus peccauerit et sic perdiderit lumen gratie et non sperabatur penitere, per uoluntatem domini fuit priuatus celo 135 empireo, quod non erat locus nisi beatorum. Et sic non fuit permissus manere nobiscum hic nec in celo empireo, ut dicitur a Magistro in secundo, distinctione sexta. Et sic omnes angeli per Dei uoluntatem habuerunt bellum cum illo, sed quia multi erant perditii et habebant unum principem, scilicet: Luciferum, de quo Isaie decimo quarto: *quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebatis*, etcetera?, ut etiam boni unum principem et capitaneum haberet 140 Deus, dedit illis beatum Michahalem pro principe, qui *pugnauit pro eis et uicit*. Et hoc quo ad primam partem sermonis.

Secunda pars.

145 Triplex est pugna angelorum pro saluandis. Prima circa personam saluandorum. Secunda extra persona circa aliquam prouinciam, ciuitatem uel regnum. Tertia circa totam saluandorum monarchiam, scilicet: circa ecclesiam. Et secundum hanc triplicem pugnam Michahel singulariter *pugnauit pro eis et uicit*.

150 Primo, circa aliquam singularem personam. Circa autem custodiam angelorum, secundum omnes doctores, ponitur talis conclusio: quod omnibus hominibus a natiuitate assignatur angelus et nullus priuatur custodia angelorum, nec propter culpam nec propter maximum meritum. Vnde Ade fuit assignata custodia angeli propter impugnationem inimici. Nam etiam cum illa peccauit, quid faceret si illa non haberet? Et sic omnes pagani, heretici, iudei, agareni et christiani habuerunt angelum custodem, etiam omnes presciti, et, quod fortius est, ipse antichristus habebit angelum custodem. Nam fuit beneficium concessum toti nature humane, et sic nullus de natura humana debet priuari. Item 155 antichristus et quilibet alius, si non habuisset angelum custodem in iudicio finali, posset dicere quod non fecisset malum nec fuisset damnatus, si habuisset angelum custodem. Item

138-139: Is. 14, 12. | 140: cf. Idt. 5, 16. | 146: cf. Idt. 5, 16.

120: Augustinus] *NI*. | 125: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 23, a. 7, pp. 190-191; cf. Gre. Mag., *Hom.*, II, 34, 11. *PL* 76, 1252C; cf. Aug. Hipp., *Ench.*, XXIX, 9. *PL* 40, 246BC | 127: Augustinus] *Auctor err.* cf. Th. Aq., *Qu. De Ver.* (vol. 3), q. 24, a. 10, p. 707. | 128-131: cf. Th. Aq., *Qu. De Mal.*, q. 16, a. 5, p. 304. | 136: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 6, 3. *PL* 192, 663B.

ille angelus accusabit illum in die iudicii de malis que fecerit. Item multa mala faceret contra electos nisi ab illo angelo impediretur.

160 Si autem queritur: utrum Christus habuerit angelum custodem? Dicendum quod nullo modo est concedendum illum habuisse, nam Christus ab instanti conceptionis habuit aliquid maius angelo, scilicet: esse unitum quo ad humanitatem ipsi diuinitati, igitur non indigebat angelo custode. Item si indigeret angelo custode, hoc esset aut ad merendum aut ad non peccandum aut ad remouendum impedimenta ad hoc, non primum, quia erat uerus comprehensor quo ad animam. Igitur cum anima esset iuncta diuinitati, non indigebat  
165 angelo nec ad secundum, quia non poterat peccare: *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, Isaie quinquagesimo tertio et prima Petri secundo. Nec ad remouendum impedimenta ad hoc, nam nullum poterat esse impedimentum ei, cum esset uerus Deus. Sed cum Christus esset uiator secundum corpus, habuit angelos ministros, unde: *accesserunt angeli et ministrabant ei*, etcetera, Matthei quarto, etcetera.

170 Sed queritur: cum uirgo Maria non potuerit peccare, utrum habuit angelum custode? Dicendum quod illa certe habuit, non ad non posse errare, sed ad merendum et ad tollendum impedimenta meriti. Ratio est, quia maior est custodia cuiuscumque angeli, etiam minimi, quam alicuius hominis. Sed uirgo Maria habuit sponsum suum pro custode, igitur habuit angelum. Item maior sanctificatio fuit in uirgine Maria post conceptionem Christi  
175 quam ante, sed magis indigebat custode postquam fuit mater Dei quam ante, sed tunc in passione illam commisit Iohanni Euangeliste, Iohannis decimo nono. Igitur multo magis data fuit custodia angelorum illi. Fuit autem illi necessaria custodia angelorum propter perfectum meritorum illius, cum enim meritum suum debuit meritum pure creature excedere, pluribus auxiliis indiguit, quorum quedam fuerunt intranea, scilicet: magnitudo gratie et excellentia uirtutum. Alia uero extranea, ut custodia angeli suadendo, illuminando et excitando ad bonum. Secundo, etiam propter impedimenta tollenda, nam bonum hominis consistit in actu interiori electionis principaliter, et secundario in actu exteriori. Vnde magis meretur qui uult ire in sanctum Iacobum et de facto pergit, quam qui uoluit ire et non potuit. Actus interior impediri non potest, sed exterior sic. Et sic impedimenta  
180 tollebantur per angelum. Patet quando angelus dixit ei ut iret in Egiptum, Matthei secundo. Item cessante persecutione dixit ut ueniret, etcetera. Item propter excellentiam uirginis, nam sicut alicui regine uirtuosissime assignatur custos ad decentiam, licet non ad eius necessitatem, sic uirgini, quia mater Dei sperabatur.

190 Si dicis: uirgo erat perfectior angelo, igitur ab illo non poterat illuminari. Dicendum quod lumen intellectus eius, dum erat in uia, erat minus lumine angelici intellectus, nam magnitudo perfectionis attenditur ex magnitudine charitatis. Sed nota quod uirgo Maria non solum habuit unum angelum, sed tres. Nam ut dicit sanctus Thomas, non inconuenit ut quis habeat plures angelos: unum ratione persone singularis, alium ratione dignitatis, alium ratione presidentie et gubernationis regni uel prouincie. Et sic uirgo Maria habuit  
195 unum singularem. Habuit alium ratione dignitatis, quia mater Dei, et hic fuit Gabriel, qui instruxit uirginem de omnibus que ad maternitatem requirebantur. Alium habuit ratione principalis persone ecclesie, nam cum Christus fuerit caput ecclesie et non habuit angelum custodem, ille angelus, qui curam habuit ecclesie, singulariter curam habuit de uirgine Maria, que erat principalis pars ecclesie post caput, scilicet: Christum. Ideo dicitur  
200 “collum”, quia mediatrix inter Deum et mundum. Et cum Michahel fuerit princeps

---

165-166: cf. Is. 53, 9; I Pt. 2, 22. | 168-169: Mt. 4, 11. | 176: cf. Io. 19, 26. | 185: cf. Mt. 2, 13.

192: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 10, q. 1, a. 3, p. 502.

168: Esset] M essent.

electorum maxime ecclesie, sequitur quod maximam curam habuerit de uirgine Maria, quia mediatrix totius ecclesie. Et sic quo ad ista pugnam singularis fuit Michahel.

205 Secunda pugna est respectu ciuitatis uel prouincie et in ista etiam pugnavit singulariter. Patet Danihelis decimo quando angelus qui presentabat orationes Danihelis de liberatione captiuitatis iudeorum pugnavit cum angelo prouincie uel regni persarum. Nam quilibet istorum erat bonus angelus, ut dicit Gregorius, et pugnavat pro sua prouincia. Nam angelus Danihelis presentabat orationes illius et populi iudeorum pro ipsius liberatione. Angelus regni persarum dicebat utilitates que sequebantur in Persia pro habitatione illius populi in illo. Nam informabatur populus persicus in fide et multi conuertebantur ad fidem per  
210 informationem peritorum legis. Et sic cum neuter illorum sciret determinate uoluntatem Dei, pugnavat quilibet pro populo suo, sed tunc uenit Michahel in auxilium angeli Danihelis. Et sic dicitur Danihelis decimo quod angelus regni persarum resistit illi angelo hebdomadibus tribus, scilicet: uiginti uno diebus, nec etiam liberaretur, nisi quia: *Michahel unus de principibus primis uenit in adiutorium mihi*, etcetera.

215 Tertia pugna est pro tali monarchia ecclesie circa hoc, ut dicunt omnes doctores: Michahel est princeps omnis ecclesie saluandorum, nam sicut una fuit fides ueteri testamenti et noui, sic una ecclesia omnium.

Et sicut Michahel fuit princeps synagoge, sic nostre ecclesie, et sic semper pro saluandis pugnavit.

220 Prima pugna fuit in principio cum demone, qui expulsus fuit a celo, Apocalypsis duodecimo: *Michahel et angeli eius preliabantur cum dracone*.

Secunda pugna fuit pro populo liberando de Egipto contra pharaonem, nam ut dicunt doctores, Michahel fuit qui interfecit primogenita Egipti et dedit populo plagas, etcetera.

225 Tertia fuit cum demone, ut dicit Iudas in canonica sua, quia: *preliabatur de corpore Mosi*. Nam uidens demon quod populus iudaicus pronus esset ad idolatriam, uolebat quod corpus Mosi honorifice haberetur et adoraretur pro Deo. Sed Michahel, ut princeps electorum, hoc recusabat, sed uolebat ut corpus Mosi non appareret in terra, ut fecit de uoluntate domini Dei.

Quarta fuit de liberatione captiuitatis Babilonie, ut diximus.

230 Quinta erit contra antichristum, ut dicit glosa Apocalypsis decimo tertio, quod interficietur a Michahel, et sic dicitur Danihelis duodecimo: *in tempore illo consurget Michahel princeps magnus, qui stat pro filiis*, etcetera. Cum igitur Michahel sit princeps christianitatis, clarum est quod sit princeps Europe, cum in illa sit fundata ecclesia romana. Nam Turcus in Asia est et soldanus etiam et tota Africa sit sub regibus agarenorum. Et sic ecclesie sancti  
235 Michahelis in Europa sunt fundate per reuelationem et apparitiones in Europa sunt facte, ut patet in monte Gargano et Rome et Constantinopoli et etiam de prelio habito per sipontinos, etcetera. Ratio autem huius est, nam Christus, dum passus fuit in cruce, habuit faciem uersus occidentem. Quod patet: nam cum sol transiret per meridiem et umbra Christi, secundum contemplatiuos, tangeret latronem dexterum non posset esse aliter, nisi  
240 faciem Christus haberet in occidentalem regionem. Et sicut tunc respiciendo Petrum

---

204: cf. Dn. 10, 13. | 213-214: Dn. 10, 13. | 221: Apc. 12, 7. | 224: Iud. 1, 9. | 231-232: Dn. 12, 1.

206: cf. Gre. Mag., *Mor.*, XVII, 12, 17. *PL* 76, 19AB. | 230: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Apc., 12, 7. *PL* 114, 732B.

216: Saluandorum] M soluandorum.

saluauit illum, sic respiciendo Europa. Et sic Petrus postea in Europa posuit sedem et Europa semper fuit pro maiori parte christianorum. Et cum uisus fiat per lineam rectam cum magis recte aspiceret Hispaniam, nam pars Hispanie est eiusdem paralleli cum aliqua parte terre sancte, ut patet per Ptolomeum, sequitur quod hec patria non potuit perire. Et  
 245 sic in tempore nostro serenissimus rex noster Ferdinandus et serenissima regina nostra Isabella regnum Granate recuperarunt, et cum etiam magis directe respiceret Africam Christus quo ad illam partem que dicitur strictum Gibraltar uersus Africam, credo quod nostris temporibus reducetur ad fidem nostram christianam per predictos reges, unde iam sunt alicue ciuitates, scilicet: Tanger, Cepta, Arzila et nunc Melilla.

250 Et si quis diceret: quare angeli, cum sint nobiliores hominibus, deputantur ad eorum seruitium? Dicendum quod hoc fit propter tria.

Primo, quia sedes eorum debent reparari per homines, quia per angelos perditos non potest fieri, cum saluari iam non possint.

Secundo, hoc est propter maximam charitatem quam habent erga nos, cum sint beati.

255 Tertio, propter Deum, quia uident in mente diuina uoluntatem eius esse talem. Et sic omnia ista debent mouere nos ad hoc, ut seruemus nos a peccato. Primo, dignitas nostra, unde Hieronymus: «magna dignitas animarum», etcetera. Similiter Bernardus: «quid est homo quod innotuisti ei? Aut filius hominis, quia reputas eum?». Dicit Bernardus. Mittis ei filium unicum tuum immittis spiritum sanctum promittis uultum et nequid uacet in curia  
 260 omnes spiritus, das ei in ministerium.

Et sic debemus considerare angeli societatem, unde idem Bernardus: «in quouis diuersorio, in quouis angulo, reuerentiam exhibe angelo tuo et ne audeas coram illo facere quod me presente non auderes». Et qui propter suam dignitatem et propter Dei reuerentiam et angelicam custodiam se preseruat a peccato, hic habet gratiam et in futuro  
 265 gloriam, quam nobis, etcetera. Amen.

---

244: Ptolomeum] *NI*. | 257: Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, III, 18, 10-11. *PL* 26, 130B. | 257-258: Bern. Cl., *Ep.*, CVII, 7. *PL* 182, 246B. | 261-263: Bern. Cl., *In Psal. XC*, XII, 6. *PL* 183, 233C.

247: Gibraltar] *M*, X Gibraltar.

SERMO CENTESIMVS DECIMVS QVINTVS IN DOMINICA DECIMA OCTAVA POST  
PENTHECOSTES

<THEMA> *Omnis qui se exultat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur*, Luce decimo quarto.

5 Originaliter, etcetera.

Sententia est Aristotelis secundo de Generatione et quarto Meteororum, quod: «contrariorum effectuum sunt cause contrarie», sed cum in Eua et Maria uideamus effectus contrarios, arguendum est hoc prouenire a causis contrariis; nam Eua fuit depressa et minorata, Maria uero exaltata. Cum sint effectus contrarii, clarum est quod a causis  
10 contrariis proueniant. Quelibet autem istarum potest considerari tripliciter, scilicet: aut secundum animam, aut quo ad corpus, aut quo ad coniunctum simul. Et sic Eua primo fuit minorata et depressa quo ad animam. Secundo, quo ad corpus. Tertio, quo ad totum coniunctum. Sic econuerso Maria: primo, exaltata quo ad animam. Secundo, quo ad corpus. Tertio, quo ad totum coniunctum.

15 Primo, Eua fuit plena gratia secundum statum suum, ut dicitur de Stephano a sancto Thoma in tertia, questione septima, articulo decimo ad primum.

Secundo, quo ad tempus, quia nunquam fuit tempus aliquod post creationem et ante peccatum quod esset sine gratia, ut dicit sanctus Thomas, prima, questione nonagesima quinta, primo, etcetera.

20 Tertio, habuit esse medium ad dandum gratiam omnibus descendentibus ab Adam. Sicut ipse fuit fons iustitiae originalis, sic ipsa mediatrix ad illud, cum mediante generatione communicaret illis. Sed secundum omnia ista fuit humiliata et prostrata Eua, nam fuit uacua gratia et per consequens fuit tempus in quo non remansit gratia in illa et sic nec fuit medium communicandi ipsam. Sed uirgo Maria quo ad animam fuit exaltata super omnes  
25 puras creaturas.

Primo, nunquam fuit aliquod tempus, in quo esset sine gratia, cum fuerit a peccato originali preseruata et in gratia creata.

Secundo, fuit magis plena gratia personali cum ad perfectionem statuum ordinaretur, scilicet: ad esse matrem Dei. Fuit item in illa plenitudo gratiae immense in quantum in utero  
30 recepit filium Dei uiui, et sic in ea fuit gratia unionis, gratia capitis et gratia personalis Christi. Et gratia unionis est esse personalem, quod a Deo gratis datur humane nature in persona uerbi, ut si quis peteret filium alicuius quod uniretur filio suo et ei gratis concederetur illi ille, filius esset gratia facta illi. Sic in proposito, uerbum datum ut nature humane uniretur, uel illa in illo est gratia simpliciter infinita, quia Deus. Sed gratia capitis et  
35 habitualis fuit infinita, secundum rationem gratiae, non autem secundum rationem entis. Et sic cum ista fuerint in uirgine, sequitur quod fuerit plena omni gratia. Non quod gratia informans animam uirginis fuerit infinita, sed quod continebatur ab illi in utero, sicut de muliere pregnante dicitur quod habet uel continet plures animas. Non quod ille anime informant corpus eius, sed sola propria anima eius; sed continet in se filium uel filios

---

3: Lc. 14, 11.

7: cf. Arist. Lat., *De Gen. Et Corr.*, II, 10, 336b10, p. 75; cf. Auctor. Arist., *Mete.*, IV, 20, (384b2-3), p. 173. | 16: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 7, a. 10, p. 72. | 18: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 95, a. 1, pp. 678-679.

1: Decimus] M *omm*. | 13: Econuerso] M econuersio.

40 habentes quilibet in se animam propriam. Et sic esset uerum dicere quod illa mulier habet plures animas, licet omnes non informarent corpus suum. Sic in proposito de uirgine Maria, que continendo Deum continebat omnem gratiam.

Tertio, Maria fuit medium dandi gratiam et illam mediationem nunquam amisit, igitur quo ad animam Eua fuit humiliata, Maria uero exaltata, scilicet: mediante gratia. Secundo, 45 quo ad corpus, Eua habuit carnem sine libidine et corruptione; secundo, sine infirmitate aliqua.

Tertio, debuit aliis communicare et nullus in mundo sine sua communicatione esset. Hoc perdidit per peccatum carnis, scilicet: per gulam, mox cum libidine, cum infirmitate, cum dolore in partu. Et sic fuit depressa et minorata, quo ad corpus. Maria uero habuit 50 carnem sine libidine et fomite, sine dolore in partu et sine infirmitate aliqua. Et debuit communicare illa domino mundi, scilicet: filio Dei, et hoc per uirtutem maximam uirginitatis, que non solum fuit in eius carnem, sed semper in mente. Et tante fuit excellentie quod de eius carne exhibant radii ad mitigandum prauos motus illam uidentium, ut dicit sanctus Thomas tertio, distinctione tertia, questione prima, articulo secundo, 55 questiuncula prima, quarto.

Tertio, Eua quo ad coniunctum fuit minorata et Maria exaltata, nam fuit regina totius mundi et in paradiso posita. Sed Maria uirgo: «non solum regina mundi, sed angelorum», et eleuata in celum in corpore et anima, quod non fuit de Eua tempore mortis, sed sepulta in spelunca Hebron ciuitatis. Et ratio fuit, nam si Eua fuit per superbiam depressa, Maria uero 60 per humilitatem exaltata. Et sicut maiorem humilitatem omnibus habuit, sic supra choros angelorum et extra omnes ordines, sicut in humilitate non seruauit ordinem. Et sic fuit ad dexteram regis posita, quia erat mater eius et mater peccatoris ex parte gratie. Nam sicut ipsa fuit mensura inmensi, sic in illa gratia immensa fuit mensurata, unde Apostolus ad Ephesios quarto: *unicuique data est gratia secundum mensuram*. Figura Exodi decimo sexto, sicut 65 Christus fuit figuratus per ipsum manna, sic uirgo Maria per mensuram qua mensurabatur, scilicet: per gomor. Et sicut gomor fuit mensura in deserto, nam nullus recipiebat manna nisi mediante illa mensura, sic reconditum fuit in arca in illa mensura et non amplius nisi quod receptum fuit in illa propter alias generationes, ut dicitur ibidem ad notandum quod nullus potest recipere gratiam nisi ea mediante, que est regina. Vnde Bernardus in sermone: 70 «data est tibi, o uirgo beata, potestas in celo et in terra, ut quodcumque uolueris, ualeas impetrare. Tu es enim mater Dei et hominis, mater regis et exulis, mater rei et iudicis».

Si igitur Eua fuit humiliata, quia se exaltauit per superbiam, Maria uero exaltata, quia se humiliavit. Bene dicitur quod *omnis qui se exultat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur*. Ad hanc igitur humiliemur in principio sermonis dicendo, etcetera: “aue”, etcetera.

75 <THEMA> *Omnis qui se exultat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur*, ubi supra.

Sententia est omnium doctorum, maxime sancti Thome, secunda secunde, questione centesima sexagesima prima, et questione centesima sexagesima secunda, quod sicut maximum peccatorum est superbia, sic maxima hic uirtutum est humilitas, unde Ecclesiastici decimo: *initium omnis peccati est superbia*. Ideo dicit sanctus Thomas quod:

64: Eph. 4, 7. | cf. Ex. 16, 22. | 73-75: cf. Lc. 14, 11. | 79: Sir. 10, 15.

54: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 3, q. 1, a. 2, p. 174. | 56: cf. Pseu. Bern. Cl., *Trac. De St. Virt.*, I, 13. PL 184, 797D. | 70-71: Bernardus] NI. cf. Petr. Dam., *Serm.*, XLIV. PL 144, 740B; cf. Pseu. Ans. Luc., *Med. Sup. Sal. Reg.*, VII. PL 149, 589A. | 76: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 161, a. 2, p. 931; q. 162, a. 1, pp. 938-939.



80 «superbia est regina omnium uitiorum», secunda secunde, questione centesima tricesima secunda, quarto capitulo. Et sic dicit quod: «superbia est initium omnis peccati» in secunda secunde, questione centesima sexagesima secunda.

Si dicis contra: Apostolus dicit prima ad Timotheum sexto: *radix omnium malorum est cupiditas*. Dicendum quod in peccato sunt duo. Primo auersio; secundo conuersio. Nam  
 85 peccare, secundum Augustinum: «est spreto bono incommutabili adherere bono commutabili». Dico igitur quod ex parte auersionis superbia est maximum peccatorum et principium omnis alterius, quia Deum contemnit; non autem ex parte conuersionis, unde est causa omnis peccati aptitudine non actu, secunda secunde, questione centesima sexagesima secunda, articulo secundo, contestatione: «quia alia peccata ad illum ordinantur,  
 90 scilicet: ad propriam excellentiam». Item homo per superbiam contemnit diuinam legem et est inobediens Deo, et sic superbia est initium peccati. Cupiditas uero radix sic: nam homo ante peccatum est in culmine meriti, sicut in culmine arboris, sed quando auertitur a Deo et conuertitur ad bonum commutabile.

Primo, contemnit legem Dei, et sic est initium peccati.

95 Secundo, conuertitur ad concupiscibile bonum. Et sic tendit ad radicem peccati, que est cupiditas, et descendit a Deo, sed obediendo per humilitatem ascendit. Et sic exaltando se, per superbiam descendit et humilando se ascendit, quod probatur tripliciter, scilicet: ratione, exemplo et auctoritate.

Primo, ratione sic, nam sicut creatura fit ex nihilo a Deo, sic remota manu omnipotentis uerteretur in nihil, ut dicunt Augustinus et Gregorius, anima est ex nihilo, corpus ex puluere. Et sic nihil est sine Dei uirtute; quando ergo se extollit in altum, iudicat de seipso falsum. Et sic non potest a Deo acceptari nec ad illum manum suam extendere, unde Ecclesiastici decimo dicitur: *quid superbis terra et cinis?* Et sic, cum Deus illum non approbet, non extendendo manum suam debet de necessitate cadere, unde Psalmi sexagesimo tertio:  
 105 *accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus*, etcetera. Item econuerso, ille qui cognoscit se esse nihil et sperat in Deo habet rectum iudicium de se et sic approbatur et apprehenditur manu omnipotentis et exaltabitur, unde Psalmi tricesimo tertio: *inxta est dominus his qui tribulato sunt corde et humiles spiritu saluabit*.

110 Secundo, probatur exemplo, sed cum hec propositio sit uniuersalis, opus illam probare secundum omnes status.

Et primo per patriarchas, nam Adam uoluit ascendere ultra id quod erat per superbiam et fuit prostratus, unde Psalmi quadragesimo octauo: *homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis*. Nam ante peccatum erat multum excellens eis, sed post peccatum sic frigus, sic calor, sic fames, sitis, etcetera, eum  
 115 molestabant et cetera animalia illi resistebant, etcetera. Sed patriarcha Abraham cum esset quasi nihil sic extimabat se, unde dicit Genesis decimo octauo: *loquor ad dominum meum cum sim puluis et cinis*, etcetera. Sic fuit exaltatus quod ex semine suo fuit mundus totus benedictus et redemptus.

---

83-84: I Tim. 6, 10. | 103: Sir. 10, 9. | 105: Ps. 63, 7-8. | 107-108: Ps. 33, 19. | 112-113: Ps. 48, 21. | 116-117: Gn. 18, 27.

80: Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 132, a. 4, p. 785. | 81: Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 162, a. 7, p. 948. | 85-86: Aug. Hipp., *De Liber. Arb.*, II, 19, 53. PL 32, 1269A. | 89-90: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 162, a. 2, pp. 940-941. | 100: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XIV, 11, 1. PL 41, 418AD; cf. Gre. Mag., *Hom.*, II, 26, 12. PL 76, 1203CD.

120 Secundo, patet hoc in regibus, nam ille rex Nabuchodonosor, Danihelis quarto, qui in tantum fuit eleuatus per superbiam quod uoluit adorari pro Deo, sic prostratus et minoratus septem annis, ut bestia in agro comedit fenum. Sed econuerso, ille rex Dauid humilis ualde, qui dicebat, Psalmi centesimo tricesimo: *domine, non est exaltatum cor meum neque elati sunt oculi mei neque habitauit in magnis*, etcetera. Item coram arca domini in iubilo humilis fuit, etcetera. Ideo: *de post fetantes accepit eum in regem*, in prophetam et de semine suo  
125 Christus uoluit descendere, unde dixit: *inueni uirum secundum cor meum*.

Tertio, in minori statu patet de publicano et phariseo, quia descendit hic iustificatus, alter uero condemnatus. Et nostris temporibus quot sunt qui eleuantes se subito cadunt et humiliantes se nimis ascendunt.

130 Tertio, patet auctoritate, et quia ubi est auctoritas magistri non opus est aliam querere, uidens Iesus hanc questionem esse manifestam et nobis necessariam dicit nunc: *omnis qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur*. Hoc quo ad primam partem.

135 Secunda pars est in qua uidebimus hanc conclusionem quod impossibile est: quod quis exaltetur nisi prius exemplo Christi humilietur. Humilitas autem Christi patet in euangelio hodierno quo ad tria, nam uenit ut amicus ad inimicos in principio euangelii: *cum intrasset Iesus in domum cuiusdam pharisei sabbato manducare*, etcetera. Secundo, uenit ut medicus ad egrotos: *et ecce homo quidam hydropticus*, etcetera. Tertio, uenit ut doctor, dicebat autem ad inuitatos: *cum inuitatus fueris*, etcetera. Et sic tripliciter se humiliauit. Primo, in incarnatione; secundo, in passione; tertio, in predicatione.

140 Primo, in incarnatione, unde Apostolus ad Philippenses secundo: *exinaniiuit semet ipsum formam serui accipiens*, etcetera. Et sic uenit ut amicus ad inimicos, unde Apostolus ad Romanos quinto: *cum inimici essemus, reconciliati sumus*, etcetera. Hoc autem fecit ad reprimendum superbiam illorum qui presumunt ex gule uel parentela, nam si filius Dei uenit ad sumendum carnem et fragilitatem nostram et ad hoc: ut esset filius uirginis et amicus et frater noster, quis presumat de genere, etcetera. Ideo dicit Augustinus: «erubescat  
145 superbire humana fragilitas, cum se depressit diuina maiestas». Idem alibi dicit: «erubescat homo superbus, pro quo humilis factus est Deus». Hoc autem tangit in prima parte euangelii: *cum intrasset Iesus in domum cuiusdam pharisei sabbato manducare panem et ipsi*, scilicet: pharisei, *observabant eum*, insidiando si aliquid faceret contra legem. Pharisei autem erant Christi inimici, nam cum essent hypocrite inuidebant Christo. Erant autem pharisei  
150 excellentiores in populo quo ad apparentiam, distincti in gestu et in habitu et in uictu. Habebant gestum humilem per hypocrisim, uestitum difformem in habitu, ut monachi, et decem precepta in frontibus et aculeos in fimbriis uestimentorum; etiam in uictu ieiunabant, etcetera. Et licet essent inimici, Christus uoluit propter utilitatem eorum ire ad domum suam ad manducandum. Moraliter intrauit Iesus in incarnatione in domum  
155 cuiusdam pharisei, scilicet: Ade, qui erat a nobis diuisus gestu, quia: *fecit Deus hominem rectum per gratiam*. Habitu nudus formatus et uestitus iustitia originali, uictu ex omni ligno paradisi, etcetera. Erat domus Ade hic mundus, quia Psalmista: *celum celi domino terram autem dedit filiis hominum* in persona Ade, etcetera. Manducauit panem nobiscum formam serui accipiens et habitu inuentus ut homo. Et sic ostendit se uerum hominem nobiscum  
160 manducando, etcetera.

119: cf. Dn. 4, 22. | 122-123: Ps. 130, 1. | 124: cf. Ps. 77, 70. | 125: cf. Act. 13, 22. | 130-131: cf. Lc. 14, 11. | 134-137: cf. Lc. 14, 1-8. | 139-140: Phil. 2, 7. | 141: Rm. 5, 10. | 147-148: cf. Lc. 14, 1. | 155: cf. Ecl. 7, 30. | 157-158: cf. Ps. 113, 24.

144-145: cf. Aug. Hipp., *Ep.*, CCLXIII, 2. *PL* 33, 1083B. | 145-146: Aug. Hipp., *En. In Psal.*, XVIII, 2, 15. *PL* 36, 163D.

Secundo, humiliatus in passione, in qua uenit ut medicus ad curandum et ex sanguine suo fecit medicamentum, unde Augustinus: «tunc uenit magnus medicus quando in toto mundo magnus iacebat egrotus», et sic ipse se dixit medicum. Matthei nono dicit: *non est opus ualentibus medicus, sed male habentibus*. Curauit nos in sanguine suo, unde Augustinus  
 165 Contra Quinque Hereses dicit: «fusus est sanguis medici et factus est medicamentum frenetici». Hoc autem fecit ut confunderet superbientes de magno dominio et principatu, nam rex regum non uenit ministrari, sed ministrare et pati pro nobis. Hoc autem tangitur in secunda parte euangelii: *et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum*. Et non audens postulare sanitatem propter phariseos Christus cognoscens eius desiderium et necessitatem dixit illis:  
 170 *si licet sabbato curare. Illis tacentibus Iesus apprehensum sanauit et tunc dixit: “cuius uestrum asinus aut bos”,* etcetera. Moraliter hic hydropicus erat Adam uel genus humanum in illo. Sicut enim hydropicus habet tria, sic Adam in tribus peccauit.

Primo, hydropicus habet membrorum corporis tumefactionem, per quam significatur superbia, unde Iob decimo quinto: *quid tumet contra Deum spiritus tuus*, etcetera?

175 Secundo, habet sitim: quanto plus bibit tanto magis sitit. Hoc significat auaritia, unde Iob decimo octauo dicit de auaro: *exardescit contra eum sitis*.

Tertio, habet fetorem in ore, per quam significatur gula, unde Isaie tricesimo quarto: *de cadaueribus eorum ascendit fetor*, etcetera. Item apprehensum sanauit, quia: *uere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portauit*. Item sanauit illum sabbato, quia feria sexta fecit  
 180 medicinam in die passionis et sabbato sanauit descendens ad limbum et extraxit uinctos, etcetera.

Tertio, humiliavit se Christus in predicatione et doctrina, unde, ut uerus doctor, dixit Matthei undecimo: *discite a me, quia mitis sum et humilis corde*. Vnde, ut uerus doctor, dum esset annorum duodecim, erat in medio doctorum et illum inuenerunt audientem illos et  
 185 interrogantem. Et sic prius audiebat, secundo interrogabat dando exemplum nobis, et ibidem dicitur quod: *erat subditus illis*. Vnde Bernardus: «attende quis quibus? Deus hominibus, cui angeli seruiunt, cui principatus et potestates obediunt», etcetera. Hoc autem tangitur in tertia parte euangelii; dicebat autem ad inuitatos: *cum inuitatus fueris*, etcetera, reprimens uitium ambitionis, nam ut dicit sanctus Thomas, secunda secunde, questione  
 190 centesima tricesima prima: «ambitio est inordinatus appetitus honoris», quod fit tripliciter, scilicet: appetendo excellentiam quam non habet; secundo, non referendo in Deum; tertio, in utilitatem proximi non referendo. Et sic magister noster in sua predicatione et doctrina instruxit doctores ne superbiant.

Et sic de his tribus habemus tria documenta.

195 De primo: sic Christus uenit ut amicus ad inimicos, sic nos faciamus, non speremus quod inimicus ueniat ad reconciliationem, sed ire ad illum et dicere qualiter scandalizauit, etcetera. Item exemplum dedit nobis ne de genere uel parentela superbiamur, nec matrimonium propter ignobilitatem dimittamus, ut multi faciunt retinentes filias donec

---

163-164: Mt. 9, 12. | 168-171: cf. Lc. 14, 2-5. | 174: Iob. 15, 13. | 176: Iob. 18, 9. | 177-178: Is. 34, 3. | 178-179: cf. Is. 53, 4. | 183: Mt. 11, 29. | 186: cf. Lc. 2, 51. | 188: cf. Lc. 14, 8.

162-163: Aug. Hipp., *Serm.*, CLXXV, 1. PL 38, 975B. | 165-166: Augustinus] *Auctor err.* cf. MF. Quodv., *Adv. Quin. Hae.*, VII, 30. CCSL 60, 297. | 186-187: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, I, 7. PL 183, 60A. | 190: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 131, a. 2, p. 779.

170: Aut] M autem. | 174: Iob decimo quinto] M, X Isaie quinto.

200 perduntur, et propter paupertatem non faciunt matrimonium. Contrarium fecit Christus, qui de uirgine carnem assumpsit et in paupertate natus fuit, etcetera.

De secundo: debemus notare ne sabbatum seruemus, ut antiqui, et in die dominica bona spiritualia faciamus.

205 De tertio: ne ambitionem queramus in ecclesia, sed humiles sedeamus et credamus quod qui sic humiliatur hic exaltatur per gratiam et in futuro per gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

SERMO CENTESIMVS DECIMVS QVINTVS IN DOMINICA VICESIMA POST PENTHECOSTES IN  
RECONCILIATIONE PENITENTIVM

<THEMA> *Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit*, Matthei nono.

Originaliter, etcetera.

5 Sententia est doctorum, maxime sancti Thome in prima parte, questione nonagesima  
quinta; et secundo, distinctione uicesima, quod Deus in fine omnium que creauerat, creauit  
hominem ut finem omnium rerum, quia: «finis est primus in intentione et ultimus in  
10 executione», ut dicit Aristoteles secundo Physicorum, et quod: «nos sumus quodammodo  
finis omnium ibidem». Dedit autem illi ut fieret ad imaginem Dei, et non solum hoc, sed  
fecit illum filium suum adoptiuum mediante gratia et uirtutes, quas ei dedit, non solum pro  
se, sed quod esset medium ad hoc, ut eo mediante alii illam reciperent. Non solum hoc, sed  
15 illum posuit in quadam naui innocentie, mediante qua si uellet, sine hoc quod transiret per  
undam culpe et pene posset ire ad portum felicitatis eterne. Sed fracta naui innocentie per  
inobedientiam, ipse fuit mersus in aquis culpe et amaris pene perdita mercantia gratie pro se  
et pro toto mundo, nihil aliud ei remansit nisi clamare ad Deum et respicere in celum, cum  
20 in terra nullum haberet adiutorem. Dicebat autem illud quod in persona sua dicebat Dauid,  
Psalmi sexagesimo octauo: *saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aque usque ad animam meam  
infixus sum in lyngo profundi et non est substantia, ueni in altitudinem maris et tempestas dimersit me,  
laboranti clamans rauce, facte sunt fauces mee, defecerunt oculi mei dum spero in Deo meo*. Et sic Deus  
omnipotens per suam infinitam misericordiam misit ei filium suum de celo, misit creatorem  
ad creaturam, filium naturalem ad filium adoptiuum, qui non sentit peccatum ad  
25 peccatorem. Et sic dicit Psalmista in persona eius: *misit de summo et accepit me et assumpsit me de  
aquis multis*, Psalmi decimo septimo. Venit igitur filius Dei ad hoc mare miserie, in quo  
perditus fuerat homo, et intrauit in nauiculam, scilicet: in uirginem Mariam. Sed unde maris  
illum non tetigerunt, nam in mari sunt duo, scilicet: unda fortune, que culpam significat, et  
30 salsedo amara, que significat penam. Christus autem non mersus fuit in undis culpe, quia  
peccatum non fecit, etcetera, sed bene habuit et recepit amaritudinem pene, quia: *uere  
languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portauit*, Isaie quinquagesimo tertio, etcetera.  
Accepit enim Christus aliquid de quolibet statu, qui fuerunt quattuor, ut dicit Magister in  
tertio, distinctione decima sexta.

Primus fuit status innocentie, in quo Adam fuit creatus, qui parum durauit. Secundus  
fuit post peccatum status culpe et pene. Tertius fuit status gratie. Quartus status glorie. Et  
sicut ad liberandos omnes uenerat, sic de quolibet statu aliquid accepit.

De primo, innocentiam, quia sine omni peccato fuit.

35 De secundo, penam et nullo modo culpam, nam super undam maris perambulauit solam  
salsedinem, que maxime est in superficie aque, nam sit per adustionem solis resoluendo  
subtilitatem aque et partes grossas adustas relinquendo, ut dicit Aristoteles secundo  
Meteororum. Et sic illam amaritudinem in se recepit et in undis uestigium culpe nullum

3: Mt. 9, 1. | 17-19: Ps. 68, 2-4. | 22-23: Ps. 17, 17. | 27-28: Is. 53, 4.

5: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 95, a. 1, p. 678; *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 20, q. 2, a. 3, p. 980. | 7-8: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 5, 196b23, p. 68; cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 1, a. 1 ad 1, p. 5. | 8-9: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 2, 194a35, p. 54. | 29: cf. Petr. Lom., *Sent.*, III, 16, 2. *PL* 192, 790B. | 37: cf. Alb. Mag., *Mete.*, II, 2, 17, p. 561b.

29: Accepit] M acceperit.

40 dimisit, unde Psalmi septuagesimo sexto: *in mari uia tua et semite tue in aquis multis et uestigia tua non cognoscentur.*

De tertio, accepit in se plenitudinem gratie.

De quarto, plenitudinem glorie. Omnia ista ipsa nauis recepit.

De primo, innocentiam nullum peccatum in se habendo.

45 De secundo, penam nullo modo culpam, unde Prouerbiorum tricesimo: *tria sunt mihi difficilia et quartum penitus ignoro, uiam nauis in mari*, scilicet: Maria nauicule, que cum esset pura creatura, nullum uestigium culpe in hoc mari reliquit.

De tertio, recepit plenitudinem gratie.

De quarto, plenitudinem glorie.

50 Si dicis: igitur equalis esset filio suo. Dicendum quod non, quia magna fuit differentia inter illa que Christus habuit et illa que uirgo in se recepit, nam filius habuit excellenter.

Primo, innocentia filii fuit naturalis ei, cum esset uerus Deus. Sed Maria potuit peccare; si non sustentaretur a manu Dei, peccaret de facto.

55 Secundo, pena Christi fuit redemptiua generis humani, non autem uirginis, sed meritoria, unde Isaie sexagesimo tertio: *quare rubrum est indumentum tuum*, etcetera? Respondit: *torcular calcaui solus et de gentibus non est uir mecum*, quia uirgo Maria fuit secum in uia eadem ambulando, sed non redemit, sed solus Christus fuit redemptor.

Tertio, habuit plenitudinem gratie, sed Christus illam habuit infinitam in genere gratie, quia: *non fuit datus ei spiritus ad mensuram.*

60 Quarto, plenitudinem glorie, sed Christus illam gloriam habuit in instanti creationis anime, uirgo uero post mortem et secundum mensuram gratie. Et sic fuit fons glorie, ut Deus, et ipsa illam gloriam ab ipso recepit. Posuit igitur filius Dei plenitudinem gratie pro toto mundo in nauiculam Marie, unde Bernardus: «totius boni plenitudinem contulit in Maria, ut si quid gratie, si quid uirtutis, si quid spei est, totum ab ea nouerimus redundare», ut dicit Bernardus. Quod autem Maria fuerit nauis patet tripliciter. Primo, ratione forme.  
65 Secundo, ratione materie. Tertio, ratione finis.

70 Ratione forme uel figure patet, nam sicut nauis est stricta in principio et fine, scilicet: in pupi et prora, in medio autem latissima, sic uirgo. Nam in principio fuit angusta sicut cetere uirgines in templo Salomonis; in fine, scilicet: per passionem filii, etiam angusta. In medio autem latissima, nam quando effecta fuit mater domini uenter eius continuit quem totus mundus non potuit continere, unde ecclesia: «quem celi capere non potuerunt tuo gremio contulisti». Ideo dicit Bernardus: «o uenter capaciosior celis, diffusior terris, latior elementis, qui», etcetera. Item fuit clausa inferius quo ad temporalia et aperta superior sperando a Deo gratias et uirtutes et dona.

---

39-40: Ps. 76, 20. | 44-45: Prv. 30, 18-19. | 54-55: Is. 63, 2-3. | 58: cf. Io. 3, 34.

62-63: Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 6. PL 183, 441AB. | 70-71: cf. Pseu. Bern. Cl., *Vit. Mys.*, IV, 12. PL 184, 644B. | 71-72: Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Nic. Cl., *In Nat. Dom.*, II, 2. PL 184, 834B.

75 Secundo, Maria fuit nauis quo ad materiam, nam constabat materia sua ex quattuor lignis pretiosis, ut ipsa dicit, Ecclesiastici uicesimo quarto: *ego quasi cedrus exaltata sum in Libano et quasi cipressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades et quasi oliua speciosa in campis*, etcetera. Fuit autem corpus huius nauiculae ex palma, nam corpus nauis est ad instar corporis hominis ex lignis magnis transversalibus et ex tabulis latis, quod nulli arbori potest conuenire nisi palme, nam palma habet ligna grossa et folia lata et longa, ut tabule. Et sic  
80 fuit corpus uirginis, nam palma notat uictoriam; et sic in carne uirginis habita fuit uictoria, nam illa uestiuit filium Dei ex sua carne, in qua uicit demonem, etcetera. Item ipsa in carne uictoriam habuit tripliciter.

Primo, uicit seipsam per uirtutem uirginitatis.

Secundo, mundum in paupertate.

85 Tertio, demonem in fortitudine. Et sic recte caro sua fuit ex palma secundo arbor siue malum huius nauis fuit ex cedro, que est arbor altissima, unde Hiezechielis uicesimo septimo: *cedrum de Libano tulerunt ut facerent tibi malum*.

Primo, arbor nauis a fundamento nauis procedit usque ad celum, si fas est dicere.

Secundo, omnes chorde nauis fundantur in illo.

90 Tertio, in illo est scala per quam descendit ille qui nauem descendit. Sic in uirgine hoc malum uel arbor fuit humilitas, que a fundamento nauis procedit et tendit usque ad summum. Omnes chorde, id est, omnes uirtutes, fundantur in illa, unde Augustinus: «cogitans magnam uirtutum fabricam construere de fundamento cogitet humilitatis».

95 Tertio, in illo est scala per quam ad ima descenditur, sic hic, unde Bernardus: «facta est Marie humilitas scala celestis, per quam saluator descendit ad terram». Et sic hec arbor siue malum nauis est potissima pars eius, in tantum quod si mercator uel negotiator uult ponere alique pretiosa in nauim, primo, malum respicit, si est fractum uel male preparatum, nam illo destructo perditur nauis. Sic fecit ille omnipotens Deus, unde Luce primo: *respexit humilitatem ancille sue*, etcetera. Item preter ista, duo sunt in nauis alia duo ligna, que sunt in  
100 malo transversa et ligata, in quibus ponitur uela. Et ista duo fuerunt in uirgine de cipresso et oliua et significabant charitatem uirginis erant duo, quia duo precepta charitatis, scilicet: *diliges dominum Deum tuum et proximum sicut teipsum*, etcetera. Erant inter se colligata, quia unum sine alio nihil ualet. Dexterum erat cipressus, quia sicut in cipresso forti non potest intrare aqua, sic charitatem Marie uirginis nulla aqua culpe potuit extinguere, unde  
105 Cantorum octauo: *aque multe non potuerunt extinguere charitatem*. Aliud lignum uersus sinistram fuit ex oliuo, quia notabat misericordiam uirginis uersus mundum, unde Bernardus: «quis misericordie tue, o uirgo beata», etcetera. Ex his duobus pendebat uela, id est, uoluntas Marie, plena uento, id est, gratia spiritus sancti.

110 Tertio, fuit Maria uirgo nauis respectu finis, nam sicut in mari nullus potest transire sine nauis, sic nec in isto mari huius mundi, de quo Psalmi centesimo tertio: *hoc mare magnum*, etcetera. Nullus ad gloriam potuit transire sine Maria uirgine. Exemplum nauis Noe, etcetera. Secundo, sicut ea que sunt pretiosa in partibus longinquis non possunt portari sine nauis, sic non potuerunt duci sine Maria. Vnde Prouerborum ultimo, loquens Salomon de

---

75-77: Sir. 24, 17-19. | 87: Ez. 27, 5. | 98-99: Lc. 1, 48. | 102: Lc. 10, 27. | 105: Ct. 8, 7. | 110: Ps. 103, 25.

93: Aug. Hipp., *Serm.*, LXIX, 1, 2. PL 38, 441A. | 94-95: Bernardus] *Auctor err.* cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCVIII, 10. PL 39, 2133C. | 107: cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429A.

115 ea dicit: *mulierem fortem quis inueniet? Procul et de ultimis finibus pretium eius*, quia de celo portauit pretiosa, scilicet: filium Dei, etcetera. Describit etiam ipsam ibidem dicens: *facta uelut nauis institoris de longe portans panem suum*, scilicet: panem uite, quia dicit ipse: *ego sum panis uite*, Iohannis sexto, panem angelorum et hominum, panem gratie. Vnde: *panem angelorum manducauerit homo*, Psalmi septuagesimo septimo.

120 Ideo si uolumus transire mare huius mundi, scilicet: a peccato in remissionem, opus per hanc transire. Si hoc non possumus sine gratia in hac est posita, si modum uolumus, opus sequi illum qui dixit, Iohannis decimo tertio: *exemplum dedi uobis*, etcetera. Igitur ascendamus hanc nauim, quia *Iesus ascendens in nauiculam transfretauit*. Ad hanc igitur, etcetera.

<THEMA> *Ascendens in nauiculam transfretauit*, ubi supra.

125 Due partes erunt. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda sancti euangelii expositiua. Sicut Christus non solum ascendit nauiculam innocentie, scilicet: uirginem Mariam, sed etiam nauiculam crucis propter peccata nostra, sic nos non solum debemus ascendere nauiculam baptismi, que est innocentie, sed etiam nauiculam penitentie, que est crucis. Nam ut dicit Hieronymus, De Penitentia, distinctione prima, “Secunda tabula”, quod: «baptismus est prima tabula, penitentia uero secunda tabula post naufragium». Hoc  
130 idem dicit Hostiensis in Summa, De Penitentia in principio. Et sic erit talis conclusio: quod cuilibet peccatori post baptismum necessaria est penitentia. Sed pro ista conclusione est notandum quod penitentia sumitur dupliciter, scilicet: pro uirtute et pro sacramento. Penitentia uirtus est necessaria, non autem sacramentum penitentie, ut dicit sanctus  
135 Thomas in tertia, questione octogesima sexta, secundo, obiectione. Vnde penitentia, ut est dolor a uoluntate, cum electione recta est uirtus uel actus eius, et sic in generali est a natura, sed cum aliqua determinatione est a lege ueteri, ut sacramentum a noua lege, ut dicit sanctus Thomas, tertia, questione octogesima quarta, septimo, obiectione. Quod autem penitentia omni peccatori post baptismum sit necessaria probatur tripliciter.

140 Primo, ratione gratie, que est causa uite eterne et non potest esse cum peccato mortali. Igitur opus quod prius expellatur peccatum, sed non potest expelli per baptismum, cum non possit iterari. Igitur opus quod expellatur per penitentiam, unde dicit sanctus Thomas in quarto, distinctione decima quarta, quod sicut se habet sacramentum baptismi ad peccatum originale, sic se habet penitentia ad peccatum actuale et mortale. Sed sine baptismo originale non potest remitti, igitur nec sine penitentia mortale.

145 Si dicis: gratia requiritur preueniens, sed in ultimo instanti uite potest dari gratia a Deo et nullum erit tempus penitendi, igitur, etcetera. Respondeo quod non est dandum ultimum instans uite, sed primum mortis, ut dicit Aristoteles in quarto et in sexto Physicorum. Nam cum detur primum instans, si daretur ultimum uite (cum inter duo instantia semper detur tempus medium), sequeretur quod in illo tempore medio nec esset uiuum nec mortuum,  
150 quod est impossibile, nam inter esse et non esse nullum est medium, sed quidquid dicamus de instanti in quocumque instanti, in quo detur gratia. Datur etiam penitentia, gratia informata qua mediante quis potest penitere, ut dicit sanctus Thomas in quarto, distinctione decima quarta, questione prima, articulo quinto ad ultimum argumentum.

---

114-116: Prv. 31, 10-14. | 116: Io. 6, 48. | 117-118: Ps. 77, 25. | 121: Io. 13, 15. | 122-123: cf. Mt. 9, 1. |

129: cf. Hier., *Ep.*, CXXX, 9. *PL* 22, 1115BC; cf. Gra., *Decr.*, II, 33, 3, 72. *PL* 187, 1548A. | 130: cf. Hen. Seg., *S. Aur.*, V, 38, col. 1550. | 134: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 86, a. 2, p.750. | 137: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 84, a. 7, p.734. | 141: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 8), lib. 4, dist. 14, q. 1, a. 4, p. 76. | 147: cf. Arist. Lat., *Phys.*, VI, 5, 235b6sq, pp. 233sq. | 152: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 8), lib. 4, dist. 14, q. 1, a. 5, p. 82.



155 Secundo, probatur conclusio ex parte peccatoris, qui post peccatum non uiuit uita  
spirituali. Igitur opus quod peccatum ab eo expellatur, sed hoc non fit nisi per penitentiam,  
igitur. Vnde Augustinus in libro De Penitentia dicit: «nemo sue uoluntatis arbiter  
constitutus potest nouam uitam inchoare nisi eum prius ueteris uite peniteat». Exemplum:  
infirmus non potest sanitatem recipere nisi morbus expellatur prius.

160 Tertio, probatur ex parte Dei, qui est offensus, et opus quod offensa tollatur per  
reconciliationem penitentiae.

Si dicis: actus fidei, qui penitentiam precedit, potest tantum intendi quod habeat  
remissionem culpe sine penitentia. Dicendum quod non sufficeret fides cum sit informis  
sine charitate.

165 Igitur dicis: sufficere ergo fides cum charitate et sic non erit necessaria penitentia.  
Dicendum quod non est charitas quando homo non dolet de offensa commissa, nam  
requirit charitas quod doleat de offensa in amicum commissa et quod amico homo studeat  
satisfacere.

170 Contra: sicut se habet auersio a Deo ad damnationem, ita conuersio ad Deum ad  
salutem. Sed auersio a Deo sine aliqua delectatione potest esse causa damnationis, ut in  
irato uel in blasphemo. Igitur conuersio ad Deum sine omni dolore potest esse causa  
salutis. Dicendum quod in conuersione ad bonum commutabile, licet non sit delectatio  
sensibilis, semper est placentia uoluntatis. Et sic opus quod in conuersione ad Deum  
iungatur displicentia et dolor, et hec est penitentia.

175 Si dicis: Christus sanauit hunc paralyticum sine penitentia, dicendo: *remittuntur tibi peccata*,  
et ad adulteram etiam, Iohannis octauo, igitur, etcetera. Dicendum quod triplex est uirtus  
peccata dimittendi: una auctoritatis, que in solo Deo est; alia ministerii, que fuit  
communicata apostolis et omnibus sacerdotibus; alia est media inter istas et est potestas  
excellencie, que fuit in Christo in quantum homo. Nam Christus instituit sacramenta et ex  
passione sua habent efficaciam. Et sic uirtus ista non est alligata sacramentis et sic ipse  
180 poterat peccata dimittere sine penitentiae sacramento, non autem sine uirtute penitentiae.  
Nam sine illa uirtute esset in peccatore impedimentum gratie et sic illam non reciperet, licet  
ipsam Christus daret. Videndo autem Christus hanc necessitatem penitentiae, uoluit ut  
precursor suus Iohannes Baptista predicationem suam sic inchoaret dicendo: *penitentiam  
agite*, etcetera, Matthei tertio. Etiam ipse Christus dixit Matthei quarto: *penitentiam agite*. Sed  
185 quia per ista uerba non concluderetur necessitas penitentiae, nec illam esse necessariam,  
dixit Luce decimo tertio: *si penitentiam non egeritis omnes simul peribitis*. Et non solum uerbo  
uoluit hoc demonstrare, sed exemplum. Nam: *ascendens in nauiculam transfretauit*. Quo ad  
primam partem.

190 Duo nobis ostenduntur in euangelio. Primum, qualis debet esse penitentia, et hoc in  
principio *ascendens*, etcetera. Secundum, que requiruntur ad illam: *et ecce offerebant ei  
paralyticum*, ut autem theologi notant in quarto, distinctione decima quarta, et canoniste in

---

174: cf. Mt. 9, 2. | 175: cf. Io. 8, 11. | 183-184: Mt. 3, 2; Mt. 4, 17. | 186: Lc. 13, 3. | 187: cf. Mt. 9, 1. | 190-191: cf. Mt. 9, 1-2.

156-157: Aug. Hipp., *Serm.*, CCCLI, 2. PL 39, 1537AB; cf. Gra., *Decr.*, II, 33, 3, 87, 2. PL 187, 1557A; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 68, a. 4, p. 543. | 191-193: cf. Petr. Lom., *Sent.*, IV, 14, 1. PL 192, 868D-870D; cf. Gre. IX., *Decr.*, V, 38, 1, col. 884; cf. Gra., *Decr.*, II, 2, 1, 19. PL 187, 593B; cf. Gra., *Decr.*, III, 2, 42. PL 187, 1750A.

171: Commutabile] M comutabile. | 175: Adulteram] X adulterum.

illo capitulo primo, De Penitentia et Remissionibus, et secunda, questione prima, “Si peccauerit”, et De Consecratione, distinctione secunda, “Ego Berengarius”. Duplex est penitentia, quedam stricta et occulta, alia publica et manifesta. Secreta est que sit ad pedes sacerdotis de propriis peccatis, sed manifesta est que sit de criminibus manifestis. Et sit propter tria.

Primo, quia medicina debet respondere infirmitati et quia: «pene sunt medicine». Culpe, quando est culpa publica et manifesta, debet tunc esse eadem medicina.

Secundo, fit propter hoc: ut uidentes confusionem illorum peccatorum abstineant ab illis.

Tertio, ne malis desperent, uidentes grauitatem peccatorum et facilitatem uenie. Sed licet sit publica uel secreta, penitentia debet habere formam nauis tripliciter.

Primo, ratione necessitatis. Nam sicut quis non potest transire mare sine nauicula sic *hoc mare magnum*, etcetera, Psalmi centesimo tertio, non potest a peccatoribus pertransiri sine penitentia, ut diximus.

Secundo, ratione eorum que sunt in nauis. Nam sicut nauis est angusta in principio et in fine, ut diximus, sed lata in medio, sic penitentia est in principio stricta et arta in repressione sensualitatis, in dolore contritionis, erubescencia confessionis, in fuga occasionum, in dediscendo consueta et in assuefaciendo amara. Propter hoc dicitur Matthei septimo: *quam angusta est porta*, etcetera. Sed inuitat ad illam dicendo, Luce decimo tertio: *contendite intrare per angustam portam*, etcetera. Etiam est stricta in pupi, scilicet: considerando finem nostrum, scilicet: quam subitus quam improuisus quot temptationes tunc parantur. Et sic ut penitens bene regatur debet esse in pupi, scilicet: in fine, considerando illum ut nauta, nam ut dicit Hieronymus: «facile omnia contemnit qui cogitat se esse moriturum». In medio autem, scilicet: in carina, debet esse lata et ampla progrediendo iugiter de uirtute in uirtutem. Vnde Psalmi decimo septimo: *eduxit me in latitudinem, saluum me fecit*, etcetera. Debet esse clausa inferius contemnendo temporalia que fluunt, ut aque; aperta superius sperando in misericordia Dei. Et sicut tunc nauis est securior quando magis distat a terra, sic est de penitentia quando magis a terrenis distat.

Item tertio, debet habere malum, scilicet: arborem, per quod denotatur humilitas. Nam penitentia que humilitatem non habet est sicut nauis sine arbore, cum omnes uirtutes fundentur in humilitate, ut diximus. Debet autem habere crucem arbor ista, nam penitens debet habere semper memoriam passionis, unde Gregorius: «nihil a Deo tam durum et asperum quod equo animo non tolleretur, si passio Christi ad memoriam reuocetur». Debet etiam habere ancoram, que dicitur fides. Nam sicut est una habens tres aculeos, sic fides est de uno Deo et habet tres personas in se. Sed sicut ancora ligatur nauis, sic fides debet fortiter ligari per corda spei, ut non soluatur, etcetera. Hoc autem tangitur in prima parte euangelii dicens: *ascendens Iesus in nauiculam transfretauit*. Noluit autem pati in occulto, quia patiebatur pro delicto publico totius mundi. Vnde Apostolus: *extra portam passus est, exeamus igitur ad eum extra castra improprium eius portantes*, ad Hebreos ultimo. Et sicut pro delicto totius mundi patiebatur, sic in medio mundi uoluit pati. Sed ne dicerent iudei quod solum

203-204: Ps. 103, 25. | 210: Mt. 7, 14. | 211: Lc. 13, 24. | 216: Ps. 17, 20. | 228: cf. Mt. 9, 1. | 229-230: Hbr. 13, 12-13.

197: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, II, 2, 04b17, p. 8. | 214: Hier., *Ep.*, LIII, 10. PL 22, 549C. | 223-224: Gregorius] *Auctor err.* cf. MF. Ambr. Aut., *De Conf. Vit.*, IX. CCCM 27B, p. 915.

193: Berengarius] M, X Veregarius. | 216: Decimo septimo] M, X uicesimo septimo.

propter ipsos patiebatur, noluit in templo nec in aliqua domo ciuitatis pati, sed extra ciuitatem, ut nobis daret exemplum quod uerecundandum est de peccato, sed non de penitentia quantumcumque publica fuerit, etcetera. In secunda parte euangelii ostendit nobis que requiruntur ad penitentiam, nam sunt tria, scilicet: integritas, simplicitas et discretio.

Primo, quod sit integra omnium peccatorum. Nam remanente aliquo peccato non potest recipere gratiam, quia cum peccato stare non potest.

Secundo, quod sit simplex non impaliata nec simulata, ut est penitentia hypocritarum.

240 Tertio, quod sit discreta, ut in confessione secreta nihil de aliqua alia persona dicatur, quia in illa agitur de bono priuato illius persone. Et sic solum sua peccata debet narrare et de aliis solum in genere quantum requirit explicatio circumstantie alicuius. Sed in foro publico tenetur dicere de omnibus aliis, quia in illo agitur de bono publico, ut habetur in capitulo “Gaudemus”, Qui Filii Sint Legitimi. Conuersio ad Christum est bonum publicum et sic in inquisitione agitur de fide Christi et de bono totius ecclesie. Et sicut ille qui scit prodicionem ciuitatis alicuius et non reuelat illam est dignus maxima punitione, sic qui scit prodicionem contra fidem Christi, etcetera. Et sic tenetur de omnibus dicere, maxime quando interrogatur mediante iuramento. Hoc autem tangitur in euangelio, ubi dicitur: *et ecce offerebant ei paralyticum*, etcetera. Cum autem Christus esset in sua ciuitate, scilicet: 250 Capharnaum, nam secundum Chrysostomum, Christus quattuor habuit ciuitates, scilicet: «Bethleem ad nascendum elegit, Nazareth ad educandum, Capharnaum ad miracula faciendum, Hierusalem ad moriendum et patiendum». Et sic cum Christus esset in Capharnaum, adduxerunt ad eum paralyticum iacentem in lecto, et ut dicit Marcus capitulo secundo: *portabatur a quattuor*, et ut dicit Lucas capitulo quinto, cum propter turbam non possent intrare per portam domus, miserunt paralyticum per tectum remotis tegulis. 255 Moraliter paralyticus est peccator, maxime hereticus. Nam paralyticus est quasi mortuus non habens sensum nec motum in aliquo membro, sed alii peccatores habent fidem, licet informem, et: *iustus ex fide uiuit*, Abacuc secundo capitulo. Portant autem ad quattuor ad penitentiam.

260 Primum est timor seruilis, scilicet: de iudicio finali de purgatorii, penis et inferni.

Secundum est spes uenie.

Tertium fides preueniens ipsam penitentiam. Nam credit quod: «nullum malum impunitum nec bonum irremuneratum».

265 Quartum est amor Dei ex his que propter nos fecit et passus fuit, unde Psalmi centesimo decimo quinto: *quid retribuam domino pro omnibus que tribuit mihi? Calicem salutaris accipiam*, etcetera. Sed turbe impediunt uenire ad penitentiam. Est autem triplex turba.

Prima cogitationum interiorum. Cogitat autem de genere uel honore, etcetera.

---

248-249: cf. Mt. 9, 2. | 254: Mc. 2, 3; cf. Lc. 5, 19. | 258: Hab. 2, 4. | 265-266: Ps. 115, 12-13.

244: cf. Gre. IX., *Decr.*, IV, 17, 15, col. 717. | 250-251: cf. Io. Chrys., *Hom. In Mt.*, XXIX, 9, 1. PG 58, 357C; cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Mt., IX, 1, p. 149. | 262-263: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm. Ad Fr. In Er.*, XLI. PL 40, 1315D.

262: Fides] M fidens.

Secunda est sollicitudo temporalium diuitiarum dicendo: “si confiteor, perdam bona”, etcetera.

270 Tertia est domesticorum, unde: *inimici hominis domestici eius*. Ista turba retrahit peccatorem a penitentia tripliciter.

Primo, ut non ueniat coram Christo uel inquisitore, qui stat loco eius, sicut hic in proposito. Nam non permittebat turba ut ueniret coram Christo.

275 Secundo, retrahit ut non cognoscat Christum, sicut quando uenit filia nutrita in heresi per doctrinam matris uel pater et mater dicendo filie uel filio quod ueritas est illud legis mosaice uel Machometi. De ista turba habetur Luce decimo nono de Zaccheo, qui non poterat uidere Christum propter turbam, etcetera.

280 Tertia, quando non permittit confiteri ueritatem, ideo Christum, qui est ueritas, ut habetur Matthei uicesimo de duobus cecis circa ciuitatem Hiericho, qui: *clamabant ueritatem dicentes: “Iesu fili David, miserere nostri”*, sed turba non sinebat eos confiteri, sed compellebat tacere. Sic faciunt multi, qui propter ignominiam parentum uel propinquorum dicunt quod non confiteantur ueritatem, ut ne perdant bona, etcetera. Sed uideant quid debent facere.

285 Primo, Zaccheus ascendit in arborem ut uideret Christum. Sic quando alicui dicitur quod non ueniat nec cognoscat ueritatem Christi debet ascendere in arborem crucis et confideret mirabilia que Christus fecit, nam sol obscuratus fuit, *terra mota, monumenta aperta, petre scisse*, etcetera. Et sic dicit Hieronymus quod omnia elementa cognouerunt Christum patientem, et sic centurio, qui ante nunquam Christum cognouit, tunc dixit: *uere filius Dei erat*, etcetera. Et sic ascendendo in arbore crucis per contemplationem cognouit Christum esse uerum Deum et ea que fingunt iudei et agareni esse falsa et fabulosa.

290 Secundo, hic paralyticus impeditur a turba ne uideat Christum, sed ipse, dum non potuit intrare per portam, intrauit per tectum. Sic debet facere uere penitens si non intrat per portam penitentiae, que est contritio, intret per attritionem, que est ut tectum in penitentia.

295 Tertio, illi ceci dum increpabantur ut sileret, illi magis clamabant dicendo: *Iesu, fili David*, etcetera. Debent igitur penitentes uenire ad inquisitores et ipsi inquisitores ad exemplum istorum debent illos portare compatiendo, subleuare exhortando, inferre per tectum reconciliando, unde dicit Christus, Luce decimo tertio: *compelle eos intrare*, etcetera. Et dum ponetur per tectum, inuenit Iesum predicantem, nam semper inquisitor debet predicare, ut penitentes confiteantur et saluentur. Vidit autem Iesus illum cum duobus oculis, dexterum misericordie; sinistrum habebat iustitie. Nam melius est reddere ratione de misericordie quam de crudelitate, etcetera, unde: «Deus cui proprium est misereri et parcere».

300 Igitur cum officium Dei pronus debet esse ad miserendum, etcetera, et dicere ut Christus: *confide, fili*, et fortificare illum in fide, et si penitentes faciunt hoc et etiam confessores, omnes hic habebunt gratiam et in futuro gloriam, quam nobis, etcetera. Amen.

---

270: cf. Mt. 10, 36. | 276: cf. Lc. 19, 3. | 279-280: Mt. 20, 31. | 285-286: cf. Mt. 27, 51-52. | 287-288: cf. Mt. 27, 54. | 293: cf. Mt. 20, 31. | 296: Lc. 13, 24. | 302: cf. Mt. 9, 2.

286: cf. Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, IV, 27, 52. PL 26, 213A. | 300: cf. *Missa latina*. PL 138, 1306C.

SERMO PRIMVS EST DOMINICA DVODECIMA POST PENTHECOSTES EST TRICESIMVS  
 QVARTVS FACTVS PRO CONVERSIONE AGARENORVM

SERMO CENTESIMVS DECIMVS SEXTVS ET SECVNDOVS IN EADEM DOMINICA VICESIMA  
 PRIMA POST PENTHECOSTES IN PROCESSIONE PRO PLVVIA

5 <THEMA> *Venite ad nuptias*, Matthei uicesimo secundo.

Originaliter recitatieue autem, etcetera.

10 Sententia est Gregorii in homilia quod in incarnatione filii Dei fuerunt celebrate  
 solennes nuptie, ad quas totus mundus fuit inuitatus, et soli perditii fuerunt qui noluerunt  
 ad illas uenire. Tres autem rationes sunt propter quas aliqui recusant uenire uel non ire ad  
 nuptias.

Prima est quando sunt non multum propinqui in consanguinitate sponsi uel sponse.  
 Puta si sunt in quarto uel quinto gradu consanguineitatis et tunc nolunt ire ad nuptias, quia  
 non multum obligatur.

Secunda, quando sponsus est pauperrimus, ut non faciant illum magis pauperem.

15 Tertia, quando non est multum liberalis uel non dat bono animo ea que dare debet.

Sed nos non possumus renuere uenire ad nuptias propter aliquam istarum causarum.

20 Primo, non propter defectum parentele uel sponsi aut sponse, nam si angeli ad has  
 uenerunt ad seruiendum, ut patet Luce primo: *et in natiuitate eius*, etcetera, multo magis  
 homines debent ad has uenire, quia sunt propinquiores in gradu consanguineitatis. Homo  
 enim magis attinet Christo quam angelus, quia homo est frater Christi ex parte patris et  
 matris, non sic angelus.

Primo, Deus angelum de progenie sua fecit quando ad imaginem suam illum fecit, sed  
 etiam homo ad imaginem Dei factus et ad similitudinem magis quam angelus tripliciter.

25 Primo, quo ad essentiam, nam sicut Deus per essentiam est totus in toto mundo et in  
 qualibet parte totus, non sic de angelis, sed ut dicit Philosophus octauo Physicorum, prima  
 intelligentia est in circumferentia primi mobilis, quia uelocius mouetur et in oriente, quia  
 primo mouetur.

30 Secundo, quo ad personarum processionem, nam sicut filius est a patre et spiritus sancti  
 a patre et filio, sicut Eua ab Adam et ab utroque Seth et sic unus homo est ex alio, non  
 autem sic in angelis, sed omnes simul creati fuerunt.

Tertio, quo ad dominium exteriorem, nam sicut Deus est dominus simpliciter totius  
 orbis, sic homo quodammodo, nam omnia fecit propter hominem, unde Psalmi octauo:  
*omnia subiecisti sub pedibus eius*, etcetera. Ideo homo dicitur «minor mundus» a Philosopho,  
 octauo Physicorum, quia omnia que sunt in mundo sunt in homine. Etiam angeli facti

---

5: Mt. 22, 4. | 18: Lc. 1, 14. | 33: Ps. 8, 8.

7: cf. Gre. Mag., *Hom.*, II, 38, 3. *PL* 76, 1283B. | 25: cf. Arist. Lat., *Phys.*, VIII, 6, 259a12, p. 308; cf. Th. Aq.,  
*Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 17, q. 1, a. 1, p. 882. | 33: cf. Arist. Lat., *Phys.*, VIII, 2, 252b26, p. 285; cf. Th.  
 Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 2, a. 8, p. 22.

14: Secunda] X secundo.

35 fuerunt propter hominem, tum ad mouendum celum ut influeret, tum etiam ad custodiam  
 animarum, nam ut dicit Apostolus ad Hebreos primo: *«omnes sunt administratorii spiritus in*  
*mysterium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Vnde qui omnes dixit nullum exclusit.  
 Omnes enim mittuntur ad salutem, superiores ad medios, medii ad infimos et infimi ad  
 40 nos», et sic dicit Aristoteles secundo Physicorum: «sumus enim nos quodammodo finis  
 omnium», etcetera.

Et sic si angelum fecit Deus de progenie sua dando imaginem suam illam. Etiam dedit  
 homini et etiam similitudinem suam, ut diximus, quod non sic dedit angelis.

Item secundo, si angelum fecit de progenie sua, ipse etiam se fecit de progenie nostra,  
 scilicet: quando *uerbum caro factum* fuit, quod non fecit in angelis.

45 Tertio, quia angelus tantum attinet Christo ex parte patris, quia Deus pater est pater  
 Christi per eternam generationem et est pater angelorum per creationem, sed homini  
 Christus attinet ex parte patris sicut angelus, unde dicit Deuteronomii tricesimo secundo:  
*non ipse est pater tuus, qui possedit, fecit et creauit te?* Quasi dicat: sic et etiam ex parte matris, que  
 non est angelus. Vnde de hominibus dixit Psalmista uicesimo primo: *narrabo nomen tuum*  
 50 *fratribus meis.* Non dixit hoc de angelis.

Quarto, quia Deus contraxit parentelam cum angelo solummodo dando quando, scilicet:  
 filiam suam, id est, imaginem suam, illis dedit, cum homine uero contraxit dando etiam  
 filiam suam, id est, imaginem suam, et recipiendo sororem nostram, id est, humanitatem.  
 Et sic maxime parentela contrahitur quando simul accipit et dat. Exemplum: serenissimus  
 55 princeps noster Iohannes sic contrahit cum imperatore et filio suo, nam non solum accipit  
 filiam suam, sed etiam dat sororem suam, sic est in proposito. Et sic si angeli non recusant  
 uenire ad has nuptias, cum nos simus propinquiores in parentela et consanguinitate nec  
 debemus recusare.

Secundo, non propter paupertatem sponsi, nam est diues in omnibus, nam: *in illo sunt*  
 60 *omnes thesauri sapientie et scientie Dei absconditi,* ad Colossenses secundo. Vnde cum totus  
 mundus esuriret per istum satietatem habuit. Vnde Psalmi centesimo sexto: *esurientes et*  
*sitientes anima eorum in ipsis defecit et clamauerunt ad dominum cum tribularentur,* etcetera. Infra:  
*satiavit animam inanem,* etcetera.

Tertio, non propter auaritiam sponsi, unde ad Romanos octauo: *nonne donauit nobis omnia*  
 65 *bona cum illo?* Sponse dedit infinitam gratiam pro se et pro parentela tota? Iohannis primo: *de*  
*plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam,* etcetera. Vnde liberaliter dicit nobis: *uenite ad me*  
*omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam uos,* Matthei undecimo. Sed quia in conuiuuiis sepe  
 dominus est largus et dispensator auarus, non sic hic. Nam cum Maria uirgo fuerit mater  
 sponsi filii Dei, dicitur “mater gratie”, et cum fuerit mater sponse, id est, humanitatis, et sic  
 70 peccator dicitur “mater misericordie”, non potest nisi liberaliter nobis dare. Exemplum in  
 nuptiis quando dixit: *uinum non habent,* Iohannis secundo. Vnde Isaie quadragesimo nono:  
*numquid potest obliuiscere mater infantem suum?* Quasi dicat: non. Sic neque uirgo Maria, unde  
 Ecclesiastici uicesimo quarto dicit: *in me omnis gratia,* etcetera. Et: *ego mater pulchre dilectionis;*  
 inuitat nos dicendo: *transite ad me omnes,* etcetera.

---

36-37: Hbr. 1, 14. | 44: cf. Io. 1, 14. | 48: Dt. 32, 6. | 49-50: Ps. 21, 23. | 59-60: Col. 2, 3. | 61-63: Ps. 106, 5-9. | 64-65: Rm. 8, 32. | 65-66: Io. 1, 16. | 66-67: Mt. 11, 28. | 71: Io. 2, 3. | 72: Is. 49, 15. | 73-74: Sir. 24, 24-26.

36-39: cf. Iac. Var., *Serm. De San.*, II, 252, f. 368v. | 39-40: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 2, 194a35, p. 54.

75 Igitur si propinquissimi sponsi huius estis, ibi est gratia pro omnibus nobis, ibi uoluntas dandi. Igitur si uultis illam habere, *uenite ad nuptias*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Venite ad nuptias*, loco et capitulo ubi supra.

80 Sicut homines dant tres refectiones laborantibus in uita presenti, primam in mane, que dicitur uulgariter “collatio”; secundam in meridie, que dicitur “prandium”; tertiam in sero finita die, que dicitur “cena”, sic Deus omnipotens tria conuiuia fecit nuptiarum. Primum in principio diei, scilicet: in creatione, quod fuit fidei, unde de primo habetur Osee secundo capitulo: *sponsabo te mihi in fide*. Secundum fuit gratie in incarnatione, quod fuit prandium, de quo habetur in presenti euangelio. Tertium fuit glorie in fine seculi pro omnibus et dicitur  
85 cena, ut habetur Luce decimo quarto: *homo quidam fecit cenam magnam*, etcetera.

Primum igitur fuit fidei in creatione Ade, nam dedit ei imaginem et similitudinem suam, ut diximus, et arra fuit fides, nam licet gratia ei etiam tunc fuit data, illa perdita, remansit fides, licet informis.

90 Si forte dicis quod Adam non habuit fidem, que «est de non uisis». Ipse autem diuinam essentiam uidebat tunc, quia erat beatus. Vnde Augustinus quarto De Ciuitate Dei et Damascenus in secundo dicunt quod Adam in paradiso ducebat uitam beatam, quod facere non poterat sine uisione diuine essentie. Dicendum quod illi non dicunt quod fuisset perfecte beatus, sed in quantum habebat uitam, non sicut nos. Et sic dicebatur beatus, sicut  
95 quando uidebimus aliquem in aliquo optimo statu dicimus: “beatus est ille”. Sic dicit sanctus Thomas in prima, questione nonagesima quarta; et in Questionibus De Veritate, questione decima octaua, et sic tunc secundum communem statum non uidebat diuinam essentiam. Bene autem potuit uidere illam aliquo modo ex priuilegio, ut fecit Paulus et etiam Moses, sed non secundum communem statum, nam tunc «simul esset uiator et  
comprehensor», quod fuit priuilegium Christi.

100 Si dicis quod clarum est quod pro tunc uolebat uidere, si igitur non uidebat illam affligebatur in anima sua, sed cum talis afflictio fuerit pena, que non poterat ei dari sine culpa, quam tunc non habebat, quia ante peccatum erat igitur uidebat illam. Dicendum quod non affligebatur, quia non erat in statu illam uidendi et uoluntas sua erat regulata, quod uolebat illam, sed pro tempore quando esset conueniens. Exemplum: dum rex est  
105 Cesaraguste, si quis rusticus uenit a uilla uolens regem uidere, clarum est quod dum uenit per uiam non habet afflictionem non uidendi regem, sed si dum esset in palatio illum non uideret, tunc affligeret, sic in proposito. Et sic Adam (ut dicit sanctus Thomas, ubi supra) non solum habuit fidem de creatore, sed etiam de reparatore, quando Genesis secundo dixit: *hoc nunc os ex ossibus meis*, etcetera, *propter quod relinquet homo patrem et matrem*, etcetera.  
110 Vnde Apostolus ad Ephesios quinto: *sacramentum hoc magnum est, magnum dico in Christo et ecclesia*. Vnde figurabat ecclesiam, ut dicit Magister in quarta, distinctione uicesima sexta, et habetur in capitulo “Debitum De Bigamis”, et illi doctores, maxime Innocentius. Et sic in istis primis nuptiis fuerunt secunde reuelate. Habuit igitur Adam reuelationem de

76-78: cf. Mt. 22, 4. | 83: Os. 2, 20. | 85: Lc. 14, 16. | 109: Gn. 2, 23-24. | 110-111: Eph. 5, 32.

89: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 7, a. 4, p. 65. | 90-91: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XIV, 10, 1. PL 41, 417AB; cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, II, 11. PG 94, 911A. | 95: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 94, a. 2, p. 674; *Qu. De Ver.* (vol. 2), q. 18, a. 5, p. 545. | 98-99: cf. Sim. Cas., *De Gest.*, XIV, 9, p. 901; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), III<sup>a</sup>, q. 7, a. 8, p. 70. | 107: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 67, a. 4, p. 472. | 111: cf. Petr. Lom., *Sent.*, IV, 26, 6. PL 192, 909D-910A. | 112: cf. Gre. IX., *Decr.*, I, 21, 5, col. 147.

108: Reparatore] M raparatore.

115 redemptore uel de incarnatione filii Dei, ut ordinabatur ad liberationem a peccato, quia:  
 «tunc esset prescius sui peccati», ut ait sanctus Thomas, secunda secunde, questione  
 secunda, articulo septimo.

120 Secunde nuptie fuerunt gratie in incarnatione, scilicet: quando fuit perfecta dies mundi  
 in meridie, unde Apostolus: *at ubi uenit plenitudo temporis misit Deus filium suum*, ad Galatas  
 quarto. Tunc erat et fuit maximus calor charitatis, quia: *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum*  
 125 *unigenitum daret*. Tunc maxima lux, quia uenit ille qui *illuminat omnem hominem*, etcetera,  
 Iohannis primo. Fuerunt igitur iste nuptie inter uerbum et naturam humanam, et natura  
 humana fuit sponsa, sed ut dicit Gregorius, quia semper matrimonium et nuptie sunt inter  
 130 duas personas, quia *erunt duo in carne una*, et ibi non sunt due persone, sed una persona  
 assumens, et natura assumpta in illa persona. Nam dicere quod persona assumpsit  
 personam esset hereticum. Exemplum: quando ponimus arborem paruam circa arborem  
 aliam et iunguntur in trunco, aliquando sic uniuntur quod uidetur una arbor, non quod non  
 habeant radices distinctas, et quelibet arbor sustentatur a se, licet sint unite non fuit. Sic  
 135 quod ille homo non fuit homo nec suppositum ante unionem, sed uniendo fuit  
 suppositum in persona diuina et non fuit alia persona, sed illa que ab eterno erat.  
 Exemplum: quando est aliqua arbor antiqua et sumimus ramum alterius arboris et inseritur  
 in illa. Clarum est quod non fuit arbor illa pars arboris, sed natura arboris et in insertione  
 efficitur arbor, sed non alia quam illa que erat antiqua, et non dicimus quod sint plures  
 arbores, sed una. Sic in proposito, natura humana fuit quasi inserta in diuina persona. Igitur  
 140 cum non fuit persona sponsa dicit Gregorius quod melius est dicere quod sponsa fuit  
 ecclesia, nam uniendo sibi naturam humanam, que erat pars ecclesie, uniuert sibi ecclesiam.  
 Sed in incarnatione fuerunt sponsalia per uerba de presenti, sed nuptie facte fuerunt in  
 Christi passione et morte. Nam licet sponsa pertineat ad sponsum, sed sponsus in die  
 nuptiarum ponit illam in potestatem suam, sic Christus in die mortis de ecclesia in quantum  
 homo dixit, Matthei uicesimo octauo: *data est mihi omnes potestas in celo et in terra*. Item sponsa  
 145 acquiritur sponso in die nuptiarum, sic Christus ecclesiam, unde Actuum uicesimo dicitur  
 de ecclesia quod: *ecclesia acquisiuit sanguine suo*. Item sponsus in die nuptiarum pulcherrimam  
 facit sponsam, sic Christus, ad Ephesios quinto: *uiri diligite uxores uestras sicut Christus dilexit*  
*ecclesiam et tradidit seipsum, ut exhiberet sibi ecclesiam non habentem neque rugam*.

145 Tertie nuptie sunt glorie, de quibus Luce decimo quarto: *homo quidam fecit cenam magnam*,  
 etcetera. Nam iste de quibus dicit Matthei capitulo uicesimo secundo, pertinent ad  
 ecclesiam militantem, ille de quibus dicit Lucas ad ecclesiam triumphantem. Nam in istis  
 congregantur boni et mali, in illis solum boni, in istis mittitur aliquid extra ipsas, de illis  
 nullus extrahitur, cum beatus beatitudinem perdere non possit. Ideo alie dicebantur  
 150 “prandium”, iste tertie dicuntur “cena” et in hac sponsus erit Christus, sponsa anima, arra  
 erit gloria, unde Apocalypsis decimo nono: *beati qui ad conuiuium nuptiarum agni uocati sunt*.  
 Sed sicut nuptie gratie presupponuntur ad nuptias gratie, sic nuptie gratie presupponuntur  
 ad nuptias glorie, quia nullus in nuptiis glorie potest intrare nisi prius intret in istis gratie.  
 Ideo tamquam ad necessarias Christus ad has nos inuitat dicendo: *uenite ad nuptias*. Quo ad  
 primam partem.

155 Secunda pars sermonis est euangelii, in qua duo sunt uidenda.

Primo, *uenite ad nuptias* uirginis filii naturalis. In principio: *simile est regnum celorum*, etcetera.

118: Gal. 4, 4. | 119-120: Io. 3, 16. | 120: Io. 1, 9. | 123: cf. Mc. 10, 8. | 139: Mt. 28, 18. | 141: Act. 20, 28. | 142-  
 143: Eph. 5, 25-27. | 144: Lc. 14, 16. | 145: cf. Mt. 22, 2. | 146: cf. Lc. 14. | 150: Apc. 19, 9. | 153: cf. Mt. 22, 4.

115: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 2, a. 7, p. 26. | 122: cf. Gre. Mag., *Hom.*, II, 38, 3. *PL.* 76, 1283B. |  
 134: cf. Gre. Mag., *Hom.*, II, 38, 3. *PL.* 76, 1283B.



Secundo, *uenite ad nuptias* nostri deuoti hospitalis, ibi intrauit rex, ut uideret, etcetera, et uidit hominem, etcetera. Iste autem nuptie filii uirginis Marie fuerunt solemnes tripliciter.

Primo, propter personas inter quas fiunt.

160 Secundo, propter inuitatos.

Tertio, propter locum.

Primo, pater *rex regum et dominus dominantium* fecit illas de filio suo qui fuit sponsus, angelus fuit nuntius, natura humana sponsa, nam sicut dicitur de duabus personis quod *erunt duo in carne una*. Sic in incarnatione fuerunt due nature in una persona diuina.

165 Secundo, fuerunt solemnes, quia totus mundus uocatus, licet principaliter inuitatus fuerit populus iudaicus.

Tertio, fuerunt solemnes ratione loci in quo facte fuerunt, qui fuit uirgo Maria.

Ipsa enim habuit triplex officium in his.

170 Primo, fuit procuratrix totius mundi, nam sicut matrimonium potest fieri per procuratorem, sic fuit ibi. Ipsa enim, ut dicit Augustinus et Bernardus, dedit consensum pro toto mundo quando dixit: *ecce ancilla domini, fiat*, etcetera. Vnde dicunt predicti uirgini Marie: «da uerbum et suscipe uerbum, da temporale et suscipe eternum».

175 Secundo, fuit mater sponse et sponsi. Sponse metaphysice: sicut aqua a qua sumitur parua portio aque dicitur “mater” illius, sic uirgo Maria fuit mater nature illius, que fuit assumpta a Maria. Sed filii fuit mater uera et perfecta, quia habuit omnia necessaria ad ueram matrem, ut dicit sanctus Thomas, tertia, questione uicesima quinta, quinto, obiectione; et tertio, distinctione nona, questione secunda, secundo, obiectione; et Contra Gentiles quarto, capitulo quadragesimo tertio.

180 Tertio, fuit thalamus ornatus ad has, unde Psalmi decimo octauo: *in sole posuit tabernaculum suum et ipse*, scilicet: filius Dei, *fuit tamquam sponsus procedens de thalamo suo*, id est, de utero, etcetera. Et sicut omnia pretiosa ponuntur in thalamo et dantur matri, ut ipsa diuidat per totam parentelam, sic omnia fuerunt communicata uirgini Marie, ut daret omnibus nobis omnia necessaria. Sed cum in presenti desideremus pluuiam, ad hanc recurrimus tamquam ad matrem et dispensatricem gratiarum, nam cum pluuia habeatur et speretur a nube, hec est illa nubes, de qua Isaie quadragesimo quinto: *rorate celi desuper et nubes pluant iustum*. Hec igitur nubes dedit nobis iustum super iustum, scilicet: Christum filium Dei.

190 Secundo, si gratia speratur a uena uel a fonte, uena secreta fuit Christus, qui in utero huius stetit nouem mensibus, unde Hieremie decimo septimo: *domine, omnes qui te derelinquunt confundentur, quoniam dereliquerunt fontem aquarum uiuentium dominum*, etcetera.

---

156-157: cf. Mt. 22, 2-4. | 162: cf. Apc. 19, 16. | 164: cf. Gn. 2, 24. | 171: cf. Lc. 1, 38. | 179-180: Ps. 18, 6. | 185-186: Is. 45, 8. | 189-190: Ier. 17, 13.

170: cf. Aug. Hipp., *Serm.*, CLXIX, 11, 13. PL 38, 923A. | 172: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, IV, 8. PL 183, 84B. | 176: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 25, a. 5, p. 199; *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 9, q. 1, a. 1, q. 3, p. 500; *Con. Gent.* (vol. 15), lib. 4, c. 43, p. 145.

195 Tertio, si a fonte dum oritur supra terram, hec fuit fons de qua dicitur Canticorum quarto: *fons hortorum puteus aquarum uiuentium, que fluunt impetu de Libano*, etcetera. De Libano enim exeunt duo fontes, scilicet: Ior et Dan, et fiunt unus fluuius, sic de celo uenit ille in quo due nature erant, scilicet: diuina et humana, et facte una persona cum impetu, quia in  
instanti dum dixit: *ecce ancilla domini*, etcetera. Et sic dicitur “puteus”, quia in utero secretae et occulte habuit, et dicitur “fons”, quia aperte toti mundo dedit. Et sic est fons gratiarum omnium hortorum, sed dicit ipsa quod remoueantur impedimenta et dabit pluuiam. Sunt autem tria in scriptura.

200 Primum propter fractionem mandatorum, unde Leuitici uicesimo sexto: *si mandata mea seruaueritis*, etcetera, *dabo uobis pluuiam temporibus suis*. Infra: *si autem non seruaueritis, dabo uobis celum ferreum et terram eneam*, etcetera. Hodie non seruantur nec quo ad Deum nec quo ad proximum.

205 Secundo, propter defectum fidei, unde quia Achab adorauit idola et persecutus est prophetas Dei et non audiuit predicationem Helie, non pluit super terram tribus annis cum dimidio, tertio Regum decimo septimo. Nunc non est fides, non procedunt signati agareni, non destruuntur zome agarenorum, in quibus blasphematur Christus, non seruantur festa, non audiuntur predicatorum, persequuntur clericos, etcetera.

210 Tertio, in scriptura hoc est propter defectum charitatis, unde Prouerbiorum uicesimo quinto: *uentus aquilo dissipat pluuias*, scilicet: propter frigiditatem semper est serenus, sic carens charitate. Vnde Isaie quinto: *uinea mea*, etcetera, *putabam ut faceret uuas et fecit lambruscas, mandabo nubibus celi ut non pluat super illam*, etcetera. Vineam domini est ecclesia, non facit opera misericordie, ideo non pluit, etcetera. Sed apud te, uirgo gloriosa, nullum est impedimentum. Tu adiuuas ad hoc ut exeamus a peccato et ut bona misericordie faciamus, tu que es tabernaculum, tu que es arca federis. Vnde Salomon tertio Regum octauo ueniens  
215 in templum coram arca fecit hanc orationem eleuans manus ad celum dixit: *domine, si clausum fuerit celum et non pluerit propter peccata eorum, si orauerint coram loco isto et penituerint, exaudi eos domine*, etcetera. Igitur si arca illa figurabat istam ueram, quia tu arca et thalamus, si ergo ad te clamamus, intercede uirgo et exaudiamur. Et sic credatis certe quod si tunc in figura exaudiebantur a fortiori nunc in ueritate. Hoc autem tangitur in prima parte euangelii, in  
220 qua dicitur: *simile est regnum celorum*, id est, negotium ecclesie militantis in Christi incarnatione est simile, etcetera.

225 Primo, misit seruos ad inuitatos, ex quo notatur quod non misit ad inuitandum, tunc quia iam erant inuitati. Dicitur autem de iudeis, qui fuerunt inuitati per promissiones Abrahe et per predicationem suam et etiam per legem Mosi et tunc misit eis seruos suos, scilicet: prophetas, ut uenirent ad nuptias et noluerunt uenire.

230 Iterum secundo, misit alios seruos, scilicet: apostolos, dum dixit: *in uiam gentium ne abieritis et in ciuitates samaritanorum non intrabitis*, Matthei decimo, *sed potius ite ad oues que perierunt domus Israhel*, etcetera. Hoc dixit precipiens eis, ut dicit Mattheus: *dixit seruis: “dicite inuitatis: ecce prandium meum parauit, tauri et altilia occisa sunt et omnia parata. Venite”*, etcetera. Isti fuerunt apostoli missi in uita Christi persuadendo quod uenirent: *illi autem neglexerunt et abierunt*, etcetera, *alii tenuerunt seruos eius et contumelios affectos occiderunt*, etcetera, quia Iacobum et Stephanum, etcetera. Dicitur autem quod: *rex iratus missis exercitibus suis*, scilicet:

---

191: Ct. 4, 15. | 195: cf. Lc. 1, 38. | 199-200: Lv. 26, 3. | 200-201: cf. Lv. 26, 18-19. | 205: cf. III Rg. 17. | 209: Prv. 25, 23. | 210-211: Is. 5, 1-6. | 215-217: III Rg. 8, 35-36. | 220: cf. Mt. 22, 2. | 226-228: Mt. 10, 5-6. | 228-233: cf. Mt. 22, 4-7.

203: Persecutus] M prosecutus.

angelorum exercitibus, *perdidit homicidas illos*, nam dispersi fuerunt per totum mundum, unde Psalmi tricesimo quarto: *fiant tamquam puluis ante faciem uenit et angelus domini persequens eos*.

235 Tertio, *dixit seruis suis*, scilicet: apostolis et successoribus eorum: “*nuptie quidem parate sunt, sed qui inuitati erant non fuerunt digni, ite ergo ad exitus uiarum*”, etcetera. Tunc uocati fuerunt gentiles et omnes alii quando dixit: *ite in uniuersum mundum, predicate*, etcetera, Marci decimo sexto.

240 Vnde primo predicauerunt iudeis et postea omnibus, quia specialiter illis date fuerunt promissiones de Christo, unde Paulus et Barnabas dixerunt, Actuum decimo tertio: *nobis oportebat primum loqui uerbum Dei, sed quoniam repellitis illud et indignos uos iudicatis eterne uite, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim precepit nobis dominus*, etcetera.

245 Secundo, *uenite ad nuptias* huius deuoti hospitalis, nam uirgo Maria duos filios habet, unum naturalem, scilicet: Christum, alium adoptiuum, scilicet: hospitale suum, scilicet: Marie gratie. Ideo inuitat nos ad nuptias huius.

250 Si dicis: non habebat ante uxorem? Dicendum quod sic, que erat charitas, sed mortua fuit in hac ciuitate, quia ut dicit Paulus apostolus, secunda ad Timotheum tertio: *uenerunt tempora in quibus erunt homines seipsos amantes cupidi, elati*, etcetera. Et tempora pestilentie propter hoc, et quia ego eram occupatus circa inquisitionem et postea necessitatus per expensas maximas beneficii archidiaconatus, sic mortua fuit charitas. Esset quia rectores nolebant facere aliqua penitentia ad gubernationem domus nisi omnes essent iuncti et nullus rector erat omnem potestatem habens et sic non fiebant necessaria, sed rectores ciuitatis, scilicet: iurati consiliarii ecclesie, scilicet: officiales domini reuerendissimi archiepiscopi capitulum sedis, milites “*infançones*” uidentes quod male stabat sine uxore dederunt in sponsam, scilicet: ciuitatem insignem Cesaraguste. Sic quod id quod omnes tangebant ab omnibus uideretur heri in nocte factum fuit iuramentum matrimonii hodie celebrantur nuptie. Ideo tribus dicitur: *uenite ad nuptias*. Primo, inuitantur omnes ad subueniendum. Secundo, confratres ad seruiendum. Tertio, rectores ad regendum et gubernandum.

260 Primo, inuitantur omnes ad subueniendum, tam ciuitatis quam regni, quia omnibus ostium apertum est et nulli clauditur. Omnes enim possunt subuenire diuites potenter. Exemplum: in corpore Christi, ille diues Nicodemus dedit ad sepulturam centum libras murre et aloes.

265 Secundo, mediocres mediocriter nullus est, qui denarium non habeat uel malum punicum pro infirmo uel acum ad suendum uulneratum uel pauperrimum pannum lini pro esphila et modicum aceti. Exemplum: illa deuota licet paupercula, que dicebatur Veronica, uidens Christum pati et matrem dolosam non habebat nisi panniculum, quo lacrimae tergebantur sue, et dum obuiam haberet Christum cum illo sudorem suum tergebat, et ille multum acceptans in signum imaginem suam reliquit illi, sic qui aliud non habet ueniat ad tergendum infirmum uel infirmam.

270 Tertio, illi qui sunt pauperrimi, qui etiam ostiatim uadunt possunt dare illis saltem consolationem uerborum in uita fortificando et in morte ad bene moriendum adiuuando. Exemplum: latro nihil habebat, nudus in cruce stabat nec manus poterat mouere, quia

---

234: Ps. 34, 5. | 235-236: cf. Mt. 22, 8-9. | 237: Mc. 16, 14. | 240-242: Act. 13, 46-47. | 243: Mt. 22, 4. | 247-248: II Tim. 3, 1-2. | 257: cf. Mt. 22, 4.

275 ligatus in cruce erat, sed per solam linguam consolationem quantum in se fuit Christo dedit dicendo: *nos quidem iuste patimur, hic autem quid mali fecit*, etcetera.

280 Secundo, uenite ad nuptias confrens, id est, simul fratres istorum infirmorum, nam hoc erat officium multum Deo acceptum. Sed ut dicit euangelium, bis fuistis inuitati per preceptum rectorum primo, sed dicebatis quod melius erat per sortem, iterum renuistis uenire. Et sic facti indigni conuertimur ad alios, qui non sunt confratres, illi in uestrum defectum seruient.

Tertio, uenite rectores ad nuptias, qui nunc imbursati estis nouiter.

Si dicitis: quomodo debent uenire? Dicendum quod cum tribus conditionibus.

Primo, ut ueniantur feruenter per charitatem.

285 Secundo, diligenter cum maximo studio credant habere locum Christi, qui non ministrari, sed ministrare uenit, et credant quod quilibet pauper Christum representat. Et sic nullam habeat uerecundiam, quia seruire Deo regnare est et credat nullum officium beatum nisi hoc, unde Psalmi quadragesimo: *beatus qui intelligit super egenum et pauperem*, etcetera, hic est hospitalarius.

290 Tertio, ut ueniant recto fine, scilicet: ad merendum et non ad ditandum. Hoc tangitur in secunda parte euangelii: *intrauit autem rex, ut uideret*, etcetera, *et uidit hominem non habentem uestem nuptialem*. Vestis nuptialis est charitas, ut dicunt doctores, et dixit illi: *quomodo huc intrasti*, etcetera? Sic Christus dicet malo rectori: “quomodo huc intrasti?” Ille autem non respondet: “ego intraui per fauorem, ut essem honoratior”. Dicit: “ego per gulam, ut comedam et bibam”. Dicit: “ego per auaritiam, ut ditior fiam”. Tunc dicit Christus: *non habes uestem nuptialem*, id est, charitatem, *ligatis pedibus et manibus mittite eum*, etcetera.

295

Ligentur pedes mali, ut amplius non ueniat. Ligentur manus auari, ut non amplius furetur. Sed illi qui cum charitate seruient Deo credant certissime quod hic habebunt gratiam et in futuro gloriam, quam nobis, etcetera. Amen.

---

275: cf. Lc. 23, 41. | 287: Ps. 40, 2. | 290-292: cf. Mt. 22, 11-12. | 294-295: cf. Mt. 22, 12-13.

SERMO CENTESIMVS DECIMVS SEPTIMVS IN DOMINICA VICESIMA SECVNDA POST  
PENTHECOSTES ADVENIENTE NVNTIO DE MORTE SERENISSIMI PRINCIPIS IOHANNIS

<THEMA> *Hora septima reliquit eum febris, Iohannis quarto.*

Originaliter, etcetera.

5 Omnia que fuerunt a Deo producta fuerunt perfecta, tam in creatione quam in  
recreatione, unde si consideramus recreationem, ut dicunt doctores, nunquam Deus curauit  
aliquem in corpore quod etiam illum non sanaret in anima, ut dicunt doctores, maxime  
Augustinus super illud Iohannem septimo: *totum hominem sanum feci in sabbato*, scilicet: quo ad  
10 corpus et animam. Similiter in creatione rerum omnia fuerunt facta perfecta et bona, nam  
Genesis primo dicitur: *uidit lucem quod esset bona*, etcetera. Et infra: *uidit Deus cuncta que fecerat  
et erant ualde bona*, etcetera. Si igitur omnia fuerunt perfecta et bona, que producta fuerunt  
propter hominem, multo magis ipse homo fuit creatus perfectus quo ad animam et quo ad  
15 corpus. Quo ad animam per gratiam; quo ad corpus per iustitiam originalem, mediante qua  
potentie rationales et superiores anime subiiciebantur Deo et potentie inferiores  
subiiciebantur superioribus et corpus illis et omnia que erant in mundo ipsi Ade. Et nisi  
prima subiectio tolleretur alie non poterant auferri, ut dicit sanctus Thomas secundo,  
distinctione uicesima, questione secunda, tertio capitulo; et distinctione tricesima, questione  
20 prima, articulo primo; et prima secunde, questione octogesima secunda, tertio. Vnde  
Ecclesiastes septimo: *fecit Deus hominem rectum*. Et sic existente anima subiecta Deo, nulla  
infirmetas potuit esse in corpore Ade, sed ipso peccante omnia fuerunt distemperata quo ad  
animam et quo ad corpus et uexatus fuit homo maxima febre. Et nullus medicus potuit  
illam curare nisi solus Deus propter tria.

Primo, quia erat infirmitas que omnem partem corporis attingebat, unde Psalmi sexto:  
*miserere mei Deus, quoniam infirmus sum, sana me domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea*.  
25 Non solum omnes partes corporis fuerunt distemperate, sed omnes partes anime, unde  
Psalmi tricesimo: *infirmata est in paupertate uirtus mea et ossa mea in gemitibus*, etcetera. Fuit etiam  
utilis quo ad omnes qui fuerunt et sperabantur in mundo, unde Psalmi centesimo sexto:  
*infirmis sunt nec fuit qui adiuuaret*. Hic medicus sanauit mundum hora septima et ante non,  
30 nam cum mundus laboraret febre peccati septem habuit paraloxismos et septem februm  
horas et in nulla ex sex potuit curari a febre propter tria.

Primo, quia non erat medicus.

Secundo, non erat mulier quod seruiret infirmo, nam ubi deficit mulier, gemit infirmus.

Tertio, semper infirmitas mundi fuit aucta.

35 Patet hoc, nam prima hora febris fuit Ade peccantis. Fuit autem hoc maximum  
peccatum ratione nobilitatis persone, que erat armata gratia maxima.

Secundo, ratione uniuersalitatatis, ut diximus.

Tertio, quia in illo fuerunt semina omnium peccatorum, a quo pullularunt, unde prima  
Iohannis secundo dicitur: *omne quod est in mundo aut concupiscentia carnis est aut concupiscentia*

3: Io. 4, 52. | 8: Io. 7, 23. | 10: Gn. 1, 4. | 10-11: Gn. 1, 31. | 19: Ecl. 7, 30. | 24: Ps. 6, 3. | 26: Ps. 30, 11. |  
28: Ps. 106, 12. | 38-39: I Io. 2, 16.

8: cf. Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, XXX, 5. PL 35, 1635A. | 16: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 20, q. 2, a.  
3, p. 980; (vol. 4), dist. 30, q. 1, a. 1, p. 452; *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 82, a. 3, p. 538.

40 *oculorum aut superbia uite.* Igitur si iste sunt radices peccatorum, cum omnia ista fuerint in primo peccato Ade, in quo fuit superbia, gula et auaritia, igitur, etcetera.

Secundo, defuit ibi medicus, nam Adam non potuit esse cum esset infirmus eodem morbo.

45 Tertio, defuit ibi mulier, que infirmo seruiret, nam etiam Eua fuit infirma et seruiens infirmo debet esse humilis. Hec autem fuit elata et superba, igitur non fuit conueniens mysterio.

Secunda hora febris et paroloxismus fuit tempore Noe et non potuit in hac curari.

Primo, quia aucta fuit, nam tunc pullulauit peccatum sodomie contra naturam.

50 Secundo, defuit medicus, nam Noe non fuit uerus medicus, qui sanare posset infirmum bene dilatauit infirmitatem, nam totus mundus perierat nisi per arcam suam, etcetera. Et sicut ille qui infirmum consolatur aliquo non prestat sanitatem, sed non curat perfecte, sic iste fecit. Ideo dicitur “consolator” Noe, unde Genesis quinto habetur Lamech genuit Noe dicens: *iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit dominus*, etcetera. Et sic solum fuit consolator infirmi, sicut ille qui infirmum uisitat per uerba consolatoria aliquantulum reuelat infirmitatem eius.

55 Tertio, defuit mulier que seruiret infirmo, nam mulier Noe solum fuit ad consolationem et seruitium ipsius Noe et non totius mundi, quia ex ea non genuit filios post diluuium, sed solum filii tres, scilicet: Sem, Cham et Iafeth, totum mundum popularunt.

Tertia hora fuit in tempore Abrahe et in hac non potuit infirmus curari.

60 Primo, quia defuit medicus, nam Abrahe bene fuit promissus medicus, sed ipse non sufficebat ad curandum. Dictum fuit ei: *in semine tuo benedicentur omnes gentes*, Genesis uicesimo secundo, et: *in Isaac uocabitur tibi semen*, Genesis uicesimo primo. Et illi dixit similiter Deus: *in semine tuo benedicentur omnes gentes*, etcetera, Genesis uicesimo sexto.

Secundo, non fuit conueniens mulier, nam Sarra quando promittitur illi semen non credit, sed risit, Genesis decimo octauo.

65 Tertio, creuit infirmitas isto tempore, nam super peccata iam dicta fuit peccatum idolatrie, quod incepit tempore Abrahe, scilicet: in rege Nino, ut doctores dicunt.

Quarta hora fuit tempore Dauid, et in hac hora non potuit sanari.

70 Primo, creuit infirmitas, nam tunc fuit dissolutio luxurie per plures mulieres, ut patet de Dauid et de Salomone, etcetera. Verum est quod etiam fuit medicus promissus ipsi Dauid et conditiones medici ipsi reuelate.

Secundo, defuit medicus, nam etiam Dauid fuit infirmus, et sic non potuit curare alios, sed etiam fuit ei promissus medicus, et specialius quam ipsi Abrahe, nam dicit ipse: *super senes intellexi*, Psalmi centesimo decimo octauo. Isti fuerunt reuelate proprietates etiam conditiones medici, scilicet: quod esset rex et sacerdos, etcetera.

---

52: Gn. 5, 29. | 60: Gn. 22, 18. | 61: Gn. 21, 12. | 62: Gn. 26, 4. | 64: cf. Gn. 18, 10. | 72-73: Ps. 118, 100.

61: Vicesimo secundo] M, X duodecimo.

75 Tertio, defuit ibi mulier, nam Bersabee etiam fuit infirma et non potuit ministrare infirmo.

Quinta hora fuit in transmigatione Babilonis et hac hora non potuit sanari,

quia creuit infirmitas super alia peccata destructio legis et peccatum symonie, quia uendebatur iam sacerdotium inter alia.

80 Secundo, nullus fuit medicus nec conseruator legis diuine. Fuerunt tamen prophete prenuntiantes conditiones medici et modum medicandi.

Tertio, nulla fuit sancta mulier, de qua mentio haberetur.

85 Sexta hora fuit tempore Cesaris Augusti, tunc omnia predicta peccata pullulabant, ideo dicit Augustinus: «tunc uenit magnus medicus, quando in toto mundo magnus iacebat egrotus», etcetera. Affuit iam illa pretiosa mulier uirgo Maria, que debebat ministrare infirmo et medicare in sanatione ipsius.

Secundo, dedit uerum medicum, scilicet: Christum Iesum, sed in illa hora non dedit sanitatem, quia debuit mundus preparari ad illam.

90 Primo, fuit hic medicus perfectus omnia sciens, omnia potens et separatus ab omni infirmitate, unde: *qui peccatum non fecit*, etcetera.

95 Secundo, fuit optimus modus curandi. Primo, dando xaropium mundo per predicationem et doctrinam et per mirabilia que fecit inducendo ad fidem. Non dedit potionem infirmo, quia infirmitas per discursum temporis iam non erat in stomacho, nec in uentre, sed erat in uenis, ideo per phlebotomiam et per expulsionem sanguinis sanauit, quia iam erant quinque milia centum nonaginta nouem anni.

100 Tertio, fuit conueniens mulier, nam debuit habere sex conditiones, scilicet: primo, esse humilem; secundo, esse consolatricem; tertio, esse fidelissimam; quarto, esse uirginem; quinto, esse sanctissima; sexto, habere plenitudinem gratie. Has omnes habuit uirgo Maria, ideo in prima hora infirmus non potuit sanari, quia mulier illa fuit superba, scilicet: Eua. Sed uirgo Maria fuit humilima, unde Bernardus: «redditur femina pro femina, humilis pro superba», etcetera.

Secundo, in secunda hora non fuit talis, quia mulier Noe, licet esset consolatio ipsius Noe, non tamen fuit consolatrix totius mundi sicut Maria, que dicitur “consolatrix miserorum” ab ecclesia.

105 Tertio, Sarra non habuit fidem quando ei promissus fuit filius, ex quo sperabatur uerus medicus Christus, ut habetur Genesis decimo octauo. Sed mulier illa debuit esse perdita fide maxima, ideo ait Augustinus: «beatior fuit Maria concipiendo Christum fide quam carne. Vnde Luce primo, ait Elisabeth: *beata que credidisti, quoniam proficerentur in te*, etcetera. Materna enim propinquitas nihil carne profuisset nisi Christum felicius mente quam carne gestasset».

110

---

90: cf. I Pt. 2, 22. | 106: cf. Gn. 18, 10. | 108: Lc. 1, 45.

84-85: Aug. Hipp., *Serm.*, CLXXV, 1. PL 38, 945B. | 99-100: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62D. | 107-110: Aug. Hipp., *De San. Virg.*, III. PL 40, 398A.

91: Xaropium] M exaropium.

Quarto, non fuit conueniens ipsa Bersabee, nam illa mulier debet florere uirginitate, nam Isaias de ipsa dixerat, capitulo septimo: *ecce uirgo concipiet et pariet filium*, etcetera. Bersabee non solum non fuit uirgo, sed errauit in honestate.

115 Quinto, non fuit in quinta hora mulier cum tanta sanctitate cum qua decebat, nec fuit aliqua que lege perfecte seruasset quod conueniebat illi muliere, nam quando dixit Marcella, Luce undecimo: *beatus uenter qui te portauit*, etcetera, respondit Christus: *quippini beati qui audiunt uerbum Dei et custodiunt illud*, etcetera. Quasi dicat: mater mea, non solum propter illud beata, sed quia libenter audit uerbum legis et custodit illud, unde Beda: «eadem Dei genitrix et inde quidem beata, quia uerbi incarnandi ministra est facta temporalis, sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat eterna», etcetera.

125 Sexto, in hora sexta nulla mulier reperitur plena gratia preter istam, cui angelus dicit: *aue gratia plena*, etcetera. Et sic nunquam in mundo fuit mulier que has sex conditiones ad hoc requisitas haberet, nisi uirgo Maria. Et sic media fuit curationis, nam cum medicus fuisset filius Dei et fons gratie et sanare debuit mediante sanguine, cum ipse sanguinem ex se non haberet, quia spiritus est Deus et mundus gratiam non haberet, uirgo Maria dedit filio Dei sanguinem purissimum. Ipse uero dedit ei plenitudinem gratiarum non solum pro se, sed pro curatione totius mundi.

130 Igitur genus humanum quod febribus iacebat per sex horas sanari non potuit per defectum horum, sed adueniente medico mediante hac uirgine *hora septima reliquit eum febris*. Ad hanc igitur in principio, etcetera.

<THEMA> *Hora septima reliquit eum febris*, loco et capitulo ubi supra.

Due erunt partes presentis sermonis. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda materie prosecutiua.

135 In prima, pro introductione thematis, uidebimus euangelium litteraliter. Dicit enim Iohannes in principio sui euangelii quod *erat quidam regulus*, etcetera. Isto tempore nullum legimus regem in Galilea nisi Herodem, ut habetur Luce tertio. Narrando initium predicationis Iohannis Baptiste ait Lucas: *anno decimo quinto imperii Tiberii Cesaris, procuratore Pontio Pilato Iudeam, tetrarcha autem Galilee Herode*, etcetera. Igitur filius illius Herodis, qui innocentes interfecit, tunc regnabat in Galilea et de isto non potest dici, nam dicit “quidam regulus”, etcetera. Dicit autem Origenes quod erat locumtenens Herodis aut aliquis de familia Cesaris, qui missus fuerat a Tiberio Cesare in Galileam, et ideo residebat in ciuitate Capharnaum, que erat metropolis Galilee, sicut Hierusalem erat metropolis Iudee et distat Capharnaum a Hierusalem tribus dietis. Et hic regulus habebat filium infirmum febribus et iam tendebat ad mortem et cum regulus audisset per famam quod Iesus ueniebat et transibat a Iudea in Galileam ad ciuitatem Nazareth et uia et iter erat per Cana Galilee, hic regulus perrexit ad uillam de Cana, quia ut dicit Theophylactus, ideo hic regulus erat presens quando Christus fecit miraculum de conuersione aque in uinum in uilla de Cana Galilee, que parum distat a ciuitate Capharnaum. Et sic iam habebat notitiam de fama Christi, et cum audisset quod sperabatur, iterum in Cana iuit ad illam et inuenit ibi

145

150 Christum et: *rogauit eum ut descenderet et sanaret filium eius incipiebat enim mori*. Dicit quod descenderet, nam Cana sita est supra montem et Capharnaum est posita in ualle

112: Is. 7, 14. | 116-117: Lc. 11, 27-28. | 121-122: cf. Lc. 1, 28. | 129-131: cf. Io. 4, 52. | 135: cf. Io. 4, 46. | 137-138: Lc. 3, 1. | 150: cf. Io. 4, 47.

118-120: Bed., *Hom.*, LVIII. PL 94, 422A. | 140-146: Origenes] cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Io., IV, 11, p. 393.

116: Quippini] M, X quinimo.



amenissima. Ideo dicitur “ager pinguedinis”, nam ab illa ad duas leucas fluuius Iordanis intrat mare Galilee. Tunc dicit Iesus illi regulo: *nisi signa et prodigia uideritis, non creditis*. Tunc regulus non curat de reprehensione Christi, sed iterum dicit ei: *domine, descende priusquam moriatur filius meus*.

Sed queritur: cum iste regulus pergeret cum deuotione ad Iesum, quare ab ipso fuit reprehensus? Dicendum quod ut dicit Augustinus, quod ratio est, nam aut nullam fidem habuit aut imperfectam habebat. Dicit autem Gregorius quod patet hoc, nam non credit ipsum esse Deum, sed purum hominem. Nam non credebat posse filium sanare nisi cum presentia corporali, ideo dicebat “descende”. Item dicit Chrysostomus: patet hoc, nam credit posse sanare infirmum, sed non suscitare mortuum, ideo dicit: *descende priusquam moriatur filius meus*. Clarum est quod si illum credidisset Deum cum ubique sit et sic ubique posset sanare, et ita est facile Deum curare infirmum sicut suscitare mortuum et econuerso. Et sic iste regulus habebat fidem de Christo, sed imperfecta. Tunc dicit ei Iesus: *uade, filius tuus uiuit*. Et ipse credit uerbis Iesu. Et tunc iam habuit maiorem fidem quam prius habuerat, quia tunc credit quod non requirebatur eius presentia ad sanandum, sed etiam non habuit fidem perfectam, nam cum remaneret illa nocte in Capharnaum, licet filius suus esset iam curatus post meridiem, nam cum secundum doctores hoc miraculum fuerit factum in mense octobris, scilicet: octaua die translationis sancti Valerii, que est secunda dies octobris, et in mense septembris fuerit equinoctium, iam erat septima hora alicuius quantitatis post meridiem, uel saltem in meridie, quia iam creuerat nox per horam. Et sic erat aliquid post meridiem et sic illud sero remansit regulus in Capharnaum. Item cum post meridiem sanatus fuerit filius reguli, mulier et domus sua credebant quod illud sero ueniret ad domum suam et cum non uenerit sicut mane ipse perrexit ad domum. Sic illo mane ueniebant nuntii ad nuntiandum ei de salute filii et sic habuit illos obuiam et dixit illis: “quid noui?” Illi nuntii nuntiauerunt dicentes quia filius eius uiueret. Et cum regulus non habuisset fidem perfectam de Christo, nesciebat utrum casu uel uirtute Christi filius suus sanus fuisset. Et sic interrogabat horam ab eis in qua melius habuerit et illi ostenderunt clare quod uirtute Christi sanatus fuisset dicentes: *quia heri hora septima reliquit eum febris*. Quo ad primum.

Secunda pars, in qua sunt tria uidenda. Primum utrum hoc miraculum sit idem cum illo miraculo centurionis, de quo Mattheus narrat capitulo octauo, Lucas capitulo septimo. Secundum erit uidere quid per hanc febrem intelligitur. Tertium uidere quis est iste rex, cuius filius septima hora curatus fuit.

Ad primum dicitur quod licet Theophylactus uideatur dicere quod hoc miraculum et illud centurionis est idem, salua sua gratia dicitur quod non.

Primo, ex infirmo, nam hic erat filius regis, ille uero seruus centurionis.

Secundo, ex infirmitate, nam in isto erat febris et in altero paralis.

Tertio, ex modo rogandi, nam regulus dicit quod Christus descendat in domum suam, ille uero econuerso dicit: *domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic uerbo, etcetera*.

153-155: cf. Io. 4, 48-49. | 161-162: cf. Io. 4, 49. | 164-165: cf. Io. 4, 50. | 179: cf. Io. 4, 52. | 182: cf. Mt. 8, 5; cf. Lc. 7, 2. | 190: cf. Mt. 8, 8.

157: cf. Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, XVI, 3. PL 35, 1524A. | 158: cf. Gre. Mag., *Hom.*, XXVIII, 1. PL 76, 1211B. | 160: cf. Io. Chrys., *Hom. In Io.*, XXXV, 2. PG 59, 201A; cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Io., IV, 11, p. 393. | 185: Theophylactus] cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Io., IV, 11, p. 393.

Quarto, ex loco ille erat in Capharnaum descendente Iesu de monte, hic uero erat in Cana Galilee, ut diximus.

195 Quinto, hic reprehenditur de fide, ille uero laudatur de illa dicens: *non inueni tantam fidem in Israhel.*

Sexto, ex responsione illi dicitur: *ego ueniam et curabo eum.* Huic dicitur: *uade, uiuit filius tuus,* etcetera. Et sic concludit Chrysostomus et multi alii doctores quod non fuit idem miraculum.

200 Sed queritur: quare Christus ad illum qui non erat rex iuit, ad istum non? Et ille orauit pro seruo, iste uero pro filio? Et ad hunc non descendit, ad illum uero sic? Dicendum quod hoc fuit propter tria.

Primo, propter fidem, ut diximus, nam iste habuit fidem imperfectam, ille uero perfectam.

205 Secundo, ut regem et domum suam sanaret, nam regulus credebatur quod non poterat sanare filium suum nisi presentialiter adesset. Igitur non descendendo sanauit illum et sic credidit ipse et domus eius tota.

Tertio, hoc fecit ut daret exemplum medicis corporum et animarum, nam ad preceptum magnorum mouentur et non ad uocationem pauperum. Non sic Christus, qui pro pauperibus et seruis uenit de celo, etcetera.

210 Ad secundum, dicitur quod per hac febrem notatur peccatum tripliciter.

215 Primo, patet quo ad essentiam, nam «febris est calor innaturalis supergrediens naturam», etcetera. Similiter peccatum est amor innaturalis: amor enim in spiritualibus idem est quod calor in naturalibus, nam sicut corpus ardet calore, sic spiritus ardet amore et sic febris a feruore dicitur. Est ergo peccatum amor innaturalis, quia omne peccatum est contra naturam bene institutam, nam quod homo diligit creaturas plusquam creatorem et temporalia et transitoria plusquam spiritualia est contra naturam, quia ut dicit Magister: «fecit Deus creaturam rationalem, ut summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret», etcetera. Et sic omne peccatum stat in non obediendo creatori, ideo dicit Augustinus in libro De Ciuitate Dei quod: «amores consituunt duas ciuitates. Nam amor Dei usque ad contemptum hominis constituit ciuitatem celestem Hierusalem, amor uero proprius usque ad contemptum Dei» contituit ciuitatem Babilonis. Est enim amor habendi, qui est cupiditas, amor luxuriandi, qui est concupiscentia carnis, amor dominandi, qui est superbia, et sic de aliis.

225 Secundo, patet quo ad originem et causam febrium, nam febris causatur ex abundantia et disproportionem alicuius quattuor humorum super alios. Nam sicut ex abundantia sanguinis generatur febris continua, sic luxuria et gula, etcetera. Sicut ex abundantia colere generatur tertiana, sic superbia, ira, elatio, etcetera. Sicut ex abundantia fleugmatis causatur cotidiana, sic pigricia, somnolentia, etcetera. Sicut ex abundantia malenconie causatur quartana, sic inuidia, tristitia, odium, etcetera.

230 Tertio, patet quia sicut sunt septem generationes febrium, sic septem peccata mortalia.

---

194-195: cf. Mt. 8, 10. | 196: cf. Mt. 8, 7; cf. Io. 4, 50.

197: cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Io., IV, 11, p. 393. | 211: cf. Iohann., *Isag.*, c. De Febribus, f. 5r. | 217-218: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 1, 4. PL 192, 653B. | 219-221: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XIV, 28. PL 41, 436B.

235 Prima enim est ephimera, que dicitur ab ephimeron, pisce marino, qui eodem die quo nascitur, moritur, et significat primos et repentinos motus peccatorum, maxime motum ire, qui cito finitur, qui si durat transit in odium, unde ad Ephesios quarto: *sol non occidat super iracundiam uestram*, et quia cito debet mortificari. Dicit Augustinus in Regula: «ne ira crescat in odium et trabem faciat de festuca». Nam ira est sicut arbor que in principio natiuitatis potest a puero euelli, et si crescat, a uiro uix dissipatur, etcetera.

Secunda est tertiana, que uno die interrumpitur, significat peccatum illorum qui cum peccauerint dolent. Et sic habent unum diem penitentie, scilicet: contritionem, sed non perueniunt ad secundum diem confessionis, quia statim redeunt ad peccatum.

240 Tertio, est quartana, ubi duos dies absque accessione sunt, quia quidam post peccatum duos dies penitentie assumunt contritionem, scilicet: et confessionem, sed non perueniunt ad diem tertium satisfactionis. Et sic accidit peccati passio non implentes arbitrium sacerdotis.

245 Quarta febris est cotidiana eorum, scilicet: qui absque contritione aliqua mala frequentant aut qui omni die aliqua hora peccant, ut qui inebriantur aut mentiuntur aut rapiunt et littibus et iurgiis uacant.

Quinta febris est continua quando frequentationem sequitur continuitas, ut heretici, usurarii, etcetera.

250 Sexta febris dicitur ethica, que est generate consuetudinis. Ethica enim dicitur quia in morem est deducta, quia “ethis” grece idem est quod “mos” latine et sunt illi qui cotidie iurant et blasphemant.

Septima febris est acuta, que est defensio consuete nequitie cum quis iam non erubescit nec timet nec pauescit facere que consuevit, de salute talis ualde timendum est, quia in tali febre desperant medici. Hieremie tricesimo dicitur: *pessima plaga tua insanabilis cura tua*.

255 De tertio dicitur quia litteraliter iam diximus quis erat iste regulus, et spiritualiter aliquo modo tetigimus in principio sermonis. Sed regulus, ut dicit Origenes, fuit Adam.

260 Et si dicis: numquid fuit et potuit dici rex, qui fuit totius mundi monarcha? Dicendum quod Adam fuit regulus respectu Dei, qui est *rex regum et dominus dominantium*, Christus uero primogenitus et princeps etiam super omnes reges, unde Psalmi octogesimo octauo: *et ego primogenitum ponam illum excelsum pre regibus terre*.

Excellit autem omnes reges et dominos in tribus.

265 Primo, quo ad monarchiam, ut dicit sanctus Thomas in libro De Regimine Principum ad regem Cipri, libro tertio, capitulo duodecimo, decimo tertio, decimo quarto et decimo quinto, quia est eterna, ut patet de statua Danihelis. Vnde Danihelis secundo: *regnum eius regnum eternum, quod non destruetur et alteri populo non tradetur*.

---

233-234: Eph. 4, 26. | 254: Ier. 30, 12. | 258: Apc. 19, 16. | 259-260: Ps. 88, 28. | 264-265: Dn. 2, 44.

234-235: Aug. Hipp., *Reg. Ad Ser. Dei*, X. PL 32, 1383C. | 256: cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Io., IV, 11, p. 393. | 262: cf. Th. Aq., *De Regim.*, III, c. 12, pp. 53sq.

254: Tricesimo] M, X decimo.

Secundo, ex parte gubernati, nam fuit uniuersalis respectu omnium qui in mundo erant et ex parte cuiuscumque, nam nullus rex hoc habuit nisi Christus, scilicet: quod dominium suum esset in toto mundo et in toto homine, nam nullus rex fuit dominus anime nisi Christus, ut ipse ait: *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, Matthei decimo.

Tertio, ex parte regnantis, quia immortalis, ceteri uero mortales, unde: *nos cotidie morimur*, secundo Regum decimo quarto. Item Seneca: «cotidie aliqua pars uite demitur a nobis». Item Gregorius in homilia: «temporalis uita, eterne uite comparata mors est potius dicenda quam uita. Ibidem ipse enim defectus corruptionis quid est aliud quam quidam prolixitas mortis?». Igitur regulus fuit Adam, filius suus, id est, genus humanus, infirmatus fuit in Capharnaum, id est, in agro pinguedinis, scilicet: paradisum terrestris, qui dicitur “hortus uoluptatis”. Exiuit in montem mundi, scilicet: in Cana Galilee, id est, transmirationis, et orabat Deum patrem ut ueniret dicendo cum propheta: *utinam disrumperes celos et uenires*. Sed quia pater non mittitur, sed filius uel spiritus sanctus, ideo dicebat Moses: *domine, mitte quem missurus es*. Item Dauid dicit: *mitte manum tuam de alto*, etcetera. Vnde Psalmi centesimo sexto: *clamauerunt ad dominum cum tribularentur et de necessitatibus eorum liberauit eos*. Qualiter liberauit dicit: *misit uerbum suum et sanauit eos*. Ad hoc notandum Christum non uenit in domum reguli, sed mediante uerbo suo filium sanauit, sed ante horam septimam non fuit sanatus, nam dum magnum cimbalum, scilicet: Christus, esset in cruce septies sanauit, quia septem uerba protulit, ultimum autem fuit: *consummatum est*.

Item si consideramus illum diem, septima hora sanauit hominem, quia sexta hora crucifixus, ut dicit Augustinus, quia: «iudei tertia hora linguis Christum crucifixerunt» dicendo et sententiando: “*crucifige!*”, sed gentiles hora sexta, ut alius dixit euangelista. Et isti manibus illum crucifixerunt, sed postquam fuit crucifixus per aliquam moram uixit in cruce sumendo acetum et confabulando, spirauit autem hora septima, igitur, etcetera.

Item si consideramus etates mundi, hoc fuit in septima etate, scilicet: resurgentium, quia licet in passione fuerit sanatus, sed surrexit a lecto in resurrectione Christi, nam: *multa corpora sanctorum surrexerunt*, etcetera.

Item si consideramus medicinam que fuerunt sacramenta habentia efficaciam a passione Christi, non in sexta, sed in septima curatur, scilicet: in sacramento penitentiae.

Item si consideramus uirtutem medicine, scilicet: gratiam spiritus sancti, non in sex donis spiritus sancti, sed in septimo, qui est timoris domini, nam: *initium sapientie timor domini*, etcetera. Moraliter regulus est quilibet christianus ratione unctionis, quia christianus a chrismate dicitur, unde prima Petri secundo, infirmatur filius eius quando sensualitas est causa peccati. Vnde ait Christus apostolis: *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, infirmatur in Capharnaum, id est, in abundantia uoluptatum. Exit in desertum penitentiae, scilicet: in monte Cana Galilee, id est, transmutationis mutando uitam de uitis. Tunc clamat: *miserere mei*, et sanatur, sed non nisi in septima hora. Nam febris tripliciter curatur, scilicet: sudore, uomitu et euacuatione. Sic omne peccatum quod per febrem significatur.

Primo, sudore contritionis, sic fuit sanata Magdalena, que lacrimas rigabat pedes Christi.

269: Mt. 10, 28. | 271: cf. II Sm. 14, 14. | 278: cf. Is. 64, 1. | 279-280: cf. Ex. 4, 13. | 280: cf. Ps. 143, 7. | 281: Ps. 106, 6. | 282: Ps. 106, 20. | 285: cf. Io. 19, 30. | 288: cf. Io. 19, 6. | 293-294: cf. Mt. 27, 52. | 297-298: cf. Ps. 110, 10. | 299: I Pt. 2] NI. | 300: cf. Mt. 26, 41. | 303: cf. Ps. 4, 2.

272: cf. MF. Sen., *Ep. Ad Luc.* (vol. 1), III, 24, 20, p. 63. | 273-275: Gre. Mag., *Hom.*, XXXVII, 1. PL 76, 1275B. | 287: cf. Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, CXVII, 1. PL 35, 1944C.

Secundo, uomitu confessionis, sic fuit curatus Daudid dicendo: *tibi soli peccavi*.

Tertio euacuatione per satisfactionem per dietam ieiunii uel euacuatione elemosynarum, sic fuit curatus Zaccheus, de quo habetur in euangelio hodierno, qui dixit Christo quod male ablata in triplo restituit et de suis bonis medietatem pauperibus dedit.

310 Et sic in contritione sunt due hore. Prima conuersio in Deum cognoscendo errasse. Secunda conuersio in peccatum illud detestando et de cetero non facere proponendo.

Item in confessione sunt due hore. Prima preparatio omnium peccatorum, ut dicit Ezechias rex: *recogitabo tibi omnes annos meos*, etcetera, Isaie tricesimo octauo. Secunda hora actualis confessio tempore debito ad pedes sacerdotis.

315 Item satisfactio habet duas horas. Prima est preambulium ad illa que dicitur “restitutio male ablatorum”. Secunda est satisfactio a sacerdote imposita.

Expletis his sex horis uenit septima hora, scilicet: ad ecclesiam recipiendo sacramentum eucharistie. Et sic *hora septima reliquit eum febris* recipiendo hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, etcetera. Amen.

---

306: cf. Ps. 50, 6. | 313: Is. 38, 15. | 318: cf. Io. 4, 52.

307: 1° Euacuatione] M, X uacuatione.

## Sermo CXVIII

SERMO CENTESIMVS DECIMVS OCTAVVS ET PRIMVS IN DOMINICA ANTE FESTVM OMNIVM  
SANCTORVM

<THEMA> *Miserere mei*, Psalmi quinquagesimo.

Originaliter uerbum reperi quod assumpsi.

5 Inter uirtutes, gratias et excellentias uirgini Marie communicatas, tres fuerunt excellentiores aliis. Prima respectu sui fuit humilitas. Secunda respectu sui fuit gratia. Tertia respectu mundi et peccatorum fuit misericordia.

Quod autem humilitas eius fuerit maxima patet tripliciter, scilicet: ratione, auctoritate et exemplo.

10 Ratione sic: a posteriori maximus effectus arguit maximam causam, quia: «effectus et causa debent proportionari», quinto Metaphysice, sed effectus humilitatis est exaltatio dicente Christo: *omnis qui se humiliat exaltabitur*, Luce decimo quarto. Sed uirgo Maria fuit magis exaltata quam quecumque alia pura creatura in hoc mundo in matrem Dei; in alio in «reginam angelorum super choros illorum posita», igitur, etcetera.

15 Secundo patet hoc auctoritate non alicuius doctoris, sed matris regis doctorum, scilicet: Christi, que ueritatem peperit et sic semper uerum dixit. Dicit enim in cantico suo: *respexit humilitatem ancille sue*. Cum igitur uirgo Maria omnes haberet uirtutes, si hanc uidit dominus inter alias, sequitur quod esset maxima uirtutum. Nam uidens et respiciens celum, in quo omnes sunt stelle, illa que maior et rutilantior est offertur primo uisui. Sic in proposito.

20 Tertio, hoc patet exemplo. Quando enim multi concurrunt ad aliquem effectum et unus illorum in illo plus nominatur, sequitur quod excellit alios. Vt puta in aliquo prelio, sicut quando dictum fuit: *Saul percussit mille et Dauid decem milia*. Clarum est quod multi fuerunt in prelio, sed Dauid excellentior fuit omnibus aliis, sic in proposito. De uirgine Maria dicit Bernardus quod «uirginitate placuit, sed humilitate concepit». Igitur si omnes uirtutes Marie preparauerunt illam ad hoc: ut esset mater Dei, et hoc attribuitur singulariter humilitati, clarum est quod alias excellit. Notum est quod posset concipere filium Dei, licet non esset uirgo, sed non sine humilitate, nam ad hoc ut conciperet sanctum sanctorum oportebat ut esset sancta, quod esse poterat sine uirginitate. Nam Anna et Elisabeth sanctissime fuerunt sine uirginitate, sed non sine humilitate, que fundamentum est omnium aliarum uirtutum.

30 Secundo, gratia fuit maxima perfectio in uirgine, quod patet tripliciter.

Primo, ratione mensure, que est charitas, unde Apostolus dicit: *unicuique data est gratia secundum mensuram*, scilicet: «charitatis», ut dicit glosa. Sed cum in uirgine Maria fuerit maxima charitas, sequitur quod et gratia.

35 Secundo, patet ratione unionis ad Deum, nam gratia est que Deo coniungit, sed cum uirgo Maria fuerit magis illi coniuncta, quia non solum corpore, sed anima, igitur.

---

3: Ps. 50, 3. | 12: Lc. 14, 11. | 16-17: Lc. 1, 48. | 22: cf. I Sm. 18, 7. | 31-32: Eph. 4, 7.

10-11: cf. Arist. Lat., *Phys.*, IV, 4, 211a1, p. 145; *Met.*, V, 2, 1013b29, p. 86. cf. Th. Aq., *Con. Gent.* (vol. 15), lib. 4, c. 87, p. 276. | 14: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Anti. unde supra. In primo nocturno. PL 78, 798D; cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 7. PL 30, 129B. | 24: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, I, 5. PL 183, 59B. | 32: cf. Hier., *Comm. In Ep. Ad Eph.*, II, 4, 13. PL 26, 501C.

1: Octauus] M octanus. | 12: Decimo quarto] M, X decimo octauo.

40 Tertio, ratione eleuationis, nam gloria datur secundum mensuram gratie, sed cum maior fuerit gloria uirginis Marie quam aliorum sanctorum, sequitur quod maior fuerit gratia, et sic charitas est mensura gratie et gratia mensura glorie. Exemplum: si ducati darentur secundum mensuram et capacitatem marsupii, qui maius haberet marsupium, maiorem  
 45 quantitatem reciperet ducatorum, et qui plures ducatos haberet, maiorem quantitatem haberet mercantie. Sic in proposito, gloria dicitur merces sanctorum, unde marsupium est charitas, ducati gratia, gloria est merces ex ea proueniens, unde dicitur <Matthei quinto>: *merces uestra copiosa est in celis.*

45 Et licet iste fuerint singulares, excellentior tamen fuit misericordia in uirgine, quod ostenditur tripliciter, scilicet: ratione, auctoritate et exemplo.

50 Primo, ratione sic: posita causa ponitur effectus, quia: «causa in actu et effectus in actu simul sunt et non sunt», secundo Physicorum, et «aucta causa augetur effectus», quia causa et causatum debent proportionari, quinto Metaphysice, sicut posito igne ponitur calor et aucto igne augetur calor, qui est effectus eius. Sed cum misericordia causetur ab humilitate,  
 55 ut dicit sanctus Thomas secunda secunde, questione tricesima, ratio est, quia superbus, cum non reputet alios, non miseretur; humilis uero reputat se minimum inter alios et sic credit quod in simili casu potest ipse uenire et sic miseretur. Igitur cum in uirgine fuerit magna humilitas, sequitur quod maior misericordia.

55 Secundo, probatur auctoritate Bernardi dicens: «quis misericordie tue, o uirgo beata, longitudinem, latitudinem, profunditatem et sublimitatem queat inuestigare?», etcetera. Formetur ratio illa uirtus, que mensurari non potest, quo ad aliquam dimensionum est maior. Hec est misericordia, secundum Bernardum, igitur, etcetera.

60 Tertio, probatur exemplo: sicut flumen quod a duobus riulis causatur est maior illis, sic in proposito. Nam cum maior sit humilitas in uirgine Maria et magna sit charitas, ex his causatur misericordia, igitur, etcetera, quia secundum Philosophum nono Ethicorum: «unum de amicabilibus est condolare amico». Igitur sicut concursus aquarum dicitur “mater fluminis”, sic uirgo Maria “mater misericordie”.

Et quod dicatur magis “mater misericordie” quam “iustitie”, etcetera, patet tripliciter.

65 Primo, ex parte sui, quia mater iustitie et rigoris fuit Eua, et sic dicebatur: *Deus ultionum dominus*, etcetera, Psalmi nonagesimo tertio. Sed mater misericordie Maria, unde Augustinus: «Eua occidendo obfuit, Maria uiuificando profuit, illa percussit, ista sanauit».

70 Secundo, patet ex parte Christi, nam dicitur “misericordia”, unde Dauid dicit: *ostende nobis, domine, misericordiam tuam*, Psalmi octogesimo quarto. Item: *suscepimus Deus misericordiam tuam*, etcetera, Psalmi quadragesimo septimo. Et sic Christus non fuit misericors, sed ipsa misericordia, nam primus gradus misericordie est dare superflua. Ideo Luce undecimo dicitur: *date elemosynam et ecce omnia munda sunt uobis*. Secundum est dare necessaria, unde Matthei decimo nono: *si uis perfectus esse, uende omnia et da pauperibus*. Tertium est dare seipsum totum: sic Christus sitiuit ut daret tibi potum. Esuriit ut daret nobis cibum. Dolorem sustinuit ut nobis daret gaudium. Venditus fuit ut nos redimeret. Dedit pro nobis

43: Mt. 5, 11. | 64-65: Ps. 93, 1. | 67-68: Ps. 84, 8. | 68-69: Ps. 47, 10. | 71: Lc. 11, 41. | 72: Mt. 19, 21.

46-47: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 3, 195b18, p. 62. | 47: cf. Th. Aq., *Qu. De Mal.*, q. 11, a. 3, p. 90. | 48: cf. Arist. Lat., *Met.*, V, 2, 1013b29, p. 86. | 50: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 30, a. 4, p. 212. | 54-55: Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429A. | 61: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, IX, 4, 66a8, p. 329; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 18, a. 5, p. 158. | 66: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CXCIV, 2. PL 39, 2105B.

75 sanguinem corpus, animam uitam. Et sic non solum fuit misericors, sed ipsa misericordia. Igitur, si uirgo Maria est mater eius, certe est mater misericordie.

Tertio, ex parte nostra: si Christus est pater misericordia, uirgo erit mater. Nam non solum superflua dedit et necessaria, sed etiam partem sui, scilicet: pretiosum sanguinem, et nutriuit ueram misericordiam et peperit et pro nobis grauida ex misericordia remansit. Et sic dicit Bernardus super illud “*uinum non habent*”: «quid mirum si pietatem exhibent uiscera pietatis», etcetera.

Et sic dicitur “mater Dei, mater gratie, mater misericordie”. Dicit etiam idem Bernardus: «non defuit ei potentia, quia mater est Dei omnipotentis; non facultas, quia mater est gratie; non uoluntas, quia mater est misericordie». Et sic quilibet peccator, si uult gratiam impetrare, ueniat ad matrem gratie, sed ut illam impetret, ponat titulum matris Dei et misericordiam petat dicendo: o mater Dei, *miserere mei*. Ad hanc igitur in principio, etcetera.

<THEMA> *Miserere mei*, loco et capitulo ubi supra.

Duo sunt genera hominum, quibus misericordiam debemus et tenemur, scilicet: pauperum in hoc mundo, et animarum in purgatorio. Sed quia de pauperibus pluries in discursu anni predicamus, nunc de suffragiis animarum dicamus. Et sic due erunt partes: prima thematis introductiua et declaratiua; secunda materie prosecutiua. Tres sunt misericordie, maxime due in hac uita, et tertia in futura.

Prima est misericordia culpe, que causatur ex peccato mortali uel originali, de qua dicit Salomon, Prouerbiorum decimo quarto: *miseros facit peccatum*. Nam homo in gratia abundat diuitiis spiritualibus, de quibus ait Salomon Prouerbiorum ultimo: *multe filie congregauerunt diuitias*, scilicet: uirtutum, etcetera. Sed homo cadens a gratia sit pauper et miser, nam spoliatur omnibus gratuitis, sicut dicit Beda super illud Lucam decimo “*homo quidam descendebat*”, etcetera, «spoliatus et uulneratus», sicut peccator incidit in latrones, scilicet: demones, etcetera.

100 Secunda est misericordia pene, scilicet: in penitentia peccatorum, de qua loquitur Iacobus in canonica, capitulo quarto, dicens: *emundate manus, peccatores, et purgate corda, duplices animo, miseri estote et lugete et plorate, risus uester in luctum conuertatur et gaudium in merorem*. Et sic quilibet peccator tempore penitentiae debet se humiliare et reputare se miserum, dato quod fuerit in statu magnus, ut dux, comes, rex uel prelatus. Et sic legitur de Dauid, primo Paralipomenon uicesimo primo, qui post peccatum numerationis populi ipse et omnes maiores *natu Israhel uestiti cilicio prostrati fuerunt in terra*. De qua humiliatione ipse dicebat in Psalmo tricesimo septimo: *miser factus sum et turbatus, tota die contristatus*, etcetera. Et iste due misericordie sunt in uita presenti.

110 Est alia tertia post hanc uitam, que dicitur “purgatorii”, et de ista et aliis loquitur Iob capitulo decimo quarto: *homo natus de muliere*, quo ad primam, nam sicut a muliere sumimus naturam, sic ab ipsa et ipsa mediante peccatum. Item dicit: *brevi uiuens tempore*, ad notandum quod penitentia non debet esse sera, sed festina, quia hodie sumus et cras non. Ideo dicit Ecclesiasticus quinto: *non tardes conuerti ad dominum et ne differas de die in diem, subito enim ueniet ira illius*, etcetera. Tangit tertiam dum dicit: *repletus multis miseriis*, scilicet: post hanc uitam in

80: cf. Io. 2, 3. | 86-87: cf. Ps. 50, 3. | 94: Prv. 14, 34. | 95-96: Prv. 31, 29. | 97-98: Lc. 10, 30. | 101-102: cf. Iac. 4, 8-9. | 106: I Par. 21, 16. | 107: Ps. 37, 7. | 110-111: Iob. 14, 1. | 113-114: Sir. 5, 8-9. | 114: cf. Iob. 14, 1.

80-81: Bern. Cl., *Domi. Pri. Post Oct. Epi.*, I, 2. PL 183, 155C. | 83-84: cf. Bern. Cl., *In Ass. B.M.V.*, I, 2. PL 183, 415D. | 98: cf. Bed., *Hom.*, CV. PL 94, 507A.



115 purgatorio. Nam in illo sunt tres miserie, scilicet: angustia carceris, ut dicit Richardus in quarto, distinctione quadragesima quinta, magna miseria est dominorum et regum et magnatum, qui in hac uita habitabant in aula deaurata, et tunc erunt in angusto loco circa centrum terre, sicut qui habitat in cauernula aliqua. Secunda est error demonum illic assistentium, nam licet aliqui dixerunt quod ad purgatorium ducuntur per angelos bonos, ut  
 120 Christus ductus in desertum a bono spiritu et illic temptatus a demone, sic dicunt illi quod a demonibus cruciabuntur. Sed communior opinio est quod cruciabuntur ab igne mediante iustitia diuina. Verum est quod demones assistent in penitentia. Et sic magna erit miseria illis qui in hac uita habebant in sui penitentia milites et comites ad suum seruitium, etcetera. Tertia miseria erit acerbitas penarum, nam nunquam uita fuit in mundo similis pena.

125 Quod autem pena purgatorii excedat omnes penas mundi probatur tripliciter, scilicet: ratione, auctoritate et exemplo.

Primo, ratione, nam in purgatorio est duplex pena, scilicet: damni et sensus. Exemplum: si quis perdit centum aureos et perquirendo illos frangitur eius brachium, dicimus quod hic talis habet duplicem penam. Primo, penam damni, quia perdit florenos, et penam sensus,  
 130 quia dolet in brachio. Sic illi qui sunt in purgatorio habent penam damni, scilicet: carentiam diuine uisionis, et penam sensus, quia patiuntur penas sensibiles, et utraque istarum est maior in purgatorio quam in hac uita. Primo, probatur de pena damni, quia tunc sunt in propinqua et in hac uita in potentia remota. Et maiorem habet penam homo si priuatur aliquo in potentia propinqua quam in potentia remota, ut patet de aliquo beneficio uel regno, etcetera. Sic illi qui sunt in purgatorio uident se esse in potentia propinqua  
 135 beatitudinis et priuantur propter modicam culpam uenialium uel propter penitentiam non impletam mortalium, igitur, etcetera. Item probatur hoc ratione gratie confirmate, nam hic in uia, licet essent priuati uisione diuina, non sic in illam tendebant intense, quia non erant in gratia confirmati sicut tunc, et etiam quia hic habebat corpus retardans. Igitur si  
 140 Apostolus dicebat: *cupio dissolui et esse cum Christo*, aliquando corpus retrahebat illum, et sic datus erat ei stimulus, etcetera. Et cum rogaret ut tolleretur, dicitur ei: *sufficit tibi gratia mea*, secunda Corinthiis duodecimo. Item si Dauid, Psalmi centesimo decimo nono, dicebat: *heu mihi! Quia incolatus meus prolongatus est*, etcetera, sed habebat corpus quod trahebat ad mundum, sed illi in purgatorio non habent corpus, igitur, etcetera. Probatur etiam de pena  
 145 sensus quod fuerit maior omnibus hic existentibus.

Primo, ratione sensibilitatis, nam si corpus sentit per animam et sic anima separata nihil sentit, a fortiori sentit plus anima, quia: «propter unumquodque tale et illud magis», etcetera. Videmus enim in corpore humano quod quanto membrum est magis sensibile patitur magis, ut magis doleo de lesione oculi quam pedis, quia oculus est magis sensibilis et  
 150 magis “animatus”, si dici potest. Nam in oculo sunt fundati duo sensus anime, scilicet: uisus et tactus, etcetera.

Secundo, probatur quia anima separata patitur secundum se totam, in corpore uero non, nam quando dolet mihi caput, non habeo dolorem in manu, etcetera. Hoc est ratione corporis informantis, sed anima separata non habet hanc extensionem, igitur. Exemplum:  
 155 quando oleum est imbibitum in “lechito cotonis”, tunc potest ardere in una parte et non ardebit in alia, sed quando oleum est per se totus, subito incenditur, ut patet in igne uel quando incenditur in sartagine, sic in proposito.

---

140: cf. Phil. 1, 23. | 141: II Cor. 12, 9. | 142-143: Ps. 119, 5.

115: cf. Ric. Med., *Sup. Sent.* (vol. 4), IV, dist. 45, a. 1, q. 3, p. 596. | 147: cf. Alb. Mag., *Post. Anal.*, I, 2, 18, p. 66b; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 87, 2 ad 3, p. 623.

Tertio, probatur hec conclusio ratione diuine iustitie.

160 Nam si dicis: illa pena est per defectum penitentie in hac uita, igitur non opus esse maior  
 illa quam esset ista, sed ista solueretur cum uigiliis uel ieiuniis uel aliquid huiusmodi, igitur,  
 etcetera. Dicendum quod maior debet esse illa. Primo, propter negligentiam, quia noluerunt  
 hic satisfacere dum habuerunt tempus. Secundo, pena hic est uoluntaria simpliciter et  
 imperata a uoluntate et acceptata, sed illa pena purgatorii non est simpliciter uoluntaria, sed  
 165 tolleratur patienter a uoluntate. Sicut hic in dolore capitis quando patienter tolleratur, sed  
 semper uocat medicum ut talis dolor sanetur, sic hic, etcetera.

Secundo, probatur auctoritate Augustini in sermone quodam et habetur uicesima quinta  
 distinctione, capitulo “Qui in aliud seculum”, dicens: «qui in aliud seculum distulit fructum  
 conuersionis prius purgabitur igne purgationis. Hoc ignis, et si non sit eternus, miro tamen  
 modo grauis est, superat enim omnem penam, quam nunquam passus est aliquis in hac uita  
 170 uel pati potest».

Tertio, probatur exemplum Gregorii, nam in legenda sua habetur quod post  
 liberationem Traiani apparuit angelus Gregorio dicens quod penam suam debebat  
 sustinere: «ideo uel duobus diebus in purgatorio uel in hac uita toto tempore laborabis  
 infirmitatibus. Gregorius dixit quod preuolebat in hac uita toto tempore uite sue et sic  
 175 habuit dolorem stomachi et dolorem podagre per totam uitam». Vnde in quadam epistola  
 dicit ipse: «tante podagre tantisque doloribus premor, ut uita mea mihi grauissima pena sit,  
 cotidie enim in dolore deficio et mortis remedium expectando suspiro». Sed inter omnes  
 penas quas habent est una, quia non se possunt iuuare sicut hic uiuendo. Ideo gaudent de  
 adiutorio sibi facto, cognoscunt Deo reuelante uel mysterio angelorum uel etiam notitia  
 180 experimentalis, nam quando chari faciunt eis suffragia, alleuiantur pene illorum et sentiunt  
 refrigerium, quando autem non, fit eis. Tunc credunt quod sunt in obliuione parentum  
 consanguineorum, et tunc clamant dicendo que libet illarum: *miserere mei*. Quo ad primam  
 partem.

In secunda parte sunt uidenda tria. Primum: utrum suffragia facta ipsis mortuis per  
 185 uiuos prosint eis? Secundum: quo tempore prosint et que sunt illa? Tertium: quibus  
 prosunt?

Pro declaratione primi notandum quod semper fuerunt quattuor mansiones uel  
 receptacula animarum, tam in ueteri quam in nouo testamento. Primum est in centro terre,  
 scilicet: damnatorum decedentium cum peccato mortali. Secundum est decedentium cum  
 190 peccato originali supra infernum. Tertium est purgandorum, quando cum peccato ueniali  
 descendunt uel hic penitentiam non impleuerunt. Quartum est receptaculum sanctorum  
 patrum, quod dictum fuit “sinus Abrahe”, ad quod Christi anima descendit. Primum est in  
 centro terre. Secundum supra illud. Tertium etiam supra. Quartum est supremum uersus  
 superficiem terre. Etiam in nouo testamento post Christi passionem et resurrectionem sunt  
 195 quattuor, quia tria predicta et loco sinus Abrahe est celum empireum. Et sic definit unus ex  
 illis, nunc creuit alius locus. Et sic semper fuerunt quattuor, quia hodie sinus Abrahe est  
 uacuus et nullus in eo est. Nunc igitur pro responsione primi dubii ponuntur quinque  
 conclusiones.

---

182: cf. Ps. 50, 3.

167-170: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ver. Et Fal. Poen.*, 18, 34. PL 40, 1128C; cf. Gra., *Decr.*, I, 25, 5. PL 187, 148B. | 173-175: cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, XLVI, p. 197. | 176-177: Gre. Mag., *Ep.*, IX, 123. PL 77, 1057A.

200 Prima est quod suffragia non prosunt existentibus in celo. Ratio est: illi prosunt suffragia, qui habet aliquam indigentiam illorum, sed beati non indigent illis, igitur, etcetera. Et ideo dicit Augustinus quod: «pro ualde bonis nullius sunt efficacie». Item dicit Augustinus et habetur extra De Celebratione Missarum, “Cum Marthe” quod: «iniuriam facit martyri qui pro martyre orat», quod est intelligendum de canonizatis. Si autem datur suffragium non indigenti, dicit Augustinus quod pro tali gratiarum actiones sunt.

205 Secunda conclusio est quod suffragia non prosunt existentibus in inferno. Probatur nam Augustinus dicit quod: «pro ualde malis nullius ualoris sunt», Augustini in Enchiridion. Vnde dicit Augustinus quarto De ciuitate Dei quod si sciret patrem suum in inferno esse non pro illo oraret, sicut nec pro demone. Ratio est quia suffragia dantur ad minuendam uel  
210 tollendam penam, sed pena inferi non potest. Patet quia aut minueretur quo ad acerbitem, aut quo ad durationem. Non quo ad primum, quia cum acerbitas pene sit finita per resecationem: «alicuius finiti tandem consumetur», ut dicit Philosophus. Sed hoc est impossibile, quia secundum omnes doctores in inferno nulla est redemptio nec quo ad durationem, quia illa duratio est infinita, unde ait Christus, Matthei: *ite, maledicti, in ignem eternum*. Igitur per subtractionem cuiuscumque finiti non potest minui, ut dicit Philosophus  
215 in libro Physicorum.

Sed dices contra: «nam Damascenus in quodam sermone recitat de Machario, qui inuenit in Via Caluaria caput cuiusdam defuncti et oratione premissa quesiiuit cuius caput fuisset, et caput respondit quod fuerat sacerdotis gentilis, qui in inferno fuerat damnatus et  
220 tamen confessus est quod oratione Macharii se et alios iuuari», igitur, etcetera. Respondeo quod illud adiutorium non erat quod pena damnatorum illorum minueretur, sed in hoc solo, ut ibidem dicitur quod eo orante concedebatur eis quod mutuo se uiderent. Et in hoc aliquod gaudium non uerum, sed fantasticum habebant dum implebatur quod desiderabant, sicut demones gaudere dicuntur, dum homines ad peccata detrahunt quamuis ex hoc pena illorum non minuatur, sicut nec minuitur gaudium angelorum per hoc quod malis nostris  
225 compati dicuntur.

Secundo, obiicitur per illud quod ait Augustinus in Enchiridion sexto dicens quod: «quibusdam suffragia uel ad hoc prosunt quod sit plena remissio uel ad hoc ut tollerabilior sit eorum damnatio». Igitur prosunt damnatis. Dicendum quod illic damnatio large sumitur, scilicet: pro quocumque damno et punitione. Et sic includit etiam penam purgatorii, que  
230 quandoque totaliter expiatur, quandoque solum diminuitur.

Tertio, contra hoc est illud quod: «Damascenus in sermone narrat quod Gregorius orationem pro Traiano fundens audiuit uocem sibi diuinitus dicens: “uocem tuam audiui et ueniam Traiano do”. Et huius rei, ut ait idem Damascenus, testis est oriens omnis et  
235 occidens. Constat aut Traianum in inferno fuisse, qui mortem amaram multis maryribus dedit crudeliter, ut idem Damascenus narrat». Hoc idem ponit Sanctus Thomas in multis locis, maxime in quarto, distinctione quadragesima quinta, questione secunda, articulo secundo; et in Questionibus De Veritate, questione sexta, sexta distinctione, quod post

---

213-214: cf. Mt. 25, 41.

201: cf. Aug. Hipp., *Ench.*, CX, 29. PL 40, 283D. | 202-203: cf. Gre. IX., *Deor.*, III, 41, 6, col. 639; cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, XLII. PL 40, 1316D. | 206: cf. Aug. Hipp., *Ench.*, CX, 29. PL 40, 283D. | 207: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XXI, 24, 1. PL 41, 737B. | 211: cf. Arist. Lat., *Phys.*, I, 4, 187b26, p. 20. | 214-215: cf. Arist. Lat., *Phys.*, VIII, 3, 253b12, p. 287. | 216-219: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 45, q. 2, a. 2, p. 312; cf. Io. Dam., *De His Qui In Fid. Dor.*, X. PG 95, 255AB. | 227-228: cf. Aug. Hipp., *Ench.*, CX, 29. PL 40, 283D-284A; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 8), lib. 4, dist. 15, q. 1, a. 3, qc. 4, p. 156. | 231-235: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 45, q. 2, a. 2, p. 312; *Qu. De Ver.* (vol. 1), q. 6, a. 6, p. 194; cf. Io. Dam., *De His Qui In Fid. Dor.*, XVI. PG 95, 262D-264A.

trecentos annos liberatus fuit de inferno. Dicendum quod Traianus fuit ad uitam reuocatus et sic penituit; uel quod anima Traiani fuit soluta a pena usque ad diem iudicii, et sic pena  
 240 suspensa non fuisset simpliciter absoluta ab illa; uel dicendum quod Traianus non erat nisi in purgatorio. Et cum omnes quattuor loci uel quattuor receptacula dicerentur “inferni”, nam anima Christi dicitur ad inferos descendisse et non descendit nisi ad sinum Abrahe, sequitur quod non perpetuo erat damnanda in inferno irremissibiliter. Patet hoc, quia pena sua apud Gregorium fuit taxata per duas dies purgatorii post trecentos annos, ut dicit  
 245 Sanctus Thomas. Clarum est quod si illa pena fuisset inferni et eterna, non illo modo taxaretur per penam purgatorii.

Tertia conclusio est quod suffragia non prosunt pueris in limbo cum peccato originali decedentibus. Ratio est quia remanente culpa semper remanet pena, sed culpa illa semper remanebit, quia remedium ad illud peccatum non sumpserunt. Item licet illis dentur  
 250 suffragia, illi non possunt illa recipere, cum non sint in gratia, unde dicit Augustinus quod: «solum illis prosunt qui cum fide operante per dilectionem decesserunt».

Quarta conclusio: suffragia non prosunt existentibus in sinu Abrahe. Probatur, quia in illo nullus est hodie nec etiam proderant illis qui in illo erant ante Christi resurrectionem. Nam aut erant tales quod nunquam habuerunt aliquid purgandum, ut fuerunt innocentes  
 255 propter Christum interfecti, aut si aliquid habuerunt purgandum, iam purgauerunt in purgatorio per prius. Et sic dum erant in sinu Abrahe, iam non habebant penam sensus. Si illis prodesse, esset uno duorum modorum; aut quo ad meritum et hoc non, quia nullum est post hanc uitam, nec quo ad satisfactionem, quia satisfactio personalis iam erat facta. Solum remanebat satisfactio pro tota natura humana et ad illam ipsi non poterant, sed  
 260 sperabatur ad Christum filium Dei, qui ratione diuinitatis meritum habebat infinitum, igitur.

Quinta conclusio affirmatiua est quod suffragia prosunt existentibus in purgatorio solum. Et probatur ratione, auctoritate et exemplo.

Primo, ratione sic: sicut unus homo potest satisfacere pro altero uiuo, sic potest pro mortuo. Vnde duo requiruntur ad hoc ut prosint: «primo indigentia et meritum  
 265 conditionale». Vtrumque est in eis qui sunt in purgatorio, et sic patet hoc Petrus de Tarantasia in quarto, distinctione quadragesima quinta.

Secundo, probatur auctoritate Augustini, De Cura Habenda Pro Mortuis, dicens quod: «non prosunt ualde bonis, nec ualde malis nisi mediocriter se habentibus, sed tales sunt  
 270 existentes in purgatorio», igitur, etcetera. Item patet secundo Macchabeorum duodecimo de Iuda, qui: *duodecim milia dragmas argenti misit Hierosolymam offerri eas ibi pro peccatis mortuorum*, etcetera. Item patet hoc auctoritate ecclesie, que consueuit isto tempore orare pro illis animabus, etcetera.

Tertio, probatur conclusio exemplo: sicut uidemus in uno corpore quod multa membra sunt unita et adiuuat unum alteri, sic in ecclesia militante, etcetera.

---

270: II Mcc. 12, 43.

245: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 45, q. 2, a. 2, p. 312; *Qu. De. Ver.*, (vol. 1), q. 6, a. 6, p. 194. | 251: cf. Aug. Hipp., *Serm.*, CLXXII, 2, 2. PL 38, 937; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 45, q. 2, a. 2, p. 310. | 264-265: cf. Petr. Tar., *Sup. Sent.*, lib. 4, dist. 45, q. 2, a. 2, p. 435. | 268-269: Augustinus] *NI*. cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 45, q. 2, a. 2, qc. 2, p. 314.

248: Remanente] M, X remanante. | 254: Purgandum] M purgandm.

275 Si dicis: in corpore quando est membrum mortuum non iuuatur ab altero, ut patet in  
 paralytico, etcetera, sic in proposito. Si ambo essent uiua, sequitur quod dicitur, sed unum  
 est uiuum et aliud membrum est mortuum, igitur, etcetera. Dicendum quod homo moriens  
 cum charitate non est mortuus, sed dormiens. Solum ille est mortuus, qui discedit sine  
 280 charitate, et sic in proposito. Vnde de mortuis christianis dicit Apostolus: *nolite contristari de*  
*dormientibus*, etcetera. Item Christus dicit, Iohannis undecimo: *Lazarus amicus noster dormit*,  
 sed de illo qui sine charitate descendit dicitur: *mortuus est diues et sepultus est in inferno*, Luce  
 decimo sexto. Sic dico quod existentes in purgatorio dormiunt et non sunt mortui; sic dico  
 quod licet unum membrum in corpore, si mortuum fuerit ab alio, non potest iuari, sed  
 bene iuuatur si dormit, ut patet de manu quando dormit uel de pede, qui si confricatur ab  
 285 alio membro, scilicet: a manu, conualescit et resumit spiritum. Igitur cum omnes uiui cum  
 mortuis in purgatorio existentibus faciant unum corpus, quia una uita uiuunt, scilicet:  
 charitate, que non perditur per mortem, prima ad Corinthios decimo tertio, sequitur quod  
 unius corporis sunt membra et iuari possunt adinuicem. Exemplum de omnibus his: si  
 sunt tres seruitores summi pontificis, unus seruit ei diligenter et dat illi archiepiscopatum;  
 290 alter seruit ei tepide et dat illi gratiam ad aliud beneficium obtinendum; alter uero non  
 seruiuit illi. Si omnes ueniunt ad partes uacante beneficio non concedetur archiepiscopo,  
 quia non indiget, nec non seruienti, quia non habet gratiam acceptandi et nunquam meruit,  
 sed dabitur illi qui gratiam habet et indiget, sic in proposito. Clarum igitur patet quod  
 existentes in gloria, cum non habeant aliquam miseriam, non possunt uerba thematis  
 295 proferre, nec existentes in limbo et inferno, quia ueniam petere non possunt, sed solum  
 existentes in purgatorio dicunt: *miserere mei*. Quo ad primam partem.

Secundum uidendum in hac parte est quibus temporibus et que suffragia sunt danda  
 mortuis. Dicendum quod tria sunt tempora, quibus conferenda sunt suffragia. Primum  
 tempus sepulture per nouem dies post mortem. Secundum est tempus impletionis  
 300 testamenti, scilicet: in fine anni post mortem. Tertium est quolibet anno reuoluto circulo  
 post diem omnium sanctorum, scilicet: in die animarum.

Primo, danda est sepultura mortuo, nam semper hoc fuit laudabile et meritorium, tam in  
 ueteri testamento quam in tempore gentilium. Et etiam in nouo testamento patet in ueteri  
 testamento, nam Genesis uicesimo tertio, laudatur Abraham, quia solemniter Sarram  
 305 sepeluit in campo, quem emerat in sepulturam in ciuitate Hebron. Item filii Abrahe, scilicet:  
 Isaac et Ismahel, laudantur, quia sepelierunt eum in eadem spelunca, ut habetur Genesis  
 uicesimo quinto. Item laudantur filii Iacob, Genesis ultimo, quia honorifice sepelierunt  
 ipsum Iacob, quem duxerant de Egipto in Hebron. Et sic in eadem sepultura sepulti  
 fuerunt quattuor patriarche cum suis mulieribus, scilicet: Adam et Eua, Iosue decimo  
 310 quarto, Abraham et Sarra, Isaac et Rebecca, Iacob et Lia. Item tempore regum laudantur,  
 secundo Regum secundo: *uiri Iabesgalaath a Dauid eo quod sepelierunt Saul regem suum dixitque ad*  
*eos: "benedicti uos a domino, qui fecistis misericordiam cum domino uestro et sepelistis eum. Retribuet*  
*quidem uobis dominus et ego reddam gratiam"*, etcetera. Item laudantur filii Dauid, quia  
 sepelierunt patrem suum in ciuitate sua Bethleem, tertio Regum secundo. Item laudatur  
 315 Tobias, Tobie secundo, eo quod sepeliebat proximos suos in captiuitate. Non solum in  
 ueteri testamento, sed apud gentiles fuit hoc laudatum. Vnde Valerius Maximus libro primo  
 laudat Simonidem poetam, qui dum nauigaret cum aliis multis: «cum nauis sua applicuisset  
 ad litus et corpus inhumatum uidisset, sepulture mandauit. Et sic propter hoc beneficium in

279-280: cf. I Th. 4, 13. | 280: Io. 11, 11. | 281: Lc. 16, 22. | 287: cf. I Cor. 13, 3. | 296: cf. Ps. 50, 3. | 304:  
 cf. Gn. 23, 2. | 306-307: cf. Gn. 25, 9. | 307: cf. Gn. 50, 13. | 309: cf. Ios. 14, 15. | 311-313: II Sm. 2, 4-6. |  
 314: cf. III Rg. 2, 10. | 315: cf. Tb. 2, 9.

317-320: cf. Val. Max., *Fac. Et Dic. Memor.* (vol. 1), lib. 1, p. 61.

277: Viuum] M unum. | 287: Corinthios] X Corinthiis.

320 nocte uisionem habuit in somnis et eum monuit, ne die uenienti nauigaret, et sic fecit. Sed  
 qui illinc recesserant in eius conspectu mari absorti sunt», libro primo, rubrica “De  
 Somnis”. Item ait Valerius, libro quinto, rubrica “De Humanitate”, commendat Cesarem,  
 qui caput sui hostis Pompei sibi per regem Egipti destinatum honorifice cremari et sepeliri  
 325 fecit. Ibidem etiam laudat Hannibalem, qui successiue tres romanos, scilicet: Paulum,  
 Graccum et Marcellum, hostes ipsius, honorifice sepelluit. Item Quintus Curtius laudat  
 Alexandrum de sepultura Darii. Hoc idem in nouo testamento patet de sancto Iohanne  
 Baptista. Laudantur enim discipuli eius, qui ipsum sepelierunt in Sebate, ciuitate Palestine.  
 Item laudantur multum in scriptura Nicodemus et Ioseph, quia Christum sepelierunt. Et  
 non solum isti, sed Magdalenam laudat Christus dicendo quod: *bonum opus operata est in me*  
 330 *fundens unguentum*, etcetera, *ad sepeliendum me fecit*. Et sic solum in figuratione sepulture  
 meruit.

Si forte dicis: isti laudantur quia sepelierunt, sed sepultura nihil prodest mortuo.  
 Dicendum quod sic, ut dicit Richardus in quarta, distinctione quadragesima quinta. Vnde  
 omnia ista tangit Augustinus, libro primo De Ciuitate Dei, capitulo decimo quarto. Vide  
 latius. Sed dicit Richardus ibidem quod: «prodest mortuis propter mentium incitationem ad  
 335 orandum pro mortuo». Vnde Augustinus, libro De Cura Pro Mortuis Agenda, ait:  
 «monumentum dicitur eo quod moneat mentem, id est, admoneat ad orandum», etcetera.  
 Vnde Gregorius quarto Dialogorum idem ait dicens in hoc: «prosunt monumenta quod  
 eorum proximi quotiens ad eadem sacra loca conueniunt suorum recordantur et pro eis  
 domino preces mittunt».

340 Secundo, propter ministrorum sacerdotum orationem, quia illi qui ecclesie deseruiunt,  
 tenentur pro illis frequentius orare.

Tertio, propter sanctorum deuotionem, quia sancti, pro quorum honore fabricata est  
 ecclesia, orant pro eo, qui in illa uel eius ciminterio sepelitur. Hoc dicit Augustinus et  
 habetur decimo tertio, questione secunda, capitulo “Non estimemus”. Item prosunt  
 345 christianis ratione funeralium, elemosynarium, sacrificiorum et orationum, qui in illa  
 expediuntur.

Sed dicis: pompa sepulture est fugienda? Dicendum quod etiam est utilis postquam fiat  
 secundum consuetudinem patre et secundum decentiam persone, ut fuit illa nuper  
 serenissimi principis nostri Iohannis, que facta fuit Cesaraguste honorifica, deuota et pia.  
 350 Prodest enim, quia ubi est maxima multitudo, multi etiam orant pro anima, et ubi multi  
 sumptus, sunt etiam multe elemosyne.

Sed dicis: quare sepultura durat nouem diebus continuis? Dicendum quod ratio est quia  
 committitur nouem ordinibus angelorum.

355 Secundo, etiam ratio est quia in ueteri testamento fuerunt quattuor status excellentium  
 personarum, scilicet: patriarche, prophete, reges et sacerdotes, et in nouo etiam quattuor,  
 scilicet: apostoli, martyres, confessores et uirgines. Et omnes sunt octo et sanctissima  
 trinitas nouem. Et sic in illis nouem diebus committitur anima illis, etcetera.

---

328-329: cf. Mt. 26, 10-12.

321: cf. Val. Max., *Fac. Et Dic. Memor.* (vol. 1), lib. 5, p. 302. | 321-324: cf. Val. Max., *Fac. Et Dic. Memor.* (vol. 1), lib. 5, p. 307-308. | 324-325: cf. Qu. Cur., *Hist. Alex. Mag.*, V, 13, p. 426-428. | 333: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, I, 13. PL 41, 27BD. | 334-335: cf. Ric. Med., *Sup. Sent.* (vol. 4), IV, dist. 45, a. 6, q. 1, p. 608. | 336: Aug. Hipp., *De Cur. Pro Mort. Ger.*, IV, 6. PL 40, 596C. | 337-339: Gre. Mag., *Dial.*, IV, 50. PL 77, 412BC. | 343: cf. Aug. Hipp., *De Cur. Pro Mort. Ger.*, XVIII, 22. PL 40, 609A; cf. Ivo., *Decr.*, II, 113. PL 161, 191B; cf. Gra., *Decr.*, II, 13, 2, 19. PL 187, 947A.

360 Tertia ratio est ad differentiam ueteris testamenti, in quo erant solum septem dies, ut patet Genesis ultimo capitulo, quando Ioseph cum magnatibus Egipti duxerunt corpus ipsius Iacob ad terram promissionis *ueneruntque ad aream Achad, que sita est transiordanem, ubi celebrantes exequias planctu magno atque uebementi impleuerunt septem dies, quod cum uidissent habitatores terre Chanaan, dixerunt: “planctus magnus est iste egiptiis et idcirco uocatum est nomen loci illius “Planctus Egipti”, etcetera.*

365 Et sic septem dies erant exequiarum in ueteri testamento: una dies fuit quando in die resurrectionis educte fuerunt anime sanctorum de limbo patrum ad paradisum terrestrem. Alia dies fuit quando in die ascensionis cum Christo in celum ascenderunt, et sic in nouo testamento sunt nouem dies exequiarum.

370 Secunda dies est solemnitas testamenti, scilicet: in fine anni a die sepulture. Nam tunc heredes consanguinei et amici cum executoribus anime debent ad domum defuncti uenire. Et post missam uidere testamentum et si omnia mandata et legata sunt impleta. Si non, laborare ut impleantur quam citius poterunt. Et licet habeant unum annum ad hoc quam citius poterunt, debet impleri ne anima illa detineatur in penis, nam licet ex ordinatione testamenti habeat anima fructum aliquod refrigerii, sed non plene donec ex legatis fiat opus operatum, ut quando misse celebrantur et orationes dicuntur a pauperibus propter

375 elemosynas receptas, maxime quando sunt in testamento legato ex propriis bonis, quod non sint ex usura, rapina et simonia uel huiusmodi, quia illud satisfacere non est, sed restituere ex satisfactione. Requiritur alia emenda, sicut accidit tempore Benedicti pape secundi, qui obiit anno domini sescentos octoginta septem, et ut Gregorius in Dialogo recitat, post mortem apparuit cuidam pastori cum equo nigro et dicit illi: «heu! –Inquit–

380 nonne tu es Benedictus papa, quem defunctum liquido nouimus? Infelix, –inquit–, ego sum. Et ille: “quomodo tibi est pater? Grauibus enim tormentis, –ait– afficio. Spe tamen si adiutorium prebeatur mea recuperatione non prius, sed perge, queso, ad fratrem meum Iohannem, qui nunc apostolicam occupat sedem eique nuntia, ut illam potissimum summam que in arca reconditur in pauperes pro mea salute distribuat. Nam cetera que pro

385 me indigentibus tradita sunt, mihi penitus nihil profuerunt, quia de rapinis et iniustitiis fuerunt acquisita. Sic nuntiatum fuit Iohanni pape quintus, qui hoc sic fecit et mox episcopalis sarcine pondus abiecit et monachum induit, eoque modo salutem sibi ex aliena calamitate prouidit». Sic patet quod aliud est restituere et aliud satisfacere. Et sic, sicut misericordes misericordiam consequentur, sic negligentes executores, si causa illorum

390 anima in purgatorio detinetur, simili pena patientur anime illorum, ut legitur de illo milite in gestis Caroli Magni: «qui in mortis articulo consobrinum suum clientem, quem solum habebat superstitem euocauit dicens: “ecce solum equum optimum habeo et ex hoc statuo testamentum, me ergo mortuo uendes equum et pecuniam pro anima mea totaliter erogabis”. Mortuo ergo milite satelles uidit equum ualidum et eum nec uendidit nec pecuniam pro eo soluit. Circa dimidium uero anni anima defuncti apparuit dixitque: “non curasti aliquid pro anima mea liberanda facere. Et ideo medio tempore quo per elemosynas liberari debueram passus sum graues penas, sed ecce nunc iudicium dedit operum ponderator omnipotens et omnes accessores angeli iustum esse decreuerunt, ut anima mea ad requiem transeat et anima tua penas recipiat, quas acturus adhuc fueram in tormentis”.

400 Et repente disparuit et mox satelles grauissimam infirmitatem incurrens, que gesta fuerant,

---

360-363: Gn. 50, 10-11.

379-388: Gregorius] *Auctor err.* cf. Petr. Dam., *Opus.*, XIX, 3. PL 145, 428AB. | 391-401: cf. Io. Mai., *Mag. Spec. Exem.*, c. Defuncti, XII, pp. 195-196.

371: Vnum] M unam. | 381: Spe] M, X sepe.

confessus est sacerdoti et mortuus fuit», etcetera. Sic debent impleri testamenta et mox, etcetera.

405 Tertio, est tempus subueniendi animabus ab ecclesia ordinatum altera die omnium sanctorum quolibet anno, et in hac omnes christiani debent esse uigiles ad subueniendum illis.

410 Si dicis: de quibus? Respondetur quod ex quattuor, ut dicit Gregorius in Dialogis. Primum per sacrificium altaris; secundo, per orationes; tertio, per elemosynas; quarto, per ieiunium. Et licet omnia ista sint bona et utilia pro animabus defunctorum, sed excellenter sacrificium et orationes. Sed nota quod licet sacramentum eucharistie prosit sumentis per uiam sacramenti, ualet etiam mortuis per modum sacrificii, ut dicit Petrus de Tarantasia in quarto, distinctione quadragesima quinta.

415 Si queritur: quare plus confert sacrificium et oratio? Dicendum quod cum ista communicentur ex charitate secundum quod plus participant de uirtute charitatis plus prosunt, sed cum melius sit opus charitatis quod dirigitur in Deum quam in proximum, cum sacrificium et oratio dirigantur in Deum, sequitur quod sint meliora per se, secus est de per accidens in quantum, scilicet: elemosyna impetrat orationes sanctorum. Et quia melius est opus charitatis communis, scilicet: totius ecclesie, quam priuate, ideo simpliciter excellit sacramentum. Et quia: «quanto communius tanto diuinius», melior est elemosyna quam ieiunium.

420 Sed queritur: utrum missa defunctorum plus prosit quam aliqua alia ex deuotione? Dicendum quod quantum ad uirtutem sacramenti equaliter ualent, sed quantum ad uirtutem orationum plus ualet missa pro defunctis, quem tamen excessum potest recompensare maior deuotio uel celebrantis uel celebrare facientis uel sancti pro cuius reuerentia dicitur patrociniū, supradictus Tarantasius, in quarto, distinctione  
425 quadragesima quinta. Et sic anime cognoscentes hoc tempus oportunum quando eis solet dari patrociniū, ut non obliuiscantur heredes executores consanguinei, amici, religiosi clamant dicentes: *miserere mei*. Quo ad secundum.

430 Tertio, est uidendum quibus prosunt hec suffragia et dicendum quod omnibus existentibus in charitate. Et cum omnes anime in purgatorio sint in charitate, sequitur quod omnibus prosunt, licet fiant pro uno solo. Exemplum: quando unus in uia debilitatur et tibi illum portare non possunt, comedit modicum panis. Dico quod licet illum panem comedat pro debilitate tibiārum, sed omnibus membris prodest ille cibus. Sic dicendum quod suffragia considerantur dupliciter: uno modo in quantum fiunt ex charitate, et sic omnibus prodest. Etiam magis prosunt existentibus in maiori charitate. Et sic aliquando  
435 magis prosunt illi pro quo non fiunt, quia sese ex charitate diligunt nec sibi ipsi in aliquo inuident. Et sic de alienatione pene illius pro quo fiunt omnes gaudent, quod libet autem gaudium reddit gaudentem minus dispositum ad penam contristantem, et sic licet pro uno determinato fiant secundum hunc modum, audet magis in maiori charitate existens. Exemplum: sicut lux uel candela incenditur pro aliquo episcopo in senectute existente, plus  
440 proderit famulo, qui oculos habet magis dispositos ad uidendum. Item si legatur aliqua lectio pro episcopo, aliquando plus proderit scolari ingenioso, sic in proposito.

---

427: cf. Ps. 50, 3.

406: Gregorius] *Auctor err.* cf. Gra., *Decr.*, II, 13, 2, 22. PL 187, 948B; cf. Aug. Hipp., *De Perf. Ius. Hom.*, VIII, 18. PL 44, 300A. | 410-411: cf. Petr. Tar., *Sup. Sent.*, lib. 4, dist. 45, q. 2, a. 3, p. 436. | 418: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, I, 1, 94b10, p. 142; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 49, q. 1, a. 1, p. 598. | 424-425: cf. Petr. Tar., *Sup. Sent.*, lib. 4, dist. 45, q. 2, a. 3, p. 436.



Sed dices: igitur pro quocumque potest dici missa indeterminate et una pro omnibus, etcetera? Dicendum quod non, nam ultra istum modum, scilicet: ex charitate, est alius  
 445 modus, scilicet: ratione directionis facientis, scilicet: quando intentionem habet dirigere ad animam patris uel matris, etcetera. Et tunc ad illam specialiter prodest, nam secundum primum modum, scilicet: ex charitate, prodest illis ad fortificandam uirtutem. Secundum hunc alium modum ualent ad diminutionem penarum illius pro quo fiunt. Exemplum: pena portantis aliquod magnum pondus potest dupliciter mitigari uno modo sumendo cibum et potum, et sic fortificatur uirtus portantis et non sentit illam penam tantum. Et hic est  
 450 primus modus omnium existentium in charitate, alio modo minuendo grauitatem ponderis, et isto modo iuuant illos quibus diriguntur et pro quibus fiunt. Exemplum de omnibus istis habetur in ludo pile quando duo ludunt et multi amici intersunt et aliqui fratres illorum. Dico quod de ludo omnes gaudent et refocillantur gaudio, sic quod aliquando non cogitant de tempore nec de labore suo. Sed magis gaudent illi amici bene ludentis, quia sunt in  
 455 maiori charitate apud illum. Et isto modo omnes ludentes et uidentes gaudent charitatiue in illo solatio, sed in quantum pila dirigitur ad illum qui obiectiue illam repercutit et lucratur ex ludo, et sic exit de paupertate, isto modo solum illi prodest, sic hic.

Ex omnibus his tria habemus documenta.

Primum est quod suffragium ualet multis, scilicet: uiuis, quibus subuenitur facienti illa, qui meretur, etiam mortuis omnibus. Falsa est et fatua opinio illorum, qui dicunt quod  
 460 postquam pro anima una accepta est indulgentia, quod non oportet plura facere suffragia. Primo, si moriens precedit, est debitum et non soluitur per bullam nisi realiter sic detur illi pro quo sit prodest aliis, fatuum esset dicere postquam consanguinei mei: “diuites non indigent, nolo aliis dare elemosynam,” etcetera. Item prodest tibi ad meritum. Item  
 465 postquam sunt opiniones de bulla plenaria mortuorum: quis reddet te securum utrum plene liberata sit anima? Item sunt multe bulle false. «Accipe quod certum est et dimitte incertum». Semper pro animabus purgatorii facias.

Secundum documentum est quod illud quod sit a principali agente debet dari in charitate, igitur preparate in hac festiuitate per confessionem aut saltem per contritionem  
 470 cum proposito confitendi, etcetera.

Tertium documentum est quod etiam minister aliquid facit ad orationes. Igitur sunt eligendi puri ministri, ut pro anima orent deuoti sacerdotes, deuoti religiosi et deuoti pauperes, quia efficaciores sunt orationes bonorum quam aliorum.

Et sic heres, executor, pauper, consanguinei et deuoti faciant suffragia pro mortuis  
 475 abundanter et sic habebunt hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis, etcetera. Amen.

---

466-467: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm. Ad Fr. In Er.*, XLIV. PL 40, 1321A.

475: Gloriam] M glorium.

SERMO CENTESIMVS DECIMVS NONVS ET SECVNDVS IN EADEM DOMINICA ANTE FESTVM  
OMNIVM SANCTORVM

<THEMA> *Date elemosynam*, Luce undecimo.

Originaliter uerbum reperi quod assumpsi.

5 Sententia est omnium catholicorum doctorum, maxime Alberti Magni Super Missus Est, quod amor uel charitas uirginis Marie excessit omnem charitatem creaturarum non solum hominum, sed angelorum. Quod autem hoc sit uerum patet tripliciter. Primo, considerando uirginem in se et absolute. Secundo, per respectum Dei ad uirginem Mariam. Tertio, per respectum et comparisonem uirginis ad Deum.

10 Primum autem patet tripliciter. Cum enim uirgo Maria sit pura mater gratie, patet hoc: primo, ex puritate. Secundo, ex maternitate. Tertio, ex gratia.

15 Primo, ex puritate patet, nam dicit Apostolus, prima ad Timotheum primo: *finis precepti est charitas de corde puro conscientia bona et fide non ficta*. Igitur si charitas nutritur a puritate cordis, ubi maior puritas, ibi maior charitas. Sed maior fuit puritas quam sanctorum et angelorum, ut dicit Anselmus in libro De Conceptu Virginali: «decurt ut uirgo illa ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi», igitur, etcetera.

20 Secundo, patet hoc ratione maternitatis, nam triplex est amor quidam seruilis, quia seruitus duplex. Primus timoris, secundus amoris. Hic autem non timoris, sed amoris est. Hic autem est serui ad dominum. Secundus est amor fraternalis inter cognatos et hic est maior altero. Tertius est progenitorum ad progenitum et hic est maior aliis, nam dicit Aristoteles: «generantis ad genitum naturalis est amicitia», octauo Ethicorum. Sed angeli diligunt Deum ut dominum et ipsi sunt serui. Item homines ante incarnationem diligebant Deum ut serui dominum, sed post incarnationem non, unde dixit Christus: *iam non dicam uos seruos, sed amicos*, et declarat quales amicos, quia fratres. Ideo dixit Magdalene: *dic fratribus meis*, etcetera, Iohannis uicesimo. Et sic postquam humanitatem nostram assumpsit, frater noster est, sed maior est amor parentum ad filios et maior matris ad filiam quam patris, ut dicit Philosophus in <octauo> Ethicorum. Sed cum sola uirgo Maria fuerit mater Dei, sequitur, etcetera.

30 Tertio, patet hoc ratione gratie, unde Apostolus dicit: *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum*, etcetera. Igitur, si charitas Dei diffunditur mediante gratia spiritus sancti, ubi fuit maior gratia, ibi maior charitas. Sed in uirgine Maria fuit maior gratia quam in aliqua alia pura creatura, igitur sequitur.

35 Secundo, hoc probatur comparando Deum ad ipsam. Nam cum ipsa fuerit plus dilecta a Deo quam aliqua alia pura creatura, sequitur quod ipsa plus illum dilexit. Dicit enim Deus, Prouerbiorum octauo: *ego diligentes me diligo*. Igitur magis diligit magis diligentes se. Sed ipse plus illam dilexit, igitur a posteriori ipsa plus diligit illum. Quod autem ipsa plus ab ea diligatur patet tripliciter.

---

3: Lc. 11, 41. | 12-13: I Tim. 1, 5. | 23-24: cf. Io. 15, 15. | 24-25: cf. Io. 20, 17. | 29-30: cf. Rm. 5, 5. | 35: Prv. 8, 17.

5: cf. Alb. Mag., *Mar.*, XLVI, pp. 90-92. | 15-16: Ans., *De Conc. Virg.*, XVIII. PL 158, 451A. | 21: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, VIII, 1, 55a17, p. 298. | 27: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, VIII, 14, 61b27, p. 317.

25: Vicesimo] M, X tertio.

Primo, ratione dotationis, nam amicus separat amicum ab omni malo et dotat illum omni bono. Sic Deus fecit uirgini: separauit illam ab omni malo, unde custodiuit illam a demone, nam nullum peccatum in ea seminauit; et ab homine, nam in uirginitate preseruauit; et a terra et uermibus, quia illam non corruerunt. Item custodiuit illam ab inferno, ideo noluit ut ante ipsum spiraret, quia ipse descendit ad inferos, ut dominus. Ipsa autem esset detenta ab illis et sic contra eius honorem fuisset. Et sic fuit custodita supra mundum in mundo et infra mundum, unde Psalmi centesimo quadragésimo quarto: *custodit dominus omnes diligentes se*. Et sic magis diligentes se magis custodit, cum hec plus custodita fuerit, plus illum dilexit. Item dando et communicando illi omne bonum, nam plura et maiora dedit uirgini quam alicui pure creature et etiam quam mundo uniuersali. Vnde dicit sanctus Bonauentura quod Deus dicitur diligere aliquem plus altero ratione communicationis maioris boni, sed cum Deus dederit uirgini esse matrem suam, quod est maius quod potuit dare, unde Anselmus De Conceptu Virginali loquens de maternitate Marie dicit: «quid excellentius illi dare ualuit», etcetera? Quasi dicat: non.

Secundo, patet ratione conuersationis et familiaritatis, unde familiaritas est signum amicitie maxime, ut dicit Philosophus, et patet in regibus et principibus. Sed maiorem familiaritatem Deus habuit cum uirgine quam cum ceteris, unde noluit sic esse filium uirginis, ut ex ea solum carnem sumeret, ut Eua ex Adam, quod mox esset corpore et statura perfectus, sed mansit in uentre uirginis Marie nouem mensibus, ut ceteri, et postea paulatim creuit et in brachiis suis semper habitauit. Et sicut in introitu in mundum noluit quod aliqua altrix illum tangeret nec lactaret, sed sola uirgo Maria, sic in exitu a mundo, scilicet: in eius morte. Nam si Nicodemus et Ioseph illum deposuerunt de cruce, hoc fecerunt reuerenter illum tractando et tangendo mediante sindone, et ut ministri uirginis Marie, quia uires uirginis ad descensum illius non sufficiebant, sed mox in gremio uirginis illum posuerunt. Et sic tam in uita quam in morte, nullus familiarius illum tractauit ut uirgo Maria mater eius.

Tertio, hoc patet ratione impetrationis, nam dignior est ad impetrandum quam aliquis sanctorum. Ratio est quia: «amicorum est idem uelle et idem nolle», ut dicit Tullius et etiam Hieronymus, unde plus potest ipsa impetrare quam totus mundus. Immo quidquid mundus impetrat mediante ipsa impetrat, unde Bernardus dicit: «data est tibi, o uirgo beata, potestas in celo et in terra, ut quodcumque uolueris ualeas impetrare», etcetera. Formetur igitur sic ratio, cum Deus diligat diligentes se et magis diligentes magis diligat, cum uirgo Maria fuerit ab eo secundum ista tria signa magis dilecta, sequitur quod ipsa illum magis dilexit.

Tertio, patet hoc comparando uirginem Mariam ad Deum tripliciter. Primo, ratione cognitionis. Secundo, ratione doloris. Tertio, ratione dationis.

Primo, ratione maioris et perfectionis cognitionis, quia secundum Augustinum: «nihil uoluit nisi precognitum et bonum quod perfectius cognoscitur, perfectius debet amari». Sed uirgo Maria perfectius Deum cognouit quam aliqua pura creatura, igitur patet hoc quo ad diuinitatem, quia perfectiones diuinas perfectius sciuit. Item quo ad humanitatem, quia cum mundus ignoraret Christum esse Deum et hominem, quia multi illum habuerunt ut purum hominem, hec sola certissime illum cognouit esse Deum et a Deo receptum, non

---

44-45: Ps. 144, 20.

48: cf. Bon., *Sent.* (vol. 3), III, dist. 32, a. 1, q. 6, p. 707. | 51: cf. Pseu. Ans., *De Conc. B. M. V.* PL 159, 312B. | 53: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, IX, 5, 67a12, p. 331. | 65: Tullius] *Auctor err.* cf. Sal., *De Con. Cat.*, XX, p. 17; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 2), lib. 1, dist. 48, q. 1, a. 4, p. 1023. | 67-68: Bernardus] *NI.* cf. Petr. Dam., *Serm.*, XLIV. PL 144, 740B; cf. Pseu. Ans. Luc., *Med. Sup. Sal. Reg.*, VII. PL 149, 589A. | 73-74: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, X, 1, 2. PL 42, 973A.

80 operatione humana, sed spiritus sancti operatione. Igitur cum perfectius illum cognouerit, perfectius illum tenebatur diligere, alias peccaret. Sed non est dicendum quod ipsa peccauerit, igitur, etcetera. Et sic dicit Alexander quod uirgo Maria perfectius impleuit preceptum de dilectione, in quo dicitur: *diliges dominum Deum tuum ex tota anima et tota mente.*

85 Secundo, patet ratione maioris doloris, nam condolere amico est actus pure amicitie, ut dicit Philosophus, sed uirgo Maria magis doluit de passione et morte filii quam aliquis alius, igitur, etcetera. Patet hoc, nam de Lazaro dicitur, Iohannis undecimo: *lacrimatus est Iesus, dixerunt circumstantes: ecce quomodo eum diligebat.* Vnde de uirgine Maria exponuntur uerba Hieremie, Trenorum primo: *o uos omnes qui transitis per uiam, attendite et uidete, si est dolor sicut dolor meus.* Quasi dicat: nullus talis, igitur.

90 Sed contra: martyres mortui sunt pro amore Christi et non uirgo Maria, igitur, etcetera. Dicendum quod martyres ex amore ad Christum solum uitam suam obtulerunt pro Christo, et sic uoluntarie fuerunt parati ad mortem, sed anima ipsorum uiolenter fuit a tyrannis a corpore separata. Sed uirgo Maria plus habuit, quia non solum uitam suam obtulit pro Christo, sed sine aliquo extrinseco anima sua fuisset separata a corpore, nisi a Deo fuisset preseruata. Et sic Deus miraculose illam seruauit in corpore. Et sic fuit a spiritu sancto  
95 anima retenta in corpore.

Si forte dicis: que fuit causa huius, nam cum ex feruenti uoluntate et amore, tunc uirgo Maria uellet mori? Quare non exaudita fuit in illo? Dicendum quod non fuit conueniens quod tunc in illa hora uirgo Maria moreretur propter tria.

100 Primo, ex parte redemptoris, ne crederetur ab aliquibus quod uirginis Marie mors requirebatur ad nostram redemptionem propter eius maximam dignitatem, propter quam Manicheus dixit ipsam esse angelus, ut dicit sanctus Thomas in tertio, distinctione quarta, questione secunda, primo capitulo.

105 Secundo, ratione mortis, nam cum mors nostra fuerit uicta per Christi mortem, quia cantat ecclesia quod: «mortem nostram moriendo destruxit», et cum medium destructionis huius fuerit uirgo Maria, non fuit conueniens quod illa die quando ipsa fuit destructa medium destructionis fuerit mortuum. De istis duobus dicit propheta Isaias capitulo sexagesimo tertio: *torcular calcavi solus*, quia solus redemptor, quo ad primum; *et de gentibus non est uir mecum*, quo ad secundum, quia sola mater erat cum eo iuncta cruci et colligens sanguinem illius torcularis crucis.

110 Tertio, ratione uirginis, que dederat illam carnem purissimam, que tunc patiebatur. Et sic non fuit conueniens quod in die, in qua anima sacratissima Christi separabatur a corpore suo, quod etiam anima uirginis Marie separaretur a suo corpore. Tertio, ostenditur maximus amor uirginis ad filium uerum Deum ratione dationis et orationis, ut diximus de filio ad matrem, quia: «signum dilectionis est exhibitio operis», ut dicit Gregorius in homilia, sed  
115 ipsa plura dedit filio quam aliquis alius, igitur, etcetera. Patet hoc, quia non solum dedit et obtulit illi animam et omnes potentias eius, sed etiam corpus et quod in illo erat purissimum, scilicet: sanguinem cordis; et tertio, dedit illi omnia exteriora. Et cum tria sint bona, scilicet: anime, corporis et exteriora, omnia bona dedit illi per consequens et omnia opera charitatis exercuit in illam. Non opera misericordie spiritualis, quia dicunt

82: Mt. 22, 37. | 85-86: Io. 11, 35. | 87-88: Lam. 1, 12. | 107-108: Is. 63, 3.

81: Alexander] NL. | 84: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, IX, 4, 66a8, p. 329; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 18, a. 5, p. 158. | 101: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 4, q. 2, a. 1, p. 274. | 104: cf. Gre. Mag., *Lib. Sacr.*, in die San. Pasc. PL 78, 92B. | 114: Gre. Mag., *Hom.*, XXX, 1. PL 76, 1220C.

120 imperfectionem in recipiente, et in Christo nulla erat in spiritu. Igitur non instruebat illum nec consulebat nec reprehendebat, etcetera. Sed solum corporales elemosynas illi dedit, quia ipsa non spiritum, sed corpus illi dederat. Et sic dedit illi elemosynas corporales illum cibando, potando et uestiendo, etcetera. Et ipse ut Deus dedit illi tria.

125 Primum quod ipse dedit illi et miraculose quidquid ipsa illi dedit, unde ecclesia dicit: «sola uirgo lactabat ubere de celo pleno», etcetera.

Secundo, dedit illi gratiam, ut ei dare posset digne.

130 Tertio, dedit illi plenitudinem gratiarum, ut mundo dispensare posset, nam sicut lac quod uirgo Maria filio suo dabat non erat solum pro se, sed pro toto mundo, ut dicit Augustinus: «lacta Maria creatorem tuum, panem uite, pretium mundi, prebe lambenti mammillam, ut ipse pro te et nobis prebeat maxillam».

Et sic, si uirgo Maria tantam gratiam habuit in recompensam elemosyne filio date, si uos uultis hanc participare, *date elemosynam*. Ad hanc igitur in principio sermonis recurramus mente pia dicentes: aue Maria gratia plena, etcetera.

<THEMA> *Date elemosynam*, loco et capitulo ubi supra.

135 In presenti sermone due erunt partes, scilicet: prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda materie prosecutiua. Tria sunt que nos mouent ad dandum elemosynam uni persone potius et citius quam alteri, scilicet: propinquitas, bonitas et necessitas.

140 Prima igitur causa est quando est persona nobis propinqua. Sed propinquitas est duplex, quia cum nos simus compositi ex spiritu et carne, potest esse propinquitas spiritualis et corporalis. Propinquitas spiritualis est religionis. Et sic potius debemus dare elemosynam christiano. Et sic dicit Apostolus ad Galatas sexto: *operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei*, etcetera. Alia est propinquitas corporalis siue carnalis, et sic potius debemus elemosynam dare propinquis quam alienis. Vnde Apostolus dicit, prima ad Timotheum quinto: *si quis suorum maxime domesticorum curam non habet fidem negauit et est infideli deterior*.

145 Secundo, hoc est ratione bonitatis, et hoc dupliciter, scilicet: si fuit bonus mihi in aliqua necessitate aut si est bonus in se, licet non mihi. Si primo modo, potius est danda elemosyna illi quam alteri, unde potius est reddendum debitum quam dare gratuitum, ut dicit Philosophus, quia illud est ex iustitia, hoc autem ex misericordia. Secundo modo etiam potius debeo dare elemosyna bono et uirtuoso quam alteri. Ratio est, quia exhibitio beneficii correspondet dilectioni, sed magis tenemur diligere bonos quam malos, igitur, etcetera

150 Tertio, hoc est ratione necessitatis, quia ubi maior necessitas est, ibi potius est subueniendum, et ideo potius debemus dare captiuo inter infideles quam alteri. Ratio est, quia est in periculo mortis spiritualis, et cum hec sit grauior corporali, sequitur, etcetera.

155 Item citius debemus dare incarcerato quam libero. Item citius debemus dare pauperrimo quam pauperi. Item citius debemus dare infirmo et paralytico quam sano.

Dimissa igitur elemosyna que debet fieri uiuis, de qua in circulo anni sepe loquimur, hodie de elemosyna mortuorum est uidendum. Et cum quattuor sint status mortuorum,

---

132-134: cf. Lc. 11, 41. | 141-142: Gal. 6, 10. | 144: I Tim. 5, 8.

125: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In tertio nocturno. PL 78, 735A. | 129-130: Augustinus] *Auctor err.* cf. Pseu. Max. Tau., *Serm.*, XII. PL 57, 867CD. | 148: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, IX, 15, 63a20, p. 320.

160 scilicet: existentes in limbo, ut pueri; existentes in celo, ut sunt beati; existentes in inferno, ut sunt damnati; existentes in purgatorio, uideamus cui istorum potius danda est elemosyna.

165 Primo, igitur dico quod cum propinquitas, bonitas et necessitas compellant nos potius dare elemosynam uni quam alteri, pueris existentibus in limbo non est facienda elemosyna, quia non sunt nobis propinqui in charitate et gratia, unde Apostolus ad Colossenses tertio: *super omnia charitate habete quod est uinculum perfectionis*. Hoc probatur tripliciter, scilicet: auctoritate, ratione et exemplo.

Primo, auctoritate, dicit enim Augustinus in Enchiridion: «non prosunt suffragia his qui sine fide et charitate decesserunt», igitur, etcetera.

Secundo, patet hoc ratione sic: suffragia non possunt mutare personam ad statum gratie, sed pueri in limbo sunt sine gratia, igitur, etcetera.

170 Tertio, patet exemplo. Nam sicut ramus siccus in arbore non potest sumere uirtutem a radice, quia est sine forma uegetatiua, ceteri rami sumunt ille, non sic pueri, qui sunt sine charitate et gratia, igitur, etcetera. Ideo dicit articulus symboli sanctorum communionem, etcetera. Item Psalmi centesimo decimo octauo: *particeps ego sum omnium timentium te*, etcetera. Igitur solum hec communio est inter illos qui sunt coniuncti mediante charitate et gratia.

175 Secundo, elemosyna suffragiorum non debet dari beatis.

Si dicis contra: quia sunt boni et bonis potius est danda. Dicendum quod non est danda solum bonis, sed in necessitate constitutis. Probatur hoc tripliciter.

Primo, auctoritate Augustini dicentis quod: «ualde bonis non prosunt suffragia».

180 Secundo, patet ratione sic elemosyna est danda pauperibus. Isti sancti non sunt pauperes, immo diuites, igitur, etcetera. Maior patet per Chrysostomum dicentem: «pauperibus non diuitibus elemosyna danda est, fundit potius qui mittit in pleno», etcetera. Non enim debet fundere, sed conseruare, Ecclesiastici uicesimo nono: *absconde elemosynam in sinu pauperis, nam pauperes sunt saculi*, etcetera. Minor patet quod isti sint diuites in regno celorum cum magna gloria collocati, unde Augustinus: «beatus est qui habet quidquid uult et nihil mali uult».

185 Tertio, patet exemplo, nam si tu dares elemosynam regi, qui est dominus totius regni, in iniuriam illius cederet, sic dicit Augustinus quod: «iniuriam facit martyri qui pro illo orat», igitur, etcetera.

190 Contra: quia ecclesia in collecta multorum sanctorum dicit: «sicut illi prodest ad gloriam, ita nobis ad medelam». Dicendum quod illa gloria in beatis non crescit, sed in nobis crescit fama et gloria in hoc mundo, ut habetur in capitulo “Cum Marthe”, De Celebratione Missarum, uel dicendum quod duplex est gloria et premium sanctorum, scilicet: essentialis, que in uisione diuine essentie consistit, et accidentale premium. Ad primum nihil prosunt, sed ad secundum non suffragia facta pro sanctis, sed facta pro aliis augent gaudium

164: Col. 3, 14. | 173: Ps. 118, 63. | 182-183: Sir. 29, 15.

166-167: cf. Aug. Hipp., *Ench.*, CX, 29. PL 40, 283CD. | 178: cf. MF. Aug. Hipp., *De octo Dul. Qu.*, II, 4. PL 40, 158D. | 181: cf. MF. cf. Cas., *Var.*, XII, 27. PL 69, 877CD; cf. Io. Chrys., *De Ele.*, 3. PG 51, 265D; cf. Ambr., *Exp. Ev. Sec. Lc.*, IV, 6. PL 15, 1614A. | 184-185: Aug. Hipp., *De Tr.*, XIII, 5, 8. PL 42, 1020A. | 187: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, XLII. PL 40, 1316D. | 189-190: cf. Gre. Mag., *Lib. Sacr.*, pridie kalendas Iulii. PL 78, 125C. | 191: cf. Gre. IX., *Deer.*, III, 41, 6, col. 639; cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, XLII. PL 40, 1316D.

195 accidentale sanctorum, unde Luce decimo quinto: *gaudium est in celis super uno peccatore*, etcetera. Similiter gaudent beati, quia per suffragia citius illis iunguntur, etcetera.

Tertio, non est danda elemosyna suffragiorum damnatis in inferno, quod patet tripliciter.

200 Primo, auctoritate Augustini dicentis quod: «nihil prosunt suffragia ualde malis». Et sic dicit quarto De ciuitate Dei quod si sciret patrem suum in inferno, non plus pro illo oraret quam pro demone.

Secundo, patet ratione, nam manente culpa manet et pena. Sed culpa damnatorum semper manet, quia in inferno nulla est redemptio, igitur, etcetera.

205 Tertio, patet exemplo, nam sicut ramus ab arbore scissus et in igne positus non potest ex humore arboris nutrire, sic in proposito. Nam damnati iam non sunt membra ecclesie, sed excissa et in igne posita dicente Christo, Matthei tertio: *omnis arbor non afferens fructum excidetur et in ignem mittetur*, etcetera.

210 Sed contra: «legitur in Vitis Patrum quod adducitur a Damasceno in sermone quodam de beato Machario», ut patet ex precedenti sermone et similiter solutio eius. Similiter etiam de Traiano imperatore patet ex precedenti sermone.

Sed si queritur circa hoc de Traiano: quare factum fuit hoc miraculum, tam insigne per mundum exceptionem faciens illi propositioni quod in inferno nulla est redemptio? Dicendum quod propter tria.

Primo, ad ostendendam maximam sanctitatem Gregorii.

215 Secundo, propter maximas uirtutes Traiani, qui persecutionem ecclesie ignoranter fecerit, sed pro bono communi multum laborauit, multas prouincias Imperio Romano acquisiuit, ut Germaniam, Armeniam, Assiriam usque ad fines Indie.

220 Tertio, propter singularem uirtutem iustitie, quia nulli unquam lesit et iustitiam recte ministravit in tantum usque ad tempora Iustiniani, maioris imperatoris in creatione imperatorum, semper declamatum fuit. Sic bonus sit ut Augustus et Traianus fuerunt.

Sed quare in persona Hispanie fuit hoc miraculum factum?

225 Dico quod propter hoc: quia nulla est prouincia in mundo minus reputans uirtutes et excellentia ut Hispania. Item nulla est prouincia in mundo minus curans de bono communi. Item nulla est prouincia minus curans de iustitia exercenda, ideo ut principes et uarones et gubernatores, cum ista animaret, dedit eis speculum et exemplum in uno Hispano. Nam si iste propter hec ab inferno fuit liberatus, quid illi facerent a purgatorio, etcetera? Et sic cum suffragia prosint aliquibus mortuis, habetur secundo Macchabeorum duodecimo: *uir fortissimus Iudas Macchabeus duodecim milia dragmas argenti misit*, etcetera. Offerri ibi pro peccatis mortuorum. Cum igitur dragma sit octaua pars uncie, sequitur quod sint milia quingenti  
230 uncie argenti. Sed cum non prosint pueris in limbo nec beatis in celo nec damnatis in

195: Lc. 15, 7. | 206-207: Mt. 3, 10. | 227-228: II Mcc. 12, 42-43.

199: cf. Aug. Hipp., *Ench.*, CX, 29. PL 40, 283CD. | 200: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XXI, 24, 1. PL 41, 737B. | 208-209: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 45, q. 2, a. 2, p. 312; cf. Io. Dam., *De His Qui In Fid. Dor.*, X. PG 95, 255AB.

222: Reputans] M reputas.

235 inferno, sequitur quod prosint existentibus in purgatorio. Et dare istis est maxime meritorium, quia sunt nobis propinqui per charitatem; sunt boni in gratia confirmati; sunt in maxima necessitate constituti, quia sunt incarcerati et non liberi; sunt pauperes meritorum; sunt infirmi non potentes se iuuare expectantes isto tempore suffragia a parentibus, a consanguineis, ab amicis.

Et sic istis debemus dare specialiter propter tria. Primo, ratione necessitatis. Secundo, ratione nostre utilitatis. Tertio, ratione oportunitatis.

Primo, ipsi sunt in maxima necessitati constituti, ut patet.

Secundo, nobis utile, nam in breui erunt sancti in celo et orabunt pro nobis.

240 Tertio, ratione oportunitatis, nam ratione indulgentie plus dabis quam Iudas, nam duobus regalibus liberatur a pena.

Et sic, propter omnia ista *date elemosynam* et hic habebitis gratiam et in futuro gloriam, quam nobis, etcetera. Amen.

---

242: cf. Lc. 11, 41.

232: Propinqui] M, X propinque.



SERMO TERTIVS IN EADEM DOMINICA ANTE FESTVM OMNIVM SANCTORVM POSITVS EST  
INTER FACTOS TRICESIMVS PRIMVS PRO CONVERSIONE AGARENORVM

SERMO CENTESIMVS VICESIMVS, PRIMVS IN DIE OMNIVM SANCTORVM

<THEMA> *Gloria hec est omnibus sanctis eius*, Psalmi centesimo quadragesimo nono.

5 Verbum reperi, etcetera.

Sententia est sancti Thome in prima parte in tractatu De angelis et in plerisque locis quod licet angeli fuissent excellentiores omnibus sanctis ante incarnationem filii Dei, sed post incarnationem fuit econuerso. Fuit autem angelus excellens ante incarnationem tripliciter.

10 Primo, quo ad naturam, quia natura angelorum fuit pure spiritualis, sed hominum fuit mixta ex spirituali et corporali. Exemplum: sicut aurum quod non habet admixtionem alicuius contrarii est purius et excellentius auro permixto, ut est in florenis Aragonum, sic in proposito. De ista excellentia loquitur Psalmista, Psalmi octauo: *minuisti eum*, scilicet:  
15 hominem, *paulo minus ab angelis*, quod non solum de quolibet homine dicitur, sed de Christo secundum humanitatem. Bene autem poterat filius Dei solam spiritualemente creaturam sumere, sed noluit, ut totam sumendo totum hominem liberaret et sanaret.

Secundo, fuit excellens in primitate glorie, nam fuit ante glorificatus quam aliquis homo.

Tertio, excellit quo ad locum, nam fuit creatus in loco glorie, scilicet: in celo empireo. Et sic non oportuit eum moueri, sed solum in illo remanere. Non sic de homine, sed post  
20 incarnationem in tantum homo excellit angelos, quod ista dicta pro nihilo habentur. Tripliciter autem sancti excellunt angelos, scilicet: respectu glorie, respectu glorificatoris et respectu medii.

Primo, respectu glorie tripliciter.

Primo, respectu finis, qui glorie est esse in fine laborum et cotidie esse ante Deum, quod  
25 erit in omnibus sanctis. Sed in angelis, licet sint semper in contemplatione diuine essentie, sed uacant ministrando in utilitatem saluandorum. Et licet non propter hoc perdant beatitudinem, nec ab illa separentur, sed beatitudo sanctorum habebit magis rationem quietantis. Et non solum seruiunt angeli nobis ad beatitudinem, sed etiam post  
30 beatitudinem, nam ut dicit sanctus Thomas in quarto, distinctione quadragesima quarta, etiam in celo portabuntur homines ab angelis, non propter necessitatem, sed propter diuinitatem. Exemplum, ut cum regina portatur a milite per brachium, etcetera. Vnde Apostolus ad Hebreos primo dicit de angelis: *omnes sunt administratorii spiritus et in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis*. Et sic post beatitudinem suam omnes mittuntur  
35 propter nos. Prima hierarchia ad mediam et media ad ultimam et infimam et illi omnes ad nos.

Secundo, quo ad extensionem glorie, nam angeli solum habent gloriam in spiritu, nos autem habebimus etiam in corpore.

---

4: Ps. 149, 9. | 13-14: Ps. 8, 6. | 32-33: Hbr. 1, 14.

6: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 95, a. 1, p. 678; *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 20, q. 2, a. 3, p. 982; (vol. 4), lib. 2, dist. 29, q. 1, a. 2, p. 414. | 29: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), dist. 44, q. 3, a. 2, p. 230.

40 Tertio, excellunt sancti in modo acquirendi gloriam, nam angeli in uno errore comprehensi fuerunt et fuerunt damnati et inabiles ad gloriam, sed nos sepe errauimus et finaliter possumus emendari, quod fuit in sanctis maximum priuilegium. Exemplum: si essent aliqui ballistarii et unus illorum non posset nisi semel in signum sagittam protrahere, alii uero possent pluries, ille primus errando primam perderet, non autem alii qui possent etiam emendari in aliis, sic in proposito. Nam angelus qui semel errauit pro semper errauit, non autem homo, sed potest per penitentiam emendari, unde Petrus dixit Christo, Matthei  
45 decimo octauo: *si peccauerit, etcetera, dimittam usque septies? Dicit Christus: "non solum usque septies, sed usque septuagies septies"*. Et sic hoc fuit maximum priuilegium in hominibus.

Secundo, sancti habent excellentiam quo ad glorificatione tripliciter.

Primo, quia post incarnationem glorificator est homo, non autem est angelus.

50 Secundo, excellit angelos, quia glorificator non solum est homo, ut alii sancti, sed est frater noster. Nam posset humanitatem nouiter creatam sumere et noluit nisi ex illo fonte Ade et Eue, ex quo omnes sumus. Et sic dicitur frater noster, non angelorum, unde Psalmi uicesimo primo: *narrabo nomen tuum fratribus meis*.

55 Tertio, excellit, quia in illa humanitate beatificamur quo ad corpus, ut dicit Augustinus super illo "*ingredientur et egredientur et pascua inuenient*" dicit: «ingredientur in diuinitatem et egredientur secundum humanitatem et semper delectationem accipient». Hoc idem dicit Lyra super illud Iohannem decimo "*ingredietur*", etcetera.

Tertio, excellenter sancti angelos per respectum ad medium quo acquiritur gratia et gloria, que fuit uirgo Maria tripliciter.

60 Primo, quia est eiusdem nature cum nobis, nam beatificator est simul Deus et homo, sed Maria uirgo pura homo, sicut quelibet alia uirgo in natura.

Secundo, excellit quia illud medium est propinquissimum beatificatori et nullus angelus est circa illum, sicut uirgo Maria.

65 Tertio, excellit quia hec non fuit solum media gratie, sed quodammodo glorie, nam dedit humanitatem filio, in qua gloriamur, unde ecclesia dicit: «et Iesum benedictum, etcetera, nobis post hoc exilium ostende». Nam sicut mortalis in manibus uirginis Marie apparuit primo et gloriosus, etiam in die resurrectionis Christi, sic in gloria a matre ostendetur filiis ceteris. Figura de his omnibus habemus Iudith decimo quinto capitulo, post uictoriam ipsius Iudith dicit textus quod exiuit Ioachim summus sacerdos cum aliis sacerdotibus et cum populo et uenerunt ei obuiam dicentes: *tu gloria Hierusalem, tu letitia Israhel, tu*  
70 *honorificentia populi nostri, benedicta in eternum*.

Fuit autem primo uirgo Maria gloria Hierusalem, quia aliquantulum gloria, nam medium glorificationis corporis.

75 Secundo, fuit letitia Israhel, quia letantur in uisione humanitatis. Nam sicut uirgo Maria fuit *pulcherrima mulierum*, Canticorum quinto, sic dedit filio pulchritudinem immensam, nam ipsa fuit que dedit materiam spiritui sancto. Ille autem ipsam adaptauit, et sic fuit dictus:

---

45-46: Mt. 18, 21-22. | 52: Ps. 21, 23. | 54: Io. 10, 9. | 69-70: Idt. 15, 10-11. | 74: Ct. 5, 9.

54-55: Augustinus] *Auctor err.* cf. Th. Aq., *Sup. Io.*, X, 2. | 56: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 5), Io. 10, 9, f. 216r. | 64-65: cf. Ans., *Hymn. Et Psal. De San. Mar.*, Salutatio deprecatoria, ante Psal. B. V. dicenda. PL 158, 1037D.

*speciosus forma pre filiis hominum*, etcetera, Psalmi quadragesimo quarto. Et sic dicebat Petrus, prima Petri primo capitulo: *in que desiderant angeli prospicere*.

Tertio, sunt honorificentia populi nostri, quia fuit semper super omnes choros angelorum exaltata. Et sic mediatrix nostra quo ad gratiam et gloriam.

80 Igitur si ista mediante omnes sancti et sancte tanta gloriosa receperunt, recte dicitur quod *gloria hec est omnibus sanctis eius*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Gloria hec est omnibus sanctis eius*, ubi supra.

Alma mater ecclesia suadet et precipit nobis, ut festum omnium sanctorum tali die celebremus propter multa.

85 Primo, propter negligentias, quas infra annum in festiuitatibus illorum commisimus.

Secundo, ut celebraretur festum expulsionis falsorum sanctorum per extirpationem idolatrie, quod fuit per Christum factum. Nam cum fuisset in toto mundo extirpata, solum Rome permanente in quodam templo Pantheon Bonifacius a Foca impetrauit quod illum templum ab idolis extirparetur et in honorem omnium sanctorum precipue beate uirginis Marie consecraretur. Et sic factum fuit quod in honorem uirginis Marie edificatum fuit et dictum Beate Marie Rotunde.

90 Tertio, hoc fuit quia multi erant sancti, de quibus festum in ecclesia non celebratur, et Hieronymus illos computando, ut dicit in epistola ad Chromatium et Heliodorum, inuenit esse quinque milia in qualibet die excepta die prima ianuarii, in qua non permittebatur a Romano Imperio quod sanguis hominis effunderetur. Primo, quia erat prima dies anni, tum quia illa dies erat consecrata Iano, primo regi Italie et per consequens Rome, et quia in illa die fiebant multa prodigia in honorem illius et consules mutabantur. Sed potissima causa fuit, quia dominus non permisit quod in illa die in qua ipse primo sanguinem fudit pro genere humano, scilicet: die circumcisionis, sanguis humanus funderetur. Item hoc fecit propter hoc, ut nobis essent patroni et etiam ut recitando gloriam illorum sperneremur mundana et animaremur ad illam gloriam.

100 Fuerunt autem de gloria uel felicitate tres opiniones. Prima posuit illam in rebus exterioribus. Secunda in bonis corporis. Tertia in bonis anime. Sed omnes iste sunt false.

105 Primo, non est ponenda beatitudo in diuitiis uel honore, fama nec potentia, que omnia sunt bona exteriora. Quod non in diuitiis patet, quia: «diuitie aut sunt naturales aut artificiales», ut dicit Philosophus primo Politicorum. Sed diuitie naturales non sunt ultimus finis hominis, sed habent hominem pro fine, unde Psalmi octauo: *omnia subiecisti sub pedibus eius, oues et boues*, etcetera. Sed nec diuitie artificiales habent rationem felicitatis, ut sunt pecunie, quia ars humana inuenit denarios propter facultatem commutationis, ut sint quasi mensura rerum uenialium. Et sic diuitie artificiales non queruntur nisi propter naturales. Si igitur naturales non sunt finis hominis, a fortiori nec artificiales. Item: «bonum hominis magis consistit in retinendo beatitudinem quam in emittendo ipsam, sed diuitie magis effundendo quam coaceruando», ut dicit Boetius tertio De Consolatione, igitur, etcetera. Et

76: Ps. 44, 3. | 77: I Pt. 1, 12. | 81-82: cf. Ps. 149, 9. | 107-108: Ps. 8, 8.

93: cf. Pseu. Hier., *Mart.*, prolog. PL 30, 435C-436BC. | 105-106: cf. Auctor. Arist., *Pol.*, I, 26, 1256b26-30, p. 253. | 111-113: Boe., *De Cons.*, II, 5. PL 63, 690A; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 2, a. 1, p. 13.

99: Die] X de.

115 propter hoc pecunie fiunt rotunde ad modum bole, ut quamdiu rotant lucratur dominus  
 eius. Est uerum quod quemadmodum bola: si rotat recta uia lucratur dominus eius, si  
 autem ad dexteram uel sinistram, tunc perdit. Sic pecunie, si in malos usus expenduntur, ut  
 puta in usuram uel in damnum pauperum, tunc non lucratur dominus illarum, sed magis  
 120 perdit. Item diuitie non habent rationem felicitatis, nam est status omnium bonorum  
 aggregatione perfectus. Sed in pecuniis non continentur omnia bona, nam multi sunt  
 diuites habentes infirmitatem, a qua per medicos curari non possunt, et plures alios  
 defectus habent, unde Prouerbiorum decimo septimo: *quid prodest stulto pecuniam habere cum  
 per illam sapientiam emere non possit?* Item non potest beatitudo consistere in honoribus, nam  
 honor est signum alicuius maioris excellentie, ut est uirtus uel beatitudo. Igitur, non habet  
 125 rationem ultimi finis. Item ut dicit Aristoteles: «beatitudo est in beato, sed honor non est in  
 honorato, sed in honorante». Igitur neque consistit in fama, quia beatitudo nunquam est  
 falsa, sed fama ut plurimum igitur, neque in potestate uel dominio, quia dependet ex  
 uoluntate aliorum. Item nullum horum habet rationem summi boni, ut beatitudo. Item  
 omnia ista sunt communia bonis et malis, non autem beatitudo. Item omnia ista  
 130 subiiciuntur fortune: uidemus diuitem in una die fieri pauperem; uidemus hominem  
 honoratum in die esse infamem; uidemus hominem bone fame et mulierem in una hora  
 esse infamem, etcetera; uidemus hominem potentem et maximum dominium in breui  
 tempore esse miserum. Exemplum: nostris temporibus de rege Neapolitano, qui in breui  
 tempore perdidit regnum suum. Quid de Iulio Cesare, qui regnauit cum triumpho quattuor  
 135 annis et mensibus septem? Caius Cesar tribus annis et mensibus decem. Alexander  
 monarcha, sed regnum suum fuit duodecim annorum, unde Ecclesiastici decimo: *omnis  
 potentatus breuis*, etcetera.

Secundo, non consistit in bonis corporis, nam homo in his a multis animalibus  
 excellitur, sed in beatitudine a nullo excellitur. Aquila clarius uidet et linx; in odoratu a  
 uulture et a cane; in gustu a simia; in longitudine uite ab elephante, etcetera. Item bona  
 140 corporis sunt communia bonis et malis, sed beatitudo est tantum bonorum, igitur. Item  
 beatitudo mentem eleuat ad Deum et ipsam perficit et satiat, sed uoluptates corporis  
 econuerso, igitur, etcetera.

Tertio, non consistit in bonis anime non in ipsa anima, quia non potest esse finis  
 suiipsius, nec in aliqua potentiarum, quia potentia est propter actum suum, ut intellectus ad  
 145 intelligendum, uoluntas ad uolendum, etcetera. Item bonum anime est creatum, limitatum  
 et participatum, sed beatitudo est bonum per se increatum et infinitum satians uoluntatem  
 hominis. Et sic nec potentie nec actus illarum potest esse beatitudo. Bene requiritur actus  
 illius ad usum beatitudinis, cum sit in cognitione, non in naturali cognitione, que habetur de  
 Deo, quam Aristoteles habuit. Nam octauo Physicorum et duodecimo Metaphysice ponit  
 150 Deum et unitatem ipsius, etcetera. Et multi alii habuerunt, nec in cognitione fidei, que est  
 obscura, nec in cognitione per similitudinem aliquam, ut fuit prophetarum cognitio, sed  
 consistit in cognitione clara et aperta essentie diuine sine aliqua specie. Requiritur autem  
 operatio, intellectus et uoluntatis ad beatitudinem. Quis istorum sit prior non est presentis  
 speculationis, licet sit differentia inter Scotum et sanctos doctores in isto, unde Psalmi  
 155 centesimo primo: *edificauit dominus Sion et uidebitur in gloria sua*. Item Psalmi octogesimo  
 tertio: *uidebitur Deus deorum in Sion*. Item Apostolus prima Corinthiis decimo tertio: *uidemus  
 nunc per speculum, tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut cognitus sum*.  
 Prima Iohannis tertio: *uidebimus eum sicuti est*. Item Augustinus De Ciuitate Dei: «uacabimus

121-122: Prv. 17, 16. | 135-136: Sir. 10, 11. | 155: Ps. 101, 17. | 156: Ps. 83, 8. | 156-157: I Cor. 13, 12. | 158:  
 I Io. 3, 2.

124-125: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, I, 3, 95b25, p. 145. | 149: cf. Arist. Lat., *Phys.*, VIII, 6, 259a12, p. 308; *Met.*,  
 XII, 10, 1076a4, p. 224; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 17, q. 1, a. 1, p. 882.

160 et uidebimus, uidebimus et amabimus, amabimus et laudabimus», etcetera. Item Augustinus primo De Trinitate dicit quod: «uisio est tota merces». Item Christus dicit Matthei decimo octauo de angelis quod: *semper uident faciem*, etcetera. Et sic tria includuntur in actu beatitudinis, scilicet: uisio, comprehensio et fruitio. Que tria correspondent tribus uirtutibus theologalibus, nam uisio correspondet fidei; comprehensio spei; fruitio charitati. Nam sola enim charitas remanebit in prima fides aut nec spes, sed aliquid perfectius eis, nam «fides est de non uisis», et tunc esse non poterit, quia clare uidebimus. Spes est de non habitis et esse non poterit, quia tunc uniti erimus per comprehensionem. Sed charitas erit perfectior tunc, et sic dicit Apostolus: *maior horum est charitas que remanebit*, prima Corinthiis decimo tertio. Sed charitas tunc erit perfectissima et dicitur “fruitio”. Exemplum, quando agricola seminatur granum tritici, clarum est quod mittit radices infra terram et ascendit per paleas et in sumitate sit spica cum multis granis. Sed tempore messis remanent radices infra terram et palee in superficie terre quando uentilatur, sed grana mittuntur in granarium. Sic in seminatione spirituali, nam radices grani est fides; granum autem charitas; sed palee que ascendunt est spes. Clarum est quod charitas nunquam perditur. Nam granum seminatum mittit radices infra terram ante messem, que sunt fides, et ipsa remanet tunc, que charitate informatur, sed palea que ascendit est spes et semper cum illa ascendit charitas uirtualiter per canam palearum. Et sic hic incipit charitas et perficitur in patria, sicut granum frumenti sit multa grana et illa colliguntur in granario. Et sic dicitur “fruitio”, que est maxima delectatio. Ista autem gloria redundat in corpus et perficit illud, ut dicit Augustinus in epistola ad Dioscorum. Et sic dat corpori quattuor contra quattuor defectus, que erant in illo hic in uia. Primo, corpus hic est tenebrosus, tunc erit lucidus. Secundo, hic est grossus, tunc erit subtile. Tertio, hic est graue, tunc erit agile. Quarto, hic erit passibile, illic erit impassibile.

185 Primo, in illa eterna patria, ubi est Dei uisio, omnia sunt clarissima et lucidissima. Et sic congruum est quod beatis detur corpus clarissimum et sit simile celo empireo, quod est lucidissimum locans sanctos Dei, unde Sapientie tertio: *tunc*, scilicet: in iudicio et resurrectione, *fulgebunt iusti*, etcetera. Hec claritas corporum erit ut sol, unde Iudicum quinto: *qui diligunt te sicut sol rutilant*. Matthei decimo tertio: *fulgebunt iusti sicut sol*. Ratione probatur sic: beati habebunt corpora celestibus nobiliora, sed nobilissima proprietas corporis est luminositas, ut dicit Augustinus, igitur, etcetera. Item ratione proportionis loci, scilicet: empirei celi, unde de Christo habemus Matthei decimo septimo: *resplenduit facies eius sicut sol*, etcetera. Vnde Apostolus ad Philippenses tertio: *saluatorem spectamus*, etcetera, *configuratum corpori claritatis sue*, etcetera. In hac dote Christus se transfigurauit tamquam in perfectiori, quia est excellentior aliis et communior in ipsa alie comprehendunt, etcetera.

195 Si corpus glorificatum possit uideri ab oculo non glorificato? Dicendum quod beatus in potestate sua habet apparere secundum proprium colorem uel secundum lumen glorie dicit, ut dicit Bonauentura in quarto, distinctione quadragesima nona et sanctus Thomas in tertia, questione quinquagesima quarta, parte secunda; et quarto, distinctione quadragesima quarta, questione secunda, articulo quarto, questiuncula secunda.

161: Mt. 18, 10. | 167: I Cor. 13, 13. | 185-186: Mt. 13, 43; cf. Sap. 3, 7. | 187: Idc. 5, 31. | Mt. 13, 43. | 190-191: Mt. 17, 2. | 191-192: Phil. 3, 20-21.

158-159: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XXII, 30, 5. PL 41, 804D. | 160: Aug. Hipp., *De Tr.*, I, 9. PL 42, 833B. | 164-165: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 7, a. 4, p. 65. | 178: cf. Aug., Hipp., *Ep.*, CXVIII, 3, 14. PL 33, 439A. | 189: cf. Aug., Hipp., *Ep.*, CXVIII, 3, 14. PL 33, 439A. | 196: cf. Bon., *Sent.* (vol. 4), IV, dist. 49, par. 2, a. 2, q. 1, p. 1000; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 54, a. 2, p. 420; *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 44, q. 2, a. 4, qc. 2, p. 204.

200 Secundo, corpus gloriosum erit subtile ita quod poterit penetrare aliquod aliud corpus et  
 simul esse in eodem loco cum eo, ut dicit sanctus Thomas in quarto, distinctione  
 quadragesima quarta, questione secunda, articulo secundo; Questionibus secunda, tertia et  
 quarta, obiectione. Non autem erit in eodem loco cum alio corpore glorioso, sicut duo  
 spiritus non possunt esse simul, si autem non posset penetrare aliud corpus, tunc  
 205 impediretur ab illo, quod est inconueniens. Patet hoc in Christi, qui *iannuis clausis* intrauit  
 domum, Iohannis uicesimo.

Tertio, corpora gloriosa erunt agibilia et mouebuntur ad omnem differentiam positionis,  
 ut dicit sanctus Bonauentura in quarto, distinctione quadragesima nona et sanctus Thomas  
 in quarto, distinctione quadragesima quarta, questione secunda. Et quod mouebuntur sine  
 labore et mouebuntur non propter indigentiam, sed propter experientiam, non in instanti,  
 210 sed in tempore imperceptibili, et unum corpus gloriosum mouebitur in minori tempore  
 quam aliud. Ratio est, quia talia corpora erunt spiritualia, prima Corinthiis decimo quinto,  
 igitur, etcetera. Exemplo Christi, qui immediate erat ubi uolebat, etcetera.

Quarto, erunt corpora gloriosa impassibilia, ut dicit glosa prima Corinthiis decimo  
 quinto et Bonauentura in quarto, distinctione quadragesima nona, quod si ponerentur in  
 215 ignem inferni, non paterentur, prima Corinthiis decimo quinto: *mortui resurgent incorrupti*.  
 Ratio est, quia talia corpora erunt nobiliora celestibus, sed illa sunt impassibilia, igitur,  
 etcetera.

Sed contra: «corrupti necesse est quod palpatur, palpari autem non potest quod non  
 corrumpitur», dicit Gregorius. Solutio Bonauenture, ubi supra, quod Gregorius intelligit de  
 220 eo “Quod palpatur” ex necessitate uelit nolit, etcetera. Non ex eo quod ex sua uoluntate  
 palpatur, ut hec corpora, contra: «omne corruptibile necesse est corrupti», primo Celi et  
 Mundi. Dicendum quod uerum est de corporali transeunte, non de corporali permanente in  
 eternum, etcetera. Exemplum: si Adam non peccasset, eius corpus in paradiso esset  
 impassibile, ut dicit Magister in quarto, distinctione quadragesima nona. Vnde asserens  
 225 Adam immortalem esse creatum, si non peccaret, non est anathema, De Consecratione,  
 distinctione quarta, “Placuit”, igitur, etcetera. De his quattuor dotibus habetur Sapientie  
 tertio: *fulgebunt iusti et tamquam scintille in arundineto discurrent*, «in fulgore notatur claritas, in  
 iustitia immortalitas, in scintilla subtilitas, in discursu agilitas», Bonauentura, ubi supra.

Sed queritur: utrum beatitudo erit equalis in omnibus? Dicendum quod non, sed erit una  
 230 beatitudo omnibus quo ad obiectum, quod est Deus, quia unus denarius, Matthei uicesimo  
 secundo, diuersa quo ad fruitionem, quia unus alio clarius uidet.

Probatur hoc tripliciter.

Primo, rationibus tripliciter.

235 Primo, ratione luminis clarioris, qui perfectius illustratur ille clarius uidet, Psalmi  
 tricesimo quinto: *in lumine tuo uidebimus lumen*, etcetera.

204: Io. 20, 26. | 211: cf. I Cor. 15, 40. | 215: I Cor. 15, 52. | 227: Sap. 3, 7. | 235: Ps. 35, 10.

200: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 44, q. 2, a. 2, qc. 2, p. 160. | 207: cf. Bon., *Sent.* (vol. 4), IV, dist. 49, par. 2, a. 2, q. 1, p. 1000; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 44, q. 2, a. 3, p. 190. | 214: cf. Bon., *Sent.* (vol. 4), IV, dist. 49, par. 2, a. 2, q. 2, p. 1002. | 218-219: Gre. Mag., *Hom.*, II, 26, 1. PL 76, 1198A. | 219: cf. Bon., *Sent.* (vol. 4), IV, dist. 49, par. 2, a. 3, q. 2, p. 1015-1016. | 221: cf. Auctor. Arist., *De Cael. Et Mun.*, I, 36, 283a24-25, p. 162. | 224: cf. Bon., *Sent.* (vol. 4), IV, dist. 49, par. 2, a. 2, q. 1, p. 1000. | 225: cf. Gra., *Decr.*, III, 4, 153. PL 187, 1854C-1855A. | 227: Bon., *Sent.* (vol. 4), IV, dist. 49, par. 2, a. 2, q. 1, p. 1000.

224: Impassibile] M impossibile.

240 Secunda ratio ex uirtute charitatis, nam qui maiorem habet charitatem perfectius uidet, unde Augustinus homilia quarta super Iohannem et habetur De Penitentia, distinctione secunda dicens: «non numerositas operum, non diurnitas temporum, sed maior charitas meliorque uoluntas auget meritum. Nam quod patet et quod latet in diuinis codicibus tenet qui charitatem seruat in moribus». Hec ille.

Tertia ratio ex ordine et propinquitate ad Deum, ut est in angelis, sed superiores clarius uident, etcetera, cum homines assumantur ad ordines angelorum.

Secundo, auctoritatibus tripliciter.

Prima Apostoli Corinthiis decimo quinto: *alia est claritas solis, alia lune.*

245 Secunda Iohannis decimo quarto: *in domo patris mei mansiones multe sunt.* Vide Augustinum, libro De Sancta Virginitate.

Tertia Apostoli Corinthiis tertio: *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

Tertio, probatur exemplis tripliciter.

250 Primo, qui habet maiorem lumen intellectus agentis mediante intellectus possibili plura intelligit, sic mediante isto lumine.

Secundo, patet sicut in luce corporali: qui propinquius est soli magis illuminatur et igni magis calefit, sic in proposito.

255 Tertio, sic claritas corporis iudicabit claritatem mentis, cum ex illa redundet, sed in ista aliqui plus aliis excellent, Danihelis duodecimo: *docti sicut splendor firmamenti et qui erudiunt homines erunt sicut stelle*, ideo clarius uidebunt, etcetera. Sic erit distinctio premiorum, sicut fuit distinctio meritorum, unde Iohannis decimo quarto: *in domo patris mei mansiones multe sunt* glosa Augustini: «multe mansiones erunt, id est, uarie dignitates premiorum». Vnde prima Corinthiis decimo quinto: *sicut stella differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum.*

260 Bonauentura in quarto, distinctione quadragesima nona. Vnde qui plura habuit merita clarius uidet et magis de illo gaudet et strictius tenet. Ideo quilibet remuneratur a Deo secundum merita, decima quinta questione, prima, quinto, ex eo in fine. Item uicesima tertia questione, quarto, ante me. Vnde hec diuersitas non est ex parte obiecti, quod est diuina essentia et unica et simplicissima. Vnde idem denarius datus fuit euntibus in uineam, etcetera. Et sic non est ex parte obiecti diuersitas, sed ex parte potentie, nam: «perfectius uidebit qui plus de lumine glorie habebit et ille plus habebit de lumine qui hic maiorem charitatem habuit». Diuersitas autem meritorum et premiorum patet ex aureole differentia, unde scribit Augustinus in quadam epistola dicens: «hora adueniente noctis media me somnus oppressit et ecce maxima multitudo angelorum, etcetera, et duo uiri similes,

265 etcetera, qui tria sarta ferebant, alter in capite auro et lapidibus pretiosis, alter uero duo. Illi apud me steterunt. Ille qui tria sarta ferebat sic me fuit allocutus: “cogitas, Augustine, quid debeas de laudibus Hieronymi ueridice proferre? Hic meus socius, quem uides,

---

244: I Cor. 15, 41. | 245: Io. 14, 2. | 247-248: I Cor. 3, 8. | 255-256: Dn. 12, 3. | 257: Io. 14, 2. | 259: I Cor. 15, 41-42.

238-240: cf. MF. Aug. Hipp., *Serm.*, CCCL, 2. PL 39, 1534B. | 245: cf. Aug. Hipp., *De San. Virg.*, XXVI, 26. PL 40, 410C. | 258: cf. Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, LXVII, 2. PL 35, 1812C. | 260: cf. Bon., *Sent.* (vol. 4), IV, dist. 49, par. 1, a. 1, q. 6, p. 995. | 265-267: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), Ia, q. 12, a. 6, pp. 77sq. | 268-277: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Magn.*, 1. PL 22, 287D-288B.

275 Hieronymus est, et sicut equalis in uita mihi fuit, sic equalis in gloria mihi est, etcetera. Sertum uero tertium, quod ipse fero, aureola martyrii est, quo uitam finiui. Hec autem aureola martyrii non habet, etcetera. Serte alie due, quas habemus, sunt aureola uirginum et doctorum”. Ego uero respondi: “quis enim es, domine, mi?” At ille: “Iohannes” –inquit– “Baptista ego sum, qui ad te descendi, ut nuntiarem tibi Hieronymi gloriam”. Et sic qui plus meruit perfectius Deum uidebit et plura in Deo uidebit et in omnibus dictis excedet et etiam damnatos uidebit, ut gloriam det Deo de liberatione ab illis penis.

280 Sed queritur: utrum gloria beatorum possit augeri? Dicendum quod augebitur post diem iudicii, non solum extensiuē quo ad corpus, sed etiam intensiuē, ut dicit Augustinus super Genesi dicens quod: «appetuum corporis anime sanctorum retardantur, ne tota intensione pergant in illud summum bonum». Item Hieronymus super Oseam dicit: «peracto iudicio amplioem gloriam sue claritatis Deus demonstrabit electis suis». Item glosa super  
285 Apocalypsim sexto: *uidi sub altare Dei animas intefectorum*. Vnde Sanctus Doctor dicit in quarto, distinctione quadagesima nona, questione prima, articulo quarto, questiuncula prima, quod post resurrectionem beatitudo sanctorum augebitur intensiuē et extensiuē. Sed prima secunde, questione quarta, quinto ad quintum dicit quod solum augebitur extensiuē quo ad corpus. Quid potest solui sic, quod intensio perfectionis potest summi dupliciter,  
290 aut ex parte subiecti melius dispositi, uel ex parte graduum ipsius perfectionis secundum se.

Primo modo beatitudo augebitur intensiuē ratione uirium anime separate, que aliquantulum retardatur ex naturali inclinatione anime ad corpus, sine quo habet imperfectum esse et sic imperfecte operatur. Sed post rationem reassumptis corporibus habent esse perfectum,  
295 ideo perfecte, id est, sine retardatione operantur contemplando diuinam excellentiam, non autem secundum se, id est, respectu gratie consummate et charitatis et luminis et Dei.

Item ratione sic: sicut se habet pena ad reprobos ita gloria ad sanctos, sed pena reproborum maior erit post diem iudicii quam ante gratia et gloria sanctorum. Exemplum: Hieronymus, qui transiens de hoc mundo ad Deum, in hora completorii apparuit beato  
300 Augustino Hipponensi episcopo scribenti breuem epistolam, ut ipsum edoceret de beatorum gloria, qui cum Christo gaudent. Qui ait Augustino querenti: «nomen (inquit) meum queris? Hieronymus est, cui transmittendam epistolam mihi scribere incepisti, qui in hac hora in Bethleem Iude carnis onere deposito Christo omnique celesti committante cohorte, etcetera. Isto indutus immortalitatis uestimento deaurato, etcetera, pergo ad regna  
305 celorum sine fine mansurus. Nullus est enim ex peccato glorie deffectus, sed augmentum, quando iterum corpori iungar glorificando et non morituro», etcetera. Non igitur est gloria diuitiarum, non honores, non gloria mundana, non potestates et dominia, quia omnia sunt transitoria, sed certe uisio, tentio, fruitio diuine essentie realiter et sine dubio *gloria hec est omnibus sanctis eius*. Quo ad primam partem.

310 Secunda pars est euangelii, circa quam est notandum quod Christus non solum uenit ad ostendendum ueritatem beatitudinis, ut ipse dicit: *ego in hoc natus sum et ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritatis*, Iohannis decimo octauo, sed etiam ad ostendendum uiam et introitum illius, unde dicit Iohannis decimo quarto: *ego sum uia ueritas*, etcetera. Et sic in isto

285: Apc. 6, 9. | 308-309: cf. Ps. 149, 9. | 311-312: Io. 18, 37. | 313: Io. 14, 6.

282-283: Aug. Hipp., *De Gn. Ad Lit.*, XII, 35, 68. PL 34, 483D. | 283-284: Hieronymus] *Auctor err.*, cf. Mar. Leg., *Serm.*, XXVI. PL 208, 939B. | 284: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Apc., 6, 9. PL 114, 722CD. | 285: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 49, q. 1, a. 4, p. 658. | 288: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>a</sup>e, q. 4, a. 5 ad 5, p. 39. | 301-306: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Magn.*, 1. PL 22, 285AB.

283: Summum] M, X sumum. | 285: Sexto] M, X octauo. | 294: Rationem] M rrationem.



315 euangelio ostendit uiam et introitum in sanctam Hierusalem, de qua ait Iohannes  
Apocalypsis uicesimo primo: *subtulit me in montem excelsum et altum et ostendit mihi ciuitatem  
sanctam Hierusalem nouam habentem duodecim portas*, etcetera.

Sed quereret aliquis: quomodo illic dicit Iohannes quod habet duodecim portas et hic  
Christus solum ponit octo portas, que sunt octo beatitudines? Clarum est quod, secundum  
320 omnes doctores, ciuitas Hierusalem terrena figurabat illam celestem, unde Psalmi  
centesimo uicesimo primo: *Hierusalem, que edificatur ut ciuitas*, etcetera.

Sed, secundum omnes doctores scribentes de ea, habet duodecim portas. Igitur  
dicendum quod ista ciuitas Hierusalem significat illam superiorem, sed illa habet duodecim  
portas. Hec autem non nisi octo, quia in superiore comprehenditur tota curia celestis. In  
325 ista inferiori non nisi cursus communis totius mundi. Et quia sunt quattuor porte  
excedentes totum communem cursum mundi, igitur in illa ponuntur duodecim, in ista uero  
octo.

Prima autem porta Hierusalem superioris fuit porta trinitatis per magnum tempus clausa  
et obscura uiatoribus, donec uenit filius Dei, qui illam manifestauit sumendo carnem et  
uisibiliter se ostendendo et mittendo spiritum sanctum, etcetera, et dicendo apostolis: *ite,  
330 baptizate in nomine patris et filii et spiritus sancti*, amen. Et tunc fuit aperta porta illa in baptismo  
Christi: *celi aperti sunt*, etcetera. Et ideo dicebat Iohannes, Apocalypsis quarto: *uidi ostium  
apertum in celo*, etcetera.

Secunda porta fuit Christi, de qua idem Christus testatur dicens Iohannis decimo: *ego sum  
ostium, per me opus intrare*, etcetera. Vnde humanitas Christi per illud intrauit excellenter, quia:  
335 *non datus ei spiritus ad mensuram* et nos opus intrare per illud in quantum Deus.

Tertia porta fuit uirginis Marie, de qua Hiezechielis quadragesimo quarto: *conuertit me ad  
portam sanctuarii et clausa erat et dixit dominus ad me: "porta hec clausa erit et non aperietur et uir non  
transiet per eam", quoniam dominus Deus Israhel ingressus est per eam eritque clausa principi, princeps  
340 ipse sedebit in ea*, etcetera. Hec porta fuit uirgo Maria, que fuit porta sanctuarii per maximam  
sanctificationem, clausa contra omnem peccatum. Dominus transiuit primo per eam per  
preseruacionem et sanctificationem. Fuit autem clausa iterum per uirginitatem. Ideo dicit  
quod "uir non transibit per eam", quia nunquam cognita fuit uiro, et iterum dicit quod  
princeps, scilicet: Christus, de quo Hiezechielis quadragesimo quarto: *princeps regum terre  
345 sedebit et habitabit in ea et clausa erit principi, per uiam uestibuli porte ingreditur et egredietur et clausa  
erit*, quia nunquam fuit aperta nec in conceptione nec in natiuitate illius, sed remansit uirgo,  
etcetera.

Quarta porta fuit angelorum, de qua Hiezechielis quadragesimo tertio: *et eduxit me ad  
portam, que respiciebat ad uiam orientalem et ecce gloria Dei Israhel ingrediebatur per uiam orientalem et  
uox erat quasi uox aquarum multarum*. Fuit hec porta nature angelice, que fuit orientis, nam  
350 prima recepit gloriam. Ideo dicit quod "gloria Dei Israhel ingrediebatur", etcetera. Et  
propter multitudinem nature angelice dicit quod "uox erat quasi uox aquarum multarum".  
Iste autem quattuor porte non fuerunt huius mundi inferioris, sed excellentes, et non  
secundum communem cursum. Et ideo non ponuntur in hac ciuitate Hierusalem inferiore,  
nam in ista (ut dixi) solum erant octo porte, et quasi tertia pars ciuitatis erat sine porta, quia  
355 erat in rupe scissa et nulla porta poterat illic esse.

---

315-316: Apc. 21, 10-12. | 320: Ps. 121, 3. | 329-330: cf. Mt. 28, 19. | 331: cf. Mt. 3, 16. | 331-332: Apc. 4, 1.  
| 333-334: Io. 10, 9. | 335: Io. 3, 34. | 336-339: Ez. 44, 1-3. | 343-345: Ez. 44, 2-4. | 347-349: Ez. 43, 1-2.

337: Aperietur] M aparietur.

Christus igitur notificat primam portam Hierusalem, que fuit quinta in ordine, dicens dum esset in monte Thabor sedendo cum discipulis suis aperiens os suum, qui primo aperuit ora prophetarum dicit: *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum.*

Vnde prima porta est paupertas uoluntaria et huic porte respondebat prima porta  
 360 Hierusalem, que dicebatur porta anguli uel Meniamin, de qua habetur quarto Regum decimo quarto: *Ioas rex Israhel cepit Amasiam regem Iuda et duxit illum in Hierusalem et interrupit murum Hierusalem a porta Ephraim usque ad portam anguli quadringentis cubitis.* Dum autem fuit murus reedificatus, hec porta anguli fuit dimissa, stricta et dicta fuit “foramen acus”, quia  
 365 erat angusta et quia per istam portam ibant camelli in desertum pro lignis pini. Quando ueniebant, necesse erat ante portam illam dimittere onera sua et sic intrare in Hierusalem. Et ideo dixit Christus, Marci decimo, Luce decimo octauo: *facilius est camellum per foramen acus transire quam diuitem intrare in regnum celorum,* quia facilius exoneratur camellus quam diues a suis diuitiis. Ideo dicit Christus: *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Non reprehendit habentes diuitias, quia Abraham diues fuit, etcetera, sed ponentes animum in  
 370 diuitiis. Illi non sunt pauperes spiritu, licet non habeant pecuniam in bursa, habent tamen illam in animo, etcetera, unde Psalmi sexagesimo primo: *diuitie si affluant nolite cor apponere.* Per hanc portam intrarunt apostoli dicentes: *domine, nos qui reliquimus omnia et secuti sumus te, quid erit nobis,* etcetera? Dicit Christus: *uos sedebitis super sedes,* etcetera. Non autem intrant per istam portam ponentes felicitatem in diuitiis neque auari, raptores, etcetera, sed intrant illi  
 375 qui non ponunt animum in illis et libenter in operibus misericordie expendunt.

Secunda porta, que est sexta Hierusalem, superne est *beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Huic correspondebat secunda porta, que “aurea” dicebatur uersus austrum et iuxta torrentem Cedron. Et hec magis erat porta templi quam ciuitatis, et infra istam erat porta templi, que dicebatur “operosa uel speciosa”. Per hanc autem portam intrauerunt  
 380 innocentes et omnes pueri qui fuerunt a principio mundi cum aliquo sacramento siue mediandibus sacrificiis ante circumcisionem, siue per circumcisionem in ueteri lege, siue solo baptismo tempore gratie. Isti pueri non intrauerunt gloriam per aliquod meritum nisi sanguinem Christi, qui fuit templum, unde ipse ait: *soluite templum hoc,* etcetera. Et sic dicebatur “porta aurea”, quia sanguis habet auri colorem et illi pueri solum fuerunt loti  
 385 sanguine Christi. Per hanc autem non intrauerunt superbi, elati et ponentes beatitudinem in honoribus, dominio, etcetera, sed per istam intrarunt et intrant humiles, mansueti et mites, de quibus dominus dicit: *nisi efficiamini sicut paruulus iste non intrabitis in regnum celorum.*

Tertia porta Hierusalem, que erat septima apud supernam, erat *beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur,* et huic correspondet porta tertia Hierusalem, que dicebatur “sterquilini uel stercoris” sita etiam super torrentem Cedron, et per eam descendebant tempore pluuię sordes ciuitatis in torrentem Cedron. Per istam intrauerunt omnes penitentes, qui sordes peccatorum per luctum proiecerunt in torrente Cedron et extra ciuitatem. Non autem intrauerunt querentes gaudia mundi neque impenitentes, sed solum intrant illi qui peccata sua flent per contritionem, confessionem et satisfactionem.

395 Octaua porta, que erat quarta respectu ciuitatis mundi, dicitur “iustitia”, unde Christus dicit: *beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Huic porte correspondet in Hierusalem porta uetus uel iudiciaria uersus occidentem. Et dicebatur “uetus”, quia fuit illa

---

358: cf. Mt. 5, 3. | 361-362: IV Rg. 14, 13. | 366-367: Lc. 18, 25; Mc. 10, 25. | 368: Mt. 5, 3. | 371: Ps. 61, 11. | 372-373: cf. Mt. 19, 27-28. | 376-377: cf. Mt. 5, 4. | 383: cf. Io. 2, 19. | 387: cf. Mt. 18, 3. | 388-389: cf. Mt. 5, 5. | 396: cf. Mt. 5, 6.

364: Desertum] M, X disertum. | 365: Illam] X illis. | 381: <sup>1</sup>Circumcisionem] M circumcisionam. | 383: Soluite] M soluiti. | 392: Luctum] X lucrum.

tempore Iebusei, sed dicebatur “iudiciaria”, quia tempore populi iudaici ante eam iudicium  
 400 agitabatur. Que iudicata erant per sententiam extra eam mandabantur executioni, et extra  
 hanc fuit dominus crucifixus. Nam circa eam erat Licostratos uel Caluarie, et uidentur  
 uestigia in muro ueteri, sed quando ista loca passionis posita fuerunt intra ciuitatem, ad huc  
 ei correspondet altera porta, que eodem nomine appellatur. Per hanc autem portam  
 intrauerunt prophete qui esuriebant et sitiabant iustitiam peccati Ade per aduentum illius  
 panis, qui dixit: *ego sum panis uite*, etcetera, Iohannis sexto. Vnde Psalmi centesimo sexto:  
 405 *esurientes et sitientes anima eorum in ipsis*, etcetera. Et: *animam esurientem satiauit bonis*, ibidem.  
 Item Dauid in Psalmo quadragesimo primo: *sitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum*, etcetera.  
 Per hanc portam non intrant mali iudices nec mali aduocati nec falsi testes neque mali  
 procuratores, etcetera, sed intrant per istam boni iudices cupientes facere iustitiam; boni  
 aduocati uiduarum, pupillorum et pauperum; boni procuratores non prolongantes causas;  
 410 boni testes, non periurii, etcetera.

Quinta porta et nona alterius fuit misericordia, unde Christus dicit: *beati misericordes,*  
*quoniam misericordiam consequentur*. Huic correspondebat in Hierusalem porta Dauid  
 patriarche, qui tot et tanta de misericordia predicauit, que porta erat in latere montis Sion  
 contra occidentem, circa quam Iudas laqueo se suspendit. Dicebatur autem hec “porta  
 415 piscium”, quia ueniebat a maritima Ioppem, unde pisces ducebatur, et iterum dicebatur  
 “negotiatorum”, quia per eam erat uia in Bethleem et in Hebron in Basam et in Egiptum et  
 Ethiopiam. Per hanc intrauerunt patriarche, qui fuerunt misericordes hospitalitatem  
 seruantes. Non autem intrauerunt per istam crudeles, homicide, etcetera, nec misericordiam  
 non seruantes, sed omnes qui misericordiam habuerunt de anima sua confitentes peccata,  
 420 unde Ecclesiastici tertio: *miserere anime tue placens Deo*. Secundo, debet misericordiam habere  
 de pauperibus. Tertio, de animabus defunctorum isto tempore.

Sexta porta et decima est mundicia cordis. Ideo dicit: *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum*  
*uidebunt*. Huic porte respondet decima porta in Hierusalem et hec dicebatur “aquarum”,  
 quia per illam ibant mulieres et uirgines ad probaticam piscinam quam fecit Salomon, et ad  
 425 natatoriam Siloe, que facta fuit per Ezechiam. Et sic mulieres mundabant pannos in illis et  
 intrabant ciuitatem cum pannis mundissimis. Per hanc portam intrauerunt uirgines munde  
 corde et corpore. Non autem per illam intrant persone inhoneste nec hypocrite, qui habent  
 corda inmunda, sed uirgines caste et immaculate bene intrant per illam.

Septima porta et undecima est pax, unde: *beati pacifici, quoniam filii Dei uocabuntur*, quia  
 430 dicitur *princeps pacis*. Huic autem porte correspondet porta Ephraim, quod interpretatur,  
 secundum Hieronymum «crescens uel augmentum». Et sic per istam intrarunt omnes  
 confessores, qui fuerunt crescentes ecclesiam per confessionem et predicationem et  
 reconciliationem populorum. Vnde de ipsis dicitur: «ecce sacerdos magnus, qui in diebus  
 suis placuit Deo», *et in tempore iracundie factus est reconciliatio*, etcetera. Non intrant per istam  
 435 rixosi et scandalosi, sed illi qui ponunt pacem inter proximos, etcetera.

Octaua porta et duodecima est: *beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*, id est,  
 propter uirtutem, nam: «iustitia est omnis uirtus» et huic correspondebat porta gregis in  
 Hierusalem. Nam per eam inducebantur greges immolandi in Hierusalem, quia prope eam

---

404: Io. 6, 48. | 405: Ps. 106, 5-9. | 406: Ps. 41, 3. | 411-412: cf. Mt. 5, 7. | 420: Sir. 30, 24. | 422-423: cf. Mt. 5, 8. | 429: cf. Mt. 5, 9. | 430: cf. Is. 9, 6. | 434: cf. Sir. 44, 17. | 436: cf. Mt. 5, 10.

431: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, VT, Nm., E. PL 23, 794A. | 433-434: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Anti. in mat. lau. PL 78, 827A. | 437: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, V, 3, 29b30, p. 455; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 58, a. 5, p. 371.

415: Ioppem] M Ioppem. | 417: Intrauerunt] M intrauarunt.

440 erat probatica piscina. Etiam dicta fuit “porta uallis”, quia per eam erat uia in uallem  
Iosaphat et distat ab ea sepulchrum uirginis Marie quantum iactus est lapidis. Per hanc itur  
in montem Oliueti et in Bethaniam et in Iordanem et in Bethphage, in qua turris erat et  
grex sacerdotum. Per hanc portam intrauerunt omnes martyres, sicut Iohannes Baptista,  
445 qui propter uirtutem, et omnes alii qui pro lege Christi, passi fuerunt. Non autem intrant  
per illam inconstantes et illi qui non resistunt temptationibus, sed omnes qui patiuntur  
propter ueritatem. Hodie autem sunt pauci qui uelint esse martyres, omnes uolunt esse  
confessores cum regibus et principibus et prelatibus et aliis magnatibus, nunquam dicunt nisi  
que eis placent, etcetera.

Debemus igitur per istas octo portas intrare per bonam operationem, sed per quattuor  
portas principales debemus intrare per fidem.

450 Primo, per portam diuinitatis et humanitatis, unde Iohannis decimo septimo: *hec est uita  
eterna ut cognoscant te Deum uerum et quem misisti Iesum Christum.*

Secundo, per portam angelorum habendo angelum custodem in reuerentia, nam ille  
ducit nos in Hierusalem celestem.

Tertio, per portam uirginis Marie habendo illam pro aduocata.

455 Nam quicumque fuerit deuotus eius sciat certe quod illa mediante, hic recipiet gratiam et  
in futuro gloriam, quam nobis, etcetera. Amen.

---

450-451: Io. 17, 3.

SERMO CENTESIMVS VICESIMVS PRIMVS ET SECVNDVS IN EADEM DIE OMNIVM  
SANCTORVM

<THEMA> *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei*, Psalmi octogesimo sexto.

5 Originaliter ad laudem, gloriam et triumphum tante solemnitatis assumptum thema scribitur presens.

Tanta est excellentia et singularitas beatissime uirginis Marie, quod ista uerba thematis solum illi digne applicari possunt, quia hec tria soli illi inter puras creaturas adaptari possunt, scilicet: quod sit ciuitas, quod sit Dei et quod de illa dicantur “gloriosa”.

10 Quod uirgo Maria dicatur in scriptura “ciuitas” patet in Psalmis et prophetis, ut dicit Bernardus in sermone tertio Super Salue Regina. Maxime fuit figurata per ciuitatem Hierosolymam, que fuit sita in monte Sion. Et non solum quod sit ciuitas potest per auctoritatem probari, sed etiam ratione patet, nam in lege nature fuit dicta ciuitas illa prima munita, ad quam multi confugebant ut saluarentur, quod patet de Babilonia, Genesis undecimo.

15 Secundo, in lege scripta fuit dicta ciuitas non solum quod predictum tenebat, sed quod esset talis quod in illa ciues uiuerent pacifici aliqua lege, etcetera. Et sic Hierusalem, licet esset dicta ciuitas, dum in pace et concordia uiuebat, sed tempore passionis Christi, scilicet: dominica in ramis palmarum, quando ciues erant inter se diuisi, quod aliqui illorum recipiebant Iesum saluatorem et dominum dicendo: *benedictus qui uenit in nomine domini*, et  
20 aliqui illum uolebant interficere et tractabant de eius morte. Et sic iam non merebatur habere nomen ciuitatis. Ideo dicit Christus discipulis suis: *ite in castellum*, et non dixit “in ciuitatem”, et secundum hanc acceptionem, dicit Isidorus quod: «ciuitas est ciuium unitas».

25 Tertio, in lege gratie dicitur ciuitas non solum illa que habet predicta, sed etiam quod in illa sit sedes pontificis. Si metropolis est, quod in illa sit sedes archiepiscopi, si non saltem sit sedes episcopi. Alia non proprie dicitur ciuitas, ut Calataiubium uel Torolium, etcetera, que non proprie sunt ciuitates, sed sola gratia, quia gaudent aliquo priuilegio ciuitatis ex gratia speciali.

Secundum autem hanc triplicem acceptionem, uirgo Maria dicitur “ciuitas”.

30 Primo, fuit munita uirtute diuina, unde Isaie uicesimo sexto dicitur de illa: *urbs fortitudinis Sion, saluator ponetur in ea murus et antemurale*. Murus fuit perfectio diuina, unde de Iob dicit Satan Deo: *nonne tu uallasti eum et domum suam?* Antemurale fuit preseruatio a peccato originali, nam sicut antemurale ponitur ad hoc ut inimici non possunt applicari muro, sic illa preseruatio fuit ut non sentiret uirgo Maria aliquod peccatum, etcetera. Ad hanc munitationem multi concurrunt, unde ecclesia de ipsa cantat: «sub tuum presidium  
35 confugimus Dei genitrix», etcetera.

Secundo, fuit ipsa ciuitas ratione pacis, quia in illa nulla rebellio nec fomes peccati fuit, unde Psalmi septuagesimo quinto: *factus est in pace locus eius et habitatio eius in Sion*.

---

3: Ps. 86, 3. | 13: cf. Gn. 11, 9. | 19: cf. Mc. 11, 9. | 21: cf. Mt. 21, 2. | 29-30: Is. 26, 1. | 31: cf. Iob. 1, 10. | 37: Ps. 75, 3.

10: cf. Pseu. Bern. Cl., *In Anti. Sal. Reg.*, III, 2. PL 184, 1069B. | 22: cf. Isid., *Etym.*, XV, 2, 1. PL 82, 536BC. | 34-35: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In Ev. PL 78, 799D.

37: Septuagesimo quinto] M, X septuagesimo sexto.

40 Tertio, dicitur “ciuitas” ratione sacerdotis, nam facta fuit habitatio summi sacerdotis, de quo in Psalmo centesimo nono dicitur: *tu es sacerdos in eternum*, etcetera. Item ad Hebreos septimo et decimo, etcetera.

Secundo, uirgo Maria dicitur “ciuitas Dei” tripliciter, nam aliqua ciuitas dicitur alicuius tripliciter.

45 Primo, quia ab eo fundata. Et sic dicitur Alexandria ab Alexandro, quia ab ipso condita ante Christi aduentum annis trecentis uiginti et in eadem sepultus fuit idem Alexander Magnus. Item dicitur a Romulo Roma condita, etcetera.

Secundo, dicitur aliqua ciuitas esse alicuius, quia in illa natus. Et sic Bethleem dicitur *ciuitas David*, secundo Regum sexto, et in multis locis.

50 Tertio, dicitur alicuius, quia in illa multo tempore conuersatus et multa mirabilia operatus. Et sic dicitur Capharnaum ciuitas Christi, Matthei nono: *ascendens Iesus in nauiculam transfretauit et uenit in ciuitatem suam*, scilicet: Capharnaum, secundum doctores.

Et secundum hanc triplicem acceptionem, uirgo Maria dicitur “ciuitas Dei”.

Primo, quia ab eo condita singulariter, scilicet: a potentia patris, a sapientia filii, a bonitate spiritus sancti.

55 Item natus in ea, nam de his duobus habetur in Psalmo octogesimo sexto: *homo natus est in ea et ipse fundauit eam altissimus*, etcetera.

Tertio, in illa conuersatus et mirabilia operatus, unde Ecclesiastici uicesimo quarto: *qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*.

Quod autem multa mirabilia operatus fuerit in ea patet de tam dictis.

60 Primo, munita singulariter, cuius munitio nunquam fuit rupta. Nam murus consumitur tripliciter: aut per manus hominum, aut per artificium machine, ut lombarde, etcetera, aut per molliciem materie illius de qua facta est. Sed uirgo Maria fuit sic munita quod aliquo istorum modorum destrui non potuit.

Primo, non per manus hominum, quia ipsa nesciens uirum uerbo concepit filium, etcetera.

65 Secundo, non artificio demonis, etcetera, quia nunquam permissus fuit demon, sicut in Iob.

Tertio, non ex materia propria muri, quia non habuit uermem peccati alicuius.

70 Secundo, omnes ad illam concurrunt, quod est quid gloriosum. Nam ad ciuitatem Hierosolymam conueniebant multi iudei ter in anno, scilicet: in mense aprilis et in iunio et in septembri, Exodi uicesimo tertio, sed solum iudei et solum masculi. Sed ad uirginem Mariam ciuitatem sanctam omnes in necessitatibus concurrunt. Vnde Psalmi octogesimo sexto: *sicut letantium omnium nostrum habitatio est in te*, cantat ecclesia. Vnde dicit Bernardus in

---

39: Ps. 109, 4; cf. Hbr. 5, 6; 7, 17. | 47: cf. II Sm. 6, 10. | 49-50: Mt. 9, 1. | 54-55: Ps. 86, 5. | 56-57: Sir. 24, 12. | 70: cf. Ex. 23, 14. | 72: Ps. 86, 7.

59: Primo] M prima.

sermone secundo: «ad Mariam tamquam ad medium, etcetera, recurrunt qui in celo sunt et qui in inferno habitant et qui nos precesserunt et nos qui sumus et qui sequentur et nati natorum et qui nascentur ex his», etcetera. Et sic magna gloria fuit ciuitatis Hierusalem, quod omnes masculi ad illam pergerent unius populi, sed gloria maior est uirginis, quod omnes qui sunt in celo et in inferno et in mundo ad illam recurrant. Et ratio est quia nunquam figura equater ueritati, sed cum Hierusalem figuraret uirginem Mariam, sequitur, etcetera. Ista autem tria tempora, quibus ascendebatur in Hierusalem, significabant tres maximas uirginis Marie festiuitates, in quibus precipue ad illam debemus tendere, scilicet:

in festo ipsius conceptionis, quando preuenta fuit spiritu sancto, quod figurabat festum penthecostes, quando missus fuit spiritus sanctus et lex data gratie.

Secundo, in festo incarnationis, quod figuratum fuit per pascha, quando azima comedebant, quia tunc uirgo Maria portauit mundo panem uerum, qui dixit: *ego sum panis uite*, etcetera, Iohannis sexto.

Tertio, in festo tabernaculorum, quando uirgo Maria posita fuit in tabernaculo celi in assumptione ipsius ad celos.

Tertio, gloriose fuit fundata super triplicem montem, ut Hierusalem, scilicet: supra montem Sion, montem Moria in templum et montem Oliueti ad latus. Isti tres montes notabant appropriata trinitatis: mons Sion potentiam patris, qui illam fecit matrem Dei; mons Moria, in quo erat templum, notabat bonitatem spiritus sancti, et sic fecit illam matrem gratie; mons Oliueti ad latus ciuitatis notabat misericordiam filii, qui fecit illam matrem misericordie. Nam filius dicitur in scriptura “misericordia”, et cum ipsa sit mater illius, est mater misericordie. Nam mons Oliueti dicitur “mons trium luminum”, qui oriente sole illuminabatur ab illo. Item templum recipiebat oleum ab illo quo illuminabatur et ex parte noctis per fenestras lux templi illuminabat montem Oliueti. Et sic ratione olei significabat misericordiam et illa redundabat in uirginem Mariam. Nam sicut ex parte diei illa illuminabatur ab illo, sic ex parte noctis econuerso, quia licet quidquid ipsa haberet esset ab ipso in quantum Deus, sic illa dedit illi carnem suam et opera misericordie in illum exercuit in quantum homo.

Quarto, fuit mirabiliter in ea natus, quod nunquam de aliqua ciuitate dictum fuit, quod ille qui fundasset natus fuisset in illa. Nam filius Dei potuit hoc facere, nam erat Deus eternus et homo temporalis, et ut Deus illam fundauit, ut homo in illa natus fuit. Et non solum in illa, sed de illa, et sic dicit Psalmista, Psalmi octogesimo sexto: *homo natus est in ea*, scilicet: in quantum homo, *et ipse fundauit eam altissimus*, scilicet: Deus eternus. Item possessa semper ab eo, non sic alii, sed aliquando a demone. De hoc dicitur Psalmi centesimo tricesimo primo: *elegit dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi*. In illa multa mirabilia operatus est omnium que sunt in mundo, nam quidquid est aut est gloria aut gratia aut alia bona ordinata ad ista. Quo ad gloriam dedit illi quod esset mater fontis glorie, et sic quod gloria illa mediante haberetur; quod ad gratiam, quod esset pelagus gratiarum, unde Psalmi quadragesimo quinto: *fluminis impetus letificat ciuitatem Dei*, scilicet: uirginem Mariam. De ceteris bonis dicit Bernardus: «totius boni plenitudinem contulit in Maria, ut si quid boni, etcetera, totum ab ea nouerimus redundare». Igitur, si quis est in deserto exulis, ad amenam ciuitatem recurrit; qui in pugna, ad fortissimam; qui esuriit, ad fertilissimam.

84-85: Io. 6, 48. | 104-105: Ps. 86, 5. | 107: Ps. 131, 13. | 111: Ps. 45, 5.

73-75: Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328A. | 112-113: Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 6. PL 183, 441AB.

95: 1° Illuminabatur | X illuminabitur. | 111: Quadragesimo quinto] M, X octogesimo sexto.

115 Igitur nos qui omnia hec habemus, in principio sermonis ad hanc ciuitatem recurramus humili mente et pia dicendo: aue Maria, etcetera.

<THEMA> *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei, ubi supra.*

120 Due erunt partes in presenti sermone. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda sancti euangelii expositiua, si tempus aderit. In prima parte uidebimus illa que sunt gloriosa in superna ciuitate paradisi. Secundo, uidebimus qui sunt illi qui talia possidebunt. Et hoc in euangelio.

125 Ad ostendendum autem illa que sunt gloriosa in superna ciuitate debemus procedere secundum ea que sunt in ciuitatibus huius mundi, quia: *inuisibilia Dei per ea que facta sunt*, etcetera, ut dicit Apostolus ad Romanos primo. In aliqua ciuitate secundum tria consideratur gloria. Primo, secundum ciuitatem in se. Secundo, quo ad habitantes in ea. Tertio, secundum opulentiam et fertilitatem illius. Ex parte ciuitatis sunt tria, scilicet: magnitudo, pulchritudo et situs.

130 Primo, igitur gloria huius ciuitatis est ex parte magnitudinis illius. Magna enim fuit gloria ciuitatis Babilonie ex parte magnitudinis, nam dicit Orosius quod ciuitas Babilonie fuit incredibilis magnitudinis et ex hoc gloriosior aliis. Dicit enim Plinius in libro sexto Naturalis Historie quod circuitus murorum illius fuit sexaginta quattuor miliarorum, que fuerunt triginta duo leucarum. Et non debet hoc esse incredibile, quia Plinius fuit historicus ueridissimus. Sed si hec ab eo non creduntur, sumamus auctoritatem sacre scripture, unde Ione tertio habetur quod ciuitas Niniue erat quinque leucarum, diameter esset quindecim  
135 leucarum. Et sic, si circularis esset ciuitas, circuitus murorum esset quadraginta quinque leucarum aut quadraginta tres, secundum regulam diametri datam a Iohanne de Sacrobusto in tractatu De Sphera, dicens quod circumferencia circuli est triplex a diametro remota uicesima secunda parte, etcetera. Si autem erat ciuitas angularis, iam esset maioris ambitus, etcetera. Et licet ambitus istarum ciuitatum esset gloriosus, sed nihil est respectu ciuitatis  
140 beatorum, quia est magnitudinis incredibilis, de quo dicitur Baruch tertio: *o Hierusalem, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis eius*. Nam, ut dicit Iordanus, culibet beato aduenit tanta quantitas spatii, sicut est Hispania uel etiam sicut terre habitabilis tota.

Si autem dicis: quare Deus dedit beatis tantum spatium quod uidetur superfluere illis? Dicendum quod hoc propter tria.

145 Primo, ad ostendendum Dei infinitam potentiam.

Secundo, hoc fecit ad ostendendam Dei gloriam. Nam si reges et principes gloriantur in hoc quod habent maximas ciuitates, sic rex glorie debet habere maximam ciuitatem totius mundi.

150 Tertio, hoc fecit ad satiandum hominum desiderium. Nam cum beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, sicut homines desiderabant hic pulchras etiam maximas habere ciuitates, in illa igitur patria paradisi debent illas habere, etcetera. Ex quo sequitur unum notabile: quod reges et principes christiani, si considerarent magnitudinem illius ciuitatis, non desiderarent acquirere nec usurpare hic ciuitates christianorum, quia sic

117: cf. Ps. 86, 3. | 123: Rm. 1, 20. | 134: cf. Ion. 3, 3. | 140-141: Bar. 3, 24.

129: cf. Oro., *Hist.*, II, 6. *PL* 31, 759AB. | 130: cf. Plin., *Nat. Hist.* (vol. 1), VI, 26, 30, 121, p. 480. | 136-137: cf. Io. Sacr., *Sph. Mun.*, I, de quantitate absoluta, f. 8v. | 141: Iordanus] *NI*.

118: Introductiua et declaratiua] *M*, *X* introductina et declaratina. | 119: Expositiua] *M*, *X* expositina.



155 illam perdunt, que incomparabiliter est maior omnibus istis. Deberent autem laborare in  
 acquirendo ciuitates infidelium et illos ad fidem Christi reducere. Sed de isto parum curant.  
 Et sic acquirendo hic ciuitates terrenas perdunt illam super celestem, que plus ponderat  
 istis. *Quid enim prodest huiusmodi si uniuersum mundum lucretur, anime uero eius detrimentum patiatur?*  
 Inquit Mattheus decimo sexto.

160 Secundo, ex pulchritudine uel ex materia illius pulchra. Nam ciuitas petrea est nobilior et  
 gloriosior quam terrea, quia terra est elementum simplex et infimum, sed petra constat ex  
 quattuor elementis. Et quanto nobilior est petra tanto gloriosior est ciuitas ex illa constans,  
 et sic marmorea ciuitas est gloriosior quam ex alabastro, etcetera. Et sic Orosius dicit in  
 laudem ciuitatis Rome quod: «Cesar Octauianus inuenit illam lateritiam et reliquit  
 marmoream». Sed ciuitas sanctorum sine comparatione est gloriosior, unde Apocalypsis  
 165 uicesimo primo dicitur de illa quod fundamentum eius est ex omni lapide pretioso; muri  
 eius ex lapide iaspidis; platee et ipsa ciuitas ex auro mundo et purissimo. Non quod illa  
 ciuitas constet ex illis, sed quia hic pretiosiora non sunt. Ideo comparatur illis, nam materia  
 illius ciuitatis erit mundissima et incorruptibilis, et tunc omnia inferiora erunt ab igne  
 corrupta materia illius remanente. O si christiani considerarent (ut deberent) uilitatem  
 170 istorum inferiorum et laborarent illam pulcherrimam adipisce! Laborant in uita presenti, ut  
 construant domum latericiam uel terream et omnia bona pro illa expendunt. Et aliquando  
 ex falso fundamento in nocte cadit uel ex modico igne comburitur, et illam incorruptibilem  
 adipisci non cogitant nec laborant. Nam ut dicit Apostolus ad Hebreos ultimo: *non habemus  
 ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus.*

175 Tertio, dicitur ciuitas gloriosa quo ad situm tripliciter.

Laudatur enim ciuitas patens et supra montem magis quam abscondita inter ualles. Sic  
 enim est illa gloriosa ciuitas beatorum, unde Iohannis Apocalypsis uicesimo primo dicitur:  
*substulit me in montem excelsum et altum et ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem,* etcetera. Et  
 Psalmi decimo quarto: *domine, quis habitabit in tabernaculo tuo aut quis ascendet in monte sancto tuo,*  
 180 etcetera?

Secundo, laudatur ciuitas que est sita in loco temperato, in qua non dominatur calor nec  
 estus. Sic illa beatorum, unde: *non cadet super illos sol neque ullus estus,* Apocalypsis septimo.

185 Tertio, laudatur ciuitas que habet maximum lumen, scilicet: si est sita uersus meridiem et  
 non ad septentrionem. Sic ciuitas beatorum, de qua dicitur Apocalypsis uicesimo primo et  
 uicesimo secundo: *nox non erit in ea,* quia non est ciuitas in hoc mundo que non habeat in  
 medio tempore tenebras noctis, sed illa semper lucet et non mediante sole uel luna. Vnde  
 Apocalypsis uicesimo primo: *ciuitas illa non eget sole nec luna, sed claritas Dei illuminabit illam et  
 lucerna eius est agnus.* Quid facimus nos peccatores, qui in illam non confugimus? Itur enim  
 190 de una ciuitate in aliam per multas dietas per nimium calorem uel frigus et ad istam  
 temperatissimam tendere nolumus, etcetera. Hoc latius dicitur.

Secundo, gloria ciuitatis narratur ex parte ciuitatis habitantium tripliciter, scilicet: ex  
 numero, ex corpore et ex anima.

Primo, ex numero, nam illa ciuitas que plures habitatores continet gloriosior dicitur. Et  
 sic Roma dicitur gloriosa ab Orosio dicente quod: «Hannibal, princeps Carthaginensium in

---

157: Mt. 16, 26. | 164-165: cf. Apc. 21, 18-19. | 173-174: Hbr. 13, 14. | 178: Apc. 21, 10. | 179: Ps. 14, 1. |  
 182: Apc. 7, 16. | 185: Apc. 21, 25; 22, 5. | 187-188: Apc. 21, 23.

163-164: cf. Oro., *Hist.*, VII, 7. PL 31, 1077A. | 194-196: Oro., *Hist.*, IV, 16. PL 31, 894A.

195 uno bello uicit et occidit tot romanos ciues quod tres modios anulorum ex digitis extraxit». Erat autem maxima multitudo ciuium mortua, nam modius est maior mensura quam roua nostra. Erat enim mensura quadraginta quattuor librarum et roua constat ex triginta uel  
 200 triginta sex libris. Clarum est quod non omnes ciues uenerunt ad bellum nec omnes anuli ad manus Hannibalis nec omnes ciues anulos portabant, etcetera. Et licet magna fuerit gloria Rome quo ad numerum ciuium, sed incomparabilis est maior illius ciuitatis superne, de qua habetur Danihelis septimo: *milia milium ministrabant ei et decies centena milium assistebant illi*, etcetera. Et dicunt doctores quod hic ponitur numerus determinatus pro indeterminato et sic quod sunt angeli innumerabiles. Sed secundum Gregorium, tot erunt homines beati quot angeli, igitur minus erunt numerabiles. Et sic cantat ecclesia hodie: *uidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, Apocalypsis septimo capitulo.

Secundo, patet hoc ex parte corporum. Gloriosa esset ciuitas in qua nullus puer paruus reperiretur nec ullus senex nec aliquis infirmus. Sic erit in illa ciuitate sanctorum: omnes erimus secundum etatem triginta uel triginta trium annorum, unde Apostolus dicit, ad Ephesios quarto: *donec curramus omnes in uirum perfectum in mensuram etatis plenitudinis Christi*.  
 210 Item nullus erit defectus corporis nec membri nulla difformitas, etcetera. Item nulla infirmitas, nulla corruptio, nulla mors, sed corpora gloriosa habebunt maximam claritatem, quia *fulgebunt iusti sicut sol*. Erunt agilia, subtilissima et impassibilia, quia a nullo poterunt pati, etcetera.

Tertio, quo ad animam. Erit enim in illa ciuitate maxima quietatio mentis et appetitus  
 215 satietas. In nulla ciuitate huius seculi reperitur, nam quando homo est in una ciuitate, cupit uidere et habere illa que sunt in alia ciuitate, unde dicit Augustinus primo Confessionum: «inquietum est, domine, cor meum donec quiescat in te», quod erit in illa ciuitate sanctorum. Item erat tranquillitas in potentiis et sic pax continua erit in illis interius et  
 220 exterius. Non enim turbabuntur bello intestino nec ciuili nec exterius ab hostibus, unde Isaie tricesimo secundo: *sedebit populus meus in pulchritudine pacis*, scilicet: interius, *et in tabernaculis fidei*, id est: exterius. Et sic utroque modo erit in illa pax. Sed in nulla istarum ciuitatum potest reperiri: non pax exterior, quia cotidie a mundo et demone uexamur; nec interius, quia nulla potest esse pax in domo ubi mulier est mala et filii rebelles et serui inobedientes. Sic est in nobis. Mala mulier est caro nobis iuncta in matrimonio a creatione  
 225 nostra, que: *concupiscit aduersus spiritum et econuerso*, ad Galatas ultimo, nullo modo illi obediendo nec filii, sed intellectus erroneus et uoluntas prona ad malum et cogitatio similiter. Item nec serui, qui sunt quinque sensus exteriores, unde Ecclesiastes primo: *non saturatur oculus uisu nec auris auditu*, etcetera.

Tertio, dicitur gloriosa de aliqua ciuitate quo ad opulentiam et fertilitatem rerum in illa.  
 230 Sic in ciuitate sanctorum habetur primo ex appetitu limitato. Nam aliquando est sic appetitus distemperatus quod illi non sufficiunt omnia uictualia, et sic a medicis dicitur “appetitus caninus”, qui in illa non erit, unde habetur Isaie quadragesimo nono: *non esurient neque sitient amplius*, etcetera. Sed cibus in illa erit plenitudo letitie quo ad partem intellectiuam et sensitiuam, unde Isaie tricesimo quinto: *gaudium et letitiam obtinebunt*. Nam letitie plenitudo in nulla istarum ciuitatum poterit inueniri, sed in sola ciuitate Dei, que est  
 235 beatorum, unde dixit Christus apostolis: *petite ut gaudium uestrum plenum sit*, Iohannis decimo sexto. Tunc autem est gaudium plenum quando est presentia omnis boni. Hoc autem

201-202: Dn. 7, 10. | 204-205: Apc. 7, 9. | 209: Eph. 4, 13. | 212: cf. Mt. 13, 43. | 220-221: Is. 32, 18. | 225: Gal. 5, 17. | 227-228: Ecl. 1, 8. | 232-233: Is. 49, 10. | 234: Is. 35, 10. | 236: Io. 16, 24.

203: cf. Gre. Mag., *Hom.*, II, 34, 11. *PL* 76, 1252C; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 23, a. 7, pp. 190-191; cf. Aug. Hipp., *Ench.*, LX, 16. *PL* 40, 260D. | 217: Aug., Hipp., *Conf.*, I, 1. *PL* 32, 661A.

197: Constat] M consta. | 228: Saturatur] M, X satiatur.

nunquam est nisi in illa ciuitate, unde Isaie tricesimo quinto: *gaudium et letitiam obtinebunt*. Gaudium quo ad mentis, exultationem et letitiam quo ad corporis. Exhilarationem in illa  
 240 ciuitate erit plena atque perfecta. Qui enim non habet pacem non potest perfectum gaudium habere. Qui autem non perfecte gaudet non est perfecte beatus, nam beatitudo est gaudium de re uisa, etcetera. Ideo dicit Isaie tricesimo secundo: *sedebit populus meus in pulchritudine pacis et tabernaculis fiducie*. In pulchritudine pacis, scilicet: interius in tabernaculis, etcetera, exterius quo ad hostes. In istis ciuitatibus non potest reperiri talis pax. Sicut in  
 245 domo in qua est mala mulier et filii rebelles et serui inobedientes non potest esse pax perfecta, sic in uita presenti uxor est: *caro que semper est contra spiritum*, ad Galatas quinto. Filii sunt potentie anime interiores, scilicet: intellectus, uoluntas, appetitus, cogitationes et intellectus erroneus: «quod intelligat recte uoluntas non uult», etcetera. Item serui sunt inobedientes, qui sunt quinque sensus exteriores, unde Ecclesiastes primo: *non satiatur oculus uisu nec auris auditu*, etcetera. Non erit sic in illa ciuitate, sed omnia erunt pacata et quieta, etcetera. Item erit cibus in illa letitie plenitudo quo ad partem intellectiuam et etiam quo ad partem sensitiuam. Anima enim sumet illum cibum per comprehensionem, uisionem et fruitionem beatificam. Vtrum prius in intellectu quam in uoluntate uel econuerso sit pro scolis. Satis est quod illa refectione tam gloriosa non potest a nobis explicari, unde Apostolus  
 255 prima Corinthiis secundo: *nec oculus uidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit, que preparauit Deus*, etcetera. De ista refectione intellectus loquitur Iohannis Apocalypsis uicesimo secundo, postquam in capitulo uicesimo primo narrauit et explicauit modum ciuitatis Hierusalem, etcetera. In illo uicesimo secundo capitulo dicit et agit de refectione illius dicens: *et ostendit mihi fluiuium aque uiue procedente de sede Dei*. Et hoc significat magnitudinem glorie, de qua Psalmi tricesimo quinto: *inebriabuntur ab ubertate domus tue et torrente uoluptatis potabis eos*. Et non solum pars intellectiua, sed etiam sensitua replebitur. Nam sicut anima satiatur in essentia diuina, sic pars sensitua in Christi humanitate, unde Iohannis decimo de beato dicitur: *ingredientur et egredientur et pascua inueniet*. Ingredientur per claram uisionem in diuinitatem; egredietur quo ad sensum ad Christi humanitatem, etcetera. Ideo dicitur  
 260 Apocalypsis uicesimo secundo: *ex utraque parte fluminis lignum uite*, scilicet: Christus, etcetera. «Videbunt autem beati et audient et sic de aliis quinque sensibus, nam omnes erunt in actu in patria, ut dicit sanctus Thomas in quarto. Videbunt autem tria.

Primo, non existentia, ut flores rosarum et animalia, etcetera, et hoc faciet per species infusas, ut intellectus, tunc faciet separatus per species infusas, ut dicit sanctus Thomas in  
 270 quarto. Et sic sensus percipiet sensibilia absentia per species sensibiles infusas a Deo, alius sensus non proportionaretur intellectui pro tunc in perfectibilitate, et hanc sensationem nec situs nec distantia nec absentia nec interpositio intersticii, etcetera, impediunt. Patet quia secundum sanctum Thomam: «diuina uirtus beatis ad nutum in omnibus subueniet», et adherit et assistet in omnibus que uolunt. Ratio est, ut qui fecerunt secundum Dei uoluntatem in hoc mundo recipiant illud quod Deus in patria (ubi est retributio) faciat secundum eorum uoluntatem in omnibus, cum hoc tamen omnes quinque sensus sentiant in patria sua propria obiecta per species receptas a sensibus pro tunc existentibus. Probatur etiam ex dictis sancti Thome in quarto, distinctione ultima et questione ultima dicentis: «a beatis nihil abstrahi debet quod ad perfectionem beatitudinis pertinereb», sed sentire per  
 275 species infusas non solum per receptas est huiusmodi, igitur, etcetera. Et sic isto modo

238: Is. 35, 10. | 242-243: Is. 32, 18. | 246: Gal. 5, 17. | 249-250: Ecl. 1, 8. | 255-256: I Cor. 2, 9. | 259: Apc. 22, 1. | 260-261: Ps. 35, 9. | 263: Io. 10, 9. | 265: Apc. 22, 2.

248: cf. Ans., *De Conc. Præ.*, III, 3. *PL* 158, 523C. | 266-341: Videbunt autem [...] Hec Augustinus] cf. Io. Nid., *Precep.*, X, 6, pp. 681-684. | 267: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>æ</sup>, q. 67, a. 1, pp. 416-417; *Sup. Sent.* (vol. 8), lib. 4, dist. 14, q. 1, a. 3, p. 66. | 273: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 44, q. 2, a. 2, p. 176. | 278-279: Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 50, q. 2, a. 4, p. 948.

259: Viue] M biue.

uidebitur non existentia ut perfectissima indiuidua uniuscuiusque speciei, ut summum  
colorum rosarum, odorem, etcetera. Patet quia perfectius uidebit quam Adam et ceteri in  
statu innocentie, sed illi uidissent in absentia illarum rerum rosas existentes in montibus  
285 altis et pisces in profundo maris, quia alius non imponeret illis nomina conuenientia  
secundum illas proprietates, igitur, etcetera.

Secundo, uidebunt inanimata existentia pro tunc, ut quattuor elementa, planetas et  
stellas lucidissimas.

Tertio, uidebunt animata, scilicet: damnatos in inferno, ut dicit sanctus Thomas, ubi  
supra. Vnde Isaie ultimo dicitur: *egredientur et uidebunt cadauera uirorum, qui preuaricati sunt in*  
290 *me*. Glosa: «electi egredientur manifesta uisione, ut ad laudem Dei magis accendantur».  
Ratio est quia a beatis nihil abstrahi debet quod ad perfectionem beatitudinis pertineat, sed  
hoc est huiusmodi, etcetera. Nam unumquodque ex comparatione sui contrarii magis  
cognoscitur et eluescit. Et sic ut beatitudo sanctorum eis magis complacet et de ea  
uberiores gratias agant, datur eis ut penas damnatorum perfecte intueantur, uel quamuis  
295 corpora damnatorum sint turpissima. Tamen uisio beatorum sicut et Dei per hoc non  
ledetur, nec pro tunc beati compatiuntur damnatis, quia summe se conformant diuini  
uoluntati, que illos punit, sed de penis eorum gaudent, unde Psalmi quinquagesimo  
septimo: *letabitur iustus cum uiderit uindictam*, etcetera. Non gaudent in quantum penam  
habent damnati, quia sunt in maxima charitate, sed in quantum in illa pena considerant  
300 ordinem diuine iustitie et suam liberationem. Item uidebunt beatos omnes et corpora  
eorum pulcherrima, quia: «in illa patria pulchritudo iustorum solis excellit pulchritudinem»,  
ut dicit Anselmus in libro De Similitudinibus. Illi autem beati erunt in ordine angelorum  
collocati secundum magis et minus secundum numerum meritorum. Et iste sunt mansiones  
in celis, sed super omnes ordines uidebunt reginam celorum et beatorum, et multo plus  
305 altius uidebunt regem glorie Christum Iesum, in quo est nostra beatitudo, in diuinitate illius  
quo ad animam intellectiuam et in humanitatem quo ad partem nostram sensitiuam, unde  
Luce uicesimo primo: *tunc uidebunt filium hominis uenientem cum potestate magna et maiestate*,  
etcetera. In primo aduentu uenit cum humilitate; in secundo ueniet cum potestate et ueniet  
cum cicatricibus et signo crucis. Videndo autem ista causabitur in beatis maxima  
310 delectatio.

Et hoc causatur ex sex: primo, ex restitutione commodi naturalis. Secundo, ex  
meloratione obiectorum. Tertio, ex acumine potentie sensitue. Quarto, ex diuersitate  
uisibilium. Quinto, ex coniectura deitatis per sensibilia et ex hoc quod nec distantia impedit  
obiecta nec situs nec intersticium. Et hoc uerum est quo ad species influxas, sed secundum  
315 receptas species sensus adhuc ualde a remotis, secundum sanctum Thomam, percipiet.  
Exemplum de omnibus istis.

Primo, restitutio commodi naturalis, quia in paradiso terrestri habuisset tantum  
commodum de lumine lune, sicut nunc de lumine solis, unde Isaie tricesimo: *erit lux lune*  
*sicut lux solis et lux solis erit septempleriter, sicut lux septem dierum*, etcetera. Vnde glosa  
320 interlinearis: «post iudicium et celum erit nouum et terra noua». Omnia enim propter

---

289-290: Is. 66, 24. | 298: Ps. 57, 11. | 307: Lc. 21, 27. | 318-319: Is. 30, 26.

288: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 50, q. 2, a. 1, p. 926. | 290: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Is., 66, 24. PL 113, 1316A. | 301: Anselmus] *Auctor err.*, cf. Ead. Cant., *Lib. De Sim.*, L. PL 159, 628D. | 315: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 50, q. 1, a. 4, p. 916. | 320: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 4), Is. 30, 26, f. 57v; cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XX, 21, 4. PL 41, 693B; cf. Io. Nid., *Precep.*, X, 5, p. 679.

290: Manifesta] M manista. | 303: Numerum] M nurum.

hominem facta in eius lapsu peiorata sunt et sol et luna suo lumine minorata. Et sic post resurrectionem illa erunt restituta et sic status glorie perfectiora restituet.

325 Secundo, ad delectationem maiorem faciet accumen potentiarum uisus uel auditus, etcetera, que maior et minor erit secundum merita uie, nec oculi offendentur quocumque lumine, quia omnia lumina tunc mulcebunt, non ledent. Nam si discipuli in transfiguratione cum maximo gaudio uiderunt lumen corporis Christi in corporibus corruptibilibus, multo magis tunc in gloria.

330 Tertio, ad magnitudinem delectationis in sensibus faciet melioratio obiectorum, sicut in uisu elementa clara et lucida et celi et stelle, etcetera. In auditu soni et uocis in uerborum significatione, nam quanto uox est maioris charitatis expressiua, tanto est delectabilior. Item in consonantia magis debita, quia ut dicit Iohannes de Tambaco, ubi supra: «cantus hic quorumcumque musicorum in comparatione ad celestem musicam est uelut rugitus rusticorum». Item ad hoc faciet diuersitas uisibilium et sonorum, etcetera. Item augebit delectationem uisio deitatis in qualibet creatura pro tunc existente, quia licet oculus nec  
335 alius sensus, ut sensibile de per se non possit uidere Deum, sed ut dicit sanctus Thomas in quarto, distinctione quadragesima nona: «uidebit oculus deitatem, sicut uisibile per accidens, sicut in locutione percipitur uita». Vnde Augustinus libro De Ciuitate Dei: «ualde credibile est sic nos uisuros tunc mundana corpora celi noui et terre noue ut Deum ubique presentem et uniuersa corporalia gubernantem perspicuitate clarissima uideamus. Non  
340 sicut: *inuisibilia Dei per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur*, sed sicut homines mox ut aspiciamus non credimus uiuere, sed uidemus». Hec Augustinus». Omnia ista in aliqua ciuitate sunt gloriosa et cum non reperiantur nisi in illa ciuitate Dei, recte de illa dicitur: *gloriosa dicta sunt de te*, etcetera. Ideo omnes debemus cum maximo conatu laborare, ut ad illam tendamus, maxime propter tria.

345 Primo, propter Dei obedientiam, nam si ad uidendum aliquam ciuitatem pergimus precepto superioris, dato quod nihil comodi nobis accrescat, multo magis ad istam debemus pergere, de qua nobis precipitur per Apostolum dicentem: *que sursum sunt, sapite et querite*, etcetera, ad Colossenses tertio. Pergimus per magnum laborem ad aliquam pulchram ciuitatem et in illa nihil nobis datur, sed in ista multa nobis conceduntur, etcetera. Per  
350 obedientiam igitur preceptorum et per operationem uirtutum debemus in illam tendere.

Secundo, quia in illa ciuitate reperitur quidquid de beatitudine ab aliquo imaginatum est. Si posuit aliquis in potentia, omnes erimus reges. Si in honore, omnes erimus filii Dei. Si in diuitiis, omnia possidebimus. Si in uoluptatibus, omnes honestas uoluptates habebimus, preter uoluptatem coitus, quam false ille Machometus posuit, quia tunc: *nec nubent neque  
355 nubentur*, ut patet Matthei uicesimo secundo, qui omnes erimus immortales. In illa patria erit uoluptas, gustus et inmutabitur secundum Iohannem de Tambaco per inmutationem spirituales seu intentionales absque sumptione per modum cibi et masticatione facta a corpore beatorum, mediante tamen sapore eis formaliter inherente. Que corpora si masticata fuisset ante glorificationem, nata fuissent mediante suo sapore gustum inmutare.  
360 Vnde sancti in patria dupliciter gustare possunt, uno modo per intentionalem inmutationem lingue a sapore sanctis inherente. Alio modo per influxum specierum a Deo.

---

340: Rm. 1, 20. | 343: cf. Ps. 86, 3. | 347-348: Col. 3, 1-2. | 354-355: Mt. 22, 30.

331-333: cf. Io. Tamb., *De Del. Sens.*, c. De auditu in patria, ff. 26rsq. | 336-337: Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 49, q. 2, a. 2, p. 690. | 337-341: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XXII, 29, 6. PL 41, 800CD. | 356: cf. Io. Tamb., *De Del. Sens.*, c. De gustu corporali in patria, ff. 39vsq.

334: Delectationem] M delectionem.

365 Tertio, propter periculum alterius oppositae ciuitatis Babilonie. Non enim sunt nisi due ciuitates ultimate, de quibus Athanasius dicit: «qui bona egerunt, ibunt in uitam eternam, qui uero mala, in ignem eternum». Vna est sursum, alia deorsum. In inferiore ciuitate sunt omnia ignominiosa et in superiori omnia gloriosa.

Primo, quo ad ciuitatem, quia inferior tenebrosa sulphurea et tristis, superior clara, lucida, odorifera ex corporibus sanctorum et delectabilis.

Secundo, quo ad ciues: in inferiori difformes, tortores, inimici Dei et nostri. In superiori angeli lucidi, consolatores, amici Dei et nostri.

370 Tertio, quo ad res: in inferiori egestas, quia desiderabunt mortem et non ueniet eis, pena tribulorum, etcetera. In superiori presentia omnis boni, gaudium, delectatio, et quod precipuum est: glorie plenitudo, quam nobis concedat ille Dei filius, qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in secula seculorum. Amen.

---

363-364: Ath., *Symb.*, I. PG 28, 1583C.

SERMO CENTESIMVS VICESIMVS SECVNDVS ET TERTIVS IN EODEM DIE OMNIVM  
SANCTORVM

<THEMA> *Fiat tibi sicut uis*, Matthei decimo quinto.

5 Originaliter ad laudem, gloriam et triumphum curie celestis, assumptum thema scribitur presens.

Tanta fuit benignitas et misericordia Dei omnipotentis erga creaturam humanam quod non solum fecit propter eius saluationem quidquid potuit et debuit, sed etiam uoluit quod adiuuaretur ab illa, sic quod una esset medium saluationis alterius.

10 Prima patet, nam ipsemet Deus dicit per os Isaie prophete in capitulo quinto loquens de ecclesia nomine: *uinee quod ipse plantauit eam et sepiuit illam et edificauit turrim in medio et fodit torcular in ea*. Christus uero declarans hanc parabolam, Matthei uicesimo primo, ponit eadem uerba et dicit illic tria que de uinea dicit per Isaiam dicendo: *homo quidam plantauit uineam et sepe circumdedit eam et fodit in ea torcular et edificauit turrim et locauit*, etcetera. Vinea ista fuit ecclesia militans, que in principio mundi incepit et fuit plantata tempore legis nature.

15 Secundo, fuit septa et circumdata tempore legis scripte, nam ut dicunt doctores sepes est munitio, ut clausura de spinis. Et sic Deus non clausit legem naturalem dando illi precepta scripta, sed sepiuit legem scriptam ex preceptis spinosis, que in amore non fundabantur, sed in timore, ut dicit Augustinus. Et sic dixit Deus, Hiezechielis uicesimo: *dedi eis precepta non bona, in quibus non uiuent*. Erant autem spine que fructum non habent.

20 Tertio, dicit quod edificauit in ea turrim et fodit torcular. Hoc fuit in lege gratie, quando non fuit ecclesia circumdata sepe que parum est duratura, sed: *turri fortissima a facie inimici*, Psalmi sexagesimo. Et sic non modico tempore permansura, ut lex uetus, que fuit septa, sed firmissima et perpetua, nam Christus dixit christianis: *cotidie uobiscum sum usque ad consummationem seculi*, Matthei uicesimo octauo. Igitur alia lex non succedet.

25 Dicit finaliter quod in hac turri fodit torcular, scilicet: in medio. Hoc est: in Hierusalem fuit torcular crucis positum, de quo dicit per Isaiam capitulo sexagesimo tertio: *torcular calcani solus*, etcetera, *et de gentibus non est uir mecum*, quia omnes uiri tunc recesserunt perdendo fidem, sed remansit cum eo sola uirgo Maria, etcetera. Patet igitur quanta fecit Deus pro ista ecclesia et sic finaliter dicit, ubi supra: *nunc ergo habitatores Hierusalem et uiri Iuda iudicate inter me et uineam meam, quid est quod debui ultra facere uinee mee et non feci?* Quasi dicat: nihil. O misericordia domini et benignitas, qui ponit se in iudicium nobiscum et dicit habitatoribus Hierusalem, scilicet: angelis et uiris Iuda, id est, confitentibus Deum hic in mundo, ut isti iudicent inter Deum et ecclesiam, igitur, etcetera. Et non solum Deus fecit hoc pro ecclesia, sed etiam uoluit quod nos adiuuaremur illi ad saluationem aliorum propter meritum, unde dicit Apostolus, prima Corinthiis tertio: *adiutores sumus Dei*, etcetera. Et paulo ante: *ego plantauit, Apollo rigauit, dominus autem incrementum*, etcetera. Et sic patriarche in lege nature fuerunt adiutores Dei ad nostram saluationem figurando; prophete in lege scripta prophetando; apostoli in lege gratie predicando; martyres, confessores et uirgines patiendo et confitendo, et omnes pro peccatoribus orando et supplicando Deum. Sed inter  
30  
35  
40 omnes illos excellenter fuit uirgo Maria, quod patet ex hoc: nam alii sancti fuerunt adiutores Dei in rebus communis, uirgo autem in operationibus propriis ipsius Dei, que sunt tres.

---

3: Mt. 15, 28. | 10-11: cf. Is. 5, 2. | 12-13: Mt. 21, 33. | 18-19: Ez. 20, 25. | 21: Ps. 60, 4. | 23-24: Mt. 28, 20. | 26-27: Is. 63, 3. | 29-30: cf. Is. 5, 3-4. | 35: I Cor. 3, 9. | 36: I Cor. 3, 6.

18: cf. Aug. Hipp., *Con. Ad. Man. Disc.*, 17, 2. PL 42, 159A.

Prima creatio; secunda recreatio; tertio, iustificatio. Iste autem tres operationes, licet immediate fiant a Deo, sed uoluit quod uirgo Maria ad istas coadiuuaret illi.

45 Primo, igitur in creatione uirgo Maria fuit coadiutrix, non quo ad actum principalem creationis, quia ille erat proprius Dei, nam facere aliquid ex nihilo, ita quod aliquid non presupponatur ad illum effectum, est proprium primi agentis, licet aliqui dicant quod nihil presupponi stat dupliciter: aut ex parte agentis, aut ex parte facti. Nil presupponi ex parte agentis est proprium Dei, et sic non potest creature communicari. Sed quod non presupponatur aliquid ex parte facti bene potest creature communicari. Sed mihi uidetur  
50 contrarium, nam secundum omnes doctores, agentia sunt in triplici differentia, scilicet: est agens naturale, agens supranaturale et agens artificiale. Et quanto agens est superius, minus indiget quod presupponatur ad suum effectum. Nam agens artificiale indiget materia et forma, quia faber non potest facere clauem nisi illi exhibeatur ferrum, etcetera, sed agens naturale indiget sola materia presupposita et remanente illa transmutat formas. Exemplum:  
55 in generatione hominis formam lactis mutat in formam sanguinis et remanente eadem materia transmutat in formam carnis, etcetera, et sic presupponit semper materiam solam. Sed agens supernaturale, qui est supra totam naturam, nihil presupponit ad suum effectum, et hoc est proprium illi, sed supra totam naturam solus Deus est. Et sic si potentia creandi communicaretur alicui creature, simul esset primum agens, scilicet: nihil presupponendo ex  
60 parte facti, et non esset primum agens, quia esset creatura, quod implicat contradictionem, nam quod nihil presupponeret esset hoc per potentiam diuinam illi communicatam. Et sic ab illa potentia diuina hoc esset, scilicet: quod nihil presupponeretur. Et sic talis creatura non esset creatrix, sed instrumentum creationis. Exemplum: sicut si brachium hominis non posset lapidem usque in celum proiicere et Deus iungeret manum suam cum manu illius  
65 hominis, et sic lapidem usque in celum proiiceret, quia hoc fieret potentia diuina principaliter, proiiciens in celum esset Deus, licet alia manus hominis esset illi adiuncta instrumentaliter, sic in proposito. Item cum sit articulus fidei: “credo in unum Deum”, etcetera, “creatorem celi et terre”, sicut est unus Deus, sic unus creator. Et sicut latria debetur Deo ratione creationis, ut dicunt doctores, si creatura posset creare et esset  
70 creatrix, illi deberetur latria, et sic, etcetera. Item si alicui creature esset illa potentia communicabilis, hoc esset uirgini Marie communicatum, sed omnes concedunt quod nulli creature fuit communicatum, igitur non erat communicabilis creature. Patet quia secundum Augustinum, Bernardum et Anselmum, quidquid dicit perfectionem et non implicat quod potuit communicari pure creature fuit uirgini Marie communicatum. Igitur cum hoc esset  
75 priuilegium et gratie uirginis Marie, si non implicaret fuisset illi concessum, si igitur non fuit communicatum, sequitur quod non fuit possibile communicare, igitur, etcetera.

Sed licet actus creationis non fuit uirgini communicatus quo ad primum esse, fuit illi communicatus quo ad secundum, scilicet: quo ad bene esse, quia creatio accipit ultimam perfectionem mediante uirgine Maria. Nam licet omnes alii sancti fuerint coadiutores Dei in  
80 rebus communis, uirgo autem fuit in operationibus propriis ipsi Deo. Exemplum: sicut in gubernatione regni sunt milites coadiutores regis in actibus communibus iustitie, quia unus est gubernator, alter phiscus, etcetera, sed ipsa regina adiuuat in rebus propriis et secretis, que pertinent solum ad regem, ut prediximus. Quod autem ipsa mediante creatio acceperit perfectionem ultimam patet si consideremus illud quod excellentius fuit creatum a Deo,  
85 quod fuit factum in prima die creationis, scilicet: in die dominica, et in ultimo creationis, scilicet: feria sexta. In prima die creauit quattuor simul, scilicet: celum empireum, naturam angelicam, tempus et materiam primam. In ultima uero die creauit hominem. Celum igitur empireum «mox ut creatum fuit angelis repletum», ut dicit Strabo et communiter omnes

73: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, V. PL 40, 1145B; cf. Bern. Cl., *Ep.*, CLXXIV, 5. PL 182, 334C; cf. Ans., *De Conc. Virg.*, XVIII. PL 158, 451A. | 88: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Gn., 1, 2. PL 113, 69C.



doctores. Exemplum: sicut malum punicum mox ut producitur est granis ordinatis  
 90 repletum, sed in principio sunt illa grana alba, tamen non debito colore nec sapore perfecta,  
 sic fuit de angelis. Nam in principio omnes fuerunt albi, scilicet: creati in gratia, secundum  
 communem opinionem, sed non in gloria. Et sicut accidit malo punico, quod excessius  
 calor tangat latus eius illa grana illius lateris, non solum non ueniunt ad perfectionem et  
 95 maturationem per perfectum calorem et saporem, sed perdunt albedinem qua habebant et  
 fiunt combusta, sic fuit de angelis. Nam per excessiuum calorem superbie primus illorum  
 cum tertia parte aliorum fuerunt damnati. De primo angelo habetur Isaie decimo quarto:  
*quomodo cecidisti, Lucifer, etcetera?* De ipso et de aliis habetur Apocalypsis duodecimo dicens  
 quod: *draco traxit cum cauda sua tertiam partem stellarum*, id est, angelorum. Et cum celum sit  
 100 locus beatorum, non permanserunt angeli peccatores in illo, sed ab illo proiecti fuerunt, ut  
 habetur in eodem capitulo. Et sic parum durauit ordo in celo, etcetera. Antequam isti  
 peccarent erat pulchritudo in celo. Exemplum in choro nostre sedis: dum sedes sunt  
 implete sacerdotibus, est in illo pulchritudo ordinis. Sed dum sunt sedes uacue, est in illo  
 difformitas et deordinatio. Sic in celo post peccatum angelorum. Sed ista perfectio in celo  
 105 facta fuit mediante uirgine Maria, quia filius eius (quem ipsa peperit) impleuit illas sedes ex  
 sanctus beatis.

Sed forte dices: hec perfectio fuisset reparata si illi angeli uel alii fuissent in illis sedibus  
 collocati. Sed cum hec suppletio fuerit facta per sanctos, qui sunt homines et mulieres, non  
 fuit sic perfectum celum sicut ante tempore creationis. Dicendum quod maiorem  
 110 perfectionem recepit celum empireum mediante uirgine Maria quam haberet tempore  
 creationis. Hec autem conclusio probatur sic: nam licet angelus in natura sit perfectior  
 homine, quia pure spiritualis, homo autem habet corpus et spiritum, ut ducatus est in auro  
 purior floreno. Sed quo ad gratiam et gloriam multi homines et mulieres excedent angelos,  
 unde dicit Dauid in Psalmi octauo loquens de homine: *quid est homo, etcetera? Minuisti eum*  
 115 *paulo minus ab angelis*, scilicet: quo ad naturam, *sed gloria et honore*, scilicet: gratia, *coronasti eum*,  
 scilicet: hominem, supra angelos. Quod non solum dicitur de Christo, sed de homine iusto  
 et uirtuoso. Et sic, cum angeli qui ceciderunt non essent in gloria, sed sancti et sancte qui  
 collocati fuerunt in illis sedibus fuissent in gloria, sequitur quod perfectior fuit reparatio  
 facta mediante uirgine Maria quam tempore creationis angelorum.

Item patet quod pulchrior fuit illa reparatio, nam qui haberet coronam plenam lapidibus  
 120 pretiosis eiusdem nature et coloris et alius haberet aliam coronam et pretiosioribus  
 lapidibus et diuersorum colorum, hec corona esset excellentior et pulchrior prima. Sic in  
 proposito, tempore creationis omnes ille sedes erant implete angelis spiritualibus solum  
 existentibus in gratia, sed mediante uirgine Maria erunt implete sanctis gloriosis, ita quod  
 inter angelum et angelum erit homo beatus uel mulier beata, etcetera. Igitur perfectio celi  
 125 empirei erit excellentior et pulchrior quam esset tempore creationis.

Tertio, patet hoc quia tempore creationis erant due sedes uacue preparate in celo,  
 scilicet: ad dexteram patris sedes humanitatis Christi fuit posita et semper fuit uacua usque  
 ad diem ascensionis domini in celum, de qua habetur Apocalypsis quarto dicens Iohannes:  
 130 *ecce sedes posita erat in celo et super sedem sedens et qui sedebat, etcetera.* Et sic notat quod ante  
 fuerat posita sedes et quod tunc ipse uidit sedentem in ea. Sed si hoc non esset, non  
 oportebat nisi dicere: “uidi supra sedem sedentem”, sed dicit primo: “sedes posita erat”, ut  
 notaret quod ante fuit posita et parata sedes, scilicet: tempore creationis, et postea fuit in ea  
 sedes, scilicet: tempore Christi ascensionis, etcetera. Hec autem sedes fuit figurata Exodi  
 uicesimo quinto, in illo propitiatorio quod erat supra arcam in templo. Nam erat quedam

---

97: Is. 14, 12. | 98: Apc. 12, 4. | 100: cf. Apc. 12, 9. | 113-114: Ps. 8, 5-6. | 129: Apc. 4, 2-3. | 134: cf. Ex. 25, 20.

135 tabula ad modum scabelli, in qua nihil erat, sed erant duo cherubin circa illam et ibi recipiebant responsa et recipiebant gratiam petentes misericordiam, quia habebant fidem Christi uenturi, qui sperabantur in illa sede. Illa autem sedes fuit repleta in die ascensionis Christi in celum, quando collocatus fuit ad dexteram patris. Alia sedes posita fuit ad dexteram filii, qui sperabatur repleti per uirginem Mariam, que fuit figurata tertio Regum

140 secundo. Dum rex Salomon sederet in throno regio et cum audisset quod Bersabee mater sua ueniret ad eum: *surrexit rex in occursum eius adorauitque eam et sedit super thronum suum positusque est thronus matri regis, que sedit ad dexteram eius*, etcetera. Patet ergo quod antequam sederet mater, iam erat positus thronus. Hic Salomon figurabat Christum, qui iam erat in throno suo dum mater Maria ascendebat in die assumptionis eius. Et thronus paratus a

145 principio creationis, tunc fuit repletus ipsa ad dexteram filii sedente. Et sic patet quod mediante uirgine non solum ruina angelorum fuit reparata, sed iste due sedes uacue fuerunt replete, que a tempore creationis fuerant uacue. Patet igitur quod maior perfectio fuit in celo empireo illa mediante, et hoc est quod dicit Bernardus in sermone dicens: «per te uirgo beata celum impletum est, infernus euacuatus, instaurate ruine celestis Hierusalem, expectantibus miseris, uita perdita data». Dicit celum impletum esse quo ad illas duas sedes, scilicet: Christi et matris, ante uacuas, et dicit instaurate ruine angelorum quo ad angelos qui ceciderunt.

Secundo, tempus recepit perfectionem maximam mediante uirgine Maria dupliciter. Primo, augendo; secundo, maximum sub se continendo. Exemplum: dicimus aliquem

155 regem esse perfectiorem quam ante non erat, aut acquirendo regna, que ante non possidebat, aut si sub se habuit in uassallum regem aliquem nobiliorem se, sic in proposito. Tempus autem, cum sit mensura et numerus motus imperfecti, est in se imperfectum, et sic possumus loqui de eo sicut de numero. Numerus autem usque ad denarium est imperfectus, quia numerus denarius habet in se omnem perfectionem, nam: «est terminus omnium numerorum», ut dicit sanctus Thomas in tertia parte, questione tricesima prima, articulo octauo; et in quarto, distinctione quadragesima nona; et in tertio, distinctione tertia. Et sic iste numerus conuenit Deo eterno et eternitati, sed usque ad nouem dicit quandam imperfectionem, et numerus denarius notat eternitatem. Sed in hebdomada non sunt nisi septem dies. Fuerunt autem duo dies perditus per peccatum Ade, quia fuissent nouem.

160 Primus dies perditus fuit dies gratie. Secundus fuit dies glorie. Isti autem fuerunt recuperati per Christum mediante Maria uirgine. De die gratie habetur in Psalmo centesimo decimo septimo: *hec dies quam fecit dominus*, etcetera. De die glorie celestis habetur in Psalmo octogesimo tertio: *melior est dies una in atriis tuis super milia*. Nam dies glorie excellit omnem alium diem temporis, quia dies octauus est gratie, in qua perdi potest et recuperari, unde Salomon, Prouerbiorum uicesimo quarto dicit: *septies in die cadit iustus et resurgit*. Nam in septem diebus hebdomade ante Christi resurrectionem non poterat homo surgere, sed solum cadere. Sed per Christi passionem et resurrectionem, si cadit homo in peccatum potest surgere per gratiam huiusmodi collatam, sed in die nona, scilicet: glorie, iam homo cadere non potest. Et sic illa dies est melior cunctis, nam est dies euiternitatis, quia ex una

175 parte iungitur tempori, scilicet: numero octauo, ex alia parte iungitur eternitati, scilicet: numero denario. Et sic dies glorie habet principium et caret fine. Ideo gloria sanctorum dicitur eterna, scilicet: ex parte finis. Et sic cum tempus recuperauerit istos duos dies ex parte filii uirginis Marie, sequitur quod uirgine Maria mediante habuit hanc perfectionem.

180 Secundo, hoc fuit quia tempus habuit sub se maius quod habere potuit, scilicet: eternum filium Dei, qui incarnatus fuit sub tempore. Ideo dicit Augustinus quod cum esset eternus

141-142: III Rg. 2, 19. | 167: Ps. 117, 24. | 168: Ps. 83, 11. | 170: Prv. 24, 16.

148-150: cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429B-430A. | 159-160: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 31, a. 8, p.243; *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 3, q. 4, a. 3, qc. 1, p. 224.

secundum diuinitatem, «factus est puer unius diei» in die natiuitatis eius ut homo. Et nunc dicimus quod est homo milium quingentorum nouem annorum. Et sic tempus fuit impletum continendo maius quod continere potuit, et hoc est quod dicit Apostolus ad Galatas quarto: *at ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere*, etcetera. 185 Quasi dicat: quod tunc fuit plenitudo temporis dum filius Dei ex muliere carnem sumpsit, etcetera, quia factus homo fuit sub tempore. Et sic fuit maximum quod tempus continere potuit et mediante uirgine Maria.

Tertio, mediante uirgine Maria materia prima habuit maiorem perfectionem quam habere potuit, quod patet nam materia est quid in potentia et quid imperfectum. Perficitur 190 mediante actu et forma, sicut sponsa filia rustici perficitur mediante sponso nobili et fit illa nobilis. Vnde Aristoteles comparat materiam femine et formam uiro in primo Physicorum. Igitur mediante uirgine Maria fuit materia iuncta nobilissimo actui, scilicet: uerbo diuino, qui est actus purus et simplicissimus.

Et si forte dices quod materia perficitur forma per informationem eius, sed uerbum Dei 195 non informaui materiam, sed solum fuit illi unitum. Dico quod maiorem perfectionem recepit materia illa per unionem hypostaticam uerbi diuini quam per informationem cuiuscumque forme. Nam forma esset creatura et uerbum diuinum est uerus Deus. Exemplum: si filia rustici haberet sponsum militem nobilem et in die nuptiarum duceretur ad thalamum per imperatorem, dico quod imperator dedit illi maiorem honorem quam 200 sponsus suus. Sic in proposito, uerbum diuinum plus nobilitauit illam materiam per solam unionem hypostaticam quam si ab aliqua forma creata perficeretur, et hoc quo ad actum. Si autem considerat formam in hac materia, scilicet: animam pretiosissimam Christi, fuit perfectior cunctis aliis. Et sic ex illa purissima materia uirginis Marie factus fuit homo dignior Ade sine comparatione. Tanta enim fuit differentia Christi ad Adam, sicut de celo 205 ad terram. Hoc autem dicit Apostolus: *primus homo*, scilicet: Adam, *de terra terrenus*; *secundus*, scilicet: Christus, *de celo celestis*, prima Corinthiis decimo quinto. Igitur patet quod materia habuit mediante Maria uirgine ultimam et perfectissimam perfectionem quam habere potuit, siue quo ad actum siue quo ad formam. Et sic patet quod creatio mediante Maria habuit ultimam perfectionem, etcetera.

Secundo, hoc patet de recreatione mundi, que fuit propria Dei operatio, nam ut dicunt doctores, cum offensa Ade fuerit infinita, per solum infinitum Deum potuit reparari, et hoc factum fuit mediante uirgine Maria. Sic enim peccatum originale non transisset ad alios per solum peccatum Eue, sed per solum peccatum Ade, sic nec reparatio illius potuit fieri a sola muliere, scilicet: a sola uirgine Maria, sed a Christo. Sed sicut Eua fuit media ad peccatum 215 Ade dando illi fructum uetitum ut comederet, sic uirgo Maria fuit media ad reparationem et recreationem totius mundi, quamuis principaliter fuerit facta a uerbo incarnato, sed mediante uirgine Maria, quia ipsa dedit uerbo diuino fructum, scilicet: purissimam carnem suam. De quo fructu dixit illi Elisabeth, Luce primo: *benedictus fructus uentris tui*, etcetera. Et de isto loquitur Bernardus in quodam sermone dicens ad beatam uirginem: «merito in te 220 respiciunt oculi totius creature, quia per te, de te et in te benigna manus omnipotentis quidquid creauerat recreauit».

---

184: Gal. 4, 4. | 205-206: I Cor. 15, 47. | 218: Lc. 1, 42.

181: cf. Aug. Hipp., *Conf.*, I, 7, 11. *PL* 32, 665C. | 191: cf. Arist. Lat., *Phys.*, I, 9, 192a24, p. 40; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 2), lib. 1, dist. 45, q. 1, a. 1, p. 921. | 219-221: cf. MF. Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. *PL* 183, 328B.

206: Decimo quinto] M, X decimo quarto.

Tertio, iustificatio, que est propria operatio Dei, cum fiat mediante gratia et gloria, que dantur a solo Deo, unde in Psalmo octogesimo tertio: *gratiam et gloriam dabit dominus*, sed ista facta est mediante uirgine Maria. Triplex enim est iustificatio peccatorum. Prima dicitur  
 225 sanctificatio in utero materno. Secunda sit uirtute sacramentorum. Tertia sit sola contritione et deuotione quando non potest haberi copia sacerdotis nec sacramentorum.

In sanctificatione prima est causa beata uirgo Maria. Patet hoc si accipimus excellentes sanctificationes tam in ueteri quam in nouo testamento. Excellentior sanctificatio in ueteri  
 230 testamento fuit Hieremie, sed huius causa fuit uirgo Maria, scilicet: causa finalis. Nam Hieremias fuit sanctificatus ut esset uirginis nuntius illius nouitatis, que nunquam in mundo audita fuit, et ut a mundo crederetur. Propter sanctitatem uite sue fuit in utero matris sanctificatus ita ut nunquam in mundo mortaliter peccasse uideretur. Fuit autem nouitas ab ipso predicata, de qua habetur Hieremie tricesimo primo: *nouum creauit dominus super terram, femina*, scilicet: sola (ut dicit ecclesia) *circumdabit uirum* perfectum in omnibus uirtutibus,  
 235 gratis et gloria, quoniam ceteri infantes in utero sunt imperfecti non solum quo ad naturam, sed quo ad gratiam et gloriam. Iste econuerso. Si consideramus in nouo testamento perfectissimam sanctificationem que fuit in Iohanne Baptista post uirginis Marie sanctificationis reperiemus, quia uirgo Maria fuit causa efficiens, saltem instrumentaliter, nam post conceptionem filii sui: *exurgens Maria abiit in montanam cum festinatione et salutauit Elisabeth*. Et: *ut uox Marie ad aures*, etcetera, *exultauit infans in utero*, etcetera. Et sicut ipsa fuit media huius sanctificationis, sic mediante ea fit in nouo testamento omnis alia sanctificatio.

Secunda, iustificatio, que fit mediantibus sacramentis, facta est mediante uirgine Maria, nam ut dicunt doctores, sacramenta habuerunt efficaciam in passione Christi, dum in cruce  
 245 sanguinem fudit, sed ille sanguis datus fuit a uirgine Maria, igitur, etcetera.

Tertia, sanctificatio, que fit mediante contritione. Quando non potest haberi copia sacerdotis, fit mediante uirgine Maria. Nam licet multi habeant tempus penitendi propter deuotionem aliquorum sanctorum, ut non sine confessione moriantur, licet aliquibus sanctis sit concessum, ut pro deuotis suis impetrent illud, sed excellentius uirgine gloriose,  
 250 quia illa mediante non solum habet deuotus contritionem, sed etiam reuocatur ad uitam, ut patet nam: «illa in auxilium patris Basiliū sanctum angelum misit et mortuum suscitauit et ipsum a Iuliano Apostata liberauit», ut dicit Hieronymus in Cronicis.

Item patet per Hugonem narrantem de peregrino nomine Gerardo a morte resuscitato ipsa mediante. Item multis aliis, etcetera. Et sic sancti alii aliquando habent a Deo repulsam,  
 255 hec autem nunquam. Vnde Bernardus dicit: «si quid Deo paras, totum Marie commenda si non uis habere repulsam». Igitur quando sancti uel sancte aliquid supplicat, per aliqua uerba dilatat, sed quando mater supplicat, uno solo uerbo expedit. Exemplum: quando aliquid summo pontifici supplicatur per personas inferiores, per plura uerba se excusat, sed quando supplicatur a rege uel regina, unico uerbo dicit: “fiat”.

Sed si queritur: quare summus pontifex in his, que labore dat, utitur uerbo “fiat”? Dico quod hoc est quia, cum sit uicarius Dei in terra, utitur uerbo Dei liberaliter dantis, nam in tribus operationibus Dei, quas diximus, scilicet: in creatione, recreatione et iustificatione, hoc uerbo utitur Deus. De prima patet, nam in principio creationis dixit Deus: *fiat lux*. In recreatione dixit uirgo Maria: *fiat mihi*, et tunc fuit incarnatus filius Dei.

223: Ps. 83, 12. | 233-234: Ier. 31, 22. | 239-240: cf. Lc. 1, 39-44. | 263: cf. Gn. 1, 3. | 264: cf. Lc. 1, 38.

251-252: Hieronymus] *Auctor err.*, cf. Fulb., *Serm. Ad Pop.*, IV. PL 141, 323AB. | 253: Hugonem] NI. | 255-256: Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 18. PL 183, 448AB.

265 Sic in iustificatione impii, quando ipsa pro deuotis ipsius siue sint infideles, ut sunt isti agareni, qui habent in ipsam uirginem deuotionem, siue sint christiani peccatores, dum ipsa supplicat filium pro illis, recordatur filius quod quando ab ipsa recepit carnem purissimam, ipsa dixit: “fiat mihi”. Sic ipse non illi dat repulsam, sed per eadem uerba illi respondet dicens: *fiat tibi sicut uis*. Ad hanc uirginem in principio, etcetera.

270 <THEMA> *Fiat tibi sicut uis*, ubi supra.

Presenti sermone, licet tres decreueramus tractare conclusiones, sed quia iam dies breuis est et prolixus tractauimus salutationem uirginis, ideo solam unam conclusionem uidebimus, que talis est: beatitudo sanctorum, que in operatione intellectus et uoluntatis consistit, semel habita perdi non potest. Hec autem conclusio habet duas partes. Prima, 275 quod beatitudo consistit in actu et operatione intellectus et uoluntatis. Secunda est quod beatus qui illam habebit perdere illam nunquam poterit.

Probatur prima pars conclusionis: cum beatitudo sit proprium bonum hominis, in quo excellit cetera animalia, in illo est ponenda in quo cetera animalia excellit, sed hoc est operatio intellectus et uoluntatis, igitur, etcetera. Si autem consisteret in parte sensitua que 280 fundatur in corpore, tunc esset communis nobis et ceteris animalibus, sed nullus diceret equum esse beatum, aut leonem, etcetera, igitur. Et non solum esset commune ceteris animalibus, sed etiam illa animalia essent beatiora hominibus, cum in parte sensitua multa animalia excellant hominem, ut patet quia basiliscus excellit in uisu et etiam aquila, uultures et canes in odoratu, aper in auditu. Nam «in solo tactu et gustu homo excellit», ut dicit 285 Aristoteles secundo De Anima, sed singulariter «in tactu certissimo», ut dicit idem Aristoteles De Sensu et Sensato, patet hoc in medicis, etcetera, sic leo in fortitudine, etcetera. Item si in parte sensitua esset, homines uitiosi aptiores essent ad beatitudinem, quia illi excellunt in illa parte. Sed cum solis uirtuosis conueniant qui pollent magis in intellectu et uoluntate quam in sensualitate, igitur, etcetera. Nam uirtuosi ieiuniis et abstinentiis illam habent, etcetera. Item in illo quod est impedimentum beatitudinis non 290 consistit beatitudo, sed pars sensitua impedit et dat impedimentum beatitudini, igitur, etcetera. Quod hoc sit uerum patet, nam operatio intellectus et uoluntatis nos iungit Deo, sensitua pars ab illo retrahit. Patet in actu disputationis et contemplationis: separamur a sensualitate, scilicet: a cibo, a potu, ab actu uenereo, etcetera. Et sic patet prima pars 295 conclusionis.

Secunda probatur, scilicet: quod beatitudo semel habita non potest perdi. Primo, sic: cum beatitudo sit bonum perfectum, debet quietare et securare intellectum ita quod habens sit certus nunquam tale bonum se esse amissurum, aliter beatus esset cum timore perdendi illud. Et sic non haberet omne illud quod uellet et sic non esset beatus, quia: «beatus est qui 300 habet quidquid uult et nihil mali uult», etcetera, ut dicit Augustinus. Igitur patet quod beatus habet opinionem illud bonum nunquam perdendi, igitur hec opinio aut est uera aut est falsa. Si est uera, habetur propositum, scilicet: quod illam nunquam perdet. Si est opinio falsa, igitur est malum in intellectu, quod in beatitudine esse non potest, igitur, etcetera. Item si beatus potest beatitudinem perdere aut hoc erit per propriam uoluntatem, aut ab aliquo auferretur ab eo. Non potest illam dimittere per propriam uoluntatem, quod patet 305 nam quando aliquis dimittit bonum quod habet, aut hoc est quia illud bonum habet in se aliquod malum, aut in spe maioris boni. Exemplum: aliquis uendit bonum equum quod habebat propter aliquod uitium eius aut quia uult meliorem emere. Beatus autem non

---

269-270: cf. Mt. 15, 28.

284: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, II, 97, (421a18-22), p. 182. | 285: cf. Th. Aq., *Comm. De Sen. Et Sens.*, I, 8, (440b31), p. 49. | 299-300: Aug. Hipp., *De Tr.*, XIII, 5, 8. PL 42, 1020A.

310 potest uelle separari a beatitudine propter aliquod malum in illo existens, quia est sine  
 aliquo tali, unde Sapientie octauo habetur de contemplatione sapientie: *non habet*  
*amaritudinem conuersatio illius*. Exemplum de melle, in quo est omnis dulcedo et nulla  
 amaritudo. Item non potest desiderare maius bonum, cum beatitudo sit summum bonum.  
 Igitur intellectus sic quietatur in illa quod separari non uult, unde Augustinus dicit:  
 315 «inquietum est, domine, cor meum, donec quiescat in te». Et Psalmis: *satiabor cum apparuerit*  
*gloria tua*. Et sic per propriam uoluntatem illam non potest dimittere. Item per aliquam  
 potentiam a beato non potest auferri, quia aut hoc esset a Deo, aut per aliquam creaturam.  
 Non a Deo, quia auferre beatitudinem ab eo esset pena que a Deo nunquam datur sine  
 culpa. Sed beatus, cum sit in termino uie, nec errare nec peccare potest, igitur nec a Deo  
 320 auferri. Vnde Psalmi septimo: *Deus iudex iustus*. Et sic Deus non esset iustus nec esset Deus.  
 Item non potest per aliquam creaturam perdere, quia cum essentia diuina sit iuncta  
 intellectui beatorum et per uoluntatem diuinam, si ab aliqua creatura remoueretur, illa  
 creatura esset potentior Deo, quod est impossibile. Patet igitur conclusio quantum ad  
 ambas partes.

325 Sed contra has ambas partes multi errauerunt, sed maxime Machometus inter omnes,  
 nam errauit in essentia beatitudinis, in loco et in societate.

Primo, in essentia, quia posuit illam in cibo, potu et in actu uenereo, quod est  
 impossibile sic esse. Primo, quia in omnibus istis potest errare quis per excessum, sed in  
 actu beatitudinis non potest quis per excessum errare, nam non possumus multum  
 intelligere Deum nec nimis amare, igitur, etcetera. Item in actu peccati non potest esse  
 330 beatitudo, nam nullus dicit quod in maledicendo Deum (quod hic est peccatum) sit in patria  
 beatitudo. Sed secundum istos machometricos, bibere uinum hic est peccatum. Igitur non  
 potest in bibendo uinum esse beatitudo, ut Machometus dicit in multis locis Alchorani,  
 quod bibent uinum murratum, etcetera. Item errauit in loco beatitudinis, nam dicit celum  
 locum peccatorum et mundum locum beatitudinis. Dicit enim quod Adam peccauit in celo  
 335 et quod gloria sanctorum erit in terra, quod patet nam dicit quod erunt in paradiso arbores,  
 fontes, etcetera, que omnia talia sunt in superficie terre, etcetera. Item errauit in societate,  
 nam dicit quod beati habebunt in uxores multas mulieres uirgines, quod non est dicendum,  
 quia actus luxurie perturbat contemplationem, licet fuerit licitus cum propriis uxoribus.  
 Patet quia sacerdotes ueteris testamenti separabantur ab uxoribus dum debebant in templo  
 340 orare et contemplari; idem faciunt sacerdotes grecorum. Item cum actus contemplationis in  
 beatitudine sit continuus, perturbaretur per mulieres, si una sola in hac uita perturbat, ut  
 dicit Apostolus, prima Corinthiis quinto capitulo, dicens: *qui sine uxore est, sollicitus est que*  
*domini sunt, quomodo placeat Deo? Qui autem cum uxore est, sollicitus est que sunt mundi, quomodo*  
*placeat uxori? Et diuisus est*, etcetera. Igitur, si sola una uxor perturbat contemplationem Dei  
 345 in hac uita, quomodo plures mulieres in illa continua contemplatione non impedient,  
 etcetera? Item (ut diximus) in actu peccati non potest esse beatitudo, sed habere plures  
 mulieres non fit sine peccato, quia Deus dixit, Genesis secundo: *erunt duo in carne una*. Item  
 una caro fit per matrimonium, sed nunquam cum illis mulieribus contraxerunt  
 350 matrimonium, igitur, etcetera. Item cum commixtio uiri cum femina alterius speciei non  
 solum sit peccatum, sed etiam peccatum nephandum et contra naturam. Cum ille mulieres  
 que erunt in gloria sint alterius speciei quam iste que sunt in mundo, ut dicunt doctores  
 agarenorum, sequitur quod in actu nephandissimo esset beatitudo, quod est impossibile.  
 Item cum uir et uxor ad paria iudicentur in beatitudine et aliquando uxor habebit maiorem  
 beatitudinem quam uir, Machometus solum ponit in gloria mulieres esse pro uiris et non

310-311: Sap. 8, 16. | 314-315: Ps. 16, 15. | 319: Ps. 7, 12. | 342-344: I Cor. 7, 32-33. | 347: Gn. 2, 24.

314: Aug., Hipp., *Conf.*, I, 1. PL 32, 661A. | 332: cf. Q 2, 219; 4, 43; 5, 90-91.

355 ponit uiros pro mulieribus, sequitur quod diminute tractauit de beatitudine, non solum mendaciter.

Secundo, errauit in duratione, nam dicit quod beatus potest perdere beatitudine, ut patet de illis duobus angelis Babilonie, scilicet: Aroth et Maroth, qui descendentes de celo, ut iudicarent in terra, inebriati fuerunt ab illa pulchra muliere, cui dixerunt modum ascendendi  
 360 in celum. Et ipsa ascendit in celum et angeli fuerunt in terra super puteum suspensi. Que omnia sunt falsa, nam angeli non habent corpora naturaliter. Item modus ascendendi in celum non habetur ab angelis, sed per opera uirtuosa. Ex his autem patet quod plus errauit Machometus quam ceteri qui in beatitudine errauerunt, nam ponentes eam in honoribus, in potentia et in sapientia, non sic illam deiecerunt, etcetera. Vnde Philosophus in decimo  
 365 Ethicorum ponit illam in operatione perfectissima ratione potentie et obiecti perfectissimi. Et sic dicit Philosophus in primo Ethicorum quod triplici existente uita, scilicet: uoluptuosa, ciuilibus et contemplatiua. Illi, qui uoluptuosam ceperunt, dicit quod fuerunt: «uitam pecudum eligentes». Item Auicena, qui fuit agarenus, in nono Metaphysice sue increpat Machometum ponentem talem felicitatem uoluptuosam et dicit quod sapientes  
 370 aliter posuerunt quam ipse Machometus, et sic tacite dicit ipsum fuisse stultum et sine sapientia. Lex uero Christi uerissima corrigit omnem legem.

Primo, imperatorum Ateniensium, etcetera, ostendendo in quo errant, licet non omnia puniat.

Item corrigit legem ueterem, Matthei quinto capitulo: *audistis, quia dictum est antiquis,*  
 375 etcetera.

Tertio, corrigit omnes leges que postea uenerunt, ut Machometi, dicens felicitatem non esse in actu mulierum. Nam quando saducei, qui negabant resurrectionem, dixerunt ei quod illa mulier que habuit septem uiros in resurrectione cuius illorum esset, et Christus dixit illis: *erratis nescientes scripturas neque uirtutem Dei, in resurrectione nec nubent neque nubentur, sed erunt sicut*  
 380 *angeli Dei in celo,* etcetera. Item quod non sit beatitudo in cibo nec potu. Dicit hoc Apostolus, qui fuit edoctus a Christo in raptu, dicens ad Romanos decimo quarto: *non est regnum Dei esca et potus.*

Si autem dicis: quam igitur dixit Christus beatitudinem? Dico quod Iohannis decimo septimo in paucis uerbis dicit: *hec est uita eterna ut cognoscant te Deum uerum et quem misisti Iesum Christum.* Nam ex fide huius uite habetur beatitudo. Et quia fides est ut credamus diuinitatem et humanitatem Christi, sic beatitudo principaliter in diuinitate qua fruemur, sed  
 385 secundario in parte sensitua contemplando humanitatem Christi. Et sic dicit quod est uita, in qua non est mors, et quod est eterna, que perdi non potest, et quod consistit in cognitione clara essentie diuine ueraciter apprehensa. Ideo dicit Christus: *in hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati.*  
 390

O igitur, proximi mei, considerate doctrinam uerissimam Christi duratione eius, nam concepta fuit in uetere legis mosaice, quo ad omnia per annos milia quingentos nouem. Nata fuit cum Christo. Sunt anni milia quingenti nouem. Et sic totidem est conceptionis et natiuitatis, igitur sunt anni nouem mille octodecim, etcetera. Sed notandum quod hodie  
 395 precipit nobis spiritus sanctus ut celebremus festum destructionis idolorum, nam Rome

374: Mt. 5, 21. | 379-380: cf. Mt. 22, 29-30. | 381-382: Rm. 14, 17. | 384-385: Io. 17, 3. | 389-390: Io. 18, 37.

364: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, X, 4, 74b19, p. 570. | 368: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, I, 3, 95b20, p. 145. | cf. Avi., *Met.*, IX, 7, p. 970.

393: Conceptionis] M conceptionionis.

erat templum Pantheon, in quo erant omnia idola totius mundi, ut hodie ad sensum uidentur capelle ipsorum, quas uidi oculis meis. Sed Bonifacius papa impetrauit a Foca imperatore ut expulsis idolis illud templum in honorem uirginis Marie consecraretur, quod factum fuit. Et sic hodie templum Marie Rotunde dicitur. Item precipit nobis ut ad honorem omnium sanctorum festum celebremus propter negligentias in festiuitatibus eorum factas, maxime quia multi sunt sancti quorum diem passionis et nomina ignoramus. Nam ut dicit Hieronymus in epistola ad Chromatium et Heliodorum, qualibet die anni fuerunt martyrizati plures quam quinque milia martyrum, a quibus habemus infinita miracula, ut dixi in primo sermone huius festiuitatis. Iustum igitur fuit ut ista diuersitas credulitatis per signa ostenderetur, ideo quia: *cor regis in manu Dei*. Serenissimus rex noster Ferdinandus mediante illustrissimo filio suo Alfonso, archiepiscopo Cesaragustano, precepit ut omnes agareni, cuiuscumque sexus et conditionis sint, appareant cum signo lune in pectoribus eorum. Et hoc benemerito, quia multa fiebant in obprobrium legis Christi, ut ego mediante inquisitione scio. Contra enim leges agarenorum nil fiebat, quia Machometus dedit illis licentiam ut agareni possent misceri cum iudeis et christianis, etcetera, et recte illis datum fuit signum sensibile ad extra. Nam sicut nos ponimus beatitudinem in interiori anima, ipsi uero incorporabilis, sic signum nostrum sit in parte nobiliori anime, scilicet: character interius, et ipsi, sicut in corpore habent signum sue legis per circumcisionem, sic exterius habeant signum. Item sicut ipsi per lunam diuidunt tempora et festiuitates et solemnia, sic luna esset signum illorum. Sed nos (qui in luce ambulamus et Christus uerus sol est princeps noster, de quo Malachias dixit quarto capitulo: *uobis timentibus nomen meum orietur sol iustitie*, et ecclesia de uirgine Maria cantat: «ex te enim ortus est sol iustitie, Christus Deus noster») portamus interius signum, scilicet: characterem lucidum ut sol. Ex quo habetur quod signum nostrum est saluationis, scilicet: crux, que fit in baptismo mediante chrismate. Et hoc patet tam in ueteri quam in nouo testamento.

Primo, in ueteri, Hiezechielis nono capitulo habetur quod propter abominationes mundi uidit sex angelos in speciebus uirorum habentes arma in manibus, ut destruerent ciuitatem Hierusalem, scilicet: mundum: *et in medio illorum erat uir uestitus uestibus sacerdotalibus et atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis et dixit dominus ad eum: "transi per mediam ciuitatem Hierusalem et signa Thau super frontes uirorum dolentium et gementium super cunctis abominationibus, que fiunt in medio eius"*. Et sic dicit angelis quod percuterent omnes non signatos, sed: *"super quem uideritis Thau non occidatis"*. Sex uiri sunt sex abominationes super terram. Vir sacerdos erat Christus uel uicarius eius, qui habebat atramentarium, id est, uas chrismatis in manibus suis, et signauit. Omnes alii qui mediante baptismo non fuerunt signati mortui fuerunt, quia: *qui crediderit et baptizatus fuerit saluus erit, etcetera*, Marci decimo sexto. Item Iohannis tertio: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, scilicet: non potest introire in regnum Dei*. Hoc dixit Christus sine dubitatione et cum iuramento dicendo: *amen, amen dico tibi*, etcetera. Igitur patet quod sine signo crucis in fronte, scilicet: in baptismo, non potest esse saluatio.

Hoc idem habetur in nouo testamento, ut patet in lectione hodierna, que loco epistole in missa legitur et est Apocalypsis septimo, dicit Iohannes: *post hoc uidi quattuor angelos stantes super quattuor angulos terre tenentes quattuor uentos terre, ne flarent super terram, neque super mare, neque in nullam arborem. Et uidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei uiui et clamauit uoce magna quattuor angelis, quibus datum est nocere, etcetera, dicens: "nolite nocere, etcetera, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum"*, etcetera, *et audiui numerum signatorum*

405: cf. Prv. 21, 1. | 416-417: Mal. 4, 2. | 423-427: Ez. 9, 2-6. | 430: Mc. 16, 16. | 431-432: Io. 3, 5. | 435-441: Apc. 7, 1-5.

402: cf. Pseu. Hier., *Mart.*, prol. PL 30, 435C-436BC. | 417-418: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, in Ev. PL 78, 802C.

407: Precepit] M precipit.



440 *centum quadraginta quattuor milia, scilicet: ex tribu Iuda duodecim milia signati; ex tribu Ruben duodecim milia signata, etcetera. Et sic omnes erant centum quadraginta quattuor milia, quia duodecies duodecim mille sunt centum quadraginta quattuor milia. Et sic patet quod hoc signum Christi, scilicet: crux in fronte, est signum saluationis. Sed signum agarenorum est signum damnationis, unde idem Iohannes Apocalypsis decimo sexto dicit: et audiui uocem*  
 445 *magnam de templo dicentem septem angelis: "ite et effundite septem phialas ire Dei in terram". Et abiit primus angelus et effundit phialam suam in terram et factum est uulnus seuum et pessimum in hominibus, qui habebant characterem bestie, scilicet: Machometi, ut glosat Nicholaus de Lyra in eodem loco, etcetera. Et sic patet quod signum Machometi est perditionis, sed signum Christi, scilicet: crux, est saluationis, etcetera.*

450 O igitur, proximi mei, sumitte exemplum in patre nostro Augustino, qui fuit manicheus, ut uos estis. Sed ipse fecit tria in conuersione sua (que fuit anno tricesimo uite sue), quibus ueritatem uidit et credidit.

Primo, secutus fuit predicationem sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi, per quam uidit clare reprobata sectam manicheorum.

455 Secundo, considerauit miracula infinita et clarissima in Christi fide, maxime miracula que Deus faciebat ad ostensionem sanctitatis beati Antoni in eremo. Et quia istis etiam non conuincebatur, separatus fuit in horto sub arbore fici, et spoliatus fuit incredulitate a fide Christi et a secta manicheorum, existens quasi in puris naturalibus. Et fleuit amarissime orando Deum, ut inspiraret in eo quam uiam tenere debebat. Et tunc missus fuit illi liber  
 460 epistolarum beati Pauli et dictum fuit illi: «Augustine, lege». Ipse uero aperuit librum in epistola ad Romanos missa in capitulo decimo tertio et legit: *nox precessit dies autem appropinquauit; abiiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis, etcetera. Et iam in isto aliquantulum aperuit oculus intellectus sui. Iterum legit in secunda linea dicens: non in comessionibus et ebrietatibus, non in cubilibus nec impudicitis, etcetera, sed induimini dominum nostrum Iesum Christum. Tunc Augustinus claudit librum et in continenti tendit ad beatum Ambrosium episcopum et petiit sanctum baptisma. Recepto baptismo dicit Ambrosius: «te Deum laudamus». Respondit Augustinus: «te dominum confitemur», etcetera. Ergo, o uos proximi mei, considerate quod iste fuit manicheus, ut uos, iste fuit pertinax et durus ad legem Christi. Fuit iste Africanus, ubi lex uestra pollet. Audite ergo sermones, ut ipse fecit.*  
 465  
 470 Considerate miracula Christi, per que maior pars mundi est conuersa ad fidem differentem a sensu.

Tertio, spoliare uos a quacumque credulitate per tres dies et inuocate Deum, ut ostendat uiam salutis. Tunc uidebitis clare quod nox iam precessit, scilicet: peccati et ignorantie, et quod dies ueri Christi et solis appropinquauit. Abiicietis opera tenebrarum et sic signum  
 475 lune expelletis et signum crucis accipietis et uidebitis clare quod beatitudo non est ponenda in comessionibus et ebrietatibus, nec in cubilibus nec impudicitis, ut uos ponitis, sed inductis uestem Christi eundo ad baptisterium et accipiendo uestem candidam et immaculata, qua mediante hic recipietis gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedere dignetur ille Dei filius, qui cum patre et spiritu sancto uiuit, triumphat et regnat, per infinita  
 480 seculorum secula. Amen.

---

444-447: Apc. 16, 1-2. | 461-462: Rm. 13, 12. | 463-465: Rm. 13, 13-14.

447: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 6), Apc. 16, 2, f. 264v. | 460: cf. Aug. Hipp., *Conf.*, VIII, 12, 29. *PL* 32, 762B. | 467: cf. Alc., *Off. Per Fer.*, Hymn. dominicale. *PL* 101, 597B.

454: Reprobata] X reprobata.

## SERMO CENTESIMVS VICESIMVS TERTIVS IN DIE FESTIVITATIS SANCTI MARTINI

<THEMA> *Benedictionem omnium gentium dedit illi*, Ecclesiastici quadragesimo quarto.

Originaliter, etcetera.

5 Sententia est patris nostri Augustini in sermone quod sicut per Euam fuerunt introducte omnes maledictiones in mundum, sic econuerso per Mariam omnes benedictiones. Dicit enim: «Eua obfuit, Maria profuit, illa percussit, ista sanauit», etcetera. Nam cum in sacra scriptura spiritui comparetur uir et mulier carni, sic Eua fuit causa maledictionum corporis, sic Adam maledictionum anime, quia Adam peccante totus mundus peccato subiacuit, unde ait Apostolus: *per unum hominem peccatum*, etcetera, ad Romanos quinto. Sed si illa peccante  
10 Adam non peccaret, penalitates corporis non haberemus, ut dicit sanctus Thomas, prima secunde, questione octogesima prima, quinto ad secundum; et in Questionibus De Malo, questione quarta, septimo ad quintum, licet uideatur dicere oppositum in secundo, distinctione tricesima prima, questione prima, secundo ad quartum; et in quarto, distinctione prima, questione secunda, articulo secundo, obiectione. Sed in secundo  
15 loquitur de ipsis defectibus ex parte corporis, qui sunt ex matre. Ideo quantum est ex corpore secuti fuissent illi defectus, nisi obstetisset originalis iustitia, que fuisset in eis, ut dicit in eisdem primis locis. Et sic sicut Eua peccauit per quinque sensibus corporis, sic habuit quinque penalitates uel maledictiones.

Primo, peccauit per auditum audiendo serpentem.

20 Secundo, per uisum quando Genesis tertio dicitur: *uidit mulier quod bonum esset lignum et pulchrum*.

Tertio, per odoratum quando dixit: *bonum ad uescendum*, quod fuit ex odoratu. Nam quod esset pulchrum cognouit per uisum; quod esset suaue ad uescendum per odoratum, sicut in melone uel in aliqua esca per odoratum cognoscitur et iudicatur sapor.

25 Quarto, per tactum, quia *tulit*.

Quinto, per gustum, quia *comedit*, etcetera. Et sic secundum istos quinque sensus, quinque habuit maledictiones, a quibus uirgo Maria fuit libera et ea mediante totus mundus.

Prima fuit: *sub uiri potestate eris*.

30 Si dicis: hoc etiam esset ante peccatum, quia uir esset caput mulieris. Dicendum quod uerum est quod uir fuisset caput et gubernator mulieris etiam ante peccatum, sed est in penam mulieris, nunc prout mulier contra propriam uoluntatem habet parere uoluntati uiri, quod ante non esset. Sed ab ista seruitute uirgo Maria fuit libera, que nunquam tali modo sub potestate alicuius uiri fuit. Nam Ioseph nunquam illi aliquid precepit quod esset contra eius uoluntatem, quia nouerat ipsam esse dominam et reginam. Et si consideramus etiam  
35 illum sacratissimum uirum, scilicet: redemptorem nostrum Iesum Christum, de quo dicit Propheta: *uir oriens nomen eius*, Zaccharie sexto, secundum humanitatem solum, etiam non

---

2: Sir. 44, 25. | 9: Rm. 5, 12. | 20-26: Gn. 3, 6. | 28: cf. Gn. 3, 16. | 36: Za. 6, 12.

6: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CXCIV, 2. PL 39, 2105B. | 10: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 81, a. 5 ad 2, p.535; *Qu. De Mal.*, q. 4, a. 7, p. 124. | 12: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 4), lib. 2, dist. 31, q. 1, a. 2, p. 526; (vol. 7), lib. 4, dist. 1, q. 2, a. 2, p. 96.

4: Euam] M Eua.

fuit illo modo subdita illi, sed econuerso in quantum illa ipsum concepit, genuit et peperit. De quo ait propheta Hieremie capitulo tricesimo primo: *femina circumdabit uirum*, et de ista subiectione loquebatur Luce capitulo secundo dicens: *et erat subditus illi*, scilicet: uirgini. Et  
 40 non solum uirgo Maria fuit libera ab hac subiectione, sed alie mulieres mediante illa. Nam si uir contra rationem illi aliquid precipit, sola mediatrix est domina nostra.

Secunda maledictio fuit: *multiplicabo erumnas tuas*, que sunt labores mulieris enixe, a quibus ante peccatum mulier erat immunis. Sed post peccatum sola uirgo Maria fuit libera, que nullam grauedinem post conceptionem sensit portando Christum in uentre suo  
 45 uirginali, ut dicit Lucas capitulo primo: *exurgens Maria abiit in montana cum festinatione*.

Sed cum corpus Christi fuerit uerum et naturale, sic erat graue ut nostrum, igitur, etcetera. Dicendum quod sic, sed cum in potestate Christi fuerit habere actum agilitatis dum uellet, ut patet in progressu maris, non dabat matri laborem. Nam si brachia senis Symeonis, que iam pondus non poterant sustentare, dum Christum in ulnas habuit, per  
 50 ipsum fuerunt roborata et fortificata, quando magis uirgo Maria, que dignior fuit illo. Et: «caro Christi erat caro uirginis», ut dicit Augustinus in sermone, et minus fatigatur quis de portatione sue carnis quam aliene. Item magis erat propinqua uirgo Maria filio suo in utero eum portans quam Symeon in ulnas, etcetera. Igitur cum corpus Christi influeret uim et uirtutem uirgini matri, clarum est quod non fatigabatur nec molestabatur, etcetera.  
 55 Exemplum: sicut in pila uenti clarum est quod, dum est inflata pila, sunt in illa duo corpora, scilicet: corium et aer, sed minus ponderant illa duo quam corium solum. Ratio est quia aer habet in se leuitatem, si sine humore ponitur in pila, et sic tollit grauitatem alterius uel minuit illam. Sic in proposito, post conceptionem Christi uirgo gloriosa duo corpora portabat, scilicet: proprium et corpus Christi, sed minorem fatigationem habebat eo quod  
 60 corpus Christi illi propriam fatigationem tollebat, igitur, etcetera. Et sic uirgo Maria fuit libera ab ista maledictione et etiam quelibet mulier, que illam in simili casu inuocat, non sentit taliter illas erumnas, sicut illa que uirginem non inuocat.

Tertia maledictio fuit: *multiplicabo conceptus*, etcetera. Nam licet multiplicatio conceptuum etiam esset ante peccatum, sed post peccatum etiam fuit penale, quod ante non erat. Et  
 65 sicut ante erat in gloriam mulierum, nunc est ad penam. Sed ab hac fuit uirgo Maria libera, que non habuit nisi unicum conceptum, scilicet: Christi.

Et si dicis: non fuisset magis gloriosa si pluries conciperet? Dicendum quod non, quia concepit filium perfectissimum, quia uerum Deum infinitum, et cum infinitum non sumat aliquod augmentum, sequitur, etcetera.

70 Si dicis: poterat concipere patrem et spiritum, scilicet: cum illi possent incarnari, igitur, etcetera. Dicendum quod dato quod illa conciperet quemlibet eorum aut ambos illorum, non esset perfectior, cum infinitas sit ex parte Dei. Et idem Deus est pater et filius et spiritus sanctus et nulla personarum est altera perfectior, etcetera.

75 Quarta maledictio fuit: *in dolore paries*, etcetera, a qua sola uirgo Maria fuit libera, que non solum non peperit cum dolore, sed etiam cum summa letitia et gaudio, unde Isaie tricesimo quinto: *exultabit letabunda et gaudens*. Item Psalmi sexagesimo quarto: *letabitur germinans*. Et

---

38: Ier. 31, 22. | 39: Lc. 2, 51. | 42: cf. Gn. 3, 16. | 45: Lc. 1, 39. | 63: cf. Gn. 3, 16. | 74: cf. Gn. 3, 16. | 76: Is. 35, 2. | Ps. 64, 11.

51: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, V. PL 40, 1145B.

42: Erumnas] X Calumnias.

non solum ipsa fuit libera ab hac maledictione, sed omnes ille mulieres que illam inuocauerunt in tali necessitate partus a maximo dolore fuerunt liberate.

80 Quinta maledictio fuit quod post peccatum nulla mulier potuit esse nisi sterilis uel in peccato parere uel cum ruptura carnis et corruptione uirginitatis, sed uirgo Maria ab omnibus fuit libera. Primo, ab obprobrio sterilitatis, de quo dicebat Rahel sterilis, Genesis tricesimo, dum peperit Ioseph: *abstulit Deus obprobrium meum*, etcetera. Item fuit libera a peccato, quia non peperit cum peccato, sed plenum gratia filium Iesum Christum. Item non peperit cum carnis ruptura, sed cum uirginitate, et ab aliquo istorum nulla femina fuit libera  
85 preter uirginem.

Si dicis: numquid Anna mater uirginis fuit libera ab istis? Dicendum quod uerum est quod ipsa non fuit sterilis nec peperit cum peccato, sed a tertio non fuit libera, quia non concepit sine carnis corruptione nec peperit sine illa. Et sic patet quod iste quinque maledictiones fuerunt per Euam, sed peccatum in illa non remansit, sed transiuit in uirum,  
90 unde dicitur: *illa comedit et dedit uiro suo*, etcetera. Et sic Adam habuit quinque alias maledictiones, que fuerunt communes uiro et mulieri, quia prime fuerunt proprie mulieribus, iste communes ambobus.

Prima maledictio fuit: *cinis es et in cinerem reuerteris*, et ista maledictio cum aliis quattuor ponuntur in illa parabola Luce decimo: *homo quidam descendebat a Hierusalem in Hiericho*,  
95 etcetera, que exponitur a Beda, et illam expositionem omnes sequuntur quod ille homo fuit Adam. Et sic dicit quod per peccatum descendit a Hierusalem, que est uisio pacis et tranquillitatis in Hiericho, que interpretatur «luna», secundum Hieronymum. Et sic cum Adam esset incorruptibilis suo modo ante peccatum, sic in Hierusalem descendit per culpam in Hiericho, id est, in transmutationem lune, quia «infra concauum lune sunt omnia  
100 transmutabilia». Et sic fuit factus corruptibilis et eodem modo Eua, nam ambo fuerunt incinerati. Sed ab hac maledictione fuit libera uirgo Maria, que non fuit incinerata, sed sicut de suo filio dicit Psalmista, Psalmi decimo quinto: *non dabis sanctum tuum uidere corruptionem*, sic nec uirgo gloriosa uidit incinerationem, sed mox post mortem, ut dicit Augustinus, uolauit ad celum.

105 Secunda maledictio fuit quia fuerunt per peccatum sub potestate demonis constituti et sic dicit: *incidit in latrones*, quia demon non acquisiuit eos ui, sed illi se ei obtulerunt per peccatum, quia: *qui facit peccatum seruus est peccati*, etcetera. Ab hac maledictione uirgo Maria fuit libera, quia nunquam fuit sub aliquo peccato, et per consequens demon nullam partem in ea habuit. Et sic dicit Machometus in Alchorano, in primo libro, azora tertia et alea  
110 tricesima sexta, ubi dicit quod: 'uirgo Maria fuit preseruata a potestate demonis lapidatoris'. Et sic in uirgine Maria nullam partem habuit demon, cum ipsa fuerit ab omni peccato libera.

Tertia maledictio fuit ex parte intellectus, nam dicit quod fuit uulneratus et non solum uno uulnere, sed duplici, unde ait Luce decimo, quod: *plagis impositis abierunt*. Fuit autem una  
115 plaga ex parte intellectus, quia per peccatum fuit erroneus. Et sic causatur error in intellectu, a quo uirgo Maria fuit libera, quia nunquam errauit.

---

82: Gn. 30, 23. | 90: cf. Gn. 3, 6. | 93: cf. Gn. 3, 19. | 94: Lc. 10, 30. | 102: Ps. 15, 10. | 106: cf. Lc. 10, 30. | 107: cf. Io. 8, 34. | 114: Lc. 10, 30.

95: cf. Bed., *Exp. In Ev. Lc.*, III, 10. PL 92, 468C. | 97: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, NT, Mt., I. PL 23, 842B. | 99-100: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 68, a. 2, p. 476. | 103: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, III. PL 40, 1144BC. | 110: cf. Q 3, 36; cf. Io. And., *Conf.*, c. XI, p. 212.

94: Descendebat] M, X ascendebat.

Quarta maledictio fuit alia plaga ex parte uoluntatis, scilicet: pronitas ad malum, a qua uirgo fuit libera. Nam semper ipsa habuit inclinationem ad bonum, maxime cum non habuerit fomitem, etcetera.

120 Quinta maledictio fuit expoliatio gratie, et sic dicit quod: *spoliauerunt eum*, scilicet: gratia, a quo uirgo Maria fuit libera. Nam semper gratia fuit uestita et nunquam illa spoliata. Immo sicut Adam et Eua fuerunt spoliati pro se et pro aliis, sic uirgo Maria illam inuenit pro se et pro toto mundo. Patet hoc per Bernardum in sermone super illud "*benedicta tu in mulieribus*":  
 125 «que generalem omnium euasisti maledictionem, ut nec sterilis maneas nec cum dolore parias, concipies quidem, sed sine culpa, grauida eris, sed non grauata, paries, sed non cum tristitia, nescies uirum, sed gignes filium. Illius eris mater cuius est Deus pater». Item Hieronymus in sermone Assumptionis dicit: «tu plus benedicta quam cetere mulieres, quia quidquid maledictionis per Euam diffusum est, totum Marie benedictio abstulit». Et sic dixit ipsa uirgo in cantico: *ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes*. Dicit ex hoc propter  
 130 uerba angeli dicens: *inuenisti gratiam apud Deum*, unde Bernardus in tertio sermone Annuntiationis dicit: «quam gratiam singularem uel generalem? Generalem quod de ipsa plenitudine accipient uniuersi».

Et sic licet uirgo Maria inuenerit gratiam et datorem gratie, ut ad illam recurramus, non solum pro se, sed *benedictionem omnium gentium dedit illi*. Ad hanc igitur in principio sermonis  
 135 recurramus, etcetera.

<THEMA> *Benedictionem omnium gentium dedit illi*, ubi supra.

In presenti sermone due erunt partes. Prima thematis introductiua. Secunda materie sancti Martini declaratiua.

Et pro introductione prime partis notandum quod tres gentes in scriptura legimus.  
 140 Prime fuerunt legis nature. Secunde legis scripture. Tertie legis gratie. Et sic secundum tres leges sic sunt tres gentium distinctiones. Et licet iste dicantur tres leges, melius diceretur una lex differens secundum statum perfectius uel minus perfectum. Nam lex nature erat imperfecta aliquo modo respectu legis scripture, quia decem precepta legis fuerunt de dictamine rationis, ut: *non habebis deos alienos*, etcetera, et: *honora patrem et matrem*. Sed multa  
 145 fuerunt addita in lege scripta et ista eadem magis expressa. Sic etiam de lege scripta respectu legis gratie, nam una et eadem fuit, licet scripta fuerit imperfecta respectu legis gratie. Exemplum: una et eadem scriptura habet tres differentias secundum perfectum et imperfectum. Primo enim signatur et regulatur mediante plumbo scriptura. Secundo, scribitur. Tertio, illuminatur.

150 Sic de lege, primo fuit signata lex nature, de quo signo habetur, Psalmi quarto: *signatum est super nos lumen uultus tui*, domine, etcetera.

Secundo, fuit scripta, Deuteronomii nono: *dedit mihi tabulas digito domini scriptas*.

---

120: cf. Lc. 10, 30. | 123: cf. Lc. 1, 28. | 129: cf. Lc. 1, 48. | 130: cf. Lc. 1, 30. | 134-136: cf. Sir. 44, 25. | 144: cf. Ex. 20, 3; Ex. 20, 12. | 150-151: Ps. 4, 7. | 152: Dt. 9, 10.

124-126: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 7-8. PL 183, 74B-75B. | 127-128: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. PL 30, 127D. | 131-132: Bern. Cl., *In Ann. B. M. V.*, III, 8. PL 183, 396C.

117: Maledictio] M moledictio.

155 Tertio, fuit illuminata et rubricata sanguine Christi, ut tempore legis gratie, unde dicit per  
Isaiam capitulo quadragesimo nono: *in manibus meis descripsi te*, scilicet: in cruce, et penna fuit  
clauus et sanguis atramentum.

Et sic fuerunt iste tres gentium distinctiones.

Prima ad Adam usque ad annum octoginta ipsius Mosi.

Secunda ab illo anno usque ad Christum.

160 Tertia a Christo usque ad finem mundi. Et omnes iste tres distinctiones gentium fuerunt  
maledicte per Ade peccatum, unde Genesis tertio: *maledicta terra in opere tuo*, in qua sententia  
comprehenditur totius mundus. Et licet natura humana in illo fuerit maledicta, unde  
Apostolus ad Ephesios secundo dicit: *eram natura filii ire*. Sed hoc est in quantum natura  
ab Adam erat infecta, sed alique persone habuerunt aliquam benedictionem singularem et  
personalem in quantum fuerunt separate ab illis maledictionibus Ade uel a causa illarum.

165 Et sic in lege nature reperte fuerunt tres benedictiones; in lege scripta alie tres; in lege  
gratie alie tres.

170 Primo, in lege nature, quia Adam peccauerat per infidelitatem. Illi qui fidem habuerunt  
fuerunt benedicti, ut patet in patriarchis, maxime in Abraham, qui fuit primus qui aliquid  
credidit supra naturaliter, ut dicit sanctus Thomas prima secunde, questione centesima  
secunda, quinto ad primum; et in epistola ad Hebreos columna prima, ubi dicit quod  
Abraham fuit primum exemplum fidei tripliciter, scilicet: primo recedendo ab infidelibus,  
primo credendo aliquid supra naturam et primo accipiendo circumcisionem. Et sic dicitur  
Genesis decimo quinto: *credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad iustitiam*.

175 Secunda benedictio fuit humilitas, nam Adam peccauerat per superbiam, et sic illi qui  
fuerunt mites et humiles fuerunt benedicti, ut Iob, etcetera.

Tertia benedictio fuit misericordie, nam Adam peccauerat per auaritiam, et sic qui ab illa  
recesserunt fuerunt benedicti, ut Lot, etcetera.

Item in lege scripta tres benedictiones fuerunt.

180 Primo, quia Adam et Eua peccauerunt per ignorantiam, et sic qui dono intellectus  
floruerunt, ut prophete dicti, fuerunt benedicti.

Secundo, quia si Adam et sua posteritas non peccasset, debebant Deo ministrare, sed  
per peccatum ministrauerunt demoni, et sic qui in lege scripta fuerunt ministri Dei fuerunt  
benedicti, ut sacerdotes leuitici.

185 Tertia fuit regere et gubernare mundum, quam Adam per peccatum perdidit, et sic qui  
sic fuerunt rectores et gubernatores illo tempore fuerunt benedicti, ut summi sacerdotes.

Tertio, in lege gratie fuerunt tres benedictiones.

---

154: Is. 49, 16. | 160: Gn. 3, 17. | 162: Eph. 2, 3. | 173: Gn. 15, 6.

169: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 102, a. 5 ad 1, p. 693; *Sup. Hbr.*, VI, 4, p. 318.

Primo, Adam si non peccasset, fuisset Dei familiaris, qui per peccatum fuit inimicius. Sed illi (qui isto tempore fuerunt familiares Christi) dicti fuerunt benedicti, ut apostoli et discipuli, de quibus dicebat Christus: *iam non dicam uos seruos, sed amicos*, etcetera.

190 Secundo, si Adam non peccasset, omnia illi obedirent et per consequens materia in uirtute Dei illi esset obediens per potentiam obedientialem. Sed per peccatum omnia fuerunt illi rebellia et sic qui isto tempore habuit uirtutem miraculorum fuerunt benedicti.

195 Tertio, Adam et Eua perdiderunt gratiam gratum facientem, sic qui illam recuperauit isto tempore fuit benedictus. Que gratia hoc tempore abundantiori modo fuit data. Et sic omnes iste nouem benedictiones fuerunt in sancto Martino. Nam in illo fuit fides excellens, humilitas et misericordia. Item in illo fuit intellectus donum, quia propheta, ministerium Dei, quia sacerdos, et regimen mundi, quia episcopus. Item habuit maximam Dei familiaritatem et miraculorum uirtutem et gratiam singularem. Et sic cum iste nouem benedictionibus fuerint date illis tribus gentium conditionibus et iste omnes fuerunt date  
200 Martino, recte de illo uerba thematis dici possunt, scilicet: quod *benedictionem omnium gentium dedit illi*. Quo ad primam partem.

Quod autem omnes predicte benedictiones fuerint in beato Martino patet discurrendo per singulas.

205 Primo enim in ipso fuit maxima fides, nam sicut patriarcha Abraham exiuit de terra sua et de cognatione sua propter infidelitatem et heresim, sic beatus Martinus. Quia cum esset de regno Vngarie, in quo regno erant infideles, tunc temporis quando ipse parentes reliquit, quia regnum Vngarie conuersum fuit ad fidem Christi anno domini mille duo predicante Adalberto episcopo. Tunc autem regnabat Stephanus, qui Stephanus Vngarorum rex ad eius predicationem conuersus fuit et omnis populus regni Vngarie ipsum in fide secutus  
210 fuit. Et sic tempore beati Martini nondum Christi fidem acceperat Vngaria et sic, dum pater beati Martini et mater eius in gentilitate et idolatrie permanerent, «Martinus uenit in partes Italie et nutritus fuit in ciuitate Papiensi et dum esset annorum duodecim ad ecclesiam confugit et se fieri cathecuminum postulauit et sic post aliquot dies Christi baptisma suscepit et sic cantat ecclesia sancte trinitatis fidem Martinus confessus est, etcetera. Item  
215 patet quia mediante fide uicit exercitum Iuliani imperatoris, nam cum cesares decreuissent ut ueteranorum filii pro parentibus militarent cum Martinus esset annorum quindecim ad militandum urgebatur et cum post biennium post baptismum militaret, interea irruentibus intra Gallias barbaris Iulianus Cesar contra eos pugnaturus pecuniam militibus erogauit, sed Martinus nolens deinceps militare donatium recipere noluit, sed dixit Cesari: “Christi ego  
220 sum miles, pugnare mihi non licet”. Indignatus Iulianus dixit quod non religionis gratia sed metu belli imminentis militie renuntiaret, cui Martinus intrepidus respondet: “si hoc ignaue non fidei ascribitur, crastina die ante aciem inermis astabo et in nomine Christi signo crucis non clipeo protectus, aut galea hostium cuneos penetrabo securus, unde custodiri iubetur, ut inermis (ut dixerat) barbaris obiiceretur, sed die sequente hostes legationem miserunt sua  
225 omnia seque dantes”. Vnde non dubium est meritis sancti Martini talem uictoriam sine sanguine datum esse et quod credidit obtinuisse per fidem suam maximam, unde propter fidem maximam semper in celum habebat oculos intentos et nunquam ab oratione uacabat. Semper enim uacabat orationi aut lectioni aut sancti operationi, ut dicit Seuerus eius discipulus, sed inter lectionem et operationem semper orabat, nam ponit exemplum

---

189: cf. Io. 15, 15. | 200-201: cf. Sir. 44, 25.

211-231: cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, CLXI, pp. 741-746.

193: Recuperauit] M recuperauit.

230 Seuerus dicens: “sicut fabris ferrariis moris est ut inter operandum pro quodam laboris  
iuuamine incudem uerberant, ita beatus Martinus dum aliquid ageret semper orabat”», ut  
otiosus non esset nec habitum orandi relinqueret, etcetera. Patet etiam eius maxima fides,  
nam ut dicunt doctores, cum suo tempore heresis arriana maxime pulularet ipse inter  
235 ceteros doctores contra illam predicando, fidem Christi exaltabat. Figuratum autem fuit hoc  
in uestis particula, qua Christum uestiuit. Nam sicut in legenda sancti Petri Alexandrini  
habetur, ipse Arrium excommunicauit et degradauit eo, quia ut idem Petrus dixit Aquile et  
Alexandro quod Christus in nocte quadam illi apparuit in ueste conscissa, quam Arrium  
scidisse testabatur, etcetera. Vestis igitur est fides Christi, que non est diuidenda, ut habetur  
in Christi passione. Et sicut Arrius illam diuisit, sic Martinus illam diuisam reintegrauit. Et  
240 sic de illo loquitur Ambrosius in libro Prefationum: «Martinus profani erroris templa  
destruxit, pietatis uexilla erexit», etcetera.

Secundo, in illo fuit benedictio humilitatis, nam cum esset filius tribuni et ipse miles de  
principalioribus, uno solo seruo contentabatur, et illi aliquando ut Christus ministrabat, qui  
dixit: *non ueni ministrari, sed ministrare*, etcetera, Matthei uicesimo. Item patet eius humilitas,  
245 nam cum esset monachus, inuitus episcopatum suscepit et nunquam in cathedra triumphali  
sedebat reputans se esse indignum. Item patet quod dum in ciuitate Parisiensi leprosum  
quendam cunctis horribilem obuium habuisset, ipsum osculatus est atque benedixit  
statimque mundatus est. Cum autem in uestibus humilibus incederet semper: «quadam die  
diabolus in forma regis purpura et diademate et aureis caligis ornatus serena letaque facie  
250 sibi apparuit. Cumque diu ambo tacuissent: agnosce, inquit, Martine, quem colis, Christus  
ego sum descendurus ad terras prius me tibi manifestare uolui. Cum adhuc Martinus  
admirans taceret, rursus ait: Martine, cur dubitas? Crede, cum me uideas, Christus ego sum.  
Tunc ille a spiritu sancto doctus ait: dominus Iesus Christus non se purpuratum et  
diademate renitentem uenturum esse predixit. Ego Christum nisi in eo habitu et forma, qua  
255 passus est nisi crucis stigmata preferentem uenisse non credam. Ad hanc uocem ille  
disparuit et totam cellam fetore compleuit».

Tertio, habuit etiam benedictionem misericordie. Fuit enim multum misericors, nam  
stipendia militie pauperibus erogabat et solum sibi necessaria reseruabat. Ideo dicitur quod  
de crastino non curabat, etcetera. Hoc patet etiam cum: «quadam die pauper nudus ad  
260 Martinum ueniret petens et ipse uellet ad ecclesiam pergere, quia erat magna festiuitas et  
celebrare debebat. Dixit autem et precepit archidiacono ut egentem uestiret, sed cum hoc  
ille facere distulisset, ingressus Martinus in secretum suum tunicam propriam illi prebuit et  
continuo abscondere iussit. Cum ergo archidiaconus moneret ut a solemnia peragenda  
procederet, ille de se loquens respondit se ire non posse donec pauper uestem accipiat.  
265 Archidiaconus uero non intelligens, quia cum extrinsecus capa tectus esset ipsum nullum  
interius non uidebat et pauperem non adesse cernebat, at ille mihi inquit uestis defferatur et  
pauper non deerit uestiendus. Compulsus ille ad forum uadit et quinque argenteis tunicam  
uilem et curtam, que dicitur penula, quasi pene nulla rapiens ante pedes Martini iratus  
proiecit, quam ille secreto indiuit cuius manice usque ad cubitum et longitudo usque ad  
270 genu protendebatur, et sic missam celebraturus procedit. Dum autem missam celebraret  
globus igneus super caput eius apparuit et a multis uisus fuit. Huic autem miraculo addidit  
magister Iohannes Belet, quod, cum in missa manus ad Deum, ut moris est, leuaret  
manicis lineis retro abeuntibus cum nec brachia eius essent grossa nec multum carnosa,  
cum prefata tunica non protenderetur nisi usque ad cubitum, remanserunt brachia nuda.  
275 Tunc miraculose torques aurei et gemmati defferuntur ab angelis et brachia decenter

---

244: Mt. 20, 28.

240-241: Ambrosius] *NI*. cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, CLXI, p. 750. | 248-256: cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, CLXI, pp. 747-748. | 259-276: cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, CLXI, pp. 746-747.



operiuntur». Et propter hoc in tunica misse hodie consuevit ecclesia in manicis ponere aliquid sericum et iuxta talos similiter.

280 Legitur etiam de ipso quod omnes peccatores ad penitentiam recipiebat, et cum demon ipsum de isto facto Martinum reprehenderet ei respondit: «si tu ipse, o miserabilis, ab hominum infestatione desisteres et te factorum tuorum peniteret, ego tibi confisus in domino Christi misericordiam policerer». Non quod demones possint saluari, ut dicit Machometus, sed est conditionalis si ille peniteret, quod est impossibile, misericordiam reciperet, etcetera. Et non solum post baptismum fuit misericors, sed etiam ante, nam: 285 «cum esset cathecuminus in porta Ambiensium uidit pauperem nudum, qui cum a nullo elemosynam recepisset, Martinus hunc sibi seruatum intelligens arrepto ense clamidem, que sibi supererat, diuisit et partem pauperi tribuens reliquam partem rursus induit. Sequenti uero nocte Christum clamidis sue qua pauperem texerat parte uestitum uidit ipsumque ad circumstantes angelos sic loquentem audiuit, Martinus adhuc cathecuminus hac me ueste contextit». Et sic illi fuit ad maximum meritum computatum, unde Ambrosius in libro 290 Prefationum dicit: «o felix largitas quam diuinitas operatur! O clamidis gloriosa diuisio, que militem texit et regem! Quid erit pro oblatione integri corporis recepturus, qui pro quantitate uestis exigue uestire Deum meruit et uidere?». Hec ille.

295 Sed contra: cum opera facta in peccato non sint meritoria, quia sunt mortua, ut dicunt doctores, iste ante baptismum erat in peccato originali, igitur, etcetera. Dicendum quod Martinus iam erat baptizatus baptismo flaminis, quia erat iam in proposito christianus. Sed nullus christianus cessare debet ab opere bono, licet aliquantulum sit in peccato mortali, nam illa opera ualent ad multa.

Primo, ad consequendum bona temporalia.

Secundo, disponunt ad gratiam.

300 Tertio, assuefactionem bonorum operum. Hec sanctus Thomas in quarto, distinctione decima quinta, questione prima, articulo tertio, questione quarta, obiectione. Item dicit in secundo, distinctione uicesima septima, quod: «talía opera habent honestatem, iocunditatem et pulchritudinem», etcetera.

305 Dimissis igitur omnibus aliis causa breuitatis, quod Martinus habuerit benedictionem omnium gentium patet quia omnes gentes fuerunt diuise in tres status, scilicet: secularium, regularium et pastoralium. Nam quia omnes doctores dicunt: «diuisionum omnium in incipientium, proficientium et perfectorum». Et sic Christus in ecclesia sua habuit istos tres status, scilicet: secularium, que fuit multitudo in eum credentium; regularium, qui fuerunt septuaginta duo discipuli; pastoralium, qui fuerunt duodecim apostoli.

310 Primo, igitur Martinus habuit benedictionem in statu secularium, qui est incipientium, qui stat in tribus. Primo, applicari Christo per baptismum. Secundo, surgere a peccato. Tertio, subuenire pauperibus.

---

313: Prv. 10, 6.

279-281: cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, CLXI, p. 746. | 284-289: cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, CLXI, pp. 741-742. | 290-292: cf. Ambr., *Lib. Praef.*, 459. *CCSL* 161A, p. 125; cf. *CCSL* 161B, pp. 217-218. | 300: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 8), lib. 4, dist. 15, q. 1, a. 3, p. 162. | 302-303: Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 4), lib. 2, dist. 27, q. 1, a. 4, p. 346. | 306-307: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 183, a. 4, p. 1062.

De primo, habetur Prouerbiorum decimo: *benedictio Dei super caput iusti*. Et sic beatus  
 315 Martinus dum esset decem uel duodecim annorum iuit in ecclesiam et fecit se fieri  
 cathecuminum, ut diximus, et anno decimo octauo a sancto Hilario baptismum recepit.

Secundo, fugere a peccato non recipiendo aliena habuit Martinus. Cum esset in habitu  
 militari, a quo quasi omnes aliena rapiunt, iste uero iam monasticam ducebat uitam.

Tertium etiam habuit, scilicet: quod non solum non recipiebat aliena, sed sua libenter  
 320 dabat pauperibus. De his duobus habetur Ecclesiastici tricesimo primo: *beatus uir qui potuit  
 transgredi et non est transgressus, facere malum et non fecit*. Et infra: *beatus uir qui post aurum non abiit*,  
 etcetera.

Secundo, habuit benedictionem regularium, quia sanctissimam uitam in monastica uita  
 duxit. Vide latius.

Tertio, habuit benedictionem in statu perfectorum, quia fuit electus in episcopum  
 325 miraculose monasteria edificando, predicando qui non solum in ecclesiis predicauit, sed in  
 deserto etiam, ut patet de latrone a quo in Alpibus captus fuerat, quem sua predicatione ad  
 Christum conuertit.

Et sic patet quod in isto statu habuit benedictionem perfectorum, quod patet quia in  
 330 apostolis hec benedictio fuit, quia mediante doctrina Christi et gratia miraculorum omnes  
 gentes relinquendo errores ad fidem Christi conuerterunt. Sic beatus Martinus populos ab  
 errore Arriano sua predicatione liberauit et benedictionem multorum miraculorum obtinuit  
 et tres mortuos suscitauit. Et ideo cantat de eo ecclesia: “Martine, par apostolis”, etcetera.  
 Quia uitam apostolicam perfectissime duxit et non solum fuit similis apostolis, sed fuit  
 335 etiam similis uirgini Marie perfectissime. Nam sicut ipsa ex parte sue pretiosissime carnis  
 uestiuit filium Dei, sic Martinus ex parte sue clamidis uestiuit etiam Christum et sicut in  
 uirgine fuit illa maxima benedictio, scilicet: uestire Christum carne sua, sic in beato Martino  
 uestire Christum in uita presenti suo habitu.

Et sic patet quod fecit plus quam ceteri apostoli, nam illi solum impleuerunt illud  
 340 Christi: *qui habet duas tunicas det unam non habenti*, Luce tertio; iste uero de una tunica dedit  
 medietatem Christo, quod est magis.

Et sic patet quod non solum in uita, sed etiam in morte habuit benedictionem omnium  
 gentium. Nam non solum in uita habuit frequentationem uisionis angelorum, a quibus  
 sepius consolabatur, uerum etiam in transitu de hoc mundo ad celum, qui fuit anno domini  
 345 quadringenti octoginta sex, uite eius octogesimo primo, episcopatus autem tricesimo sexto,  
 quia sanctus Seuerus episcopus Coloniensis post matutinum audiuit choros angelorum  
 animam beati Martini defferentes ad gloriam, quam nobis concedere dignetur ille Dei filius,  
 etcetera. Amen.

---

319-321: Sir. 31, 8-10. | 339: Lc. 3, 11.

SERMO CENTESIMVS VICESIMVS QVARTVS IN DOMINICA VICESIMA QVARTA ET  
PENVLTIMA POST PENTHECOSTES

<THEMA> *Tetigit fimbriam uestimenti*, Matthei nono.

Originaliter recitatiue, etcetera.

5 Sententia est catholicorum doctorum quod Christus habuit tria genera uestimentorum, scilicet: uestem que fuit diuisa tempore passionis, ut habetur Iohannis decimo nono: *milites autem diuiserunt uestimenta in quattuor partes*. Et multi tenuerunt quod fuit uestis propinqua carni hec, sed alii et uerius dixerunt quod fuit palium exterius. Et sic dixit episcopus  
10 Valentinus Iacobus christopolitanus super Psalmum uicesimo primo. Quod autem fuerit, sic patet tripliciter.

Primo, si tunica propter carnis Christi propinquitatem non permissum fuit ut diuidiretur nec rumperetur, si illa esset propinquior, a fortiori non fuisset permissum rumpi.

15 Secundo, patet quia consuetudo erat in Syria Palestina quod portarent supra tunicam palium. Sed cum Christus uestitus fuerit secundum consuetudinem communem hominum, sicut uitam duxit communem, sequitur quod sic incedebat.

Tertio, quia in missa representantur uestes et indumenta Christi, sed supra tunicam est uestimentum admodum mantelli et palii, igitur, etcetera. Quia ista instituta fuerunt instinctu spiritus sancti, sequitur esse uerum.

20 Secundum, Christi uestimentum fuit tunica inconsutilis, de qua etiam Iohannis decimo nono habetur quam non diuiserunt, sed sortiti fuerunt. Et sic de his duabus habetur in Psalmo uicesimo primo: *diuiserunt sibi uestimenta mea*, quo ad primum, et ponitur in plurali propter multas partes illius, *et super uestem meam miserunt sortes*, quo ad secundum.

25 Tertium fuit caro Christi, que diuinitatem et animam tegebat, unde dicit Iob decimo capitulo: *pelle et carnibus uestisti me*, etcetera. De ista habetur Genesis quadragesimo nono, quando Iacob benedixit filios, dum fuit ad Iudam, de quo Christus descendere debebat, dicit: *non auferetur sceptrum de Iuda*, etcetera, et ut notaret quod ille erat passurus dicit: *lauans in uino stollam suam et in sanguine uue palium suum*, scilicet: carnem. Item Isaie sexagesimo tertio, querunt angeli in ascensione Christi: *quis est iste qui uenit de Edom*, etcetera? *quare rubrum est indumentum tuum et uestimentum tuum, quasi calcantium in torculari*, etcetera? Item Apostolus ad  
30 Philippenses secundo: *in similitudinem hominum factus et habitu inuentus ut homo*. Sed uestis prima scissa significat Christi passionem; tunica ecclesiam, pro qua passus fuit, humanitas subiectum passionis et secundum quam passus fuit. Omnes iste uestes habuerunt fimbrias suas, nam ut habetur Numeri decimo quinto, fimbrie erant uincte posite in uestibus ad quattuor angulos. Et sic prima uestis passionis habuit quattuor fimbrias, que fuerunt  
35 termini passionis.

Prima ante in oriente.

Secunda retro in occidente.

---

3: Mt. 9, 20. | 6-7: Io. 19, 23. | 19: cf. Io. 19, 24. | 21-22: Ps. 21, 19. | 24: Iob. 10, 11. | 26-27: Gn. 49, 10-11. | 28-29: Is. 63, 1-2. | 30: Phil. 2, 7. | 33: cf. Nm. 15, 38.

9: Iac. Val., *Exp. Psal.*, XXI, p. 225.

3: Vestimenti] M bestimenti.

Tertia ad dexteram in meridie.

40 Quarta ad sinistram in septentrionem. Ideo Christus pro toto mundo passus fuit, unde prima Iohannis secundo dicitur: *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi*. Secunda uestis inconsutilis habuit quattuor uinctas iacentinas materialiter, sed spiritualiter in quantum ecclesiam significabat. Fuerunt quattuor euangelia uel significabant quattuor celos ecclesie, cum essent de colore celesti.

45 Primum celum est planetarum, nam sicut septem planete gubernant mundum, sic septem sacramenta ecclesiam.

Secundum celum fuit stellatum, significat perfectiones beatorum, unde Apostolus prima Corinthiis decimo quinto: *stella differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum*.

Tertium celum fuit crystalinum significans puram uitam christianorum.

Quartum empireum significans locum beatitudinis.

50 Tertia uestis humanitatis habuit quattuor fimbrias, que fuerunt quattuor plenitudines gratiarum. Prima gratie gratis date in Christo. Secunda gratia singularis persone. Tertia gratia capitis. Quarta gratia unionis. Omnes iste uestes fuerunt plene gratie ex redundantia plenitudinis Christi, nam Iohannis primo: *plenum gratia et ueritatis*, et Iohannis tertio: *non est ei datus spiritus ad mensuram*. Igitur sicut in uase, in quo non ponitur liquor ad mensuram, sed  
55 super abundanter impletur, non solum uas sed etiam latera uasis unguuntur illo liquore, sic fuit in Christo, in quo non spiritus datus ad mensuram. Quod non solum anima eius, sed omnia uestimenta fuerunt repleta gratia. Nam sicut gloria redundauit in omnes uestes Christi in die transfigurationis, quia *resplenduit facies eius sicut sol et uestimenta eius facta sunt alba sicut nix*, sic gratia redundauit in omnes uestes. Figura huius habetur Genesis secundo  
60 capitulo: *fluuus egrediebatur de loco uoluptatis et diuidebatur in quattuor capita*. Ille fluuius erat diuinitas, a qua quattuor capita egrediebantur, scilicet: tres uestes et anima gloriosa eius. Et sicut ex ueste odorifera acquiritur odor in illo qui illam tangit, sic gratia fuit habita ex  
65 contactu illorum uestimentorum, et qui tetigit habuit gratiam et qui magis maiorem gratiam. Vnde si consideramus humanitatem, quia apostoli frequentius illam tangerunt, sicut Magdalena pedes osculando et ceteri apostoli illam tangendo, ut sanctus Thomas, unde Luce sexto: *uirtus de illo exibat et sanabat omnes*. Et alii qui dominum osculabantur, ut Iudas fecit, qui secundum consuetudinem, illos recipiebat ad osculum pacis, sic illi maiorem gratiam obtinuerunt, unde Apostolus Iohannes dixit in sua canonica, prima Iohannis primo: *quod uidimus, quod audiimus, etcetera, et manus nostre contrectauerunt*. Et sic maiorem gratiam.  
70 Ideo dicit Apostolus ad Romanos octauo: *nos ipsi primitias spiritus habentes*, etcetera. Secundo, ille Longinus, qui illam uestem scissam cum lancea tetigit, uisum recepit uel quo ad corpus, ut multi contemplatiui dicunt, uel quod uerius est, etiam quo ad animam. Nam ex tunc fuit per gratiam sic illuminatus quod pro Christo in Cesarea Capadocie fuit passus et uerus martyr effectus decima quinta martii ab Octauiano Cesare. Etiam in tactu, tres uestis fuit  
75 habita gratia, ut patet de ista matrona quam recitat euangelium hodiernum, et etiam Matthei decimo quarto, ubi dicitur: *quicumque fimbriam tangebant salui facti sunt*, etcetera. Vnde fiat ratio talis: si quotquot uestimenta tangerunt, gratiam receperunt, illa persona que frequentius et singularius illa uestimenta tetigit excellentius gratiam recepit, sed uirgo Maria fuit hec, igitur, etcetera. Vnde si illa que tractat uestem odoriferam reportat secum odorem  
80 intantum quod si frequenter tractat etiam pro aliis odorem reportabit, ut dicit Bernardus in

---

40-41: I Io. 2, 2. | 47: I Cor. 15, 41-42. | 53: Io. 1, 14. | 53-54: Io. 3, 34. | 58-59: cf. Mt. 17, 2. | 60: Gn. 2, 10. | 66: Lc. 6, 19. | 69: I Io. 1, 1. | 70: Rm. 8, 23. | 76: Mt. 14, 36.

euangelio de nuptiis de pomo: «qui eum portauerit pomi seruabit odorem», etcetera. Et si illam tangent in se odorem habebunt, sic fuit de uirgine Maria. Nam illa frequentibus et mirabilibus illas uestes tetigit et contractauit. Virgo autem Maria primo tetigit illud uestimentum exterius, quod in quattuor partes fuit diuisum, nam ipsa dedit pannum pro illo  
85 et consensit et ei placuit quod scinderetur pro ueste filii. Sic mulier que habet pretiosum pannum, licet uellet quod non scinderetur, sed pro amore filii uult et consentit quod diuidatur, sic uirgo Maria ipsa dedit pannum pro palio filii et placuit ei quod scinderetur non solum sic, sed sicut dedit pannum palii illius qui diuisus fuit, sic dedit pannum  
90 passionis Christi, scilicet: carnem. Et licet multum illam amaret, sed placuit ei quod pro salute totius mundi scinderetur et pro filii honore, quia ut dicit Apostolus ad Philippenses secundo: *obediens patri usque ad mortem*, etcetera, *propter quod et Deus exaltauit illum et dedit ei nomen quod est super omne nomen*, etcetera. Tetigit autem non solum uestimentum passionis, quia ut dicit Symeon: *tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Tetigit fimbrias huius uestimenti, que fuerunt quattuor anguli mundi, ad quos fuit passio extensa, sic fama uirginis. Nam si de  
95 apostolis dicitur: *in omnem terram exiuit sonus eorum*, Psalmi decimo octauo, sic predicando articulos fidei de necessitate famam uirginis debebant predicare, saltem quo ad articulos humanitatis, nam predicabant quod conceptus fuit ex sola matre. De necessitate matrem debebant exprimere, si quod natus fuit de uirgine etiam illam debebant exprimere, etcetera. Non solum autem quo ad famam, sed quo ad misericordiam tetigit fimbrias, id est,  
100 terminos totius mundi, unde Bernardus in sermone: «quis misericordie tue, o uirgo beata, longitudinem, latitudinem, profunditatem et sublimitatem queat inuestigare? Longitudo eius replet orbem terrarum», etcetera. Item tetigit uestem inconsutilem, nam ipsa non permisit quod aliquis artifex poneret in illa manum, sed illam filauit, texuit, etcetera, ut pastor facit in suis caligis. Etiam fimbrias huius uestis tetigit quod illas manibus propriis suit, si  
105 materialiter sumitur. Sed in quantum tunica significat ecclesiam, quattuor fimbrias illius tetigit in quantum euangelia, non solum quo ad precepta, sed quo ad consilia impleuit, uel si ut erant iacintine, id est, coloris celestis, dico quod illa tetigit.

Nam prima fimbria significans celum planetarum, id est, gubernationem ecclesie, fuit ab ea tacta. Quia ascendente Iesu in celum ei fuit commissa, ut Hieronymus in sermone  
110 Assumptionis ad Paulam dicit: «ascendente Iesu in celo uirgo Maria remanet cum apostolis in schola uirtutum». Et sic ipsa fuit presidens ecclesie in missione apostolorum.

Secunda fimbria, que fuit celi stellati, quod significabat excellentias beatorum. Omnes ille fuerunt in uirgine excellentes et etiam ipsa supra omnes beatos et ceteri beati ipsa mediante.

115 Tertia, qui celum christallinum significabat, scilicet: puritatem uite christianorum, excellentius fuit in uirgine et sic fuit christallina, id est, mater Christi, ut dicit Ignatius quod fuit «christifera», etcetera.

120 Quartum celum, scilicet: locus beatorum, excellentius fuit a uirgine possessum, quia in illo altiorem locum obtinuit, unde ecclesia dicit: «exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum», etcetera.

---

91-92: Phil. 2, 8-9. | 93: cf. Lc. 2, 35. | 95: Ps. 18, 5.

81: Bern. Cl., *Dom. Pri. Post Oct. Epi.*, I, 2. PL 183, 155C. | 100-102: Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429A. | 110-111: Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 4. PL 30, 125D. | 117: cf. Ign., *Prol.*, II, 4, 2. PG 5, 554A. | 119-120: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Anti. unde supra. In primo nocturno. PL 78, 798D; cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 7. PL 30, 129B.

Tertiam uestem tetigit et contractauit, scilicet: carnem, quia ipsam uerbo Dei dedit et spiritu sancto ministravit et in uentre nouem mensibus habuit et pluries in manibus tenuit. Et non solum uestem, sed fimbrias illius tetigit:

primo plenitudinem gratie gratis date.

125 Secunda fuit gratia personalis, nam post personam Christi maior gratia singularis persone fuit in uirgine quam in aliqua aliarum.

Tertia gratia unionis, que facta fuit in uentre sacratissimo suo et hec sola inter puras creaturas actiue cooperata fuit, saltem ad preparationem materie, ut dicit sanctus Thomas in tertia parte.

130 Quarta fuit gratia capitis, que per eam tamquam per collum in ecclesiam fuit deriuata, unde Canticorum quarto de ea dicitur: *collum tuum sicut turris Dauid, mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Et sic arma gratia pro tota ecclesia a capite Christo per ipsam tamquam per collum deriuata fuerunt. Igitur sicut illa mulier que frequentissime uestem

135 tangeretur, ille odorem ab illa acquireret, sic fuit uirgo Maria. Nam qui ad illam per deuotionem applicatur habet in se odorem gratie, unde ecclesia dicit de ea: *in odorem unguentorum tuorum currimus*, etcetera. De isto dicebat Dauid, Psalmi centesimo tricesimo secundo: *sicut unguentum in capite*, scilicet: in Deo, *quod descendit in barbam*, etcetera, scilicet: in

140 Christum, qui figurabatur in Aaron, quia fuit *sacerdos in eternum*, et immediate hoc unguentum gratie descendit in Christum. Vnde de eo habetur Psalmi quadragesimo quarto: *dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem propterea unxit te Deus, Deus tuus*, etcetera. Item dixit quod: *descendit in oram uestimenti*, scilicet: in carnem (quod fuit instrumentum coniunctum, ut dicit Damascenus) *sicut ros Hermon*, id est, ecclesie, *qui descendit in montem Sion*, id est, in uirginem, que fuit persona excellentior ecclesie post caput.

145 Et sic uirgo recepit gratiam pro se et pro nobis excellenter, quia ipsa singulariter *tetigit fimbriam uestimenti*. Ad hanc igitur, etcetera.

<THEMA> *Tetigit fimbriam uestimenti*, ubi supra.

150 Due erunt partes. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda sancti euangelii expositiua. Sed pro prima parte ponuntur duo conclusiones. Prima quod nullus unquam potuit curari ab infirmitate peccati nisi per contactum fimbrie Christi. Secunda conclusio quod ad salutem anime non sufficit contactus quantitatis, sed de necessitate requiritur contactus uirtutis.

Prima conclusio probatur tripliciter, scilicet: ratione, auctoritate et exemplo.

155 Ratio sumitur a Doctore Subtili in tertio, distinctione uicesima quinta, dicens sic: «sicut anima non est accepta a Deo nisi ornetur in uoluntate per charitatem», sic nisi ornetur per fidem in intellectu, sed semper fuit necessaria charitas, igitur et fides.

---

131-132: Ct. 4, 4. | 136-137: cf. Ct. 1, 3. | 138: Ps. 132, 2. | 139: Ps. 109, 4. | 141: Ps. 44, 8. | 142-143: cf. Ps. 132, 2-3. | 145-147: cf. Mt. 9, 20.

128: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 27, a. 1, p. 204. | 143: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, III, 26-27. PG 94, 1094B-1098B; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 62, a. 5, p. 481-482. | 154-155: cf. Dun. Scot., *In Lib. Sent.* (vol. 15), III, dist. 25, q. 1, p. 58.

131: Canticorum] M Canticorum. | 140: Te] M de. | 142: Coniunctum] M conuinctum.

Si dicis: sicut charitas fuit de Deo, sic fides, et sic necessarium fuit credere in Deum et non in mediatorem. Ad hoc dicit doctor predictus quod: «sicut creator est principium  
 160 essendi in natura integra, sic recreator in natura lapsa». Sed semper fuit necessarium credere creatorem a principio nature, igitur sic fuit necessarium credere reparatorem post lapsum naturam. Nam sicut membrum separatum non potest uiuificari nisi coniungatur uirtuti capitis, sic nec reparari nec uniri nisi coniungatur quis reparatori per fidem, igitur, etcetera.

Si dicis contra: angeli sunt superiores nobis, sed illis mysterium reparatoris fuit absconditum ante aduentum, ut dicit Apostolus ad Ephesios tertio, igitur et nobis. Nam  
 165 dicit Apostolus quod etiam fuit illis reuelatum. Dicendum quod, ut dicit sanctus Thomas, secunda secunde, questione secunda, septimo ad primum: «de mente Augustini super Genesim ad litteram, quod angeli aliqua sciuerunt de isto mysterio, quedam tamen huius mysterii perfectius cognouerunt Christo reuelante». Sed Scotus, ubi supra, dicit ad hoc  
 170 argumentum quod licet angeli fuerint superiores quo ad naturam, non autem quo ad gratiam et gloriam, quia aliqua persona maiorem gratiam et gloriam habuit quam aliquis angelorum, ut puta, illa que loco primi angeli fuit collocata, quod etiam manifestum est de uirgine Maria, de qua cantat ecclesia quod: «super choros angelorum fuit collocata». Sed licet communiter prius illuminetur angelus quam homo, sed non est necessarium, quia potest reuelatione et infusione aliter esse quam per angelum. Et quando reuelatio fit per  
 175 angelum, clarum est quod prius habet illam angelus, ut Gabriel habuit primo notitiam incarnationis quam uirgo Maria; sed quando fit alio modo, non est necessarium et etiam aliquando in reuelatione angeli perfectius agnoscit illud persona cui reuelatur, ut patet de modo concipiendi in Maria. Exemplum: si quis mittit nuntium cum litteris et nuntius scit illud in genere, sed in litteris mittit cifras particulariter de mysterio et illas legit solum  
 180 persona cui mittitur nuntius. Sic in proposito fuit de angelo Gabriele et uirgine Maria, nam quando dixit: *quomodo fiet istud? Quoniam uirum*, etcetera, dicit Bernardus in persona angeli: «non me interrogas, uirgo beata, quia solum illi hoc totum est nosse, cui datus est experiri», scilicet: tibi, etcetera. Et sic aliqua fuerunt reuelata uirgini, que angelo non fuerunt reuelata.

Sed contra: nullus obligatur ad impossibile, sed multi pueri parui salui facti fuerunt, quibus erat impossibile habere fidem de redemptore, cum usum liberi arbitrii non haberent, igitur, etcetera. Dicendum quod illi tales saluati fuerunt in fide suorum parentum, nam  
 185 reputabantur idem cum illis, sicut de arbore et fructus est. Et sic per sacrificia uel oblationes saluabantur ante circumcisionem et etiam tunc in mulieribus iudeorum; gentilium autem per oblationes uel sacrificia, etcetera, sed semper in fide parentum. Nam illa sacrificia a fide habebant efficaciam, quia sicut peccatum originale fuit introductum a  
 190 parentibus primis sine arbitrio pueri, sic potest tolli mediantibus parentibus.

Si dicis: ex quo puer natus est iam est extra arborem, nam tunc iam habet angelum custodem distinctum a matre, etcetera. Dicendum quod sicut fructus dupliciter est in  
 195 arbore: uno modo intra arborem antequam uideatur et tunc non potest damnum recipere fructus nisi damnificetur arbor; alio modo quando iam fructus manifeste uidetur et tunc potest damnum recipere fructus sine arbore et econuerso, sic de filiis est dicendum. Quando filius stat intra uterum matris et non uidetur manifeste, tunc angelus, qui matrem custodit, custodit etiam filium. Sed quando iam extra uterum apparet, datur ei angelus

---

164: cf. Eph. 3, 5. | 181: cf. Lc. 1, 34.

158-159: cf. Dun. Scot., *In Lib. Sent.* (vol. 15), III, dist. 25, q. 1, p. 79. | 166-168: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 2, a. 7 ad 1, p. 27; cf. Aug. Hipp., *De Gn. Ad Lit.*, V, 19, 37. PL 34, 334C. | 168: cf. Dun. Scot., *In Lib. Sent.* (vol. 15), III, dist. 25, q. 1, pp. 79sq. | 172: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Anti. unde supra. In primo nocturno. PL 78, 798D. | 182: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, IV, 4. PL 183, 81B.

200 proprius, quia tunc damnum potest recipere in corpore sine matre. Sed antequam habeat usum liberi arbitrii, est in potestate patris, sicut fructus antequam colligitur, et sic potest per uoluntatem parentum saluari, etcetera.

Sed quid dicendum de illo qui non habet patrem aut matrem, qui esset natus in silua et mortua matre uiueret in illa sine aliqua alia cognitione? Dicit Scotus quod si faceret quod in  
 205 se esset, Deus illi reuelaret modum salutis et crederet in creatorem et reparatorem, licet implicite, scilicet: quod Deus illum saluaret secundum modum et uoluntatem sibi placitam. Et sic omnes qui saluati fuerunt crediderunt in Christum aut per se aut per alium, et aut implicite aut explicite. Vnde notandum quod fides fuit in populis diuersa quo ad  
 210 explicationem, nam populus gentilis non tenebatur ad fidem explicitam tantum quantum populus iudaicus, quia huic data fuit lex et prophete, etcetera, illis autem non, unde Psalmi centesimo quadragésimo septimo: *non fecit taliter omni nationi et iudicia sua non manifestauit eis*. Et sic populus christianus tenetur magis explicite credere ea que sunt mediatoris quam aliquis aliorum populorum, quia iam uenit Christus et predicauit et docuit, etcetera. Et sicut est differentia inter populos, sic est differentia inter personas populorum, nam maiores in  
 215 quolibet populo tenebantur magis explicite credere quam minores. Vnde: «in populo gentili maiores habuerunt clariorem reuelationem, unde Iob decimo nono: *credo quod redemptor meus uiuit*, etcetera. Item Sibylle multa cognouerunt de Christo per reuelationem, ut dicit Augustinus in libro decimo octauo De Ciuitate Dei, capitulo uicesimo tertio. Etiam in historiis romanorum inuentum fuit corpus auream laminam habens in pectore, in qua  
 220 scriptum erat: “Christus nascetur ex uirgine et credo in eum, o sol, sub Helene et Constantini temporibus iterum me uidebis”. Et licet populares non haberent reuelationem, cum habuerunt fidem implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos», ut dicit sanctus Thomas, secunda secunde, questione secunda, articulo septimo ad tertium. Similiter est dicendum de populo iudaico,  
 225 nam in illo maiores, ut patriarche uel prophete uel sacerdotes, magis explicite tenebantur credere quam populares, sic etiam dicendum est in populo christiano.

Sed dicit Scotus contra: cum equaliter obligemur in baptismo, sequitur quod unus non tenetur magis explicite credere quam alter. Dicendum quod uerum est secundum illam obligationem baptismi, sed sine illa tripliciter aliquis tenetur magis explicite credere quam  
 230 alter. Exemplum: quis potest esse debitor alicuius rei duplici respectu, unde Ambrosius super “*beati immaculati*” dicit: «creando me mihi dedit, redimendo semet ipsum dedit et me mihi reddidit».

Primo, si maiora fuerint illi reuellata.

Secundo, si curam acceperit animarum.

235 Tertio, si officium sumpserit predicandi et exponendi. Nam si illi datus est intellectus maior, cum fuerit gratia gratis data in populi utilitatem, debet laborare ut explicitam fidem declaret, uel officium non sumat talem, etcetera.

---

211: Ps. 147, 20. | 216-217: Iob. 19, 25. | 231: cf. Ps. 118, 1.

204: cf. Dun. Scot., *In Lib. Sent.* (vol. 15), III, dist. 25, q. 2, p. 232. | 215-223: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>a</sup><sup>e</sup>, q. 2, a. 7 ad 3, p. 27. | 218: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XVIII, 23, 1. PL 41, 579A. | 227: cf. Dun. Scot., *In Lib. Sent.* (vol. 15), III, dist. 25, q. 2, p. 232. | 231-232: cf. Ambr., *Exp. In Psal. CXVIII*, XVI, 40. PL 15, 1438A.

216: Decimo nono] M, X uicesimo.



Secundo, probatur conclusio auctoritate Augustini, capitulo in Enchiridion penultimo  
 240 Item idem De Correctione et Gratia dicit: «illa fides sana est, qua credimus nullum  
 hominem siue maioris siue parue etatis liberari a contagio mortis et obligatione peccati, nisi  
 per unum mediatorem Deum et hominem Iesum Christum». Item probatur auctoritate  
 Hugonis, De Sacramentis, libro primo, parte decima, capitulo quinto. In ista conclusione  
 conueniunt omnes doctores, scilicet: Thomas, Bonaventura, Scotus, Alexander, etcetera.

245 Tertio, probatur conclusio exemplo: quando in aliqua ciuitate uel regno esset unus  
 medicus qui sciret aliquam maximam infirmitatem curare, solum curaret qui consideret de  
 salute ab eo, quia ex illa fide uel iret ad medicum uel mitteret aliquem nuntium ad illum.  
 Sed in mundo non fuit medicus peccati originalis uel aliorum nisi solus Christus, unde  
 250 Apostolus de Iesu dicit, Actuum quarto: *non est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo  
 oporteat nos saluos fieri*. Et sic solus iste poterat sanare, nam de illo loquens Hieremias decimo  
 septimo dicit: *domine, omnes qui te derelinquunt confundentur recedentes a te in terra scribentur quoniam  
 dereliquerunt uenam aquarum uiuentium dominum, sana me, domine, et sanabor, saluum me factum et  
 saluus ero*. Quasi dicat: quia nullus alius est medicus potens sanare, etcetera. Et sic, nisi  
 infirmus applicetur et incorporetur medico, non potest sanari. Sed hoc non fit per  
 255 contactum realem uel quantitatis et quantitatis, quia tunc crucifixo- res Christi  
 incorporarentur illi, quod non fuit, cum in illo non crederent. Et sic requiritur contactus  
 uirtutis, scilicet: fidem, qua efficiuntur christiani. Et non sufficit quod per fidem tangant  
 Christum, sed opus quod fimbriam passionis et crucis tangant, nam Machometus tetigit  
 aliquid Christum fide credendo esse a Deo et esse sanctissimum prophetam, sed non  
 260 tetigit fimbriam crucis. Et sic quicumque post peccatum saluatus fuit *tetigit fimbriam  
 uestimenti*. Quo ad primam partem.

Secunda pars euangelii, in quo duo sunt uidenda. Primum quod licet Iudea primo uocata  
 fuerit ad Christum, tamen ultimo tanget fimbriam uestimenti eius. Secunda econuerso, licet  
 gentilitas fuerit postremo uocatum, tamen primo tetigit fimbriam, etcetera.

265 Primum patet quia Iudea fuit uocata per legem, per prophetas, per Christi  
 predicationem, nam ipse dixit mulieri gentili: *non sum missus nisi ad oues que perierunt domus  
 Israhel*, scilicet: principaliter, uel ad oues fuit missus, quia illi populo promissus et datus, sed  
 pro toto mundo uenit ad illum. Ex quo sequitur quod primi uocati per illum fuerunt iudei.  
 Item per apostolos fuerunt uocati, unde Christus dixit illis, Matthei decimo: *in uiam gentium  
 270 ne abieritis et in ciuitates samaritanorum non intrabitis, sed potius ite ad oues que perierunt domus Israhel*,  
 Matthei decimo.

Secundo, fuerunt uocati gentiles per apostolorum predicationem, unde ultimo dixit illis  
 Iesus: *ite in mundum uniuersum et predicate euangelium omni creature*, etcetera, Marci decimo sexto.  
 Item Actuum decimo tertio dicit Paulus iudeis: *uobis oportebat primum loqui uerbum Dei, sed  
 275 quoniam repellitis illud et indignos uos indicatis eterne uite, ecce conuertimur ad gentes*, etcetera. Sed de  
 conuersione fuit econuerso, quia primo conuersus fuit populus gentilis. Sed nota quod aut  
 loquimur de aliquibus personis aut de populo. Si de personis, primo conuersi fuerunt iudei  
 ad Christi predicationem, ut duodecim apostoli, septuaginta duo discipuli et multi alii  
 credentes, ut Lazarus, Magdalena, Martha, etcetera. Si autem loquimur de populis, primo

249-250: Act. 4, 12. | 251-253: Ier. 17, 13-14. | 260-261: Mt. 9, 20. | 266-267: Mt. 15, 24. | 269-270: Mt. 10,  
 5-6. | 273: Mc. 16, 15. | 274-275: Act. 13, 46.

239: Aug. Hipp., *Ench.*, CXVIII, 31. *PL* 40, 287D. | 240-242: cf. Aug. Hipp., *Ep.*, CXC, 2, 5. *PL* 33, 858D; cf.  
 Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 2, a. 7, p. 26. | 243: cf. Hug. Vic., *De Sac.*, I, 10, 5. *PL* 176, 333D-334D.

265: Vocata] M uocota.

280 populus gentium, de quo Psalmi decimo septimo: *populus quem non cognoui seruiuit mihi, in  
 auditu auris obediuuit mihi*. Sed de iudaico dicit: *conuertetur ad uesperam et famem patientur, ut canes,*  
 etcetera, Psalmi quinquagesimo octauo. Item Apostolus ad Romanos undecimo: *dum*  
*introierit plenitudo gentium, tunc Israhel saluus fiet*. Hoc autem tangetur in euangelio loquente  
 Iesu ad turbas esse princeps unus adorauit eum dicens: *filia mea modo defuncta est*, etcetera.  
 285 Dum esset Iesus in ciuitate Capharnaum predicando, uenit ad eum princeps synagoge, ut  
 dicit Marcus quinto capitulo et Lucas octauo capitulo, et secundum eos dicebatur Iayrus.  
 Nam iudei solum habebant unum templum in Hierusalem in quo poterant immolare et  
 sacrificare, sed in aliis locis et ciuitatibus habebant synagogas ad orandum, sicut inter  
 christianos est ecclesia metropolitana, in qua est episcopus constitutus et in illa consecratur  
 290 chrisma, in aliis est principalis aliquis prior uel rector. Sic in proposito, in Hierusalem erant  
 pontifices et maior illorum erat summus pontifex, sed in aliis ecclesiis sunt sacerdotes et  
 principalis est prior uel decanus, etcetera. Et sic erat iste principalis illius synagoge in  
 Capharnaum, etcetera. Dixit: “filia mea modo mortua est”, sed alii euangeliste non dicunt  
 quod dixerit esse mortuam, sed Marcus dicit quod dixit ille quod erat in extremis; Lucas  
 295 dicit illum dixisse quod incipiebat mori. Ad quod dicendum quod parum distat pro nihilo  
 habetur uel quod putabat ipse iam esse mortuam, quia dum recessit a domo, illam  
 dimittebat in extremis, uel sicut dicit Chrysostomus, consuetudo supplicantium est  
 propriam augere miseriam. Sed qualiter cumque dicatur esset repugnantia inter euangelistas,  
 ideo dicendum secundum Augustinum in libro De Concordia Euangelistarum quod  
 300 utrumque dixit ille princeps, nam quando primo uenit ad Iesum dixit quod filia sua erat in  
 extremis et illo supplicante uenerunt nuntii eius a domo sua et dixerunt principi qualiter iam  
 filia erat mortua, et quod non uexaret dominum, ut dicit Lucas. Exemplum habemus hic:  
 cum qua intentione debet quis uenire ad audiendum uerbum Dei? Non ad reprehendendum  
 uel ad iudicandum de non bene dictis, etcetera, sed ad sanandum animam suam, ut iste.  
 305 Nam Iayrus est peccator illuminatus iam, ut ueniat ad Deum, et orat pro filia, id est, pro  
 anima sua, adorat Deum humiliando se, confitetur defectum dicens: *modo mortua est, ueni et*  
*imponere manum*, scilicet: potentie, misericordie, gratie, absolutionis sacerdotis. Qui autem  
 uenit ad sermonem cum intentione mordendi et iudicandi aliquando dum ipse ascendit ad  
 predicandum, idem illi accidit domino permittente, sicut accidit beato Bricio, cuius festum  
 310 hodie celebramus, qui mordebat sanctum Martinum. Et propter hoc ipse in eodem officio  
 episcopatus fuit infamatus et false, ideo dixit: «merito hec patior, quia peccaui in sanctum  
 Dei», etcetera.

Si dicis: quare Christus iuit cum isto principe et noluit cum regulo ire, cum etiam fides  
 huius fuerit imperfecta? Dicendum quod cum altero noluit ire, sed cum isto et propter  
 315 eandem causam ut, scilicet: confirmaret fidem amborum. Nam regulus credebat quod si  
 filius prius moreretur, illum non posset suscitare. Ideo dicebat: *descende priusquam moriatur*.  
 Ideo noluit ire, sed dixit: *uade, filius tuus uiuit*. Iste autem sperabat per miraculum facturum  
 in uia confirmari. Item secundo, dico quod maior fuit fides huius principis quam reguli,  
 nam iste credebat quod posset mortuam suscitare et credebat messiam esse, sed credebat  
 320 quod necesse erat illam tangere. Legerat enim scripturam et uidebat quod frequentabatur  
 manus saluatoris, nam in Psalmo octogesimo octauo, qui est de messia, scilicet: *misericordias*  
*domini in eternum cantabo*, etcetera, habetur: *firmetur manus tua et exaltetur dextera tua*, etcetera.  
 Isti exponebant hoc literaliter de manu et non spiritualiter de potentia eius. Item in Psalmo  
 centesimo quadragesimo tertio: *emitte manum tuam de alto*, etcetera. Item Psalmi centesimo

---

280-281: Ps. 17, 45. | 281: Ps. 58, 7. | 282-283: Rm. 11, 25-26. | 284: cf. Mt. 9, 18. | 286: cf. Mc. 5, 22; Lc. 8, 41. | 294: cf. Mc. 5, 23; Lc. 8, 42. | 302: cf. Lc. 8, 49. | 306-307: cf. Mt. 9, 18. | 316-317: cf. Io. 4, 49-50. | 321-322: Ps. 88, 2. | 322: cf. Ps. 88, 14. | 324: Ps. 143, 7.

297: cf. Io. Chrys., *Hom. In Mt.*, XXXI, 1. PG 57, 369D. | 299: cf. Aug. Hipp., *De Cons. Ev.*, II, 28, 64. PL 34, 1109BD. | 311-312: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In Ev. PL 78, 813D.

325 quadragesimo quarto: *aperis tu manum tuam et imple omne animal benedictione*, etcetera. Et sic cum «manus sit organum organorum», tertio De Anima, credebat quod sic manus Christi esset organum conferendi gratiam. Credebat tamen messiam posse suscitare infirmos, nam legerat de illo Isaie uicesimo sexto: *urbs fortitudinis Sion, saluator ponetur in ea*, etcetera. *Vivent mortui tui et resurgent*, scilicet: per messiam, ideo dicebat: *mortua est, ueni*, etcetera. Ideo dicit:

330 *Iesus secutus est eum cum discipulis suis*, etcetera.

Tertio, ut humilitatem suam ostendere, unde Remigius dicit: «mira atque miranda domini humilitas et mansuetudo!». Nam mox ut rogatus est rogantem cepit sequi, hinc subditos et prelatos pariter instruxit, subditis exemplum obedientie reliquit, prelati instantiam et sollicitudinem sanandi demostrauit. Debent igitur qui habent curam animarum uigilare circa sibi commissum gregem et dimittere alias negotiationes et sollicitudines. Vnde de beato Martino legimus quod etiam propter gregem beatitudinem ad tempus dolebat dimittere, unde aiebat: «domine si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem», etcetera. *Et ecce mulier que fluxum sanguinis patiebatur duodecim annis accessit retro*, etcetera. Hec autem mulier habuit tria necessaria requisita ad remissionem peccati. Primo, fidem: *dicebat enim intra se "tetigero tantum uestimentum eius salua ero"*. Item habuit uerecundiam peccati "accessit retro", etcetera. Item humilitatem, quia non carnem, sed "fimbriam tetigit", que erat ultima pars uestis. Et statim cessauit fluxus sanguinis, sed Christus uoluit ut miraculum manifestaretur, ideo dixit: "*quis me tetigit?*" *Negantibus autem omnibus*, ut dicit Lucas. *Dixit Petrus: "domine, turbe te comprimunt et dicis "quis me tetigit?""* *Dicit Iesus: "ego sensi uirtutem de me exisse"*. Notatur hic quod blasphemi, licet nomen domini in ore habeant, non tangunt eum, sed comprimunt. Item falso imponentes manus in euangelia. Item falso communicantes non tangunt, sed comprimunt dominum. *Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat*, etcetera, ut ait Apostolus prima Corinthiis decimo. Vnde Augustinus: «ut quid paras dentem et uentrem? Crede et manducasti», etcetera. Voluit autem Christus reuelare hoc miraculum, ut princeps confirmaretur in fide. Item ut se ostenderet Deum, qui occulta uidebat. Item ut peccatoribus daret exemplum quod, quando oportunitas est, non sufficit sola contritio, sed requiritur etiam confessio peccati, sicut hic. Ideo uidens mulier quod eum non lateret, uenit tremens et dixit omnem ueritatem et dixit Iesus: *confide filia fides tua*, etcetera. Et uenit Iesus in domum puelle et inuenit tibicines et flentes, etcetera, et non permisit intrare in domum nisi solum parentes puelle et Petrum, Iacobum et Iohannem. Et accepit manum puelle et dixit: *Tabita surge*, et saluauit illam. Iste autem due mulieres significabant Iudeam et gentilitatem. Puella duodecim annorum significabat Iudeam et mulier sanguinis fluxum habens gentilitatem, quod probatur tripliciter. Primo, genere. Secundo, infirmitate. Tertio, curatione.

360 Primo, genere, nam puella que erat hebreia significat Iudeam, princeps synagoge fuit Moses, qui uenit ad Iesum dicendo: "filia mea", id est, synagoga, "mortua est", et sic rogabat liberationem illius dicendo: *domine, mitte quem missurus es*, Exodi quarto. Et sic clarum est quod hec fuit Iudea, quia filia archisynagogi, etcetera. Sed mulier que fluxum sanguinis patiebatur significat gentilitatem eo quod esset gentilis.

---

325: Ps. 144, 16. | 328: Is. 26, 1. | 328-329: cf. Is. 26, 19. | 329-330: cf. Mt. 9, 18-19. | 338: cf. Mt. 9, 20. | 339-340: cf. Mt. 9, 21. | 343-345: cf. Lc. 8, 45-46. | 347: I Cor. 11, 28. | 353: cf. Mt. 9, 22. | 356: cf. Act. 9, 40. | 362: Ex. 4, 13.

326: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, III, 164, (432a1-2), p. 188. | 331-332: Rem., *Hom.*, VIII. PL 131, 908D. | 337: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In tertio nocturno. PL 78, 812D. | 348-349: Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, XXV, 12. PL 35, 1602A.

328: Saluator] M, X saluatur. | 339: Necessaria] M, X necessario. | 353: <sup>1</sup>Dixit] X dixit.

365 Si dicis contra: quia Ambrosius dicit fuisse Martham, sororem Magdalene, clarum est quod illa etiam fuit Iudea. Dicendum quod non fuit hec Martha. Si autem Ambrosius dicit qui fluxum sanguinis siccauit in Martha, demones expellit a Maria, etcetera, in sermone uel tractatu De Salomone, ut Magister Historiarum recitat, dicendum quod uerum est quod Martha eandem infirmitatem habuit et a Christo curata fuit, sed non per contactum fimbrie, ut hic habetur. Et sic dicit Eusebius in Historia Ecclesiastica quod fuit mulier gentilis de Cesarea Philippi, et hoc dicit libro septimo, capitulo decimo quinto. Qui etiam uidit domum, in qua erat posita imago Christi et etiam imago mulieris tangentis illum et quod herbe quedam erant in pariete domus, que dum ad fimbriam aplicabant omnes infirmitates sanabant et si eadem herba antequam ad fimbriam aplicaret sumeretur, non sanabat infirmitates. Et ut dicit Hieronymus in Historia Tripartita, libro quinto, quod hoc fuit factum usque ad tempus Iuliani Apostate, sed tunc idem Iulianus uidens miracula illius posuit suam imaginem in eodem loco et fulmine fuit minuta. Item quo ad condiciones istarum, nam puella erat unica patri, ut dicit euangelista, sed alia non erat unica, nam iudei solum unam synagogam et unum Deum habuerunt, gentiles plures deos coluerunt. Item mulier ista totam substantiam in medicos consumpserat et nunquam preualuit, sed peius se habebat. Hoc non dicitur de alia, nam licet aliquando Deum dereliquisset, non sicut gentilitas, etcetera.

Item quo ad infirmitatem, nam quando puella nascitur, mulier illa infirmatur, quia quando nata fuit synagoga, scilicet: tempore Abrahe, qui credidit Deo, etcetera, tunc infirmata fuit gentilitas eodem tempore, scilicet: sub Nino, qui primo idolatriam inuenit. Item puella erat duodecim annorum in etate et mulier duodecim annorum in infirmitate. Et sic totidem temporum et fuerunt isti anni duodecim status.

Primus Abrahe; secundus Isaac; tertius Iacob; quartus Ioseph in Egipto; quintus Mosi in eremo; sextus Iosue et iudicum; septimus sacerdotum, scilicet: Mosi et Aaron; octauus regum iunctim; nonus regum diuisim, scilicet: sub Hieroboam et Roboam; decimus captiuitatis in Babilonia; undecimus machabeorum; duodecimus romanorum.

Item mulier totam substantiam consumpserat in medicis et nunquam sanata fuit donec ad Christum ueniret, sed puella fuit mortua in aduentu Christi et ab eo uiuificata.

395 Tertio, patet hoc curatione, nam mulier curata fuit non in presentia saluatoris, sed retro, quia gentilitas non in presentia Christi, sed ipso iam ad celum ascendente sanata fuit et sic: *tetigit retro fimbriam*, etcetera. Item non tetigit carnem Christi, sed uestem, quia solum tetigit species sacramenti eucharistie. Et non in propria specie, quia iam in mundo non erat secundum illam speciem, sed puella tetigit Christi manum dicendo: *surge*. Item non tetigit palium primum in sanatione, scilicet: synagogam, quia uestis illa exterior, que continebat tunicam, significabat synagogam, que continebat sacramenta ecclesie. Nam dum illa scissa fuit, uestis que tunica erat, scilicet: ecclesia, apparuit, quia uelut templum scissum est, etcetera. Scissa autem fuit in quattuor partes synagoga.

Prima pars fuit iudeorum talmutistarum post Christi passionem.

Secunda fuit ismahelitarum et agarenorum.

---

396: cf. Mt. 9, 20. | 398: cf. Act. 9, 40.

365-368: cf. Petr. Com., *Hist. Sch.*, in ev., LXI. PL 198, 1569CD; cf. Pseu. Ambr., *Serm.*, XLVI, 4, 14. PL 17, 698B. | 370: cf. Eus., *Hist. Eccl.*, VII, 18. PG 20, 679BC. | 375: Hieronymus] *Auctor err.* cf. Cas., *Hist. Tri.*, VI, 41. PL 69, 1057D-1058A.

405 Tertia fuit hereticorum.

Quarta christianorum fidelium, qui solum moralia receperunt.

410 Et sic cum quattuor essent qui uestem sortiti sunt, uni illorum cecidit tunica Christi, scilicet: christianorum. Item non solum uestem tetigit, sed fimbriam uestis, scilicet: euangelia quattuor, uel duodecim articulos fidei, nam fimbrie erant tres corde in quattuor angulos et sic ter quattuor sunt duodecim. Sed puella illa sanatur primo in Christi presentia, quia eius predicatione synagoga conuertendo apostolos et discipulos. Et sic sanatur tangendo carnem eius, scilicet: per manum, quia ut dicit Apostolus: *musquam angelos apprehendit, sed semen Abrahe apprehendit*, ad Hebreos secundo capitulo.

415 Tertio, expellit a domo puelle tybicides et turbas lamentantes; per tybicides cerimonialia, per turbas lamentantes iudicialia, solum retinet parentes, id est, moralia, quia: *honora patrem tuum et matrem tuam*, etcetera, Exodi uicesimo. Retinet autem Petrum, Iacobum et Iohannem, quos in transfiguratione postea tenuit et in passione etiam, quia per Iohannem significatur charitas, per Iacobum spes, per Petrum fides. Nam qui charitatem, spem et fidem rectam in Christo habet, hic recipit gratiam et in futuro gloriam, quam nobis  
420 concedat ille Dei filius, etcetera. Amen.

---

412-413: Hbr. 2, 16. | 415-416: Ex. 20, 12.

## Sermo CXXV

SERMO IN DOMINICA ANTE ADVENTVM DOMINI, QVEM INVENIES RETRO VICESIMO SEPTIMO, AD QVEM VOCATI FVERVNT ISMAHELITE

SERMO PRIMVS IN PRIMA DOMINICA ADVENTVS, QVEM INVENIES VICESIMO OCTAVO, ETIAM RETRO CONTRA AGARENOS

5 SERMO CENTESIMVS VICESIMVS QVINTVS ET SECVNDVS IN PRIMA DOMINICA ADVENTVS

<THEMA> *Erunt signa in sole et luna*, Luce uicesimo primo.

Sicut Christus Dei filius in sacra scriptura dicitur “sol”, sic uirgo Maria dicitur “luna”, unde de filio Dei habetur Malachie quarto: *uobis timentibus nomen meum orietur sol iustitie*, id est, filius Dei, qui sperabatur cum desiderio, unde ecclesia dicit de uirgine Maria: «ex te ortus est  
10 sol iustitie Christus Deus noster». Filius Dei dicitur “sol” et appropriatur soli tripliciter: situ, lumine et effectū.

Nam sol, secundum astrologos, est maior omnibus planetis in dignitate et excellentia. Et sic, cum digniora habeant locum excelsum, ei deberetur locus superior inter planetas. Sed propter necessitatem aliorum planetarum ponitur in medio, quia habet inferius se Lunam,  
15 Mercurium et Venerem, et superius se Martem, Iouem et Saturnum, ut omnes illuminet. Sic filius Dei, cum excelleret cuncta creata, quia creator propter nostram necessitatem ponitur in medio, unde Psalmi centesimo tricesimo septimo: *excelsus dominus et humilia respicit*, etcetera, et sic positus fuit in medio terre habitabilis uel in uentre uirginali, unde Baruch tertio: *in terris uisus est et cum hominibus conuersatus est*, unde Psalmi septuagesimo tertio: *Deus autem rex noster ante secula operatus est salutem in medio terre*. Ideo: «propter nos homines et  
20 propter nostram salutem descendit de celis», ut ecclesia dicit.

Secundo, sicut sol habet lumen a se, quia dicit Isidorus: «sol, id est, solus lucens» et omnia alia ab eo illuminantur, sicut Christus, nam sicut sol solum habet lumen a Deo creatore, sic filius a solo patre creatore, quia ut dicit Augustinus, sicut radius exit a sole et  
25 lumen ab ambobus, sic filius a patre et spiritus sanctus a patre et filio. Et sic de ipso cantat ecclesia: «lumen de lumine Deum uerum de Deo uero», unde Iohannis primo: *erat lux uera que illuminat omnem hominem*, etcetera.

Tertio, sicut lux solis excellit uisum nostrum et non potest uideri nisi mediante aliquo medio, ut nube, uel aliquo tali, sic filius Dei, unde prima ad Timotheum sexto: *lucem habitans  
30 inaccessibilem*. Et nunquam potuit uideri a nobis nisi mediante nube humanitatis, unde Hiezechielis tricesimo secundo: *solem nube tegam*, scilicet: in incarnatione. De isto sole habetur Baruch tertio: *hic est Deus noster et non estimabitur alius aduersus eum, hic adinuenit omnem uiam discipline et tradidit illam Iacob et puero suo*, etcetera. Hoc fuit in ueteri testamento, tunc dicit de incarnatione: *post hec in terris uisus est et cum hominibus conuersatus est*. Et sic ille idem  
35 Deus, qui erat ante inuisibilis, factus fuit uisibilis nobis, etcetera. Sic etiam uirgo Maria dicitur “luna” propter tria.

---

6: Lc. 21, 25. | 8: Mal. 4, 2. | 17: Ps. 137, 6. | 19: Bar. 3, 38. | 19-20: Ps. 73, 12. | 26-27: Io. 1, 9. | 29-30: I Tim. 6, 16. | 31: Ez. 32, 7. | 32-33: Bar. 3, 36-37. | 34: cf. Bar. 3, 38.

9-10: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, in Ev. PL 78, 802C. | 20-21: cf. *Missa latina*. PL 138, 1321D. | 22: cf. Isid, *Etym.*, III, 71. PL 82, 178C; cf. Petr. Ber., *Dict.*, c. currus, p. 405. | 24: cf. Aug. Hipp., *De Gn. Ad Lit.*, VIII, 12, 26. PL 34, 383A. | 26: cf. *Missa latina*. PL 138, 1321D.

32: Baruch] M, X Malachie. | Noster] M nostre.

Primo, quia luna est nobis magis propinqua et infima, licet fuerit uirtute excelsa, sic uirgo Maria fuit infima per humilitatem. Maior enim fuit uirginis humilitas quam cuiuscumque creature.

40 Secundo, sicut luna crescit usque ad decimam quartam uel circa decimam quintam diem et tunc secundum Albertum in ea uidetur imago hominis, sic Maria creuit usque ad decimam quintam uel circa, quia tunc fuit mater Dei, quod fuit maximum quod potuit habere. Et sic in ea fuit uisa imago hominis Deus, scilicet: factus homo.

45 Tertio, sicut luna accipit lumen a sole et illam reflectit in terram illuminando illam, ad quod nullus alius planeta sufficit, sic uirgo Maria illuminat peccatores, unde Bernardus: «Maria luna, Christus est sol, nam sicut iusti uelut in die a Christo illuminantur, sic peccatores uelut in nocte a Maria illustrantur». Hec ille. Sed antequam mundus illuminaretur post noctem peccati Ade (de qua in epistola hodierna habetur: *nox precessit dies autem*, etcetera), debuerunt in sole et luna octo signa precedere, que in sole et luna  
50 materialibus precesserunt. Et pro nunc in isto sermone sumantur duo signa in sole et duo in luna necessaria ad illuminandum.

Primum signum in sole fuit statio eius. Iosue decimo, sol stetit dicente Iosue: *sol contra Gabaon ne mouearis*, etcetera. Sic Christus stetit in sua conceptione uel incarnatione, nam in ipso fuit instantanea formatio. Cum enim motus celi in circulo obliquo sit causa  
55 generationis et corruptionis in his inferioribus, ut dicit Aristoteles in libro secundo De Generatione, de nullo generato secundum naturam uerum est dicere solem stare in sua generatione, quia cum omnis actio naturalis fit in motu et in successione in nulla tali actione est statio, nec de producto tali actione, uerum est dicere ipsum stare. Et sic dicit Iob decimo tertio: *homo natus de muliere*, etcetera, *nunquam in eodem statu permanet*, sed in actione  
60 instantanea (quia in illa sunt: «simul mutari et mutatum esse», sexto Physicorum) est quedam strictio, quia ibi non est motus nec successio. Et quia ista incarnatio non operatione naturalis agentis nec successiue, sed ipsius spiritus sanctus uirtute et instantanea fuit, nec ipse Christus mutabilitati nature corrupte subiectus fuit. Et sic in instanti anima creata et uerbo unita fuit et carni, quia dominus temporis non indigebat tempore, nam  
65 figulus indiget rota ad omnia uasa facienda, sed non respectu suipsius, quia ipse fecit rotam. Vnde de reparatione humana dictum fuit Hieremie decimo octauo capitulo: *descende in domum figuli*. Et sic dicit quod: *uidit quod fecerat primum uas mediante rota*. Quod uas fuit Adam et sua posteritas, quia: *dissipatum est uas illud*, sed de illa massa fecit aliud uas: *sicut placuerat in oculis eius, ut faceret*, etcetera. Et sic hoc uas fuit Christus et nulla mentio fit de rota in  
70 productione huius secundi uasis, quia in instanti et non mediante motu celi factum fuit. De isto signo habetur Genesis nono: *arcum meum ponam in nubibus celi, ut sit signum*, etcetera. Quia in illo arcu sunt tres colores, scilicet: celestinum uerbi Dei, aqueum carnis Ade et rubeum anime beate. Et illi tres colores in instanti fuerunt iuncti in nube, id est, in uentre uirginali.

75 Secundum signum in sole fuit obtenebratio uel luminis occultatio, unde Isaie decimo tertio: *obtenebratus est sol in ortu suo*. Hoc fuit in Christi natiuitate, in qua fuerunt tria occultata uel tres radii huius solis.

---

48-49: cf. Rm. 13, 12. | 52-53: Ios. 10, 12. | 59: Iob. 14, 1-2. | 66-69: Ier. 18, 2-4. | 71: Gn. 9, 13. | 75: Is. 13, 10.

41: cf. Alb. Mag., *De Lau. B. M. V.*, VII, 4, p. 379. | 46-47: Bernardus] *NI*. | 55: cf. Arist. Lat., *De Gen. Et Corr.*, II, 10, 336a32, p. 74. | 60: cf. Arist. Lat., *Phys.*, VI, 6, 237a19, p. 240.

59: Muliere] *M* mulier. | 64: Indigebat] *M* indigibat.

Primo, obscurata lux glorie uel diuinitatis in humanitate, unde ad Philippenses secundo: *exinaniiuit semet ipsum*, etcetera. De isto signo habetur Luce secundo: *hic positus est in ruinam et in signum, cui contradicetur*, quia esse Deum et hominem fuit contradictum a iudeis, paganis, agarenis et hereticis.

Secundo, occultatus fuit radius sanctitatis in carnis peccati similitudine, quia uoluit fratribus assimilari. De isto signo habetur Numeri uicesimo primo quando dicitur: *fac serpentem in signum*, unde Theophylactus dicit: «sicut serpens speciem ueneni habuit, sed nullum uenenum, sic Christus», etcetera.

Tertio, occultatus radius diuitiarum in paupertate, unde secunda Corinthiis octauo: *cum diues esset, pro nobis egenus factus est*. De isto signo habetur Luce secundo: *hoc uobis signum, inuenientis infantem*, etcetera, non in aula regia *sed in stabulo*, non in lecto delicato *sed in presepio*, non auro nec serico indutum *sed pannis uilibus*, etcetera.

Similiter in luna fuerunt duo signa.

Primum statio eius, Iosue decimo, quia sola uirgo Maria non habuit casum peccati, sed stetit firma sine casu peccati in sua conceptione, nam omnes in Adam peccauerunt. Et sic uirgo fuit obligata peccato originali, sed a Deo preseruata antequam nata. Nam Dauid in persona uirginis filie sue dicebat, Psalmi tricesimo quinto: *manus peccatoris*, scilicet: Ade, *non moueat me, quia ibi*, scilicet: in acceptione fructus, *cecidere qui operantur iniquitatem*, etcetera, *nec potuerunt stare*. Sed sicut quando multi essent uulnerati et ab aliquo manus ensis teneretur dum aliquam feminam percutere uellet, et sic gladius eius illam non tangeret propter preseruationem illius, sic in uirgine: si non preseruata fuisset a Deo, fuisset ab Adam percussa gladio originalis culpe, etcetera. Et sicut filius fuit sine peccato, sic uirgo Maria, unde Iob decimo quarto: *homo natus de muliere*, etcetera, *nunquam in eodem statu permanet*, et sic casui peccati subiectus est. Sed Christus natus fuit ex uirgine et sic illam preseruauit ut matrem. Vnde dicit uirgo, Psalmi centesimo quadragesimo: *cadent in retiaculo eius peccatores, sed singulariter sum ego donec transeam de hoc mundo*. Et sic Canticorum sexto: *pulchra ut luna, sed electa a peccato ut sol*, id est, sicut Christus. De isto signo et miraculo loquitur Abacuc tertio: *sol et luna*, id est, Christus et uirgo, *steterunt in habitaculo suo*, scilicet: sine peccato in conceptione.

Secundum signum in luna fuit retractio luminis, unde: *luna non splendet in lumine suo*, Isaie decimo tertio et Matthei uicesimo quarto. Sic uirgo Maria in conceptione filii sui retraxit radios lucis rationis naturalis et sic remansit lumen fidei. Nam quando dixit angelus: *ecce concipies et paries*, dicit illa: *quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco?* Et sic sciebat uouisse uirginitatem, qua domino placebat, et sic naturaliter sciebat non posse esse uirginem et matrem simul, unde Hieronymus: «hoc natura non potuit, usus non docuit, ratio non capit humana», quod aliqua simul esset mater et uirgo. Sed dum angelus dixit: *spiritus sanctus superueniet in te*, etcetera, tunc uirgo Maria reliquit et abscondit uel retraxit lumen naturalis rationis et sumpsit lumen fidei, scilicet: credendo per potentiam Dei posse sic fieri. Et sic Isaias et Mattheus, ubi supra, non dicunt quod omne lumen retraxerit, sed dicunt: *luna retraxit lumen suum*, scilicet: naturale, et sic mediante fide credidit quod esset simul uirgo et mater Dei. De isto signo habetur Isaie septimo capitulo: *pete tibi signum a domino*, etcetera, *dabit uobis dominus ipse signum: ecce uirgo concipiet et pariet filium*, etcetera.

78: Phil. 2, 7. | 78-79: Lc. 2, 34. | 82-83: Nm. 21, 8. | 85-86: II Cor. 8, 9. | 86-88: Lc. 2, 12. | 90: cf. Ios. 10, 12. | 93-95: Ps. 35, 12-13. | 99: Iob. 14, 1-2. | 101-102: Ps. 140, 10. | 102-103: Ct. 6, 9. | 103-104: Hab. 3, 11. | 105: Is. 13, 10; Mt., 24, 29. | 108: cf. Lc. 1, 31. | cf. Lc. 1, 34. | 112: cf. Lc. 1, 35. | 115: Is. 13, 10; Mt., 24, 29. | 116-117: Is. 7, 11-14.

83-84: Theophylactus] NI. | 110-111: cf. MF. Pseu. Hier., Ep., IX, 5. PL 30, 127D.



120 Antequam essent ista signa in ueteri testamento non impetrabatur gratia, unde Psalmi septuagesimo tertio dicit Daud: *signa nostra non uidimus*. Sed Daud petebat hoc dicens Psalmi octogesimo quinto: *respice in me et miserere mei. Da imperium tuum puero tuo*, scilicet: Christo. Vt dicit glosa: «et filio ancille tue», scilicet: Marie, que dixit: *ecce ancilla domini*. Sed quia signum in Christo et uirgine debebat preire, dicit infra: *fac mecum signum in bono*, etcetera.

125 Et sic, si tunc non petebant feruide nec efficaciter impetrabant, sed in nouo testamento, ut cum maiori spe gratiam petant, *erunt signa in sole et luna*. Ad hanc igitur in principio sermonis recurramus dicendo: aue Maria, etcetera.

<THEMA> *Erunt signa in sole et luna*, ubi supra.

Duo erunt uidenda in presenti sermone. Primum, quod necesse est esse uniuersale et finale iudicium. Secundum erit uidere signa in quibus cognoscetur.

130 Quo ad primum, omnes leges ponunt hanc conclusionem, scilicet: esse uniuersale iudicium finale et futurum.

Primo, iudei in lege scripta et Talmuth in multis locis, de quibus nihil ad presens, sed hoc patet in Psalmo septuagesimo quinto: *de celo auditum*, etcetera. Item in Psalmo centesimo uicesimo primo: *illic sederunt sedes in iudicio*, et Isaie tertio: *dominus ad iudicium ueniet*, etcetera, et in multis aliis locis.

135 Secundo, agareni hoc ponunt, maxime Algazel in libro “Ayeulum Addin”, ubi ponit duplex iudicium, scilicet: particulare et generale. Item in Alchorano, libro secundo, azora duodecima, alea quadragesima sexta, quadragesima septima et quadragesima octaua.

Tertio, omnes christiani hoc ponunt et doctores theologi sic probant.

140 Primo, quia homo dupliciter consideratur, scilicet: ut persona propria et singularis et ut pars uniuersitatis.

145 Secundo, patet quo ad perfectionem glorie uel pene, que non potest esse antequam corpora reassumantur et omnes simul congregentur. Nam anima, secundum Augustinum: «retardatur a perfecta beatitudine per appetitum et inclinationem quam habet ad corpus», quia propter illud non fertur in contemplationem cum maximo et perfecto feruore. Exemplum: si quis esset in conuiuio, in quo omnia fercula ei darentur, licet esset satietas respectu sui, sed non totaliter, gauderet si filiam suam dilectam illic non haberet, sed inter se diceret: “o si esset hic filia mea et comederet”. Sic anima se habet respectu corporis. Item perfectio glorie uel pene esse non potest, donec omnes electi congregentur, quia quilibet gaudebit de gloria alterius et sic cum multis magis gaudebit. Sic etiam de damnatis, 150 quia licet quilibet habeat penam suam, sed patietur de pena aliorum. Exemplum: si essent multi carbones et quilibet esset ignitus separatim, si omnes simul congregarentur, haberent tunc maximum calorem. Sic in damnatis erit in fine.

---

119: Ps. 73, 9. | 120: Ps. 85, 16. | 121: cf. Lc. 1, 38. | 122: cf. Ps. 85, 17. | 124-126: cf. Lc. 21, 25. | 132: Ps. 75, 9. | 133: Ps. 121, 5. | Is. 3, 14.

121: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Psal. 85, 16. PL 113, 989A. | 135: cf. Al-Ghaz., *Ihyā' ulum al-din* (vol. 4), IV, 10, 2, pp. 420sq; *Met.*, I, 2, 1, p. 27. | 136-137: cf. Q 18, 48-49. | 143: cf. Aug. Hipp., *De Gn. Ad Lit.*, XII, 35, 68. PL 34, 483CD; cf. Th. Aq., *S. Th.*, I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup> (vol. 2), q. 4, a. 5, p. 37.

140: Pars] M pares. | 141: Perfectionem] M prefecionem.

155 Tertio, patet propter certitudinem, nam in Deo erant tria notabilia, scilicet: potentia, sapientia et iustitia. Potentia omnibus fuit nota in creatione. Sapientia in recreatione uel gubernatione. Igitur opus omnibus esse notam iustitiam, quod fiet in finali iudicio, ut dicit Thomas in quarto, distinctione quadragesima septima.

160 Quarto, patet propter rerum mutabilitatem, nam iudicium de aliqua re non datur bene, dum est in aliquo motu et in fieri. Exemplum de sagitta, que dum est in uia non bene iudicatur utrum sit circa signum uel remota, sed hoc fit dum quiescit. Sed homines  
165 mutantur ante finem mundi, quia aliter uiuunt, quo ad famam, quo ad filios, quo ad amicos et quo ad temporalia bona, nam implentur que in testamento dimiserunt. Et quilibet habet meritum de his bonis que fecit et demeritum de malis, unde Augustinus usque in finem mundi meretur doctor de conuersis per eius scripta uel predicationes, etcetera, et sic de aliis sanctis. Econuerso Arrius demeretur in perditis et damnatis ab eo, et sic de Machometo et  
170 aliis. Et sic, licet per mortem illi iam quiescant, mouentur ea que dimiserunt in mundo usque ad finem mundi quando omnia quiescent. Exemplum de sagitta, que licet quiescat iam dum est in terra circa signum, sed aliquando fuit terra ab ea mota, ex qua efficitur peius signum uel melius, quia aliquando terra appropinquatur sagitte et elongatur mensura signi, aliquando recedit terra a sagitta et breuiori mensura mensuratur et sic lucratur, sic in  
175 proposito. Hoc idem probatur in testamento ueteri et in nouo et in falso. In ueteri, Isaie tertio: *dominus ad iudicium ueniet cum senioribus*, etcetera. Item Danihelis septimo: *iudicium sedit et libri aperti sunt*, etcetera. Hoc idem in nouo testamento, secunda Corinthiis quinto: *omnes nos manifestari opus ante tribunal*, etcetera. Item ipsa ueritas, Matthei undecimo et duodecimo et in euangelio hodierno, etcetera. Hoc idem in falso testamento Machometi ponitur  
180 iudicium finale in secunda azora primi libri, alea decima nona, decima, uicesima quinta et tricesima. Item in secundo libro, azora duodecima, alea quadragesima sexta, quadragesima septima et quadragesima octaua, ut dictum est supra. Item Algazel in libro Ayeulum Addin ponit duplicem modum iudicii et duplex iudicium, scilicet: particulare uel singulare, et uniuersale, ut dictum est.

180 Secunda pars principalis est: in quo cognoscetur illa dies? Dicendum quod est conclusio omnium doctorum, maxime Augustini in libro Octoginta Tribus Questionibus et in epistola De Finali iudicio, et Sanctus Doctor in quarto, distinctione quadragesima septima, questione prima, articulo primo, questiuncula tertia. Et omnes doctores in hoc concordant: quod nullus intellectus purus creatus potest certitudinaliter scire diem iudicii nisi forte per  
185 reuelationem. Hoc idem dicit Machometus in secundo libro Alchorani, azora prima, alea centesima octogesima quinta; et in tertio libro, azora decima quinta, alea sexagesima tertia dicens quod dies iudicii soli Deo est nota. Sed licet in hoc dixerit uerum, sed contradicit se in libro Alboharii et in libro Muslim, unde: «dixit Axa quod dum aliqui quererent et interrogarent Machometum de finali iudicio et de die, ut ostenderet Machometus quod ei  
190 erat reuelata, dixit quod antequam essent centum anni esset dies iudicii finalis et aduocans puerum ad se dixit: “iste non ueniet ad decrepitam etatem antequam sit iudicium”». Sed iam fluxerunt anni octingenti nonaginta tres etiam secundum agarenos, patet falsum esse. Vnde dicit Christus, Matthei uicesimo quarto et Marci decimo tertio: *de die autem illa et hora nemo*

171: Is. 3, 14. | 171-172: Dn. 7, 10. | 172-173: II Cor. 5, 10. | 173: cf. Mt. 11, 6; 12, 18. | 193-194: Mt. 24, 36; Mc. 13, 32.

156: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 47, q. 1, a. 1, qc. 1, p. 460. | 175-176: cf. Q 3, 10; 19; 25; 30. | 176-177: cf. Q 18, 48-49. | 177-179: cf. Al-Ghaz., *Ihya' 'ulum al-din* (vol. 4), IV, 10, 2, pp. 420sq; *Met.*, I, 2, 1, p. 27. | 181: cf. Aug. Hipp., *Ep.*, CXCIX, 1. *PL* 33, 904sq. | 182-183: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 47, q. 1, a. 1, p. 464. | 185: cf. Q 7, 186. | 186: cf. Q 33, 63. | 188-191: cf. Al-Bukh., IX, 20, 1; cf. Musl., XLIV, 53, 1; LIV, 27, 8; cf. Ray. Mar., *Qua. Rep.*, c. De mendatiis Machometi, p. 32.

158: Fieri] X fiere.

195 *scit, nec angeli nec filius, sed solus pater* et cui pater uoluerit reuelare. Exponitur sic non scit filius, scilicet: adoptiuus, qui est homo, quia de homine non fit mentio in auctoritate, uel si de filio naturali exponatur, dicitur non scit filius a se, sed a patre, quia sicut ab eo habuit eternaliter naturam, sic etiam scientiam. Vnde Iohannis septimo, ipse dicit: *mea doctrina non est mea*, etcetera, quia a patre, etcetera, uel non scit filius ad reuelandum, quia licet posset reuelare si uellet, sed nobis non expedit propter multa, que hic dimittuntur. Et sic, quia apostoli uolebant illud scire et querebant, dixit Christus quod non sciebat uoluntatem reuelandi. Exemplum confessoris: si ab eo queritur utrum sciat peccatum alicuius iam confessum, dicit: “nescio”, scilicet: ad reuelandum illud, quia illud scit in persona Dei, sic in proposito. Quod autem dies iudicii non possit sciri probatur:

205 primo, quia numerus electorum soli Deo est certus secundum Gregorium, sed mundus, secundum omnes, debet finiri expleto numero electorum, igitur, etcetera. Hora autem quod sciatur inquit Rabanus in libro quinto, capitulo octauo De Vniuerso, quod iudicium finale erit hora qua Christus resurrexit.

210 Item secundo, cessante motu celi erit finis, sed ille naturaliter non potest cessare, ut dicit Aristoteles libro Physicorum. Igitur soli Deo erit notum, quia per eius uoluntatem cessabit.

215 Item tertio, sic erit in isto iudicio et fine mundi: *sicut fuit in diebus Noe*, Matthei uicesimo quarto. Sed tunc fuit ignotus ille dies igitur, unde Apostolus prima Thessalonicenses quinto: *dies domini sicut fur in nocte*, igitur, etcetera. Sed tamen potest ab aliquo sciri per coniecturas, unde Chrysostomus: «sicut in minori mundo, scilicet: homine, senectutis signa cognoscimus, diem autem ultimam ignoramus, sic labentis seculi signa scimus, finem tamen eius ignoramus». Sex autem signa sunt, per que potest coniecturari.

220 Primum est multitudo peccatorum, unde hoc signum ponitur a domino, Matthei uicesimo quarto: *sicut fuit in diebus Noe*. Et sic comparat finem diluuii ad istum primum. Sed tunc fuit multitudo peccatorum, unde Genesis sexto dicitur: *uidens quod multa malitia hominum*, etcetera, *et cuncta cogitatio prona esset ad malum*, etcetera. Sed nunc nulla est uirtus in mundo, sed omnes proni ad peccandum; nunc omnis caro fenum et siccum, non uiriditas uirtutis. Vnde hoc signum ponitur Apocalypsis decimo quarto, ubi de iudicio dicitur: *uidi ecce nubem candidam et super nubem sedentem similem filio hominis*, etcetera, *et in manu sua falcem acutam*. Et alius angelus exiit de templo clamans uoce magna ad sedentem super nubem: “*mitte falcem tuam et mete, quia uenit hora ut metatur, quoniam aruit messis terre*”, etcetera. Si uirtus dicitur a uiriditatem dum in mundo nulla est uirtus, tunc est hora metendi, sic hodie uidetur, etcetera.

230 Secundum est horribilitas peccatorum. Hoc ponitur Luce decimo septimo: *sicut fuit in diebus Loth*. Sed nunc sunt peccata enormia, quia iam non sunt libri scripti de speciebus peccatorum, sicut tunc fuit illud peccatum contra natura, sed in sola terra promissionis. Sed nunc illud peccatum pullulat in Asia, in Africa, in Grecia et in Europa, scilicet: in Italia, et utinam iam non esset in nostra Hispania. Igitur, si iam peccata naturalia non habentur pro peccatis, quia pullulant peccata contra naturam, nunc proprie est finis mundi.

197: Io. 7, 16. | 211: Mt. 24, 37. | 213: I Th. 5, 2. | 218: Mt. 24, 37. | 219-220: Gn. 6, 5. | 222-225: Apc. 14, 14-15. | 228-229: Lc. 17, 28.

204: cf. Gre. Mag., *Exp. Sup. Ct.*, VI, 8. PL 79, 529B. | 206: cf. Hrab. Mau., *De Vni.*, V, 8. PL 111, 126B. | 209: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 2, 194a30, p. 53. | 214-216: cf. Pseu. Io. Chrys., *Op. Imp. In Mt.*, L. PG 56, 921D.

235 Tertium signum est defectus sanctitatis, nam ut habetur Genesis decimo octauo: *si fuissent quinquaginta uiri iusti in Sodomis*, non perisset, et etiam si essent decem uiri. Et sic propter defectum sanctitatis perierunt quinque ciuitates. Sic nunc in proposito: si religiones orte fuerunt tempore Dominici et Francisci, quando ut legitur iam finis mundi appropinquabat et precibus uirginis dilatatum fuit, nunc iam religiones sunt plene peccatis et non in eis reperitur sancta persona, igitur, etcetera. Ideo dicit Chrysostomus super 240 Mattheum: «medulla mundi sancti sunt, nam sicut arbor cum medulla fuerit consumpta exicatur». Sic, cum sancti deficient mundus cadet, sicut exeunte Loth exterminatur Sodoma et egrediente Israhel periit Egiptus, sic, etcetera. Igitur, si nunc in mundo nullus reperitur sanctus, igitur, etcetera, unde Matthei tertio: *iam securis ad radicem arboris posita est*.

245 Quartum signum est infirmitas cordis, nam sicut medici quando infirmitas est in corde prenosticant esse moriturum in breui, sic nunc de mundo infirmitas cordis est infidelitas, nam: *corde creditur ad iustitiam*. Et sic quando cor est credulus uiuit, quia uita in corde est, quando incredulus moritur, unde: *iustus ex fide uiuit*. Hoc signum ponitur ab Apostolo, prima ad Timotheum quarto, spiritus dicit quod: *in nouissimis temporibus discedent multi a fide*, etcetera. Vnde Hieronymus super Danihelem: «nec ueniet dominus ad iudicium nisi uenerit 250 primo discensio, uidelicet: ecclesiarum, a spirituali obedientia romane ecclesie uel catholicorum hominum a fide». Iam hoc uidetur a nobis, ut patet per inquisitionem factam, etcetera.

255 Quintum signum est conuersio infidelium, unde in presenti euangelio habetur: *uidete ficulneam et omnes arbores*, etcetera. Ficulnea secundum doctores est synagoga, nam illa est cooperta foliis cerimonialium. Et sic a Christo tempore passionis fuit maledicta, ut habetur Marci undecimo, et cum non faceret fructum, maledicta fuit a Christo. Et ideo tantum commendatur in scriptura, unde: *ab arbore fici discite parabolam*, Matthei uicesimo quarto, Marci decimo tertio. Ideo Hieronymus super Mattheum dicit: «signum aduentus domini ad iudicium est in toto orbe euangelium predicari, etcetera. Quod autem iam completum est 260 aut in breui credo complebitur». Hec ille. Hoc nunc apparet quando Christum cognoscunt qui in fine mundi habitant, ut patet de serenissimo rege Ferdinando et de rege Portugalie, etcetera, qui infinitos ad fidem conuertunt. Et sic alia parabola Luce decimo tertio, que dicit: homo quidam habebat ficum, etcetera, dicitur de synagoga, de qua Matthei uicesimo primo, Marci undecimo et Luce decimo tertio. Et sic nunc arbor fici iam facit fructum per 265 conuersionem, quia in Italia, in Africa, in Hispania multi conuertuntur, sed utinam sit bonus fructus. Sed cum ficus faciat uix fructum, si primus non est bonus, erit secundus. Sic si isti non fuerint boni, erunt filii eorum. Dicit: et omnes arbores, id est, gentiles, iam faciunt fructum, nam conuertuntur, quia nostris temporibus miserunt Ethiopes ad sanctum patrem, ut daret illis predicatorum. Item ad regem Portugalie miserunt Africi. Item multi de 270 regno Granate conuertuntur mediantibus regibus dominis nostris, etcetera. Et sic est finis mundi.

275 Sextum signum defectus charitatis et maxima auaritia in mundo, nam ut dicunt doctores, sicut finis mundi in diluuiio uenit in aqua per ardorem luxurie, sic secundus ueniet in igne per frigiditatem, auaritie et charitatis. Exemplum: sicut homines senes frigescent perdendo uirtutem, sic mundus in senectute sua debebat uirtutem perdere et frigescere per defectum

234-235: Gn. 18, 24. | 243: Mt. 3, 10. | 246: cf. Rm. 10, 10. | 247: cf. Hab. 2, 4. | 248: I Tim. 4, 1. | 253-254: cf. Lc. 21, 29. | 256: cf. Mc. 11, 14. | 257: Mt. 24, 32.; Mc. 13, 28. | 262: cf. Lc. 13, 6. | 263: cf. Mt. 21, 19; Mc. 11, 13; Lc. 13, 6.

240-241: cf. Pseu. Io. Chrys., *Op. Imp. In Mt.*, I, PG 56, 614BC. | 249-251: cf. Hier., *Ep. Pau. Ad Tb.*, II, 2. PL 29, 797A. | 258-260: Hier., *Comm. In Ev. Mt.*, IV, 24, 14. PL 26, 177A.

248: Timotheum] M, X Thessalonicenses.

280 charitatis, unde Matthei uicesimo quarto: *quoniam abundabit iniquitas refrigescet charitas multorum*. Et: *erunt homines seipsos amantes*, ut dicit Apostolus, secunda ad Timotheum tertio. Sic hodie sunt rapine, usure et contractus falsi nulla charitas inter fratres. Si crederent ultimum iudicium uenturum, non facerent talia, quia tunc requireretur charitas et opera charitatis. Vnde dicit Hieronymus: «facile contemnit omnia qui cogitat se moriturum», a fortiori qui cogitat se esse iudicandum, nam bonis dicetur: *uenite benedicti*, etcetera, malis uero: *ite maledicti*, etcetera.

Et sicut istis dabitur pena, sic illis dabitur gloria, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

**276-277:** Mt. 24, 12. | **277:** II Tim. 3, 2. | **281:** cf. Mt. 25, 34. | **282:** cf. Mt. 25, 41.

**280:** Hier., *Ep.*, LIII, 10. *PL* 22, 549C.

**277:** Timotheum] M, X Thessalonicenses.

SERMO CENTESIMVS VICESIMVS SEXTVS ET TERTIVS IN EADEM DOMINICA PRIMA  
ADVENTVS

<THEMA> *Respiciite et eleuate capita uestra*, Luce uicesimo primo.

Originaliter, etcetera.

5 Sententia est Vegetii in suo libro De Re Militari quod quilibet exercitus debet habere ante se signum in quo sint insignia illius pro quo pugnant, ut intuentes illud feruentius pugnent. Est autem hoc signum in triplici differentia. Primum est magnum et uulgariter dicitur “bandera”. Secundum dicitur “pendon”. Tertium nuncupatur “guion”. “Bandera” est ad congregandum exercitum. “Pendon” ad inuitandum ad pugnam. “Guion” ad ostendendum regem, nam semper iungitur illi. Hec autem tria signa uel insignia fuerunt  
10 necessaria mundo ad salutem hominum, nam uita humana non est nisi quoddam prelium, et sic dixit Iob capitulo septimo: *militia est uita hominis super terram*. Et sic semper sumus in continua pugna, et qui uincitur habet penam, qui uero uicerit habet coronam, unde Apostolus secunda ad Timotheum secundo dicit: *non coronabitur nisi qui legitime certauerit*.

15 Primum signum in mundo fuit ut “bandera” et fuit quoddam lumen diuinum impressum in intellectu humano, ut character uel cifra, quo mundus cognouit Deum et fuit unitus illi. De quo Dauid ait Psalmi quarto: *signatus est super nos lumen uultus tui, domine*, etcetera. Et sic isto mediante quilibet habens intellectum regulatum cognouit Deum solum; stultus isto caret, unde Psalmi decimo tertio: *dixit insipiens in corde suo non est Deus*. Sed hoc signum non  
20 fuit sufficiens mundo, nam ista cognitio fuit confusa et uniuersalis, quia homo ista mediante solum cognouit esse Deum et esse unum solum et esse incorporeum et incorruptibile et eternum. Et sic ista notitia confusa non sufficebat homini, sed requirebatur alia magis distincta, qua uideretur magis clare et distincte.

25 Si autem dicis contra: lumen est maxime uisibile et illo mediante omnia alia uidentur, igitur, cum hoc sit lumen, sequitur, etcetera. Dicendum quod illud lumen est nobis improportionatum et excellens, unde Apostolus prima ad Timotheum sexto dicit de Deo quod: *lucem habitat inaccessibilem*. Sic Aristoteles secundo Metaphysice dicit quod: «intellectus noster se habet ad manifestissima nature sicut oculus nicticoracis ad lumen solis». Nam sol est improportionatum uisui nostro et solum uidetur ab oculis aquilarum in sublime  
30 uolantium, sic lumen diuinum non potest a nobis uideri, sed solum ab angelis, etcetera.

Et sic fuit necessarium secundum signum quod fuit filius Dei incarnatus. Nam sicut sol non potest in suo fonte uel rota a nobis uideri nisi mediante aliquo uelamine, sic uerbum uisum fuit a nobis mediante uelamine humanitatis, unde Isaie quadragesimo quinto: *tu es Deus absconditus*. Et sic factus sensibilis fuit proportionatus nobis, quia ut dicit Philosophus:  
35 «cognitio nostra ortum habet a sensu». Et sic post incarnationem *in terris uisus est et cum hominibus conuersatus est*, Baruch tertio. De isto signo dixerunt angeli pastoribus in die natiuitatis: *hoc uobis signum, inuenietis infantem pannis*, etcetera, Luce secundo. Et de isto dixit senex Symeon uirgini Marie in templo: *hic positus est in ruinam et in signum cui contradicetur*. Hoc signum fuit eleuatum in die prelii, scilicet: in die passionis, et eleuatum in monte Caluarii, de

3: Lc. 21, 28. | 12: Iob. 7, 1. | 14: II Tim. 2, 5. | 17: Ps. 4, 7. | 19: Ps. 13, 1. | 27: I Tim. 6, 16. | 33-34: Is. 45, 15. | 35-36: Bar. 3, 38. | 37: Lc. 2, 12. | 38: Lc. 2, 34.

5: cf. Veg., *De Re Mil.*, III, 5, pp. 114-116. | 27-28: cf. Arist. Lat., *Met.*, II, 1, 993b10, p. 37. | 35: Philosophus] cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 80, a. 3, p. 527.

7: Vulgariter] M uulgaretur.

40 quo Isaie quinto: *eleuabit dominus signum in nationibus*. Et tunc contradictum fuit a iudeis blasphemando et postea ab agareni illi contradicendo et cotidie ab hereticis, etcetera.

Sed hoc signum non sufficit nobis, ideo necessarium fuit tertium, scilicet: “guion”, quod fuit uirgo Marie, quia a nobis non fuit plene cognitum. Nam uidebatur purus homo in humilitate et paupertate et sic maior pars mundi illum iudicauit hominem sanctum, sed non  
45 Deum. Ideo opus quod mundus haberet aliquod directorium ad cognoscendum illum et hoc fuit uirgo Maria, que per experientiam cognouit illum esse Deum, cum uidebat illum a patre missum et non recepisse eum mediante uiro, etcetera. Ideo dicit Bernardus de uirgine et filio suo quod «soli illi datum est nosse, cui datum est experiri», etcetera. De isto tertio signo habetur Isaie septimo: *dabit uobis dominus signum, ecce uirgo concipiet*, etcetera. De isto  
50 etiam in nouo testamento habetur a Iohanne, Apocalypsis duodecimo: *signum magnum apparuit in celo, mulier amicta sole et luna sub pedibus eius*, etcetera.

Sed quomodo hoc tertium signum dicitur magnum et de signo patris et filii non dixit magnum? Numquid hoc est maius aliis? Dicendum quod magnum potest quid dici dupliciter: uno modo in se et ratione dignitatis; alio modo quo ad nos, scilicet: ratione  
55 utilitatis. Et sic dico primo modo signa priora fuerunt maxima in se quo ad dignitatem, sed secundo modo hoc tertium signum dicitur “magnum” quo ad nos, quia magis proportionatum nobis et magis utile. Nam si beatitudo nostra consistit in cognitione filii Dei redemptoris nostri, unde: *hec est uita eterna ut cognoscant te*, etcetera, sed a nobis non potest cognosci sine isto tertio directo, igitur, etcetera.

60 Exemplum: ballistarii habent duplex signum, scilicet: magnam papirum et in medio illius habent clauum. Quero: quod istorum est maximum? Dicendum quod clauus dignitate, nam per appropinquationem ad illum est metrum et mensura et bonitas sagittarum. Sed papirus dicitur magnum signum utilitate nostra, nam si sagitta mittitur ex centum passibus non uidetur clauus de illa distantia, sed bene papirus, et credit sagittator quod in medio illius est  
65 clauus, etcetera.

Dicitur etiam tertium *signum magnum*, nam includit et continet in se filium et quando uirgo uidetur cum filio suo in brachiis est sicut anulus cum lapide pretioso, sic in proposito. De his tribus signis loquebatur Hugo de Sancto Victore dicens: «o peccator, si ad Deum patrem uerebaris accedere, ad filium confuge Iesum, hunc tibi fratrem dedit Maria, sed si in  
70 illo naturam uereris diuinam, ad Mariam confuge, genus tuum conspicias, nihil in ea terrendum inuenis, mater est gratie, mater est misericordie». Ideo dicit Bernardus in sermone: «ad Mariam tamquam ad medium tamquam ad Dei archanum tamquam ad negotium seculorum recurrunt qui in celis», etcetera. Et in alio loco dat ipse causam dicens idem Bernardus: «merito ad te respiciunt oculi totius creature, quia in te, de te et per te  
75 benigna manus omnipotentis quidquid creauerat recreauit».

Igitur, si in huius contemplatione tota spes nostra firmatur, quia est mater gratie et misericordie; si hodie hanc gratiam uultis habere, ad hoc pretiosissimum signum *respicite et eleuate capita uestra*. Ad hanc igitur, etcetera.

<THEMA> *Respicite et eleuate capita uestra*, ubi supra.

40: Is. 5, 26. | 49: Is. 7, 14. | 50-51: Apc. 12, 1. | 58: Io. 17, 3. | 66: Apc. 12, 1. | 77-79: cf. Lc. 21, 28.

48: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, IV, 4. PL 183, 81B. | 68-71: Hugo de Sancto Victore] *Auctor err.* cf. Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 7. PL 183, 441C. | 72-73: Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328A. | 74-75: cf. MF. Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328B.

49: *Post septimo X add.* Dicens.

80 Due erunt partes in presenti sermone. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda sancti euangelii expositiua.

Inter conditiones iudicii finalis reperiuntur tres principaliores et potissime. Prima est uniuersalis omnium. Secunda, quod erit terribilius cunctis rebus. Tertia, quod dies et hora illius est nobis occulta. Primum patet nam cum sit uniuersale et generale omnibus seculis et  
85 nationibus, ideo omnibus nationibus fuit reuelatum.

Primo, populo gentili, ut patet in Sibyllis, maxime patet de Sibylla Erithrea, de qua narrat Augustinus in libro decimo octauo De Ciuitate Dei, capitulo uicesimo tertio, que non solum notificauit diem iudicii esse futurum, sed etiam narrauit iudicem et conditiones iudicii, nam in principio uersuum suorum erant posite littere, que iuncte dicebant «Jesus  
90 Christus filius Dei saluator». Et licet essent sic posite in greco, translate in latinum non potuerunt talem intellectum seruare.

Item patet in populo iudaico in ueteri testamento quasi per omnes prophetas.

Tertio, patet in populo christianorum, nam apostolus Paulus dicit secunda Corinthiis quinto: *omnes nos manifestari opus ante tribunal Christi*, ideo dicit uniuersaliter “omnes”,  
95 etcetera. Item Christus, Matthei uicesimo quinto dicit: *cum uenerit filius hominis cum omnibus angelis*, etcetera, *congregabuntur ante eum omnes gentes*. Et sic uenient ad iudicium omnes angeli boni in societatem Christi et ut approbent sententiam suam. Item ad hoc ut sint testes contra illos quos custodierunt. Item ut associent beatos ad gloriam celorum. Item aderunt omnes angeli mali in iudicio. Et sic Christus ad iudicium non ueniet cum angelis  
100 iudicantibus, sed ministrantibus quo ad bonos. Sed quod ad malos, id est, demones, dico quod ibi aderunt et condemnabuntur. Patet hoc tripliciter.

Primo, ex parte iustitie Dei, nam sicut hominum fiet uniuersale iudicium, sic et angelorum condemnatio.

Secundo, ex parte demeriti, nam sicut participes fuerunt culpe humane, sic contumelie et  
105 pene maxime ex parte Christi, nam fuit iudicatus mediante eorum suggestione.

Tertio, ex parte supplicii consumandi, ut si quid penarum eis deest, suppleatur plene, quia simul cum damnatis incarcerabuntur. Et sic patet quod in iudicio omnes angeli, tam boni quam mali erunt ante tribunal Christi.

Secundum patet, scilicet: quod sit res multum terribilis, nam Sibylla predicta multa narrat  
110 de illo iudicio insolita quando dicit: «iudicii signum tellus sudore madescet», etcetera. Item hoc patet in prophetis ueteris testamenti, nam semper de iudicio finali loquuntur per uerba terribilia dicentes: *dies ultionis, dies ire, dies amara et miserie*. Item in nouo testamento patet, nam Apostolus dicit ad Romanos secundo: *in iudicio malis erit indignatio, tribulatio et angustia*, etcetera. Et Matthei uicesimo quarto: *in die illa erit tribulatio qualis non fuit ab initio mundi*.  
115 Igitur si a principio creationis usque ad finem mundi, quando erit iudicium maior tribulatio non fuit, sequitur propositum.

Tertium patet quod fuerit occulta dies illius et hora, nam in populo gentili nulla reperitur certitudo illius. Item in populo iudaico dicitur sepe a prophetis: “dies domini”, quia illi soli

---

94: II Cor. 5, 10. | 95-96: Mt. 25, 31-32. | 112: cf. So. 1, 15; cf. Is. 34, 8. | 113: Rm. 2, 8-9. | 114: Mt. 24, 21.

89-90: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XVIII, 23, 1. PL 41, 579B. | 110: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XVIII, 23, 1. PL 41, 579B.



120 nota est. Item in populo christianorum in parabolis semper dicitur occulta, nam ueniet sicut fur, ut dicitur ab euangelistis et etiam ab apostolo Paulo in prima ad Thessalonicenses quinto dicitur: *de temporibus et momentis*, etcetera, *dies domini sicut fur*, etcetera. Et sic dies illa et hora nulli puri creature fuit nota. Solum est nota sanctissime trinitate, scilicet: patri, filio et spiritui sancto et anime pretiose Christi Iesu, que ab instanti conceptionis uidit et uidet clare in uerbo, etcetera.

125 Sed contra de filio, nam dicitur in Marco, capitulo decimo tertio: *de die autem illa et hora nemo scit neque angeli in celo nec filius, sed solus pater*. Dico quod hic non loquitur de filio naturali, sed de filio adoptiuo, scilicet: de homine. Nam homo dicitur magis filius Dei quam angelis, quia angelus est filius solum per creationem, homo uero per creationem et recreationem.

130 Si enim de filio naturali hoc diceretur, cum ipse esset qui loquebatur, non dixisset neque angeli neque filius hominis, sed dixisset: “neque ego”, sed dicit: “solus pater”, igitur, etcetera. Dicendum quod illa dictio exclusiua solus addita trino essentiali non excludit alias personas diuinas, sed solum creaturas. Vnde solus pater creat, non intelligitur quod filius uel spiritus sanctus non creent, sed quod aliqua creatura non creat. Si uis, dic quod non  
135 filius, ut nobis reuelatur, ut dicit glosa, non quod non possit reuelare, sed quia non uult, etcetera. Patet igitur quod pater, filius et spiritus sanctus bene sciuerunt diem et horam iudicii et etiam anima Christi. Et nulla alia pura creatura scit, licet sanctus Bonauentura dicat quod angeli superiores, ut cherubin et seraphin non inconuenit ut sciant, nam quando dicit: “neque angeli”, intelligitur de inferioribus. Item dicit quod nulli uiatorum reuelatum fuit, sed non inconuenit quod fuerit reuelatum aliquibus sanctis in gloria. Sed dico cum  
140 reuerentia quod inconueniens esset quod alicui angelorum uel sanctorum esset notum et non uirgini Marie. Sed ipse dicit quod nulli uiatorum fuit notum et per consequens nec uirgini per ipsum, nam illa fuit uiatrix. Sed si illi non fuit concessum hoc, sequitur quod nec fuerit concessum alicui angelorum nec sanctorum, cum illa fuerit excellentior illis, et ut dicit Damascenus: «a nullo illustrium uincitur». Igitur hoc fuit priuilegium anime Christi,  
145 etcetera.

Sed contra uidetur quod apostolis fuerit reuelatum, nam Christus dicit, Iohannis decimo quinto: *omnia que audiui a patre meo nota feci uobis*, igitur et hoc audiuit. Sicut enim a patre habuit essentia, sic ab illo habuit scientiam, etcetera. Item idem filius dicit de spiritu sancto, Iohannis decimo sexto: *cum uenerit spiritus sanctus, ille uos docebit omnem ueritatem*, etcetera, sed  
150 hec est ueritas, igitur, etcetera. Dicendum quod illud intelligitur de necessariis ad salutem; hoc potius erat contra salutem, etcetera. Si igitur apostoli hoc non sciuerunt nec aliqui alii, ideo Actuum primo dicitur illis a Christo: *non est uestrum nosse tempora uel momenta*, etcetera. Vnde si aliquis hoc sciret aut esset per rationem naturalem aut per reuelationem. Non  
155 ratione naturali, quia hoc modo sciri non potest, cum per rationem naturalem motus celi non deficiet, sed a sola uoluntate diuina, ut dictum est in sermone precedenti; nec per reuelationem, quia hoc esset notus angelis celi, sed illis fuit occultum, igitur, etcetera. Noluit igitur Deus ut certitudinem haberemus de die et hora ut semper essemus preparati ad illud, nec uoluit quod totaliter illud diem et horam et illud tempus ignoraremus nec deciperemur, sed per coniecturas et iudicia illud uoluit nobis ostendere, et sic ut illa iudicia recte  
160 consideraremus quando uenirent. Ideo dixit per uerba thematis: *respicite et eleuate capita uestra*. Quo ad primam partem, etcetera.

121: I Th. 5, 1-2. | 125-126: Mc. 13, 32. | 147: Io. 15, 15. | 149: Io. 16, 13. | 152: Act. 1, 7. | 160-161: cf. Lc. 21, 28.

134: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Mc., 13, 32. PL 114, 228C. | 136: Bonauentura] NI. | 144: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, IV, 14. PG 94, 1158B.

144: Priuilegium] M preuilegium.

165 Secunda pars erit de euangelio exponendo illud et quamuis littera sepe fuerit declarata et  
salus animarum maxime stat in sensu spirituali et morali, quia illud de quo potius rationem  
redituri sumus predicatorum in die iudicii, erit quod potius uolumus nos ostendere quam  
170 aliis prodesse. Ideo hodie solum moraliter illud exponam, ne in die iudicii de hoc rationem  
dare teneam. Et sic postquam certitudinaliter diem nec horam iudicii scire non possumus,  
saltem propinquitatem illius temporis per coniecturas et signa consideremus, ne  
decipiamur. Et sic ego ex sacra scriptura percepi quod sicut in zodiaco sunt signa duodecim  
et illis expletis uel transactis completa est circulatio, sic in mundo precedent duodecim  
175 signa, quibus expletis, de propinquo ueniet finis mundi. Dicit igitur Lucas, uel potius  
Christus per ipsum, quod in quattuor partibus erunt signa finis seculi, scilicet: *in sole, luna et  
stellis et in terris*. Et sic inter alia signa ego uideo quod in sole erunt tria signa; in luna tria; in  
stellis tria et alia tria in terris. Et sic erunt duodecim in quattuor partibus mundi.

Moraliter autem per solem intelligitur potestas ecclesiastica.

175 Per lunam potestas secularis. Patet per Innocentium, qui scribens imperatori  
Constantino, dicit hoc, et habetur extra De Maioritate et Obedientia, capitulo “Solite”,  
dicens: «fecit Deus duo luminaria», etcetera.

Per stellas uero intelliguntur homines in aliqua sanctitate constituti, ut habetur prima ad  
Corinthios decimo quinto: *stella differt a stella in claritate*, etcetera.

180 Item terra notat peccatores, unde in sacra scriptura sepe per terram terreni notantur. Et  
sic nunc uidebimus tria signa in unoque istorum.

Et primo, dicit: *erunt signa in sole*, scilicet: tria. Primum: *sol obscurabitur*, Matthei uicesimo  
quarto et Marci decimo tertio, scilicet: per ignorantiam, qui aliquando lucebat per scientiam  
et doctrinam. Habuit enim hic sol tres radios illuminantes mundum. Primum statum  
185 prelatorum; secundum statum religionum; tertium statum simplicium clericorum. Isti tres  
radii totum mundum illuminabant temporibus retroactis.

Patet de prelatibus in summis pontificibus in Siluestro, Gregorio et Leone, etcetera. Patet  
in archiepiscopis in Anselmo, in Egidio de Roma et Bruno. In episcopis patet de  
Augustino, Ambrosio, Athanasio, Cesario, Cypriano, Durando, Eustachio, Hilario et Petro  
190 Lombardo.

Secundo, patet de radio religionum, nam Benedictus, Bernardus et Thomas de Aquino,  
Bonauentura, etcetera, qui illuminarunt ecclesiam.

195 Tertio, patet de radio clericorum, unde Cyrillus, Didimus, Eusebius, Chrysostomus,  
Cassianus et Damascenus multum ecclesiam illustrauerunt. Sed hodie sol quo ad istos tres  
radios nullo modo lucet, sed quo ad primum est obscuratus per nebulam ignorantie. Quo  
ad secundum religionum dicit Iohannes Apocalypsis sexto: *sol factus est quasi saccus cilicinus*  
per hypocrisim. Nam omnes religiosi isto tempore, ut fugiant laborem studii, omnes  
simulant sanctitatem quam non habent, ideo dicit “quasi saccus” quo ad apparentiam.  
Accipiunt habitus uiliores, quos nunquam Franciscus recepit.

171-172: cf. Lc. 21, 25. | 179: I Cor. 15, 41. | 182: Lc. 21, 25. | cf. Mt. 23, 29; Mc. 13, 24. | 196: Apc. 6, 12.

177: cf. Gre. IX., *Deer.*, I, 33, 6, col. 198.

200 Quid dicemus de tertio radio clericorum? Dico quod iam prostratus est, unde Apocalypsis octauo: *percussa est tertia pars solis*, scilicet: status clericorum, nam etiam legere non sciunt, igitur bene sol est obscurus. Quo ad primum signum.

205 Secundum signum est predicationis euangelii, unde Matthei uicesimo quarto dixerunt discipuli: *quod signum aduentus tui et consummationis seculi?* Dixit Christus: *predicabitur hoc euangelium in uniuerso orbe et tunc ueniet consummatio.*

Sed dices: non fuit iam predicatum per apostolos in toto mundo? Dico quod non. Et non dicit Daud in Psalmo decimo octauo: *in omnem terram exiuit sonus eorum*, scilicet: apostolorum, *et in fines orbis terre uerba eorum?* Dico quod sic, quia uerba apostolorum predicando exierunt in fines orbis terre, qui sunt oriens, occidens, meridies et septentrio. 210 Nam Thomas ad Indiam orientalem, Iacobus in Hispaniam occidentalem predicauerunt, Bartholomeus in septentrionem, Mattheus in meridiem ad Ethiopiam missus, unde dicit Beda quod de nigredine in albedinem conuertit Ethiopiam. Omnes alii apostoli predicarunt in medio istorum, ideo sonus istorum, id est, fama, fuit per totum mundum. Sed in fine mundi predicabitur in omnem terram, ut dixit Christus, sed hodie iam paratur predicatio, 215 nam nostris temporibus inuenta fuit terra per reges dominos nostros uersus occidentalem plagam, quam antiqui ignorabant. Item uersus orientem ad Indiam per regem Portugalie usque ad fluuium Indum. Et sic habita lingua illorum de propinquo predicabitur, etcetera.

Tertium signum est positum a Christo, Matthei uicesimo quarto: *cum uideritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*, etcetera. Hec abominatio desolationis, ut dicit 220 Nicholaus de Lyra, est simonia in templo Dei, scilicet: in ecclesia, nam licet alie persecutiones ecclesie fuerint abominationes, sed non erant desolationes ecclesie, sicut ista. Nam mediante simonia repellitur qui est dignus et promouetur indignus, quo mediante destruitur status ecclesiasticus. Vnde precipuum signum sacerdotii legalis fuit quando summum sacerdotium uendebatur in ueteri testamento in uno quidem anno Anne et altero 225 Cayphe, sic temporibus nostris, etcetera. Et sic per ista tria signa in statu ecclesiastico uidemus propinquitatem iudicii.

Sed sunt alia tria signa in luna, id est, in statu seculari, scilicet: in imperatore, regibus, ducibus et militibus, etcetera.

230 Primum est quando dicit Christus: *luna non dabit lumen suum*, scilicet: hec luna debet mundum illuminare per lucidam uirtutem iustitie, nam: «iustitia est preclarissima uirtutum», quinto Ethicorum, sed hodie nullo modo dant lucem, immo nolunt illam iustitiam uidere. Deberent propugnare pro uiduis, pupillis et pauperibus, sed econuerso isti destruunt uiduas, pupillos et faciunt pauperes.

235 Secundum signum in luna est maxima tyrannia que sequitur ex alio, unde Christus, Matthei uicesimo quarto: *et quoniam abundabit iniquitas refrigescet charitas multorum.* Vnde: quia iniquitas quasi inequitas, cum iustitia sit equitas, iniustitia erit iniquitas et ex isto uenit tyrannia. Patet hoc nam antiquitus reges et duces dotabant ecclesias faciendo monasteria et dando ecclesiis muneras maxima mediante charitate ardenti. In medio temporum non dabant ecclesiis, quia iam tepida erat charitas. Nunc in fine iam est frigida charitas et non

---

201: Apc. 8, 12. | 204: Mt. 24, 3. | 204-205: Mt. 24, 14. | 207-208: Ps. 18, 5. | 218-219: Mt. 24, 15. | 229: cf. Mt. 24, 29. | 235: Mt. 24, 12.

212: cf. Bed., *Mart.*, XI Kal. Octobris, E. PL 94, 1050A. | 220: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 5), Mt. 24, 15, f. 74r. | 230: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, V, 3, 29b28, pp. 454-455.

240 solum non dant ecclesiis, sed rapiunt bona illarum. Et si de ecclesiis hoc faciunt, quid  
facient de aliis, ut patet, etcetera?

Tertium signum in luna est prelia, etcetera, unde Christus dicit: *surget gens contra gentem et regnum aduersus regnum*, etcetera. Iam hoc uidetur in hostio, nam gens Machometica contra christianitatem surgit temporibus nostris, nam Turcus tot loca ciuitates, tot regna acquisiuit,  
245 quod sine lacrimis explicari non ualet. Item regnum aduersus regnum, ut patet in Italia et speratur in regno nostro et Francia, nisi Deus aliter prouideat. Igitur sicut secundum signum processit a principio, scilicet: ab iniustitia, sic tertium a secundo quando est tyrannia inter reges christianos, quod quilibet uellet acquirere regnum alterius, tunc infideles lacerant regnum christianorum. De istis preliis loquebatur Iohannes Apocalypsis sexto et Iohelis  
250 secundo dicentes: *luna conuersa est in sanguinem per prelia*, etcetera. Ecce igitur ista tria signa in potestate seculari.

Sunt alia tria signa in personis sanctis et uirtuosis.

Primum signum est defectus sanctitatis in mundo, ut dicit Christus: *stelle cadent*, scilicet: sancti a sanctitate. Hodie non uidetur sanctus in hoc seculo; ante in quolibet anno  
255 canonizabantur, sed hodie unus non in multis annis, etcetera, unde dicit Chrysostomus super Mattheum quod: «medulla mundi est sanctitas. Sicut igitur lesa medulla arboris mox siccatur arbor, sic deficiente sanctitate casurus est mundus».

Secundum signum est defectus fidei, unde Apostolus dicit in prima ad Timotheum quarto capitulo: *spiritus manifeste dicit quod in nouissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris et doctrinis demoniorum loquentium mendacium prohibentium nubere et precipientes* (ut dicit glosa) *abstinere a cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione a fidelibus*, etcetera. Iste sunt due hereses, quas hodie in Hispania pullulant. Prima est istorum qui omnia ponunt communia, ut in Durango et Amboto et etiam illi qui ueniunt de partibus orientis cum isto errore, qui ponunt etiam mulieres communes. Si igitur  
265 matrimonium dat unam determinatam mulierem uni uiro et dat unum uirum uni mulieri, etcetera, cum hoc isti tollant per errorem suum, sequitur quod prohibent nubere. Si mulieres sunt communes non opus matrimonium. Secunda est heresis neophitorum, quam in manibus habemus, qui precipiunt abstinere a carnibus que non sunt per iudeos preparate. Item a carnibus porcinis. Item a pinguedine. Item a neruo Iacob, quod uulgariter dicitur “glandolica”. Omnia ista debent cum benedictione a fidelibus sumi, ut dicit  
270 Apostolus.

Tertium signum est repetitio prophetarum, unde Christus dicit, Luce decimo sexto: *lex et prophete usque ad Iohannem*. Sed Christus dicit, Matthei uicesimo quarto et Marci decimo tertio: *multi pseudoprophete surgent*. Patet hoc iam esse. Primo, circa ciuitatem Toletanam surrexit quidam pseudopropheta. Item in ciuitate Cordube surrexerunt tres, etcetera. Sed quod sint falsi prophete patet ex confessione propria illorum, nam quando perdidit loquellam Zaccharias sacerdos ueteris testamenti et filius dixit: *ecce agnus Dei*, implete fuerunt prophetie de messia. Igitur omnes isti sunt falsi et est signum propinquitatis iudicii finalis. Et sic ista tria signa sunt in personis sanctitatem simulantibus.

280 Sunt etiam alia tria signa in peccatoribus, qui per terram significantur.

---

242-243: Lc. 21, 10. | 250: cf. Apc. 6, 12; Ioel. 2, 31. | 253: cf. Mt. 24, 29. | 259-262: I Tim. 4, 1-3. | 272-273: Lc. 16, 16. | 274: cf. Mt. 24, 11; Mc. 13, 22. | 277: cf. Io. 1, 36.

256-257: cf. Pseu. Io. Chrys., *Op. Imp. In Mt.*, I. PG 56, 614BC.

244: Turcus] M turquus. | 245: Explicari] M explicarii. | 246: Regno] M regna. | 278: Prophetie] M prophete.

Primum est conuersio infidelium terrenorum, ut iudeorum et agarenorum, et de isto dicit Christus in euangelio hodierno: *uidete ficulnea et omnes arbores cum producunt*, etcetera. Ficulnea notat, secundum doctores, synagogam, unde tempore passionis Christis fuit ab ipso maledicta, ut patet Marci undecimo, nam non habet nisi folia cerimoniae et alie  
 285 arbores sunt gentiles. Omnes isti iam faciunt aliquod signum fructus ex conuersione sua et licet fructus illorum non sit nunc maturus, erit in filiis, unde Mattheus et Marcus dicunt quod quando ficulnea mittit ramum uiriditatis, sicut nunc faciunt isti, dicunt ab arbore fici: *discite parabolam*, etcetera.

Secundum signum in terra est multitudo peccatorum, unde dicit Christus: *sicut fuit in diebus Noe*, etcetera, quia tunc fuerunt multa peccata, nam dicit Deus, Genesis sexto: *uidens autem dominus quod multa malitia esse in terra et cuncta cogitatio intenta esset ad malum, dicit: "delebo – inquit – hominem"*, etcetera. Sic hodie est.

 290

Tertium signum est horribilitas peccatorum, unde dicit: *sicut fuit in diebus Loth*, quando fuerunt peccata nephanda, etcetera, sic hodie est. Vnde Apostolus secunda ad Timotheum tertio dicit: *in nouissimis temporibus instabunt tempora periculosa et erunt homines seipsos amantes, cupidi, auari, elati*, etcetera.  
 295

Hec maxima auaritia notat finem seculi, nam ut dicunt doctores, sicut primum iudicium uenit in aqua contra ardorem luxurie, sic ultimum ueniet in igne contra frigiditatem auaritie. Hodie igitur, sicut ecclesia perditur per simoniam, sic seculum per usuram et in iudicio solum de operibus misericordie disceptabitur. Nam Christus dicet malis, in misericordiis et auaris: *ite, maledicti*, etcetera. Item dicet misericordiis et bonis: *uenite, benedicti patris mei*, nam propter hoc quod implestis opera misericordie, sicut in seculo recepistis gratiam, sic nunc percipietis gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, etcetera. Amen.  
 300

---

282: cf. Lc. 21, 29-30. | 284: cf. Mc. 11, 14. | 288: cf. Mt. 24, 32; Mc. 13, 28. | 289-290: cf. Mt. 24, 37. | 290-292: Gn. 6, 5-7. | 293: cf. Lc. 17, 28. | 295-296: II Tim. 3, 1-2. | 301: cf. Mt. 25, 41. | cf. Mt. 25, 34.

297: cf. Bas., *Hom. In Hex.*, VI, 3. PG 29, 122C; cf. Vinc. Beau., *Spec. Mor.*, II, 11, 2, p. 808

SERMO CENTESIMVS VICESIMVS SEPTIMVS ET PRIMVS IN SECVNDA DOMINICA ADVENTVS

<THEMA> *Erunt signa in sole et luna*, Luce uicesimo primo.

Preter alias rationes dictas, Christus dicitur “sol” et uirgo Maria “luna” propter tria.

5 Primo, Christus dicitur “sol” quia sicut sol facit diem, sic Christus, unde ante peccatum Ade et ante ortum huius solis fuerunt dies eternitatis, de quibus Michee quinto: *egressio eius a diebus eternitatis*. Sed per peccatum Ade facta fuit nox in uniuerso mundo, unde Psalmi centesimo tertio: *posuisti tenebras et facta est nox*, etcetera. Et sicut dies fit per ascensum solis in horizonte et nostro hemispherio, sic facta fuit dies per aduentum Christi, ut patet in epistola preterite dominice ad Romanos decimo tertio: *nox precessit dies autem appropinquabit*,  
10 etcetera. Item ad Ephesios quinto dicit Apostolus: *eratis aliquando tenebre, nunc autem lux in domino*, etcetera. Et sicut sol facit tempora, Genesis primo, sic Christus est dominus temporis, etcetera.

Secundo, sicut mediante sole omnia uiuificantur, ut dicit Misalach, sic mediante Christo. Vnde Iohannis primo: *uita erat*, etcetera.

15 Tertio, sol solus inter omnes planetas mouetur uniformiter et regulariter nunquam errando sub linea eccliptica, nec habet circulum minorem, qui dicitur “epiciclus”, sicut alii planete. Ideo alii planete dicuntur “erratici”, quia errant a uia illa, etcetera, sic Christus nunquam errauit nec peccauit, prima Petri secundo et Isaie quinquagesimo tertio: *qui peccatum non fecit*. Omnes alii sancti *errauerunt in solitudine*, Psalmi centesimo sexto. Vnde  
20 prima Iohannis primo: *si dixerimus quod peccatum non habemus*, etcetera. Vnde de isto sole dicit ecclesia uirgini Marie: «ex te enim ortus est sol Christus», etcetera.

Sic Maria dicitur “luna” propter tria.

Primo, propter breuitatem cursus inter alios planetas, unde ceteri planete per magnum tempus complent cursum suum, ut Saturnus in triginta, Iupiter in duodecim, Mars in duo,  
25 Venus et Mercurius sicut sol, luna in breui, scilicet: in mense. Sic Maria inter omnes sanctos fuit perfectissime in sua conceptione preseruata citius, quia in instanti conceptionis et citius subuenit peccatoribus.

30 Secundo, sicut luna inter alios planetas est similima soli, unde luna quasi liminarium una, dicit Isidorus, sic uirgo magis fuit Christo similima, quia in anima sine peccato, nam electa ut sol, et: *in sole posuit tabernaculum suum*, etcetera, et in corpore, quia: «caro Christi caro uirginis est», ut dicit Augustinus, et complexione, quia de sua substantia uestitus fuit filius Dei.

35 Tertio, sicut luna habet dominium in natura humana in sanitate et egritudine, etcetera, ut dicit Ptolomeus De Iudicii Astrorum, sub luna est egritudo et sanitas. Ideo medicus non discernit egritudinem si lunam ignorat, ut dicit Hippocrates in principio Pronosticorum et

---

2: Lc. 21, 25. | 5-6: Mi. 5, 3. | 7: Ps. 103, 20. | 9: Rm. 13, 12. | 10-11: Eph. 5, 8. | 11: cf. Gn. 1, 14. | 14: Io. 1, 4. | 18-19: cf. Is. 53, 9; I Pt. 2, 22. | 19: Ps. 106, 4. | 20: I Io. 1, 8. | 30: cf. Ps. 18, 6.

13: cf. Mis., *De Ele. Et Orb. Coel.*, c. XXVII. | 21: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, in Ev. PL 78, 802C. | 29: cf. Isid., *Etym.*, III, 71, 2. PL 82, 178D. | 30-31: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, V. PL 40, 1145B. | 34: Ptolomeus] cf. Hier. Card., *Comm. In Ptol. De Astr. Iud.*, lib. I, c. 2, text. 10, p. 98. | 35: cf. Hipp., *Lib. Pron.*, lib. I, 7, f. 19r.

1: Aduentus] M duentus. | 5: Michee] M, X Malachie. | 9: Decimo] M, X *omm.* | 26: Perfectissime] M prefectissime. | 35: Pronosticorum] M Prenosticorum.

Galenus in commento De Diebus Creticis. Sic uirgo Maria habet dominium in natura humana et est reparatrix infirmitatum, etcetera, unde Cassianus de uirgine dicit: «tu patrona humani generis, tu afflictis et captiuis medicina singularis, quis tuo non egeat munere cum sit peccare commune?».

40 Sed in isto sole et luna antequam darent lucem gratie oportuit esse alia duo signa, preter duo predicta in alio sermone.

Vnde aliud signum in sole materiali fuit retrogradatio, Isaie tricesimo octauo et quarto Regum uicesimo, ubi habetur: *conuersus est sol decem lineis*. Infra dicit: *hoc erit signum a domino, uis ut ascendat umbra*, etcetera, in horologio Acaz, unde natura humana a sua puritate declinans  
45 descenderat decem lineis in horologio Ade. Nam sicut hore diei artificialis in equinoctio sunt duodecim, sic perfectiones hominis creati fuerunt duodecim: sex ex parte anime et sex ex parte corporis, et a decima illarum cecidit per peccatum hominis primi.

Prima perfectio fuit propagationis castitas, nam in illo statu innocentie fuisset thorus immaculatus, quia commixtio fuisset sine concupiscentia libidinis, sic partus sine labore  
50 doloris, ut dicit Augustinus.

Secunda erat complexionis sanitas, nam erat complexio humana ad medium redacta sine humorum discrepantia. Et sic sanitas continua.

Tertia iustitie originalis integritas, scilicet: obedientia uirium inferiorum ad superiorem rationem. Et sic nulla sensualitas rebellio erat ratione Deo obediente.

55 Quarta corporis et anime impassibilitas, non esuries nec sitis nec frigus nec dolor, etcetera.

Quinta immortalitas, quia homo poterat non mori per Dei uirtutem et esum signi.

Sexta loci tranquillitas in paradiso, qui est locus tranquillitatis, uoluptatis et exultationis secundum Damascenum. Alie sex ex parte anime, scilicet:

60 Septima peccati inmunitas factus homo non solum sine peccato, sed sine incitamento peccati.

Octaua cognitionis perspicacitas, quia excellentius cognouit Deum et se et alia, etcetera.

Nona uirtutum serenitas, ut charitatem et alias uirtutes infusas, ut dicit Magister in secundo, distinctione uicesima.

65 Decima beatitudinis securitas, quia uiuentes fuissent translati de terrestri paradiso ad celestem.

Vndecima fuit arbitrii libertas, quia homo recepit in adiutorium liberum arbitrium ab omni corruptella immune, quo stare posset, si uellet.

---

43-44: cf. IV Rg. 20, 9; cf. Is. 38, 7-8.

36: cf. Gal., *De Dieb. Decret.*, lib. III, c. 6, pp. 447-448. | 37-39: Cassianus] *Auctor err.* cf. MF. Cas., *Var.*, XI, 40. PL 69, 851B. | 50: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XIV, 26. PL 41, 434D. | 59: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, II, 11. PG 94, 914A. | 63: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 27, 5. PL 192, 715B.

70 Duodecima fuit diuine imaginis dignitas, qua «mens Dei capax particepsque esset»,  
 secundum Augustinum, et solum per istas duas lineas non descenderat primus homo. Que  
 due linee remanserunt secundum essentiam. Vulnerate tamen quo ad naturalia, quia liberum  
 arbitrium per peccatum difficultatem recepit ad bonum et pronitatem ad malum.  
 Exemplum statere, nam antequam cadat, est libera. Post casum uero habituatur ad illam  
 75 partem casus. Sic primus homo poterat peccare et non peccare. Post peccatum uero potuit  
 peccare et non potuit non peccare. Imago etiam remansit deflorata et deturpata. In Christo  
 uero sole facta est conuersio per illas decem lineas, quia natura humana in homine Christo  
 reposita fuit in omnimoda priori perfectione, licet penalitates et mortem dispensatiue  
 assumpsit et nullo modo contraxit.

80 Secundum signum in sole materiali sunt obtenebratio, de quo Iohelis secundo: *sol et luna  
 obtenebrati sunt*. Sic uerus sol Christus, de quo Apocalypsis sexto: *sol factus est niger quasi saccus  
 cilicinus*. Dicitur niger factus in passione Christi propter uulnera et flagella et impropria. De  
 isto habetur Isaie quinto: *leuabit dominus signum in nationibus*. Vnde idem Isaie quinquagesimo  
 tertio capitulo: *uidimus eum quasi despectum et non habentem speciem*, etcetera. Fuit saccus: *in quo  
 fuerunt et sunt omnes thesauri sapientie Dei absconditi*, ut dicit Apostolus ad Colossenses secundo.  
 85 Fuit cilicinus propter uite asperitatem, qui in passione Christi fuit scissus. Psalmi uicesimo  
 nono: *concidisti saccum meum*, etcetera. Non dicit “aperuisti”, sed “concidisti” per plagas et  
 uulnera, ut thesauri sapientie absconditi erogarentur largius. Et licet istum saccum fecerit  
 spiritus sanctus et fuerit, sed pannum texuerunt Maria uirgo et angelus Gabriel. Et isti  
 fuerunt duo textores; lancea que uadit de uno ad alium fuit lingua uirginis et angeli in  
 90 corpore assumpto. Que lancea formam habet lingue.

Primo, mittitur de angelo ad Mariam dicendo: *auē gratia plena*.

Secundo, mittitur ab illa in angelum dicendo: *quomodo fiet istud?*

Tertio, ab angelo in Mariam dicendo: *spiritus sanctus superueniet in te*.

Quarto, a Maria in angelum dicendo: *ecce ancilla domini*, etcetera.

95 Et sic ex isto panno operatione spiritus sanctus factus fuit saccus, et licet attribuatur  
 spiritui sancto, sed a tota trinitate fuit factus, unde Iob decimo sexto: *saccum consui super  
 cutem meam*, id est, inseparabiliter mihi uniuī. Quia: «quod semel assumpsit nunquam  
 dimisit». Vnde Bernardus in sermone dicit: «quasi saccum misericordia sua plenum Deus  
 pater filium suum misit in mundum, unde effusum est pretium nostrum». Christus enim  
 100 hoc sacco conciso in passione pecuniam, que latebat, effudit in pretium redemptionis.  
 Vnde Augustinus in sermone dicit: «concidit saccum lancea persecutor. Iudas uendit,  
 iudeus emit, nec ille habet pretium nec iste Christum. Cantat ergo redemptor, gemit Iudas  
 proditor, erubescit iudeus emptor».

Similiter in luna fuerunt alia duo signa, que in materiali luna reperiuntur.

---

79-80: Ioe. 2, 10. | 80-81: Apc. 6, 12. | 82: Is. 5, 26. | 83: Is. 53, 2-3. | 83-84: Col. 2, 3. | 86: Ps. 29, 12. | 91:  
 cf. Lc. 1, 28. | 92: cf. Lc. 1, 34. | 93: cf. Lc. 1, 35. | 94: cf. Lc. 1, 38. | 96-97: Iob. 16, 16.

69: Aug. Hipp., *De Tr.*, XIV, 8, 11. PL 42, 1044C. | 97-98: cf. Petr. Lom., *Sent.*, III, 22, 2. PL 192, 803CD; cf.  
 Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, III, 27. PG 94, 1098AB. | 98-99: Bern. Cl., *In Epi. Dom.*, I, 2. PL 183, 143A. | 101-  
 103: Aug. Hipp., *Serm.*, CCCXXXVI, 4. PL 38, 1473D-1474A.

85-86: Vicesimo nono] M, X tricesimo nono. | 101: Persecutor] M presecutor. | 104: Reperiuntur] M  
 reperiunter.



105 Primum conuersa est luna in sanguine, Iohelis secundo: *luna conuertetur in sanguinem*. De isto signo habetur Iudicum sexto capitulo, de Gedeone querente signum in uellere, unde primo fuit area sicca et aqua in uellere; secundo fuit aqua sumpta ex uellere in quedam conqua et finaliter aqua ex conqua madefecit totam terram. Vellus autem significabat Christi humanitatem, que sumpta fuit ex uirgine tamquam ex oue mediante uirtute spiritus  
 110 sanctus. Conqua significat uirginem Mariam, nam ante uirginem Mariam nulla fuit aqua gratie in mundo, sed ex quo Christus fuit *plenus gratia*, Iohannis primo. Tunc tota aqua fuit in conqua uirginis Marie et finaliter ex uirgine fuit plena tota terra: *de eius plenitudine nos omnes accepimus gratiam pro gratia*. Vnde Maria uirgo conuersa fuit in sanguinem compassionis respectu peccatorum. Ideo in nuptiis dicit filio suo: *uinum non habent*, unde Bernardus in  
 115 sermone de nuptiis: «quid mirum si pietatem exhibent uiscera pietatis». Quod figuratum fuit per Hester, nam: *aurea uirga signum clementie significat*, Hester quarto capitulo et octauo. Item Bernardus: «Maria copiosissima charitate sapientibus et insipientibus debitricem se fecit omnibus misericordie», quia sine ista misericordia nihil profuisset peccatoribus illa.

Secundum est percussionis, nam luna materialis fuit percussa, Apocalypsis octauo:  
 120 *percussa est tertia pars lune*. De isto signo habetur, tertio Regum decimo tertio: *hoc erit signum a domino: "ecce altare scindetur"*, etcetera. Sed uirgo fuit altare in quo Christus positus fuit, unde sic fuit in uirgine Maria in passione filii sui. Ideo corpus uirginis non fuit percussum, quia solus filius pati et mori uoluit pro salute mundi, unde Isaie sexagesimo tertio: *torcular calcanti solus et de gentibus non est uir mecum*, etcetera. Sed fuit percussa anima uirginis Marie, unde  
 125 Symeon: *tuam ipsius animam pertransibit gladius*, etcetera, sed anima diuisa in sensibilem et intelligibilem et hec fuit Christi. Ideo dicit: «tuam animam ipsius», scilicet: Christi, et hec fuit percussa et sic «passa in parte impassibili». Et sic martyrium suum super omnia fuit excellens.

Igitur in Christo uero sole, non solum in conceptione uel natiuitate, sed in uita et morte  
 130 apparent signa ad remissionem peccatorum, quia inclinato capite uocat nos, apertis brachiis sperat nos, uulnera ostendit, que pro nobis recepit. Item luna Maria uirgo oculos misericordie ad nos ostendit, ut cantat ecclesia: «in leua habet Christum».

Primo, ut ipsa sit ad dextera, non solum in celo, sed hic.

135 Secundo, ut dexteram seruet pro peccatoribus reconciliandis et Christo iungendis. Et sic, ut te securum faciat de gratia, dum inuocabis *erunt signa in sole et luna*, etcetera. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Erunt signa in sole et luna*, ubi supra.

Due erunt partes huius sermonis. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda sancti euangelii expositiua, si erit tempus.

140 Quantum ad primam partem est sciendum quod articulus maxime necessitatis est articulus iudicii finalis, nam in eo recapitulantur omnia facta. Vnde omnes partes iustitie reducuntur ad illas quas ponit Psalmista, Psalmi tricesimo sexto: *declina a malo et fac bonum*. Ideo Athanasius in suo Symbolo dicit: «inde uenturus est iudicare uiuos et mortuos. (Addit): et qui bona egerunt ibunt in uitam eternam, qui uero mala in igne eternum». Ideo

---

105: Ioel. 2, 31. | 106: cf. Idc. 6, 37. | 111: Io. 1, 14. | 112-113: cf. Io. 1, 16. | 114: cf. Io. 2, 3. | 116: cf. Est. 4, 11; 8, 4. | 120: Apc. 8, 12. | 120-121: III Rg. 13, 3. | 123-124: Is. 63, 3. | 125: Lc. 2, 35. | 135-137: cf. Lc. 21, 25. | 142: Ps. 36, 27.

115: Bern. Cl., *Domi. Pri. Post Oct. Epi.*, I, 2. PL 183, 155C. | 117-118: Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, 2. PL 183, 430D. | 127: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 14. PL 30, 138A. | 143-144: Ath., *Symb.*, I. PG 28, 1583BC.

145 propter eius necessitatem, uiso in precedentibus sermonibus de necessitate iudicii, uiso  
etiam qualiter est nobis ignotus dies ille, nam soli Deo est notus et certus, ut diximus, et cui  
Deus uoluerit reuelare et nobis solum per signa et coniecturas manifestatur, ideo hodie  
uidebimus hanc conclusionem: quod signa que precedere debent iudicium sufficienter  
ostendent illud esse uicinum. Sed antequam probatur hec conclusio est notandum,  
150 secundum Alexandrum de Ales in tertia parte, questione uicesima quinta, quod signa iudicii  
sunt in triplici differentia.

Prima sunt remota, ut prelia, pestilentie, fames, etcetera.

Secunda sunt satis uicina, ut signa in sole et luna, etcetera.

155 Tertia sunt simul cum iudicio, ut uidere filium hominis in nube et uidere signum filii  
hominis et tubam et conflagrationem mundi. Vnde Augustinus libro uicesimo De Ciuitate  
Dei, capitulo ultimo dicit: «circa iudicium has res dicimus esse uenturas, Heliam Thesbitem,  
fidem iudeorum, antichristum persecuturum, Christum iudicaturum, mortuorum  
resurrectionem, bonorum malorumque direptionem, mundi conflagrationem et  
renouationem, que omnia esse uentura credendum est». Nunc uidebimus de signis  
160 propinquis ad iudicium.

Probatur conclusio signa predicta et, preter consuetudinem et in partibus essentialibus  
uel principalibus mundi sufficienter ostendunt eius finem, sed ista sunt huiusmodi igitur.  
Hoc patet nam signa sufficientia debent habere tres conditiones.

165 Prima, quod sint narrata et predicata per illum qui scit esse signa illius rei ignote.  
Exemplum: si quis ueniret de partibus Egipti, ubi nunquam pluit, dato quod iste audiret  
tonitrua, non sciret esse signa pluie. Sed si quis hoc sciens diceret ei: “quando audies talem  
sonum, scias pluuiam esse uicinam”, tunc iste sciret esse signa illius per scientem notificata.

170 Secundo, debent esse signa preter consuetudinem. Vnde si quis diceret: “iudicium finale  
erit in illo anno in quo fient uenti uel pluie uel aliquid tale usitatum”, non certificaret nos,  
sicut si medicus dicat: “quando pulsus illius mouebitur, sciatis esse propinquum morti”,  
nihil esset, quia pulsus semper mouetur et sic non redderet nos certos. Sed bene si diceret:  
“quando mouebitur sic uel sic”, preter consuetudinem.

175 Tertio, debet esse in partibus principalibus. Nam si quis uideret tabulam ab aliqua domo  
cadentem uel fenestram aliquam, non propter hoc diceret domum esse in breui casuram.  
Sed si uideret fundamenta deficere, parietes scindi, tecta incuruari, tunc dicerent domum in  
breui esse casuram, quia ille sunt partes principales.

Sed ista signa habent istas tres conditiones.

Patet quia primo fuerunt predicata per Deum, qui sciebat esse signa huius. Et hoc  
habetur Matthei uicesimo quarto, Marci decimo tertio, Luce uicesimo primo, etcetera.

180 Secundo, sunt signa preter nature cursum, ut uidebimus.

---

179: cf. Mt. 24, 29; Mc. 13, 24; Lc. 21, 25.

150: cf. Alex. Hal., *S. Th.*, (vol. 4), lib. 3, trac. 8, memb. 1, p. 296. | 156-159: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XX, 30, 5. *PL* 41, 708C.

164: Reij M rey. | 175: Tecta] M, X recta.

Tertio, in partibus principalibus mundi, que sunt quattuor, scilicet: sphaera ingenerabilium supra concauum limen et sphaera generabilium, scilicet: elementorum infra lunam, tertia natura angelica, quarta natura humana. Sed in istis erunt hec signa igitur.

185 Prima patet in celis, nam in sole, luna et stellis erit maxima obscuritas, qualis nunquam fuit, unde dicitur Matthei uicesimo quarto: *post tribulationem, etcetera, sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum*. Hoc idem dicit Machometus in quarto libro, azora tricesima septima, que dicit “De die iudicii”. Item Isaie decimo tertio: *dies domini crudelis, etcetera, obtenebratus est sol et luna non dabit splendorem suum*. Sed iste eclipsis non fiet naturaliter. Probatur quia tunc non esset signum et deficeret ei conditio secunda signi sufficientis, sed fiet uirtute diuina  
190 per uoluntatem suam precipientem solem retrahere radios suos. Secundo, quia naturalis eclipsis solis fit in coniunctione lune cum sole et eclipsis lune fit in opponne illorum. Igitur, cum simul sint obscurata ista luminaria, si naturaliter hoc esset, sequeretur contradictio. Nam simul et semel essent in diuersis locis, quia essent iuncta quod ad eclipsim solis et essent separata quo ad eclipsim lune, et sic essent in diuersis locis.

195 Et si dicis: forte erit hoc in diuersis temporibus, ut dicit sanctus Thomas in quarto, distinctione quadragesima octaua, questione prima, articulo quarto, questiuncula secunda, obiectione. Et sic dubitat: utrum simul uel non? Sed dicendum quod necesse est esse simul, quia dicitur sol obscurari et obtenebrari, sed cum luna non habeat lumen proprium sed a sole, sequitur quod simul obscurantur. Nam in eclipsi naturali non perdit lumen sol, sed  
200 solum perditur quo ad nos. Et etiam sanctus Thomas in loco preallegato dicit quod sol et luna obscurabuntur per priuationem sui luminis, igitur simul opus esse.

Item dicit quod stelle cadent. Non est hoc intelligendum ad litteram secundum Augustinum, quia stelle non possunt scindi nec diuidi a celo: «cum celi non suscipiant peregrinas impressiones», et dato quod possent diuidi, non caderent in terram, cum non  
205 habeant grauitatem, etcetera. Sed dicuntur stelle cadere a luce propria, quam sumebant a sole. Et sic, cum in eclipsi non priuentur stelle in parte superiori celi, nam licet Mercurius et Venus possent eclipsari per interpositionem terre, sed alii planete et stelle firmamenti non possunt, nam non potest conus umbre ad illos attingere. Et sic, si stelle priuantur luce, sequitur quod eclipsis non fiat naturaliter et quod fiat simul solis, lune et stellarum. Et sic  
210 nec tenebre Egipti nec tempore passionis Christi fuerunt sic obscure, sicut ille erunt.

Sed aliqui dicunt quod tenebratio solis non fiet per lucis priuationem, sed per aduentum maioris lucis, scilicet: Christi ad iudicium. Dicendum quod hoc est distinguendum, nam ante diem iudicii fiet obscuritas solis per lucis priuationem, sed postea sol et luna recuperabunt lumen suum. Sed in die iudicii Christo adueniente ad iudicium fiet quod  
215 dicitur per aduentum maioris lucis, scilicet: corporis Christi. Et hoc est quod dicit Isaie uicesimo quarto capitulo: *erubescet luna et confundetur sol cum regnabit dominus in monte Sion, etcetera*. Nam «uallis Iosaphat est inter montem Oliueti et montem Sion», etcetera.

Item erunt signa in parte inferiori. Primo, in terra, nam licet multi sint terremotus partiales ante diem iudicii, sed circa illam erit terremotus non naturalis sicut alii. Nam ante  
220 diem illum dicitur: *et terremotus magni erunt per loca*, et isti non erunt naturales, sed supranaturales quo ad multiplicationem et pluralitatem illorum. Hoc idem Machometus, azora sexagesima secunda, quarto, que dicitur “De Terremotu Diei Iudicii”. Sed ante et

---

185-186: Mt. 24, 29. | 187-188: Is. 13, 9-10. | 216: Is. 24, 23. | 220: cf. Lc. 21, 11.

186: cf. Q 75, 8-9. | 195: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 48, q. 1, a. 4, p. 550. | 203: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XX, 24, 1. PL 41, 697D. | 203-204: cf. Auctor. Arist., *Mete.*, I, 5, (341a17-23; 35-36), p. 171; *De Cael. Et Mun.*, I, 17, 270a27-35, p. 160. | 217: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 2. PL 30, 123C. | 222: cf. Q 99, 1.

225 prope diem iudicii erit terremotus generalior per uniuersam terram, de quo in Psalmo septuagesimo quinto: *de celo auditum fecisti iudicium, terra tremuit et quieuit*. Et sic hic terremotus non erit per positionem exalationis intra terram, quia tunc est terremotus partialis, sed hic erit generalis in tota terra. Item: «terra equabitur et fiet plana», ut dicit Hieronymus se inuenisse in annalibus iudeorum, licet illud fuerit apochriphum et incertum, non solum quo ad auctorem, sed etiam quo ad ueritatem. «Item arbores et herbe plorabunt sanguinem. Item corruent edificia. Item in aqua erit signum, quia eleuabitur quadraginta cubitis supra 230 terram non exiundo de loco maris. Item aer obscurabitur magis quam nunquam ante fuerit et in eo erit maximum distemperamentum, ex quo *erunt pestilentie et fames*, Matthei uicesimo quarto. Item in igne erunt impressiones, ut dicit Chrysostomus, et comburet aquam maris ac si esset oleum», ut dicit Hieronymus recitando.

235 Tertio, in angelis erunt signa, nam dicit: *uirgines celorum mouebuntur*, quo ad preparationem eorum que ad iudicium pertinent, ut dicit Chrysostomus, uel commouebuntur timore reuerentiali. Vnde Iob uicesimo sexto: *columnne celi contremiscunt et pauent a conspectu suo*. Vnde Beda: «quid faciunt tabule quando tremunt columne? Quid sicca quando percutitur cedrus paradisi?». Et sic angeli commouebuntur quo ad effectum et non quo ad affectum. Exemplum: uidens ex alto monte ciuitatem comburere tremit. Aliud exemplum: quando 240 filius regis uidet quod aliquis puer in suo conspectu flagellatur, concutitur, licet non timeat flagella. Item catulus canis flagellatur in presentia leonis. Et sic in angelis non potest esse timor miserie alicuius, cum sint beati et iam non possunt esse miseri, ut male dixit Machometus, libro primo, de duobus angelis Babilonie, azora prima, alea centesima prima. Item libro quarto, azora secunda, alea sexagesima sexta, nam securitas est de essentia 245 beatitudinis. Et sic, si de aliqua miseria timerent, non essent uere beati, quod est falsum, quod ille dicit.

Quarto, erunt signa in hominibus tria.

Primum maxima auaritia, unde Matthei uicesimo quarto: *quia superabundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum*. Nam sicut sunt tria bona in radice, scilicet: bona anime, bona corporis et bona exteriora, que dicuntur bona fortune, sic est triplex radix peccati, ut dixit Iohannes in prima canonica, capitulo secundo: *quidquid est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia uite*. Et quia de peccato superbie fuit primum iudicium in celo cum angelis et de concupiscentia carnis diluuiio per aquam contra calorem luxurie, nunc tertium restat de concupiscentia oculorum, que est auaritia. Et quia per frigiditatem 255 charitas causatur, ideo speratur in igne iudicium finale, et sic dixit beatus Mattheus: *refrigescet charitas multorum*. Et sic in fine mundi ista tria erunt iuncta, sed precipue regnabit auaritia, unde nunc in mundo quanta simonia, quanta usura, quot modi fallendi et decipiendi proximum, etcetera.

260 Secundum signum in hominibus est quod: *multi uenient in nomine meo dicentes: "ego sum Christus"*, Matthei uicesimo quarto. Quot uenerunt? Primus fuit Simon, magus samaritanus. Alius fuit Iudas galileus et alius Theodas. Alius Machometus post sescentos annos post Christum et multi alii, qui fuerunt sumpti pro messia a iudeis. Et ultimo ueniet antichristus, ut ait Augustinus libro uicesimo De Ciuitate Dei, capitulo decimo nono, et eius sequaces, qui multos decipient in Iudea et in mundo.

224: Ps. 75, 9. | 231: Mt. 24, 7. | 234: cf. Mt. 24, 29. | 236: Iob. 26, 11. | 248-249: Mt. 24, 12. | 251-252: I Io. 2, 16. | 255-256: cf. Mt. 24, 12. | 259-260: Mt. 24, 5.

226-233: Hieronymus] cf. Petr. Com., *Hist. Sch.*, in ev., CXLI. PL 198, 1611A. | 235: cf. Io. Chrys., *Hom. In Mt.*, LXXVI, 3, 29. PG 58, 698A. | 237-238: Bed., *Hom.*, III, 25. PL 94, 321C. | 243: cf. Q 2, 102. | 244: cf. Q 39, 68. | 263: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XX, 19, 2. PL 41, 685D.

265 Tertium est Matthei uicesimo quarto: *multi pseudo prophete uenient uel surgent*, etcetera. Isti erunt prophete antichristi, nam sicut Christus habuit ante se multos prophetas, qui predixerunt aduentum suum et legem et miracula, etcetera, sic antichristus habebit qui predicent multa de eo. Et sic sunt omnes qui introduxerunt heresim Hispanicam, scilicet: ut seruarentur simul legalia et euangelica, ut erat ille qui dicebat et predicabat quod dies sabbati colaretur simul cum dominica. Nam hoc predicabit antichristus, unde Isidorus Etymologiarum octauo dicit: «antichristus templum Hierosolymis reparare et omnes ueteris legis cerimonias restaurare temptabit». Et sic qui talia dicunt sunt antichristi predicatorum, ut dicit Gregorius et habetur De Consecratione, distinctione tertia “Peruenit”. Antichristus uero solum in Iudea predicabit ut Christus.

275 Et si dicis: quomodo dicunt doctores quod nascetur in Babilonia? Dicendum est quod uerum est, sed Babilonie sunt tres.

Prima est chaldeorum, in qua filii Israhel fuerunt captiuati. Et illa turris nunc non habitatur, ideo in illa non nascetur. Et si dicis quod tunc populabitur in tempore suo, dicendum quod nunquam habitabitur, unde Isaie decimo tertio: *erit Babilon illa ciuitas gloriosa in regnis inclita in superbia chaldeorum, sicut subuertit dominus Sodomam et Gomorram, non habitabitur usque in finem et non fundabitur usque ad generationem et generationem. Non habitabit arabs, sed requiescet ibi bestie et implebuntur domus eorum draconibus*, igitur, etcetera.

Secunda Babilonia est in Egipto, circa ciuitatem Cayrum, et hec etiam non habitatur nec in illa sunt aliqui christiani nec habitatores. Et sic nec de ista exiet.

285 Tertia est Babilonia mystica, que est ciuitas Rome, ut dicit Hieronymus, de qua dicit Petrus, prima Petri ultimo: *salutat uos ecclesia que est in Babilonia*. Et secundum omnes doctores illam epistolam scripsit beatus Petrus dum erat ipse Rome, igitur. Et sic tenent multi quod Rome nascetur. Exibit ex damnato coitu, quia pater agredietur filiam et ex illo exhibit puer damnatus, ut dicit Isidorus in Hexameron. Exiet de parentibus christianis, sed de genere Abrahe. Et sic dicit Isidorus quod erit de tribu Dan, unde Genesis quadragesimo nono: *fiat Dan coluber in uia et sicut cereastes in semita*, quod exponitur de antichristo. Ideo tribus Dan non numeratur in libro uiuentium, Apocalypsis septimo. Ipse antichristus erit christianus baptizatus et baptizabitur a demone, ut aliqui uolunt, uel, quia occulte baptizabitur, erit error in forma baptismi. Non autem erit demon in unitate persone, ut probatur sanctus Thomas tertia, questione octaua, articulo octauo, quia impossibile est eandem personam esse damnatam et non damnatam sine miraculo et placere Deo et non placere. Nec demon potest uirtute finita esse simul cum semine uiri et mulieris. Sed ipse antichristus circumcidetur in etate perfecta et faciet falso modo omnia que Christus uere fecit, etcetera, eligendo duodecim apostolos et septuaginta duo discipulos, ut Christus. Et sic habebit prophetas et precursores precedentes et apostolos et discipulos simul et sequentes eum, etcetera. Erit rex, unde: *cum creuerit iniquitas consurget rex impudicus*, Danihelis octauo. Et sic dicit Hieronymus quod erit monarcha et uincet regem et interficiet regem austrie, id est, Ethiopie et Libie et Egipti, id est, Africe, et: *intrabit in turrem gloriosam*, id est, terram sanctam, Danihelis undecimo. Et sic dicunt Hieronymus et Ambrosius super Mattheum quod erit monarcha romanorum et restituet eis libertates pristinas, ut inquit

265: Mt. 24, 11. | 279-282: Is. 13, 19-21. | 286: I Pt. 5, 13. | 291: Gn. 49, 17. | 292: cf. Apc. 7, 4. | 301: Dn. 8, 23. | 303: cf. Dn. 11, 41.

271-272: Isid. *Etym.*, VIII, 11, 22. PL 82, 316C. | 273: cf. Gre. Mag., *Ep.*, XIII, 1. PL 77, 1253B; cf. Gra., *Decr.*, III, 3, 12, 3. PL 187, 1784C. | 285: cf. Hier., *Ep.*, CXXI, 11. PL 22, 1037A. | 289: Isidorus] *NI*. | 290: cf. Isid., *Qu. In VT.*, In Gn., XXXI, 35. PL 83, 282A. | 295: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 8, a. 8, p. 86. | 302: cf. Hier., *Comm. In Dn.*, XI, 40-41. PL 25, 572C. | 304-305: cf. Hier., *Ep.*, CXXI, 11. PL 22, 1037A; cf. Pseu. Ambr., *Comm. In Ep. II Th.*, II, 1-4. PL 17, 456C.

Ambrosius super illud secunde ad Thessalonicenses secundo capitulo “*nisi uenerit*”, etcetera, et recipietur a iudeis pro messia. Vnde Iohannis quinto dicit Christus iudeis: *ego ueni in nomine patris mei et non recepistis me, alius ueniet in nomine suo, illum recipietis*. Vnde Apostolus secunda Thessalonicenses secundo: *pro eo quod charitatem uirtutis non receperunt, ut salui fierent, mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio et iudicentur*. Regnabit in terris duodecim tribuum, secundum Bedam et Hieronymum, exceptis terris Edom et Moab et Amon, scilicet: in montibus Arabie, ubi erit refrigerium christianorum, et hoc idem dicit abbas Ioachim. Tunc Deus mittet Heliam et Enoch de paradiso terrestri. De Helia habetur Malachie ultimo capitulo, dum loquitur de iudicio finali dicit: *ecce dies uenient successa quasi caminus*. (Et infra): *ecce ego mittam uobis Heliam prophetam antequam ueniat dies domini magnus et horribilis*, etcetera. De ambobus loquitur Damascenus in quarto suo. Item Ecclesiastici quadragesimo octauo: *surrexit Helias*, etcetera, *qui scriptus est in iudiciis temporum lenire iracundiam domini contra iudeos consiliare cor patris ad filium et restituere tribus Iacob*, scilicet: Deo, per predicationem. Item Apocalypsis undecimo dicitur de duobus: *ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus et dabo duobus testibus meis et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amictis saccis*. *Et hi sunt due oliue et duo candelabra*, etcetera. Item Apocalypsis duodecimo: *draco*, id est, antichristus, *persecutus est mulierem*, id est, ecclesiam, *et date sunt mulieri due ale*, id est, Heliam et Enoch, secundum Bedam, *ut in desertum*, id est, in montes Arabie, *uolaret, ubi aleretur predicationem per tempus et tempora et dimidium temporis*, id est, per tres annos et sex menses.

Et sic omnes concordant quod predicatio antichristi erit tribus annis cum dimidio, sicut fuit predicatio Christi, unde Danihelis duodecimo: *in tempore illo consurget Michabel princeps magnus*, etcetera, *et ueniet tempus quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse ceperunt usque ad tempus illud*, ut dicit Isidorus De Summo Bono capitulo uicesimo sexto, etcetera. Infra: *et dixi: “usquequo finis horum audiui a uiro*, etcetera? Cum eleuaret dexteram in celum, iurauit per uiuentem in eternum, quia in tempus et tempora et dimidium temporis.

Quod autem tempus in sacra scriptura significet annum patet, nam de Nabuchodonosor habetur Danihelis quarto: *septem tempora super te transibunt*, id est, septem anni, ut omnes exponunt, etcetera. Item hoc idem habetur per menses, Apocalypsis decimo tertio: *data est ei potestas facere malum mensibus quadraginta duo*. Et sic sunt tres anni cum dimidio. Item hoc habetur per dies, unde Danihelis duodecimo: *a tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium et posita fuerit abominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta*. Et sic sunt tres anni cum dimidio. Sic, dum antichristus in Hierusalem edificabit templum et sedebit in illo ut Deus et ostendet multa miracula falsa per incarnationes demonum et erunt apparitiones hominum resurgentium, demones cessando a uexatione uidebuntur miracula facere et faciet multa uera, scilicet: que fieri possunt per motum, ut descensio ignis de celo faciendo noua animalia in mundo, scilicet: que fieri possunt ex putrefactione. Sed dicuntur mendacia, quia talia ordinata sunt ad fallendum, ut ieiunium hypocrite dicitur falsum. Ideo quia ordinatur ad hoc: ut ostendatur illum esse bonum, licet ieiunium sit uerum, etcetera, per se et per suos apostolos decipiet multos per quattuor, scilicet:

per simulationem uite, quia ipse erit maximus hypocrita et sui sequaces etiam.

**306:** II Th. 2, 3. | **307-308:** Io. 5, 43. | **309-310:** II Th. 2, 10-12. | **314-315:** Mal. 4, 1. | **315-316:** Mal. 4, 5. | **317-318:** Sir. 48, 1-10. | **319-321:** Apc. 11, 2-4. | **321-324:** Apc. 12, 13-14. | **327-328:** Dn. 12, 1. | **329-330:** cf. Dn. 12, 6. | **333:** Dn. 4, 13. | **334-335:** Apc. 13, 5. | **336-337:** Dn. 12, 11.

**311:** cf. Bed., *Hom.*, IX. PL 94, 52B; cf. Hier., *Ep.*, CXXI, 11. PL 22, 1035B-1038B. | **316:** cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, IV, 26. PG 94, 1218C. | **323:** Beda] *Auctor err.* cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Apc, 12, 14. PL 114, 732D. | **329:** cf. Isid., *Sent.*, I, 25, 5. PL 83, 593B.

Secundo, per falsam doctrinam false exponendo sacram scripturam.

Tertio, per falsa miracula.

350 Quarto, per maximam potentiam armorum et pecunie, nam: *dominabitur thesaurorum*,  
 Danihelis undecimo. Item per eloquentiam, nam erit doctissimus in omnibus scientiis  
 signanter, erit maximus philosophus et maximus nicromanticus et theologus falsus, unde  
 Apocalypsis decimo sexto: *uidi de ore bestie exisse tres spiritus immundos*. Et sicut in Christo fuit  
 plenitudo bonitatis, sic in illo erit plenitudo malitie et in superbia excedet Luciferum, glosa  
 355 super secundam ad Thessalonicenses secundo capitulo, plures sicut martyres per eum quam  
 in primitiua ecclesia et in omnibus persecutionibus eius. Et sic, inter alios, martyrizabit  
 Heliam et Enoch et ex quo miserit apostolos et mittet spiritum malignum in forma ignis  
 super eos. Quadam die ueneris finget se mortuum et diem dominica resurgere. Et sic faciet  
 obseruare sabbatum diem et dominicam diem, De Consecratione, distinctione tertia,  
 “Peruenit”, etcetera, et simul baptismum et circumcisionem. Dum autem erit in monte  
 360 Oliueti, a quo Christus ascendit, finget se uelle ascendere in celum et tunc: *Christus illum  
 interficiet spiritum oris sui*, secunda ad Thessalonicenses secundo, id est, a spiritu sancto, qui ab  
 eo procedit. Machometus dicit quod Christus interficiet antichristum in Alchorano, libro  
 primo, azora secunda, alea quinquagesima quarta. Item azora tertia, alea centesima  
 quinquagesima octaua, uel per iussionem eius a principe Michaele: *in tempore illo consurget  
 365 Michabel*, Danihelis duodecimo. Et sicut princeps ecclesie primum inimicum uicit in celis,  
 sic ultimum in terris. Et tunc remanebunt iusti quinquaginta quattuor dies per penitentiam,  
 quia ante dixerat quod predicatio antichristi erit centum uiginti nouem dies, unde Danihelis  
 duodecimo: *beatus qui spectat dies mille trecentos triginta quinque*. Et sic addunt quadraginta  
 quinque Hieronymus in glosa super Danihelam et Magister Historiarum.

370 Et sic in hominibus erunt signa iudicii, nam sol significat brachium ecclesie, scilicet:  
 papa, cardinales, archiepiscopos et episcopos, sacerdotes et religiosos, ut habetur De  
 Maioritate et Obedientia capitulo “Solite”: «fecit Deus duo luminaria magna», etcetera.  
 Luna significat brachium seculare, scilicet: imperatorem, reges, milites, barones, etcetera.  
 Stelle notant populares. In uero sole Christo fuerunt quattuor radii inter alios, scilicet:  
 375 radius sanctitatis uite, radius doctrine et legis, radius iustitie et radius pacis, unde in eo  
*iustitia et pax osculate sunt*. Et sic ab isto sole exierunt due iurisdictiones, quia ipse simul fuit  
 rex et sacerdos. Ideo si consideramus clericos quo ad radium sanctitatis: *a planta pedis usque  
 ad uerticem capitis non est sanitas in eo*. Vnde Isidorus De Summo Bono capitulo uicesimo  
 quinto dicit: «antequam antichristus appareat uirtutes ab ecclesia magne cessabunt». Si quo  
 380 ad radium doctrine iam obscuratus est sol quo ad istos radios, et si loquitur de iustitia, nulla  
 est sine pecunia. De pace autem tempore elapso papa cum aliquo cardinali ponebat pacem  
 inter quoscumque reges. Nunc per inobedientiam ad ipsum reges prelium incitant. Si de  
 luna loquimur, habetur signum Iohelis secundo: *sol conuertetur in tenebras et luna in sanguinem  
 antequam ueniat dies domini magnus et horribilis*. Et sic, ultra ista signa solis est signum iudicii  
 385 quod luna conuertetur in sanguinem, quod est per effusionem sanguis christianorum, ut  
 patet nostris temporibus.

---

349: Dn. 11, 43. | 352: Apc. 16, 13. | 360-361: II Th. 2, 8. | 364-365: Dn. 12, 1. | 368: Dn. 12, 12. | 376: cf. Ps. 84, 11. | 377-378: cf. Is. 1, 6. | 383-384: Ioel. 2, 31.

353-354: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, II Th., 2, 7. PL 114, 622C. | 358-359: cf. Gra., *Decr.*, III, 4, 12. PL 187, 1784C-1785A. | 362-363: cf. Q 3, 55; cf. Musl., LIV, 23, 1. | 363-364: cf. Q 4, 159. | 369: cf. Hier., *Comm. In Dn.*, XII, 12. PL 25, 579BC; cf. Petr. Com., *Hist. Sch.*, in Dn., XII. PL 198, 1466B. | 372: cf. Gre. IX., *Decr.*, I, 33, 6, col. 198. | 379: Isid., *Sent.*, I, 25, 3. PL 83, 592A.

366: Per] M pro.

Item stelle cadent, id est, seculares, nam si lux stellarum est a sole et luna, illis priuatis luce, cadent stelle per priuationem lucis, quia qui sine luce uadit, mox cadit, quod sunt hodie sequaces et precursores antichristi, multi superbi, multi auari, multi simulate uite et  
 390 maximi hypocrite. Item exponentes sacram scripturam false. Item multi per miracula falsa decipientes multos. Item alii per potentiam temORIZANTES multos et per diuitias corrumpendo uirtutes et iustitiam. Multi debent pati ab istis in tormentis, in iniuriis, in perditione bonorum. Sed beatus, qui spectat usque ad dies quadragesima quinta, nam  
 395 quadraginta sunt ad credendum et quinque ad faciendum, quadraginta sunt necessaria, scilicet: quater decem, nam si decem, que sunt decem precepta moralia ueteris testamenti, reducuntur ad quattuor euangelia, recte creditur, quia in illis habetur: *diliges dominum Deum tuum et proximum sicut te*. Antiqui dicebant: *diliges proximum*, sed non inimicum, etcetera. Et sic corriguntur omnia precepta, Matthei quinto, a Christo Iesu reducendo illa ad quattuor euangelia. Sic de preceptis iudicialibus et de cerimonialibus, etcetera. Sic etiam de  
 400 sacramentalibus. Et sic decem reducendo ad quattuor sunt quadraginta. Item sunt quinque ad faciendum, que sunt quinque uulnera Christi. In passione enim sua ostenditur cuilibet quid agendum sit, nam in tormentis et aduersalitatibus: ubi est exemplum fortitudinis, constantie et patientie, nisi in passione Christi?

Et sic accipiendo crucifixum dicit peccator in tribulationibus: “tu obtulisti corpus tuum  
 405 sacratissimum pro me et ego non dabo corpus fetidum pro te? Tu carnem pretiosam et ego non dabo carnem peccatricem? Tu uitam nobilem et ego non dabo meam uoluptuosam?”

Et considerando ista peccator patienter tollerat pro Christo. Et sic faciendo, hic habet gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedere dignetur, etcetera. Amen.

---

396-397: cf. Lc. 10, 27. | 397: cf. Dt. 6, 5. | 398: cf. Mt. 5, 43.

397: 1° Proximum] M xproximum.



## Sermo CXXVIII

SERMO CENTESIMVS VICESIMVS OCTAVVS ET SECVNDVS IN EADEM DOMINICA SECVNDA  
ADVENTVS DOMINI

<THEMA> *Erunt signa in sole et luna*, Luce uicesimo primo.

Originaliter uerbum reperi quod assumpsi.

5 Quod uerbum diuinum dicatur in sacra scriptura “sol” et uirgo Maria “luna”, ultra rationes iam tactas, potest demonstrari per tres rationes ex parte solis et per alias tres ex parte lune.

10 Primo, quia sicut sol materialis fuit eternaliter in mente diuina secundum esse ideale, ut dicit sanctus Thomas prima, questione decima quinta, quod sunt idee omnium rerum et quod sunt eterne in primo, distinctione tricesima sexta, in tempore, scilicet: quarta die, productus fuit sol. Et sic tres dies precesserunt ante productionem illius, qui facti fuerunt per motum cuiusdam parue nebulae lucide ad modum lune, ut notat Magister in secundo libro, distinctione decima tertia. Et ibi doctores quod ex illa luce factus fuit sol, sic de uerbo diuino possumus dicere, cum esset in patre eternaliter. Factus fuit in mundo temporaliter et  
15 hoc fuit ex quadam nebula parua ad modum lune, scilicet: uirgine Maria, et hoc post tres dies, scilicet: in quarta die; prima fuit nature, secunda scripture, tertia gratie, que incepit in uirgine Maria, uel sic tres dies precesserunt ante. Prima fuit in enigmate prophetarum, quia tunc aliquialiter fuit prefigurata, unde Bernardus: «quid ille rubus mosaicus portendebat flamas quidem emittens, sed non ardens nisi Mariam parientem et dolorem non  
20 sentientem? Quid uirga Aaron florida non tamen humectata nisi Mariam ipsam concipientem licet uirum non cognoscentem?», etcetera. Sic per nubem, etcetera. Et sic prima dies precessit aliquialiter sub nube prophetarum. Secunda fuit uirginis conceptio. Tertia eius natiuitas. Et sic his tribus diebus presuppositus, in quarta natus et conceptus fuit Christus.

25 Secunda proprietas solis fuit quod in primo instanti tantum lumen habuit sicut postea et nunquam aucta fuit lux illius, quia tantam habuit sicut recipere potuit remanente sole. Nam cum sit proprium soli sic lucere, si maius lumen postea reciperet, non remaneret sol. Sic Christus in primo instanti conceptionis habuit tantum lumen sicut potuit habere siue quo ad diuinitatem siue quo ad gloriam anime, quia tunc fuit uerus comprehensor.

30 Tertia solis proprietas est quia ipse habet lumen a Deo immediate et omnes planete ab eo illuminantur. Ideo dicitur ab Isidoro: «sol, id est, solus lucens», sic filius Dei habet lumen a patre, sicut essentiam et omnia ab eo illuminantur. Vnde: *ego sum lux mundi*, dicit Iohannis octauo. Item Iohannis primo: *erat lux uera que illuminat omnem hominem*, etcetera.

Sic Maria uirgo dicitur “luna” propter tria.

35 Primo, quia sol factus fuit ex lumine illius et exiuit ex illa, unde ecclesia: «ex te ortus est sol iustitie».

---

3: Lc. 21, 25. | 32: Io. 8, 12. | 33: Io. 1, 9.

9: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 15, a. 3, p. 128; *Sup. Sent.* (vol. 2), lib. 1, dist. 36, q. 2, a. 3, p. 580. | 12: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 13, 2. PL 192, 678A. | 18-21: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 5. PL 183, 63CD. | 31: cf. Isid., *Ety.*, III, 71, 2. PL 82, 178D; cf. Petr. Ber., *Dict.*, c. currus, p. 405. | 35-36: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, in Ev. PL 78, 802C.

18: Portendebat] M protendebat, X pretendebat. | 32: Iohannis] M Jannes.

Secundo, luna inter planetas dicitur sola plena et luminare maius, unde Genesis primo: *fecit Deus duo luminaria magna*. Est uerum quod maius fuit sol et sic respectu illius dicitur  
 40 luminare minus, sed magnum respectu aliorum. Sic uirgo Maria dicitur maior inter sanctos  
 et minor respectu sui filii et dicitur plena inter omnes, nam secundum gratiam nullus  
 respectu illius dictus fuit plenus et secundum diuinitatem sola illa, unde Bernardus: «legimus  
 Stephanum plenum gratia et apostolos spiritus sanctus repletos, sed longe dissimiliter a  
 Maria, quia nec in illo habitauit gratie plenitudo, nec illi conceperunt de spiritu sancto».

Tertio, luna quanto est propinquior soli est plenior lumine solis, quia qui magis  
 45 luminoso appropinquat plenior lumine efficitur. Quod exemplo patet, nam in loco remoto  
 a lumine non uidetur aliquod paruum obiectum et, si lumini appropinquatur, tunc uidetur.  
 Sed luna quanto est propinquior est lucidior, sed minor uidetur nobis et apparet minus. Sic  
 uirgo Maria quanto magis fuit Christo propinquior magis fuit illuminata, sed minor nobis  
 50 demonstrata, nam in die conceptionis angelus dixit ei: *auē gratia plena*, illa dicit: *ecce ancilla  
 domini*, etcetera, Luce primo.

Et licet ab isto sole mediante ista luna fuerit mundus illuminatus, sed ad hoc oportuit  
 quod prederent alia duo signa in sole et alia duo in luna.

Primum in sole fuit quod occultauit thesauros lucis non pro culpa sua, ut dicit Magister  
 et doctores in quarto Sententiarum, distinctione quadragesima octaua, sed per peccatum  
 55 Ade. Nam cum septem partes lucis haberet, sex illarum occultauit Adam peccante et  
 propter peccatum illius. Sic Christus, cum haberet septem dona spiritus sanctus, ad  
 Colossenses secundo: *in quo sunt omnes thesauri*, etcetera; *cum diues esset, egenus pro nobis factus  
 est*, secunda ad Corinthios octauo, habuit septem dona. Isaie undecimo: *egredietur uirga de  
 radice Iesse et flos de radice eius ascendet requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientie et  
 60 intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientie et pietatis, et replebit*, etcetera. Ista septem  
 dona habuit, sed omnia occultauit, preter spiritum pietatis erga mundum, unde dicebat:  
*misereor super turbam*, Matthei decimo quinto, et: *uenite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et  
 ego reficiam uos*, Matthei undecimo. De ista paupertate Christi et de isto signo habetur Luce  
 secundo, quando angelus dixit pastoribus: *hoc uobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum  
 65 et positum in presepio*.

Secundum signum in sole fuit quod est in sole materiali, nam quando sero in occasu  
 rubescit, est signum serenitatis, sed quando in ortu suo rubescit, est signum tempestatis.  
 Hoc patet Matthei decimo sexto: *accesserunt pharisei et saducei et rogauerunt Iesum ut signum  
 ostenderet eis de celo. Ait eis: “facto uespere dicitis “serenum erit”. Rubicundum est enim celum et mane  
 70 hodie tempestas. Rutilat enim triste celum”*, etcetera. Sic in uero sole, scilicet: in Christo, quando  
 in ortu suo, scilicet: in mane, fuit rubicundus per sanguinis circumcisionem. Tunc notauit  
 tempestatem passionis in tota uita sua. Vnde quando fuit presentatus in templo dixit  
 Symeon: *hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum et in signum cui contradicetur et tuam  
 ipsius animam pertransibit gladius*, etcetera. Sed quando sero, scilicet: tempore mortis, factus  
 75 fuit rubeus per flagella. Tunc notauit serenitatem, nam immediate resurrexit et fuit in gloria,  
 et sic Matthei decimo sexto dicit Christus: *generatio adultera signum querit et signum non dabitur ei  
 nisi signum Ione prophete*.

---

38: Gn. 1, 16. | 49: Lc. 1, 28. | 49-50: Lc. 1, 38. | 57: Col. 2, 3. | 57-58: II Cor. 8, 9. | 58-60: Is. 11, 1-3. | 62:  
 Mt. 15, 32. | 62-63: Mt. 11, 28. | 64-65: Lc. 2, 12. | 68-70: Mt. 16, 1-3. | 73-74: Lc. 2, 34-35. | 76-77: Mt. 16,  
 4.

41-43: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 2. PL 183, 72A. | 53-54: cf. Petr. Lom., *Sent.*, IV, 48, 5. PL 192,  
 957AC; Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 48, q. 2, a. 3, p. 568.

38: Luminaria] M luminare. | 60: Replebit] M, X repleuit.

Similiter in luna precesserunt duo signa.

80 Primum luminis occultatio, sicut diximus de sole, nam per peccatum Ade occultauit et perdidit ex partes luminis. Sic uirgo Maria per peccatum Ade, quod satisfecit filius suus, occultauit similiter septem dona gratie spiritus sanctus. Solum ostendit donum pietatis, unde Bernardus super illud “*ninum non habent*” dicit: «quid mirum si pietatem exhibent uiscera pietatis», etcetera.

85 Secundum signum in luna fuit in eclipsi generali tempore passionis Christi, nam fuit miraculosa et luna supranaturaliter fuit causa illius eclipsis. Secundo, dimisit cursum suum proprium et naturale. Tertio, recepit totum lumen mundi in se et mundus remansit obscurus.

90 Sic uirgo Maria in illo eclipsi fuit supranaturaliter causa illius, nam dedit filio Dei illud quo mediante potuit eclipsari et mori, quia ipse, ut Deus, erat immortalis et factus fuit mortalis mediante uirgine sumendo carnem ex ea et nostram mortalitatem.

Secundo, dimisit cursum proprium et motum naturalem, nam naturaliter, ut dicunt doctores, debebat mori ex illo dolore sumpto, sed non fuit mortua per unionem ad filium, qui illam preseruauit a morte.

95 Tertio, recepit tunc lumen totius mundi in se et mundus fuit obscurus, sic quia lumen fidei in ea remansit et totus mundus obtenebratus. Et sic gratia non potuit dari nisi ista signa prederent, unde dicebat Dauid: *signa nostra non uidimus*, Psalmi septuagesimo tertio. Et sic querebat signum illius boni, scilicet: gratie. Vnde petebat: *fac mecum signum in bono*, Psalmi octogesimo quinto. Fuit hoc signum datum sicut dicit Isaie quinto capitulo: *eleuabit dominus signum in nationibus*, scilicet: signum crucis in die passionis. Et tunc etiam luna fuit  
100 iuncta ad pedem crucis, ut habetur Iohannis decimo nono: *stabat iuxta crucem mater Iesu*, ostendens quod licet filius esset fons gratie aperto latere, sed illa mediante erat gratia impetranda.

Et sic ad certiorandum de illa gratia quotiens peccatores reclamabunt, *erunt signa in sole et luna*. Ad hanc igitur, etcetera.

105 <THEMA> *Erunt signa in sole et luna*, ubi supra.

In presenti sermone uidebimus tres conclusiones. Prima erit quod ante tempus et diem iudicii erit maxima mutatio legis Christi. Secunda conclusio: quod tempus illius est notum soli Deo. Tertia: quod (secundum signa que uidemus) est nobis propinquum illud tempus, etcetera.

110 Sed pro fundamento prime conclusionis est notandum quod secundum Aristotelem, in quinto Physicorum, differentia est inter motum et mutationem, nam motus est in tempore, mutatio est instantanea. Et sic mutatio est in predicamento substantie, motus uero in tribus predicamentis, scilicet: motus, alterationis localis et in predicamento uerbi. Et sic lex Christi non habebit mutationem secundum generationem, quia a Christo fuit iam data, nec  
115 secundum corruptionem. Nam con corrumpetur totaliter, non ex defectu fidei, quia semper

---

82: Io. 2, 3. | 96: Ps. 73, 9. | 97: Ps. 85, 17. | 98-99: Is. 5, 26. | 100: Io. 19, 25. | 103-105: cf. Lc. 21, 25. | 116: Lc. 22, 32.

82-83: Bern. Cl., *Domi. Pri. Post Oct. Epi.*, I, 2. PL 183, 155C. | 111: cf. Arist. Lat., *Phys.*, V, 1, 224b7, p. 193.

113: Verbi] M, X ubi. | 116: Luce] M, X Marci.

erunt aliqui electi, unde Luce uicesimo secundo: *rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, scilicet: ecclesie. Nec hoc erit per defectum gubernationis, unde dicit: *cotidie uobiscum sum usque ad consummationem seculi*, Matthei uicesimo octauo. Nec per defectum regni, unde: *regnum eius regnum eternum quod non corrumpetur*, Danihelis secundo. Vnde angelus dixit, Luce primo: *regni eius non erit finis*. Et sic lex Christi non corrumpetur totaliter, recipiet enim alterationem secundum augmentum et diminutionem.

Primo, enim augebitur ante finem, quod patet Matthei uicesimo quarto: *predicabitur hoc euangelium in uniuerso mundo et tunc ueniet consummatio*. Vnde adimpleto misericordie tempore quo plenitudo gentium ad fidem ingreditur. Discessio a fide reuelabitur quando, scilicet: *refrigescet multorum charitas*, glosa super Iohannem quinto.

Secundo, patet hoc quia quando ueniet persecutio christianorum, regnum et dominium Soldani erit sub potestate christianorum. Patet hoc per Hiezechielem in capitulo tricesimo octauo, in quo loquens de antichristo, secundum Nicholaum de Lyra et alios, dicit: *in nouissimo annorum ueniens ad terram que reuersa est a gladio et congregata est de populis multis ad montes Israhel*, etcetera. (Infra): *et habitabunt in ea*, scilicet: in terra promissionis, *confidenter uniuersi*. Item secundum Hieronymum Egiptus erit tunc et Libia et Ethiopia sub potestate et dominio christianorum. Igitur cum nostris temporibus non sint christiani, sed agareni, sequitur, etcetera. Sed minorabitur et perdetur aliquo tempore post istud augmentum, quod patet quadrupliciter. Primo: *soluetur Satanas*. Secundo: *erunt multi pseudoprophete*. Tertio, maxima discensio in ecclesia romana. Quarto, falsus legislator antichristus.

Primo, solutio Satane, qui tempore passionis Christi fuit ligatus nec tantum noceret populo christianorum, sicut ante faciebat, ut dicit Hieronymus. Vnde Apocalypsis uicesimo: *uidi angelum descendentem de celo habentem clauem abyssi et catenam magnam in manu sua et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligauit eum per annos mille*, id est, per tempus plenitudinis, quod fuit a passione Christi usque ad aduentum antichristi, ut dicunt Augustinus uicesimo De Ciuitate Dei et Hieronymus. Et infra: *ut non seducat gentes donec consummatur mille anni et post hoc opus illum solui modico tempore*, scilicet: tempore antichristi, quod erit trium annorum cum dimidio, ut postea dicemus. Erit autem ista augmentatio legis domino prouidente quod tempore antichristi fiet maxima diminutio fidelium, quod ante illam augeatur. Sic quod illo tempore multi in fide remaneant, ut non tollatur fides Christi.

Secundo, erunt multi pseudoprophete in mundo instructi a demone et predicabunt fidem iudeorum esse seruandam. Vnde Augustinus, uicesimo De Ciuitate Dei, capitulo ultimo, dicit: «circa illud iudicium has res futuras esse dicimus, Heliam Thesbitem, fidem iudeorum, antichristum persecuturum, Christum iudicaturum», etcetera. Vnde Matthei uicesimo quarto: *multi pseudoprophete surgent et seducent multos*, etcetera. Item ibidem surgent pseudoprophete et pseudochristi et dabunt signa magna.

Tertio, erit maximum scisma in ecclesia, unde glosa super secundam ad Thessalonicenses secundo: «nec ueniet dominus ad iudicium nisi uenerit discensio primum, uidelicet: ecclesiarum, ab obedientia romane ecclesie uel hominum a fide».

117-118: Mt. 28, 20. | 119: Dn. 2, 44. | 120: Lc. 1, 33. | 122-123: Mt. 24, 14. | 125: cf. Mt. 24, 12. | 128-130: Ez. 38, 8. | 134: cf. Apc. 20, 7. | cf. Mt. 24, 11. | 138-139: Apc. 20, 1-2. | 141-142: Apc. 20, 3. | 150: Mt. 24, 11.

128: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 4), Ez. 38, 8, f. 264r. | 131: cf. Hier., *Comm. In Ez.*, IX, 30. PL 25, 288C. | 137: cf. Hier., *Apc. Io.*, XX. PL 29, 868A. | 141: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XX, 19, 2. PL 41, 685CD; cf. Hier., *Apc. Io.*, XX. PL 29, 867D-868A. | 148-149: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XX, 30, 5. PL 41, 708C. | 153-154: cf. Hier., *Ep. Pau. Ad Tb.*, II, 2. PL 29, 797A.

155 Quarto, ueniet pessimus legislator antichristus et seminabit damnatissimam heresim. Nunquam autem tam pessima fuit in mundo, scilicet: quod lex Christi debet seruari et simul cum illa lex Mosi, ut habetur De Consecratione, distinctione tertia, capitulo “Peruenit”. Erit autem pessima omnium, quia adiuuabitur per nicromantiam et per dialecticam et fallacias omnium scientiarum et per falsam expositionem sacre scripture. Nam licet secta  
 160 Machometi fuerit dispositiua ad hoc, sed fuit aperte falsa inuoluens multa euidenter falsa, quod ista non faciet, sed omnia Christi confitebitur. Et cum hoc illa que erant a lege Mosi, de isto autem antichristo habetur Apocalypsis decimo tertio capitulo: *et uidi de mari bestiam ascendentem*, etcetera. Vide latius. Nascetur autem hic antichristus ex mare et femina et ex damnato coitu erit spurius. Erit autem ex femine Abrahe, unde glosa super Iohannem  
 165 quinto: «nascetur autem antichristus in Babilonie de tribu Dan. Iuxta quod ait Iacob: *fiat Dan coluber in uia, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro*». Erit autem christianus, sed non cum intentione parentum baptizatus, quia erunt heretici. Et sic sicut Christus semper fuit cum plenitudine gratie, iste nunquam illam habebit, unde glosa super Iohannem quinto: «sicut enim in Christo omnis plenitudo diuinitatis habitauit, ita in  
 170 antichristo plenitudo malitie et omnis iniquitas habitabit, quia ipse erit caput omnium malorum». Nascetur autem Rome, secundum Hieronymum et Methodium.

Et si dicitur quod glosa super Iohannem quinto dicit quod nascetur in Babilonie. Dicendum quod Roma dicitur Babilonia propter confusionem, ut dicit Hieronymus. Probatur hoc quia Petrus, secundum omnes doctores, scripsit primam suam canonicam  
 175 Rome et in ultimo illius capituli dicit: *salutat uos ecclesia que est in Babilonie collecta*, etcetera. Erit autem antichristus de familia parua et modica, sed recipietur a Gog et Magog, ut habetur Hiezechielis tricesimo octauo et Apocalypsis uicesimo: *soluetur Satanas*, etcetera, *Gog et Magog*, etcetera. Vnde Garinus dicit quod: «Gog et Magog sunt gentes ferocissime inter Caspios montes et mare Caspium site a Magno Alexandro incuse», et hec sunt exiture circa  
 180 finem mundi et magnam stragem christianus illature, etcetera. Sed multi dicunt, ut habetur in Compendio Theologie, quod: «Gog et Magog sunt decem tribus intra montes Caspios clause et detente a regina Amazonum et dicunt iudei exiture in finem mundi cum messia et uenient in Hierusalem et destruent ecclesias christianorum. Alii dicunt quod Gog est exercitus antichristi, qui latenter et per hypocrisim persequetur ecclesiam, Magog aperti  
 185 peccatores, qui aperte persequentur ecclesiam illo tempore». Sed Augustinus dicit quod: «Gog refertur ad gentes antichristi, Magog ad demonem, quia Gog interpretatur “occultatio”, Magog “deiectio”», etcetera. Sed frater Petrus Bercharii in suo Dictionario dicit quod: «Gog et Magog sunt filii Israhel ab Alexandro inter montes Caspios in plaga septentrionali supra oceanum, ubi nunc est finis imperii magni canis inter duo castra dicta  
 190 Gog et Magog fuerunt inclusi, et secundum Iosephum, facto terremotu in conspectu principis montibus cadentibus et muro facto et portis ferreis sunt incarcerati, carnibus crudis et ciborum fructibus uiuunt et ab exercitu imperatoris de Cathayo siue magni canis custoditi exire nequunt». Iste tempore antichristi exient et cum iudeis qui sunt per mundum dispersi iungentur cum illo et sanctos persequentur. Ex quo patet quod dictum Nicholai de  
 195 Lyra super Hiezechielem tricesimo octauo, ubi dicit quod rex Hispanie illi subiicietur. Non uidetur ueritatem continere, quod probatur multipliciter.

162-163: Apc. 13, 1. | 166: Gn. 49, 17. | 175: I Pt. 5, 13. | 177-178: cf. Ez. 38, 3; cf. Apc. 20, 7.

157: cf. Gra., *Deer.*, III, 4, 12. PL 187, 1784C-1785A. | 165-166: cf. Haym., *Exp. In Apc.*, II, 7. PL 117, 1037D. | 169-171: cf. Petr. Lom., *Comm. In Ep. Pau.*, II Th., II, 1-5. PL 192, 317D. | 171: cf. Hier., *Ep.*, CXXI, 11. PL 22, 1037A; Methodium] NI. | 178-179: Garinus] *Auctor err.*, cf. Hon. Aug., *De Im. Mun.*, I, 11. PL 172, 123D. | 181-185: cf. Hug. Card., *Sup. Apc.*, XX, f. 422r. | 186-187: cf. Aug. Hipp., *De Cin. Dei*, XX, 11. PL 41, 676BD. | 188-193: Petr. Ber., *Dict.*, c. Antichristus, p. 181. | 194-195: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 4), Ez. 38, 8, f. 264rv.

Primo, dicitur illic Hiezechielis tricesimo octauo: *fili hominis, faciem tuam pone contra Gog et contra Magog principem capitis Moloch et Tubal et uaticinare de eo et dices ad eum*. Dicit Hieronymus quod populus est Gog, terra uel prouincia Magog, et sic non loquitur nisi uni singulariter  
 200 dicens: *prophetabis de eo et dices ei*, etcetera. Si loqueretur ipsi Magog et ipsi Tubal principi Hispaniarum et ipsi Moloch principi Capadocie, diceret: “dices ad eos”, igitur, etcetera. Item quando dicit “principem capitis Moloch et Tubal”, uult dicere quod Magog fuit principalis filius ipsius capitis istorum, scilicet: Iafeth. Nam fuit Magog secundus filius, sed  
 205 Tubal fuit quintus et Moloch sextus filius ipsius Iafeth, quod patet Genesis decimo: *filiu Iafeth Gomer, Magog, Madai, Ianam, Tubal, Moloch et Tiras*. Et sic fuerunt ei septem filii et Iafeth fuit caput istorum et Magog principalis respectu Tubal et Moloch. Et sic dicit “principem capitis Moloch et Tubal”.

Item patet hoc quod exercitus qui illi debuerit fauere erit uenturus a parte septentrionali, quia Hiezechielis tricesimo octauo dicit: *latera Aquilonis et totum robur eius*, etcetera. Sed  
 210 Hispania est occidentalis, igitur. Item: *ab Aquilone pandetur omne malum*, Hieremie primo, igitur, etcetera. Item si ueniret a septentrionali plaga uersus Romam, licet Capadocia sit aliquantulum in uia, nullo modo ipsa Hispania, sed accepto Imperio Romano, ut dicunt doctores, uertet se ad Libiam, Egiptum, etcetera, et sic ingredietur terram sanctam et respectu omnium istorum est remotissima ipsa Hispania. Item Hieronymus dicit quod  
 215 Tubal, ut uolunt aliqui, est princeps ipsius Iberie uel Italie, ut dicitur, sed cum secunda opinio in scriptura sit uerior et de mente propria quam prima, Tubal significat Italicos. Nam ut aliqui uolunt, primo ipsam Italiam populauit et sic ad Hispaniam uenit, que erat remotissima pars orbis et ipsius Europe. Et sic clarum est quod itali illum recipient et reddet illis imperium suum romanum. Ego bene credo quod antichristus mittet unum  
 220 discipulum in Hispaniam, ut Christus fecit ipsum Paulum (ut multi uolunt) uel saltem ipsum Iacobum, de quo nulla est dubitatio, et illum recipient ipsi Hispani. Sed nunquam antichristus ueniet in Hispaniam personaliter, sicut nec Christus uenit in illam, etcetera. Et sic a Roma iter arripiet in terram sanctam et templum reedificabit, circumcidetur, faciet legem Mosi et legem Christi insimul seruare. Eliget duodecim apostolos et septuaginta duo  
 225 discipulos et finaliter omnia, que fecit Christus uere, iste faciet false. Decipiet autem callidam persuasione false exponendo sacram scripturam et predicando per suos discipulos false et muneribus inducendo. Et finaliter per tormenta maxima et miracula falsa erit autem tribulatio qualis non fuit ab initio mundi nec erit, ut habetur Matthei uicesimo quarto: *et dabunt signa ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi*, Matthei uicesimo quarto. Est uerum  
 230 quod erunt tria remedia, ut dicunt doctores.

Primum predicatio Helie et Enoch, Malachie quarto, et Augustinus et Damascenus et quasi omnes doctores hoc dicunt.

Secundum erit quod pars occidentalis remanebit intacta, unde Hieronymus super Danihelem dicit de ipso antichristo: «de Babilonia uenturus primo contra regem Austri, id  
 235 est, Egipti, pugnabit primoque regnum eius, ac postea Libias et Ethiopes superabit, etcetera. Idumeam uero et Moabitidem et Arabiam intactas relinquet, quoniam illic sanctorum cetus ad deserta confugiet». Vnde Apocalypsis duodecimo: *draco persecutus est mulierem*, id est, ecclesiam, *et date sunt mulieri ale due aquile magne*, scilicet: Helias et Enoch, ut

---

197-200: Ez. 38, 2-3. | 204-205: Gn. 10, 2. | 209: Ez. 38, 6. | 210: Ier. 1, 14. | 228-229: Mt. 24, 24. | 231: cf. Mal. 4, 5. | 237-240: Apc. 12, 13-14.

198: cf. Hier., *Comm. In Ez.*, XI, 38. PL 25, 354B-356A. | 214-215: cf. Hier., *Comm. In Ez.*, VIII, 27, 13-14. PL 25, 253BC. | 231: cf. Aug. Hipp., *Serm.*, CCXCIX, 11. PL 38, 1376A; cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, IV, 26. PG 94, 1218C. | 234-237: cf. Hier., *Comm. In Dn.*, XI, 40-41. PL 25, 572CD. | 238-239: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Apc, 12, 14. PL 114, 732D.

240 dicit glosa, *ut uolaret in desertum in locum suum, ubi habitaret per tempus et tempora et dimidium temporis*. Et sic ibi ponuntur duo remedia tacta.

Tertium remedium quod etiam ibi ponitur est abreuiatio temporis, unde Matthei uicesimo quarto: *nisi abreuiati fuissent dies illi non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi*, etcetera. Tantum enim durabit persecutio antichristi quantum durauit predicatio Christi, scilicet: per tres annos cum dimidio. Probatur hoc Apocalypsis  
 245 duodecimo, ut diximus: *draco persecutus est ecclesiam per tempus et tempora et dimidium temporis*. Clarum est quod tempus in sacra scriptura sumitur pro anno. Vnde Danihelis quarto dicitur: *Nabuchodonosor septem tempora mutabuntur super te*, id est, septem anni, ut dicit glosa. Et sic tempus est unus annus, tempora duo anni, quia pluralis locutio duorum munero est  
 250 contenta; dimidium temporis est annus medius. Patet etiam per menses, nam Apocalypsis undecimo dicitur: *ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus*, qui faciunt tres annos cum dimidio.

Item patet hoc per dies, unde Danihelis duodecimo: *a tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium et posita fuerit abominatio dies mille ducenti nonaginta*, qui sunt tres anni cum dimidio. Postquam autem antichristus persecutus fuerit ecclesiam, isto tempore quadam die  
 255 interficiet Heliam et Enoch et illos collocabit in medio ciuitatis Hierusalem et non permittet quod sepellantur et hoc ad terrorem credentium in Christum. Sed omnibus impletis post annos tres cum dimidio, dum sedebit in monte Oliueti simulabit se ascendere in celum et tunc interficietur a Christo, unde secunda Thessalonicenses secundo: *quem dominus interficiet spiritu oris sui*. Et sic multi dicunt quod Michahel illum interficiet precepto domini in monte  
 260 Oliueti, a quo Christus ascendit.

Secunda conclusio: quod tempus huius magne alterationis legis Christi soli Deo est notum. Probatur quia illud tempus erit propinquum fini uel iudicio uniuersali. Igitur qui sciret illud, sciret tempus iudicii, sed illud est notum soli Deo, igitur et istud.

Tertia conclusio: quod secundum signa que uidemus est nobis propinqua.

265 Primum per insulas, que nostris temporibus fuerunt conuerse ad Christum, que nunquam nomen Christi cognouerunt.

Secundum quia disponitur mundus ad antichristum. Nam nostris temporibus multi heretici insurrexerunt uolentes potius in fide Mosi mori quam confiteri illam legem esse finitam quo ad cerimonialia, quod faciet antichristus, nam simul legem ueterem cum lege  
 270 Christi seruabit, ut diximus.

Tertium est quod nunquam tot fuerunt heretici in mundo et simulati homines et christiani.

Quartum est quia multi falsi predicatorum uadunt per mundum seminantes multos errores.

275 Quintum: quia mundum est paratus et pronus ad falsa uel qualiacumque miracula recipienda, ut patet nostris temporibus in regno Castelle.

---

242-243: Mt. 24, 22. | 245: Apoc. 12, 13-14. | 247: Dn. 4, 29. | 250: Apoc. 11, 2. | 252-253: Dn. 12, 11. | 258-259: II Th. 2, 8.

247: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 4), Dn. 4, 29, f. 304v.

257: Simulabit] M simulabit.

## Sermo CXXVIII

280 Sextum: non sunt homines fortes ad resistendum uel pro fide tollerandum aliqua dura. Omnes uolunt esse confessores et nullus martyr: siue circa papa siue circa imperatorem uel reges uel circa archiepiscopos et prelatos, nullus uult ueritatem dicere uel confiteri. Sed secundum desideria illorum, ut aliquod beneficium habeant.

Septimum: omnes inclinati ad auaritiam. Certe cum pauca pecunia antichristus totum mundum obtinebit. Estote ergo parati, quia qua hora non putabitis filius hominis ueniet et certe in suo aduentu isti corrupti et mali habebunt penam.

285 Illi autem liberales et misericordes constantes et firmi hic habebunt gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat. Amen.



## Sermo CXXIX

ALIVS EST SERMO IN EADEM DOMINICA SECVNDA ADVENTVS, QVEM INVENIES  
TRICESIMO TERTIO PRO CONVERSIONE AGARENORVM FACTVS

SERMO CENTESIMVS VICESIMVS NONVS ET PRIMVS IN DIE CONCEPTIONIS VIRGINIS  
MARIE

5 <THEMA> *Erunt signa in sole et luna et stellis*, Luce uicesimo primo.

Originaliter ad laudem, gloriam et triumphum alme Dei genitricis assumptum thema scribitur presens.

Ad reparationem totius mundi non solum debuerunt apparere signa in luna et sole, sed etiam in stellis. Stelle enim significant excellentias et prerogatiuas sanctorum, ut dicit  
10 Apostolus, prima Corinthiis decimo quinto: *stella differt a stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum*. Et sic Iohannes in Apocalypsis capitulo duodecimo, uolens notare excellentias uirginis, significauit illas per duodecim stellas in corona sua, nam quadrupliciter potest considerari persona aliqua. Primo, quo ad naturam aliquam. Secundo, quo ad uirtutes.  
15 Tertio, quo ad gratias. Quarto, quo ad remotionem uel propinquitatem ad peccatum. Sic uirgo Maria quadrupliciter considerabitur. Et sic tres stelle erunt quo ad naturam, tres quo ad uirtutes, tres quo ad gratiam et tres quo ad separationem a peccato. De his tribus ultimis loquemur in processu sermonis, nunc de aliis nouem stellis.

Primo, igitur natura sua potest tripliciter considerari, scilicet: quo ad animam, quo ad corpus et quo ad coniunctum. Et sic prima stella est respectu anime sue et fuit hec quod  
20 inter omnes alias, dempta anima Christi nulla anima fuit, que semper fuerit amica Dei et nunquam inimica nisi ista anima uirginis Marie. Ideo in canticis semper illam uocat “amicam”, Canticorum primo, secundo, quarto, quinto et sexto, semper dicit illam “amicam”. Secunda stella et excellentia fuit respectu corporis et carnis eius pretiosissime, nam fuit purior omni carne et corpore alterius multiplici ratione.

25 Primo, ratione anime, nam anima pura requirit corpus purum et proportionatum illi, unde: «actus actiuorum sunt in patiente dispositio», ut dicit Aristoteles secundo De Anima. Ideo habetur Sapientie primo: *in animam maliuolam non introibit sapientia nec in corpore subdito peccatis*. Igitur qualis anima tale corpus et econuerso.

30 Secundo, ratione filii Dei, cum ex una portiuncula illius carnis debuit uestire filius Dei, clarum est quod debuit esse purior omni alia.

Tertio, ratione purgationis totius mundi, nam mediante illa carne assumpta a uerbo debuit totius mundus purgari a peccatoris, unde Apocalypsis primo: *lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Et non solum tempore illius passionis, sed cotidie in sacramentis illa mediante purgamur. Tertia stella est respectu coniuncti.

35 Primo, quo ad complexionem.

Secundo, quo ad meritum, quod ex illa resultat, nam uirgo Maria plus meruit in uno consensu quam omnes alii qui fuerunt in mundo nec erunt, semper filium Dei excipiendo,

---

5: Lc. 21, 25. | 10-11: I Cor. 15, 41-42. | 11: cf. Apc. 12, 1. | 22: cf. Ct. 1,8; 2, 2; 4, 1; 5, 2; 6, 3. | 27-28: Sap. 1, 4. | 32-33: Apc. 1, 5.

26: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, II, 55, (414a11-12), p. 179; cf. Th. Aq., *Qu. De Ver.* (vol. 3), q. 25, a. 5, p. 738. | 38: cf. Alb. Mag., *Mar.*, LXXVIII, p. 135.

cui non intendo illam comparare. Et sic maius fuit meritum uirginis, ut dicit Albertus Magnus, quam omnium sanctorum aliorum.

40 Tres alie stelle quo ad tres excellentes uirtutes illius.

Prima est uirginitatis. Fuit enim uirginitas Marie maior omni alia, unde rara fuit alterius uirginitas, que saltem aliqua cogitatione non fedaretur, quod de uirgine nullo modo est dicendum, unde Augustinus et Bernardus: «uirgo fuit non solum corpore, sed etiam mente». Secundo, excellit quia fuit causa aliarum, nam ipsa fuit «uirginitatis primiceria», ut  
45 dicit Bernardus. Et sicut ille qui in obsidione alicuius ciuitatis primo ascendit scalam muri meretur et recipit coronam supereminentem, sic uirgo inter omnes uirgines, unde Psalmi quadragesimo quarto: *adducentur regi uirgines post eam*, scilicet: post Mariam uirginem, etcetera.

Secunda fuit stella humilitatis, nam in uirgine fuit maxima humilitas, et uirginitas sine humilitate nihil prodest, ut ait Bernardus in sermone octogesimo tertio: «humiliauit se non  
50 solum inter omnes, sed pro omnibus, merito facta est nouissima prima, que cum prima esset omnium se nouissimam faciebat». Item in eodem sermone ait Bernardus: «sane uirginitatem carnis et propositum uirginitatis et ipsius quoque propositi nouitas euidenter illustrat quod uidelicet in libertate spiritus legis mosaice decreta transcendens illibatam Deo corporis simul et spiritus sanctimoniam uouit», etcetera. Virginitas autem sine humilitate  
55 uacua est, ut patet de quinque uirginibus fatuis: *que non sumpserunt oleum secum*, Matthei uicesimo quinto.

Tertia stella fuit uirtutis charitatis, nam nunquam aliqua alia pura creatura habuit tantam charitatem sicut uirgo, que (ut ait Bernardus): «copiosissima charitate omnibus debitricem se fecit».

60 Tres alie stelle fuerunt respectu gratie. Prima habere omnes gratias simul, ut dicunt Hieronymus et Bernardus. Secunda habere illas cum magna singularitate et excellentia, unde Bernardus: «in uirgine gratie erant singulares, que in ceteris uidebantur esse communes». Tertia fuit esse dispensatricem illarum omni mundo, ut dicit Bernardus, quia: «nil ad nos uenire uoluit quod manibus uirginis non transiret», etcetera. Fuit igitur in sole  
65 Christo maximum lumen gratie uelut in fonte, sed hoc fuit pro iustis et non pro peccatoribus, sicut *sol prodest uidentibus non autem*, etcetera. Vnde Iohannis nono ille cecus dixit: *scimus quia peccatores Deus non exaudit*. Ideo dicit Bernardus: «sicut iusti uelut in die a Christo illuminantur, sic peccatores uelut in nocte a Maria illustrantur, quia ipsa est peccatorum mater et recipit illos». Vnde Psalmi centesimo tricesimo quinto: *solem in  
70 potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis*. Et sic sol illuminat diem et est nobis impropportionatus et excellit, sed luna et stelle noctem et nobis proportionatur, quia lumen temporatum habent.

Et sic sunt signa in stellis tria.

---

47: Ps. 44, 15. | 55: Mt. 25, 3. | 66: cf. Ecl. 7, 12. | 67: Io. 9, 31. | 69-70: Ps. 135, 8-9.

43-44: Augustinus et Bernardus] *Auctor err.*: cf. Ambr., *De Virg.*, II, 2, 7. PL 16, 209A. | 44: Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, 7. PL 183, 433B. | 49-51: Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, 11. PL 183, 436A. | 51-54: Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, 9. PL 183, 434A. | 58-59: cf. MF. Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, 2. PL 183, 430D. | 61: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 17. PL 183, 70C. | 62-63: Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 6. PL 183, 428B. | 64: Bern. Cl., *In Vig. Nat. Dom.*, III, 10. PL 183, 100A. | 67-69: Bernardus] NI.

41: Rara] X raro.

75 Primum cum stelle sint maxime, nobis offeruntur parue. Sic Maria uirgo respectu suarum dignitatum, unde Bernardus et Hugo: «o peccator, si ad Deum patrem uerebaris accedere ad filium confuge Iesum, hunc tibi fratrem dedit Maria, sed si in illo naturam uereris diuinam, ad Mariam confuge, genus tuum conspicias, nihil in ea terrendum inuenis, mater est gratie, mater misericordie».

80 Secundo, stelle semper influunt insensibiliter nobis, sic Maria per sua priuilegia, quia est dispensatrix gratiarum, unde Bernardus: «omnibus misericordie sinum aperit, ut de eius plenitudine accipiant uniuersi», etcetera.

85 Tertio, scintillant ipse stelli, id est, nos inuitant ad gratiam, sicut ille qui claudit oculum et iterum aperit, quasi uocat ut alter ueniat ad se, sic uirgo Maria facit peccatoribus, unde Ecclesiastici uicesimo quarto: *transite ad me omnes qui concupiscitis me et a generationibus meis implemini*.

Non igitur timeat peccator accedere ad hanc, quia quotienscumque inuocabit ad gratie illis securitatem, *erunt signa in sole et luna et stellis*. Ad hanc igitur in principio sermonis recurramus, etcetera.

<THEMA> *Erunt signa in sole et luna et stellis*, ubi supra.

90 Due erunt partes in presenti sermone. Prima thematis introductiua. Secunda materie prosecutiua. Sententia est omnium doctorum catholicorum quod Petrus et Iohannes excellunt omnes apostolos. Petrus quo ad potestatem ecclesie. Iohannes quo ad reuelationem. Et sic Iohanni reuelata fuerunt tria que nunquam alteri apostolorum nec prophetarum fuerunt sic reuelata.

95 Primum mysterium aperte trinitatis, unde Iohannis primo dicit: *in principio erat uerbum et uerbum*, etcetera.

Secundo, mysterium incarnationis, unde ibidem dixit: *uerbum caro factum est et habitauit in nobis*, etcetera.

100 Tertium fuit mysterium uirginis Marie quo ad suas excellentias, Apocalypsis duodecimo dicit: *signum magnum apparuit in celo, mulier amicta sole et luna sub pedibus eius, habens coronam duodecim stellarum*.

Et sic ad claudendum ora dicentium ipsam conceptam fuisse in peccato originali, Iohannes Euangelista sex assignauit rationes in presenti auctoritate.

105 Primo, dicit: “signum”, quod in sacra scriptura, secundum omnes doctores, habetur pro miraculo. Et sic dicit quod loqui de ista materia non est modo naturali loqui nec secundum consuetudinem aliorum sanctorum. Vnde Apostolus dicit ad Ephesios secundo: *eram natura filii ire*, etcetera. Sed de uirgine Maria non loquimur secundum naturam, sed secundum miraculum, igitur dicit “signum”.

---

84-85: Sir. 24, 26. | 87-89: cf. Lc. 21, 25. | 95-96: Io. 1, 1. | 97-98: Io. 1, 14. | 100-101: Apc. 12, 1. | 106-107: Eph. 2, 3.

75-78: cf. Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 7. PL 183, 441C. | 80-81: cf. MF. Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, 2. PL 183, 430D.

77: Terrendum] M, X tremendum. | 91: Prosecutiua] M persecutiua. | 97: Habitauit] M, X habitabit

110 Secundo, dicit: “magnum”, nam maius signum fuit in uirgine quam in ceteris sanctis, licet illi fuissent etiam purgati a peccato, sed uirgo Maria miraculosiori modo, nam ceteris post casum, hec autem antequam caderit in peccato. Et sic conceptio Christi fuit miraculum miraculorum, ut dicit sanctus Thomas in multis locis. Sic hoc, scilicet: uirginis Marie, fuit magnum miraculum, illud uero Christi maximum.

115 Tertio, dicit quod: “apparuit in celo”, nam uirgo Maria non fuit secundum cursum nec miracula mundi, sed cum fuerit celestis in omnibus fuit factis. Igitur sic dicit quod “apparuit in celo”, id est, in uirgine, etcetera.

120 Quarto, dicit: “mulier amicta sole”, scilicet: ipsa uirgo Maria dicitur mulier ad distinctionem sexus, unde Adam dicit Genesis tertio: *mulier quam dedisti mihi sociam dedit mihi*, etcetera. Clarum est quod ipsa Eua tunc uirgo erat et non corrupta, nam fuit corrupta extra paradisum. Dicit “amicta sole”, id est, priuilegio solis, id est, Christi, scilicet: esse sine peccato. Exemplum quando aliquis uenit ad furandum sub specie boni dicitur: “iste uestitur pelle lupina”. Quando ad decipiendum dicitur de eo quod “uestitur pelle uulpina”, etcetera, quia ducit conditiones illorum animalium. Sic uirgo dicitur amicta sole, id est, proprietatibus Christi. Sed cum ipse fuerit sine peccato, etiam ipsa mediante eo, etcetera. Nam sicut Maria  
125 uestiando filium Dei de sua fragilitate et humanitate dedit illi conditiones et proprietates suas, scilicet: esse passibilem et mortalem. Sic ipse uestiando illam plenitudinem gratie dedit illi quod erat ei proprium, scilicet: nullum contrahere peccatum.

130 Quinto, dicit: “luna sub pedibus eius”. Et sic cum luna significet mundi uariatione, ipsa uirgo, cum sit supra illam, nullum tale habuit. Et si omnes fuerunt uoluti per peccatum Ade, ipsa, cum esset supra omnes mundanos, non contraxit aliquid tale, etcetera.

Sexto, dicit: “habens coronam duodecim stellarum”, que significant priuilegia que supra puras creaturas habuit. Et sic si nullum tale priuilegium habuisset, proprium esset illam comparare ceteris sanctis, sed cum unum illorum sit nullum habere peccatum, sequitur quod ei non debet attribui.

135 Igitur si sol quo uestitur luna supra quam situantur stelle, quibus dotatur et ornatur, signant illam esse separatam et immunem ab omni peccato. Ad hoc igitur ostendendum pro nunc *erunt signa in sole et luna et stellis*. Quo ad primam partem.

In secunda parte hanc uidebimus conclusionem, scilicet: quod uirgo Maria fuit ab omni peccato preseruata. Probatur autem ex tribus stellis, quibus uirgo Maria comparatur.

140 Prima est stella regum, de qua Matthei secundo: *uidimus stellam eius*, scilicet: Christi, quia singulariter fuit eius, ut dicit Origenes super illud “*cum esset desponsata mater eius*”: «cuius eius», etcetera.

145 Secunda stella est matutina, de qua Ecclesiastici quinquagesimo: *quasi stella matutina in medio nebule*, quia uirgo resplenduit in medio nebule peccati Ade, que sola non fuit obscurata.

118: Gn. 3, 12. | 137: cf. Lc. 21, 25. | 140: Mt. 2, 2. | 141: Mt. 1, 18. | 143-144: Sir. 50, 6.

112: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 3, q. 2, a. 2, p. 192; (vol. 7), lib. 4, dist. 11, q. 1, a. 3, p. 804; *Qu. De Pot. Dei* (vol. 9), q. 6, a. 2 ad 9, p. 40. | 141-142: Origenes] *NI*. cf. Pau. Dia., *Hom. De Temp.*, XVII. PL 95, 1163A. cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 16, q. 2, a. 2, p. 862; *Sup. Mt.*, I, 6, p. 23.

Tertia stella est polus, de qua ecclesia cantat: «aue maris stella», etcetera. Et sic ex conditionibus istarum stellarum probabimus uirginem Mariam esse et fuisse semper sine peccato.

Primo, comparatur stelle regum tripliciter.

150 Primo, quia hec sola recte processit, alie uero omnes circulariter et oblique. Sic uirgo Maria semper recte, unde Augustinus De Natura et Gratia dicit: «cum de peccatis agitur de uirgine propter honorem domini nullam prorsus habere uolo questionem», etcetera. Sed si omnes sancti interrogarentur utrum essent sine peccato, certe respondissent quod ait Iohannes: *si dixerimus quod peccatum non habemus ueritas in nobis non est.*

155 Secundo, alie stelle facte fuerunt ad ornatum seculi, unde Ecclesiastici quadragesimo tertio: *species celi gloria stellarum*, et facte fuerunt etiam ad seruitium hominum, unde: *fecit Deus luminaria et stellas, ut essent in signum et tempora*, etcetera, Genesis primo. Sed hec stella regum facta fuit ad seruitium filii Dei, sic uirgo Maria, unde: «non solum facta fuit ut summum bonum intelligeret, intelligendo amaret», etcetera, ut dicit Magister in secundo. Sed  
160 specialiter fuit facta ad hoc: ut filio Dei seruiret, unde Ecclesiastici uicesimo quarto: *qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*, id est, ad hoc creata fui. Item Psalmi octogesimo sexto: *homo natus est in ea et ipse fundauit eam altissimus*, scilicet: ut in me nasceretur.

Tertio, quia hec stella seruiuit Deo, ut ostenderet illum, sic Maria uirgo ostendit  
165 Christum mundo et ostendet in celo, unde ecclesia: «nobis natus, nobis datus ex intacta uirgine». De secundo: «et Iesum filium suum nobis post hoc exilium ostende», etcetera.

Secundo, Maria comparatur stelle matutine quo ad tria.

Primo, quia dicitur Lucifer, id est, ferens lucem. Et sic lux que ab illa portatur causat diem. Et sic uirgo obtulit lucem mundo et lux illa causauit diem in ipso mundo, unde Psalmi centesimo decimo septimo: *hec dies quam fecit dominus exultemus*, etcetera.

170 Secundo, inter omnes planetas causat umbram, id est, secundum Bedam dicitur “iubar”. Sic Maria ille qui ab eterno fuit lux in utero suo ea mediante causauit umbram. Ideo angelus dixit ei: *spiritus sanctus superueniet in te et uirtus altissimi obumbrabit tibi*, id est, «umbram faciet in te», ut dicit glosa. Nam nunquam radius luminis causat umbram donec corpus ei obiicitur, sic nunquam uerbum Dei et filius eius fecit umbram donec assumpsit corpus in utero  
175 uirginis.

Tertio, quia sicut hec stella quasi mouetur ad motum solis, scilicet: uiginti nouem gradibus in mense, ut dicit Beda. Et sic ratione epicirculi sui aliquando est iuncta soli, aliquando precedet et aliquando sequitur illum, sic uirgo Maria habuit cursum quasi cursum solis, id est, filii Dei, aliquando precessit, scilicet: quattuordecim annis ante conceptionem,  
180 aliquando fuit iuncta, scilicet: in conceptionem, aliquando subsecuta fuit illum, scilicet: quando post ascensionem ipsa remansit cum apostolis, etcetera.

---

154: I Io. 1, 8. | 156: Sir. 43, 10. | 156-157: Gn. 1, 14. | 160-161: Sir. 24, 12. | 162: Ps. 86, 5. | 169: Ps. 117, 24. | 172: Lc. 1, 35.

146: cf. Ven. For., *Misc.*, VIII, 5. PL 88, 265C. | 151-152: Aug. Hipp., *De Nat. Et Gra.*, XXXVI, 42. PL 44, 267B. | 158-159: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 1, 4. PL 192, 653B. | 164-165: cf. Th. Aq., *Off. Cor. Christ.*, p. 275. | 165: cf. Ans., *Hymn. Et Psal. De San. Mar.*, Salutatio deprecatoria, ante Psal. B. V. dicenda. PL 158, 1037D. | 170: cf. Bed., *Ep.*, XV. PL 94, 709B. | 172-173: cf. Petr. Lom., *Comm. In Psal.*, LXVII, 15. PL 191, 610B. | 177: cf. Bed., *De Rat. Comp.*, XII. PL 90, 590D.

Tertio, polus uirgini apropiatur tripliciter.

185 Primo, quia illa stella est propinquior polo nostro uisibili, sic Maria. Nam sicut duo sunt poli, super quos totus uoluit mundus, unus inuisibilis, scilicet: polus antharticus, qui nunquam nobis apparet; alius articus polus, qui nobis semper uisibilis est, de his duobus habetur primo Regum secundo: *domini enim sunt cardines terre et posuit super eos orbem*; sic mundus notauit super polo inuisibili a creatione usque ad incarnationem, nam Deus erat inuisibilis, sed polus uisibilis fuit filius Dei incarnatus. Et sicut illa stella fuit propinquissima polo uisibili, sic Maria uirgo propinquissima Christo quo ad animam, sic sine peccato, ut  
190 ipse quo ad corpus «eadem caro fuit», ut dicit Augustinus in sermone Assumptionis uirginis. Et sic dicit Bernardus in sermone: «opus uniuersos christicolos inter fluctus huius seculi remigantes hanc maris stellam, que propinqua summo cardini est», etcetera.

Secundo, sicut hec stella est parua in quantitate, sed maxima in uirtute, sic uirgo Maria maxima in uirtute, sed minima in apparientia quo ad humilitatem suam.

195 Tertio, sicut hec stella dirigit ad portum omnes nauigantes in mari, ut dicit Bernardus, sic Maria omnes uiatores in hoc mari, de quo Psalmi centesimo tertio: *hoc mare magnum et spatiosum*, etcetera.

Primo, probatur Mariam uirginem nullum peccatum habuisse ex stella regum tripliciter, nam illa ostendit Christum esse uerum Deum per essentiam, potentiam et presentiam.

200 Primo, ostendit esse uerum Deum quo ad essentiam, quia ille cui stella seruiebat ad nutum, non poterat esse nisi Deus per essentiam, sic si uirgo Maria non ostendisset filium suum esse Deum per essentiam, non esset similis illi stelle, et hoc non ostenderet nisi esset ab omni peccato separata. Probatur nam si ex eo quod mulier peccatrix illum tangebatur, non credebatur esse propheta. Ideo dicebant: *si hic esset propheta, sciret que et qualis est mulier que tangit illum, quoniam peccatrix est*, Luce septimo. Item Luce decimo quinto, ideo quia cum peccatoribus manducabat dixerunt: *quia hic peccatores recipit et manducat cum illis*, et sic  
205 credebant propter hanc conuersionem non esse iustum nec sanctum. Igitur cum maior conuersatio et afinitas sit nasci ex peccatrice, si eius mater esset obligata peccato, nunquam mundus crederet ipsum esse Deum per essentiam.

210 Secundo, ex potentia, nam ex potentia illa stella notauit ipsum esse Deum, qui potuit nouam stellam creare, quod pertinet soli Deo. Igitur ut uirgo esset illi stelle similis, oportebat quod idem significaret, sed si matrem non preseruaret ab omni peccato, hoc esset aut quia noluit aut quia non potuit. Non est dicendum quod noluit, nam uirgo fuit mater magis dilecta quam alia cuiuscumque, sicut Christus filius magis a matre dilectus.  
215 Item ipse dixit Exodi uicesimo: *honora patrem tuum et matrem*, etcetera, sed ipse patrem suum honorauit, unde Iohannis octauo: *ego honorifico patrem meum*. Igitur similiter debuit matrem honorare et quantum illam potuit honorare, quia fuit mater magis honoranda quam aliqua alia mater. Sed si illam in hoc non honoraret, ut ipsam ab omni peccato preseruaret, non sic honoraret. Et sic crederetur quod uoluit et non potuit, et sic si non posset postquam  
220 contradictionem non implicabat, non ostenderet eius potentia.

Tertio, propter presentiam, nam illa stella ostendit Dei presentiam, sed sic, si uirgo Maria esset subdita peccato non ostenderet presentiam Dei in utero suo. Nam filius Dei est

---

186: I Rg. 2, 8. | 196-197: Ps. 103, 25. | 204-205: Lc. 7, 39. | 206: Lc. 15, 2. | 215: Ex. 20, 12. | 216: Io. 8, 49.

190: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, V. PL 40, 1145B. | 191-192: Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Fulb., *Serm. Ad Pop.*, IV. PL 141, 322A.

sapientia patris, unde prima Corinthiis primo dicit Apostolus: *predicamus Christi Dei sapientiam*. Et sic Dei sapientia non habitaret in corpore subdito peccatis, unde Sapientie primo: *in maliuolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis*.  
225

Secundo, probatur uirginem Mariam nullum incurrisse peccatum ex stella aurore uel matutine tripliciter.

Primo, quia sicut illa stella est media inter noctem et solem, cum uirgo Maria sit similis illi, etiam debet esse media inter noctem et solem diei. Sed sol est Christus, in quo nec fuit peccatum nec esse potuit; nox est status mundi qui fuit ab Adam in quo fuit peccatum; Maria media in qua nullum fuit peccatum, sed esse potuit, si a Deo non fuisset preseruata.  
230

Secundo, stella illa dicitur Lucifer quasi ferens lucem, sic uirgo Maria. Sed in uase in quo lumen fertur non potest esse tenebra, que est absentia lucis igitur, etcetera. De isto uase dixit Salomon, Prouerbiorum uicesimo quinto: *aufer rubiginem de argento et egredietur uas purissimum*. Et sic non fuit mundatum uas, ut aliqui dixerunt, quod post conceptionem et animationem fuit sanctificata, sed massa fuit mutata per preseruationem antequam fieret uas, ut dicit Salomon, ubi supra.  
235

Tertio, illa stella est consolatio omnium infernorum, et sic Maria uirgo omnium peccatorum. Sed cum quoddam genus infernorum sit infidelium, qui ab ipsa illuminantur, ut ab ipso peccato originali exeant, sequitur quod si ipsa esset illi peccato submissa, non uere esset spes consolationis illis, igitur, etcetera.  
240

Tertio, probatur ex stella maris, que dicitur “polus”, tripliciter.

Primo, quia omnes stelle mouentur circulariter preter ista. Cum Maria sit similis huic, cum omnes peccatores in circuitu moueantur, solum uirgo tali motu non mota fuit, unde Psalmi undecimo: *in circuitu impij ambulat*. Sed uirgo fuit piissima, igitur non in illo peccato.  
245

Secundo, omnes stelle cadunt et habent casum preter illam, sic uirgo Maria nunquam habuit casum peccati, unde Psalmi centesimo quadragesimo: *cadent in retiaculo eius peccatores*. Dicit ipsa singulariter: *sum ego donec transeam*. Et sic omnes qui in mundo fuerunt ex Adam ceciderunt in rethe peccati originalis, sed uirgo Maria in isto fuit singularis, que nunquam peccatum habuit usque ad transitum huius uite ad gloriam.  
250

Tertio, omnes stelle aliquo motu mouentur preter ista, sic uirgo immobilis. Nam mundus figuratur ut arbor et Adam sumendo fructum commouit totam arborem mundi. Sed sicut si aliquis uellet arborem mouere, si potentior ueniret et cum manu teneret ramusculum ex quo pretiosus fructus exire debuit, diceremus quod arbor fuit mota. Et si illa gemma non fuisset manutenta nec preseruata ante motum arboris, etiam fuisset mota, ut tota arbor. Sic in proposito, totus mundus fuit motus per peccatum Ade, sed illa portiuncula ex qua fructus oriri debuit ad salutem mundi, scilicet: Christus, fuit inmota et preseruata a Deo, unde Psalmi tricesimo quinto: *manus peccatoris non moneat me*, dicit Dauid in persona uirginis filie sue, et dat causam quare hoc petit dicens: *ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare*.  
255  
260

---

223-224: I Cor. 1, 23-24. | 225: Sap. 1, 4. | 234-235: Prv. 25, 4. | 245: Ps. 11, 9. | 247-248: Ps. 140, 10. | 258-260: Ps. 35, 12-13.

232: Quo] M quomodo. | 240: 1° Peccato] M peccata.

Si dicitur contra: esse sine omni peccato est priuilegium Christi, igitur non potest uirgini conuenire. Dicendum quod non est sic, sed priuilegium Christi est non habere peccatum nec esse illi obligatum, sed priuilegium uirginis est non habere peccatum, sed esse illi obligatam et ab illo preseruata.

265 Secundo, contra: *omnes in Adam peccauerunt et egent gratia Dei*, ad Romanos tertio, igitur, etcetera. Dicendum quod omnes fuerunt obligati ad illud, sed uirgo prius fuerat preseruata et sicut illi generali legi *statutum est hominibus semel mori*, per priuilegium speciale posset quis preseruari, ut dicit sanctus Thomas in quarto, sic ab illa uniuersali lege peccati, etcetera.

270 Tertio, contra tunc non indiguit redemptore. Et sic Christus non fuisset uniuersalis redemptor, quia illam non redimeret, et sic derogaretur Christi excellentia, etcetera. Dicendum quod postquam fuit obligata illi peccato, non posset ab illo liberari nisi mediante redemptore, et sic redempta a Christo per preseruationem. Et non derogatur Christo, immo datur ei maior excellentia, scilicet: quod fuerit uniuersalis redemptor, non solum quo ad omnes, sed quo ad omnem mundum redemptionis. Exemplum de aliquo cirurgico qui sanaret aliquem uulneratum mortaliter et iterum dum uideret aliquem uolentem alium uulnerare preseruaret illum a lesione mortali. Ille cirurgicus esset redemptor et saluator illorum duorum, sed differenter unum, scilicet: post uulnum alium, preseruando a uulnere, sic de Christo fuit, etcetera. Sequitur quod uirgo Maria fuerit preseruata, et hoc triplici ratione: primo, ex parte uirginis; secundo, ex parte Dei; tertio, ex parte nostri.

280 Ex parte uirginis, nam dicit sanctus Thomas in opusculo octauo quod puritas uirginis excellit puritatem angelorum, sed: «puritas in aliquo est per recessum a contrario», scilicet: a peccato, ut dicit sanctus Thomas in primo, distinctione decima septima. Igitur si Michahel et Gabriel fuerunt semper immunes ab omni peccato, a fortiori beata uirgo, cuius puritas fuit maior.

285 Si dicis: in quo igitur fuit maior puritas uirginis quam angelorum? Dico quod in hoc: nam angeli in aliquo tempore, scilicet: ante confirmationem, potuerunt peccatum habere, nam sicut illi peccauerunt potuerunt omnes peccare. Sed uirgo Maria nunquam potuit peccare, quia ante fuit sancta et nata, igitur, etcetera.

290 Secunda ratio ex parte Dei, nam conuenientius fuit Deum habere matrem sine peccato quam cum peccato postquam, non implicauit contradictionem igitur, unde Bernardus: «non decuit Deum aliam matrem habere quam uirginem nec uirginem alium filium quam Deum, quia nec maior inter matres nec maior inter filios». Igitur si aliqua fuisset mater sine omni peccato, postquam esse poterat uirgo obligata peccato, ut aliqui dicunt, si sic esset potius illa que fuisset sine peccato, fuisset digna mater Dei quam uirgo, quod est inconueniens.

295 Item dicit sanctus Thomas in opusculo octauo quod angeli excellebant omnes homines ante uirginem in familiaritate.

Igitur si illi fuerunt separati ab omni peccato et non uirgo, sequeretur oppositum igitur. Item dicit sanctus Thomas quod angeli ante uirginem excellebant in gratia. Igitur si uirgo non habuisset gratiam immunitatis a peccato, ut habuerunt angeli et etiam habuit Eua

---

265: Rm. 3, 23. | 267: Hbr. 9, 27.

268: Thomas] *Nl.* | 280: cf. Th. Aq., *In Sal. Ang.*, 1120, p. 241. | 281: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 1), lib. 1, dist. 17, q. 2, a. 4 ad 3, p. 894. | 290-292: Bernardus] *Auctor err.*, cf. Petr. Ble., *Serm.*, LXIV. *PL* 207, 748B. | 295: cf. Th. Aq., *In Sal. Ang.*, 1112, p. 239.

292: Fuisset] M fuesset.



300 antequam actualiter peccaret, sequeretur quod illi maiorem gratiam et plenitudinem gratiarum haberent quam uirgo Maria.

Et sic cum habeat omnes gratias, illa mediante, omnes deuoti hic recipiunt gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, qui cum patre, etcetera. Amen.

SERMO CENTESIMVS ET TRICESIMVS ET SECVNDVS IN EODEM DIE CONCEPTIONIS  
VIRGINIS MARIE

<THEMA> *Benedicta tu in mulieribus*, Luce primo.

Originaliter, etcetera.

5 Tria sunt que incitant, mouent et quasi necessitant homines ad aliquid laudandum et benedicendum.

Primum, si res sit in se pulchra et uirtuosa, maxime si uenit et descendit ex aliqua radice infecta. Et sic naturales, maxime inter flores, laudant et benedicunt rosam dicendo quod est pulcherrimus florum, uidentes quod est res uirtuosa et producitur ex modica arbore et  
10 spinosa.

Secundum est ratione fructus, quando arbor producit pulcherrimum fructum. Et sic inter arbores laudatur balsamus, quia licet sit parua arbor in quantitate, est maxima in uirtute ratione fructus, ut dicit Plinius De Naturali Historia libro duodecimo.

15 Tertium ratione diffusionis boni, unde licet sol excellat planetas omnes, sed laudatur luna multum a nobis, quia sole absente mittit radios solis ad hemispherium nostrum et illuminat quos sol luminare tunc non potest.

Si igitur propter quodlibet istorum aliquid bene dicitur, multo magis uirgo, in qua omnia ista perfectissime concurrunt.

20 Primo, ipsa pulchra est et decora personaliter, sicut rosa, licet ex radice infecta ueniat, unde de ipsa dicitur Ecclesiastici uicesimo quarto: *quasi plantatio rose in Hiericho*, id est, in populo iudaico. Vnde licet in illo populo fuerint patriarche, prophete et reges, sed populus in se fuit ualde pertinax, ideo ait dominus: *cerno quod populus iste dure ceruicis sit*, Exodi tricesimo secundo et tricesimo tertio. Vnde Deuteronomii nono habetur quod dixit Moses populo israhelitico: *neque enim propter iustitias tuas et equitatem tuam ingredieris, ut possideas terram*  
25 *istorum, sed quia illi egerunt impie ut compleret iuramentum quod pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac et Iacob, scito ergo quod non propter iustitias tuas dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissime ceruicis sis populus*, igitur, etcetera. Quotiens peccauit per idolatriam, ut habetur in libris Regum et Paralipomenon, etcetera. Item Baruch secundo: *populus est dura ceruice*. Item Actuum septimo dixit Stephanus: *dura ceruice et incircumcisi cordibus*  
30 *et auribus uos semper spiritui sancto resististis, sicut patres uestri. Et occiderunt eos qui prenuntiabant de aduentu iusti*, etcetera. Ideo ait ecclesia: «sicut spina rosam, genuit Iudea Mariam».

Secundo, ratione fructus dicitur et comparatur balsamo tripliciter.

35 Primo, ratione arboris, nam cum sit arbor parua fructum producit excellentissimum. Crescit enim usque ad duo cubitos, ut uitis, ut dicit Isidorus in libro Etymologiarum. Cubitus enim dicitur uirtus et perfectio, nam sicut uirtus et perfectio est in brachio, sic cubitus. Vnde Mathei sexto et Luce duodecimo ait Christus: *quis potest adiscere ad staturam suam cubitum unum*, id est, perfectionem aliquam, cum omnia sint a Deo perfecta et omnis perfectio a Deo sit. Et sic omnes creature rationales facte fuerunt in quantitate cubitali, id

3: Lc. 1, 28. | 20: Sir. 24, 18. | 22: Ex. 32, 9; Ex. 33, 3. | 24-27: Dt. 9, 5-6. | 29: Bar. 2, 30. | 29-31: Act. 7, 51-52. | 36-37: cf. Mt. 6, 27; Lc. 12, 25.

13: cf. Plin., *Nat. Hist.* (vol. 2), XII, 25, 54, 112-113, p. 413. | 31: cf. Fulb., *Hymn.*, XI. PL 141, 345A. | 34: cf. Isid., *Etym.*, XVII, 8, 14. PL 82, 623A.

est, in perfectione sua. Nam sicut dicit Magister in secundo, distinctione prima, ad sui  
 40 utilitatem, scilicet: «ut summum bonum intelligeret et amaret et frueretur». Sed uirginem  
 non solum propter hoc quod fuit unus cubitus, sed ipsam creauit propter se, ut esset mater  
 sua purissima, et sic Daudid in Psalmi octogesimo sexto: *homo natus est in ea et ipse ad hoc supple*  
*fundauit eam altissimus*. Item Ecclesiastici uicesimo quarto dicit ipsa: *qui creauit me requieuit in*  
 45 *tabernaculo meo*, id est, ad hoc creauit me, ut requiesceret, etcetera, ut dictum est in  
 precedenti sermone. Et sic, respectu huius creauit in alium cubitum et sic sola uirgo fuit  
 quantitatis duorum cubitorum, etcetera. Sed Christus plures habuit cubitos perfectionis,  
 nam figuratus fuit per arcam Noe quo ad mensurationes, ut dicit Augustinus decimo quinto  
 De Ciuitate Dei, capitulo uicesimo sexto, et etiam Ambrosius in libro De Arca Noe,  
 capitulo decimo nono. Et sic ut habetur Genesis sexto: *triginta cubitorum erat altitudo ipsius*,  
 50 nam licet unus cubitus dicat perfectionem, sed numerus denarius dicit magnam  
 perfectionem, quia numerus crescit usque ad decem et postea iteratur. Nam numerus  
 undenarius componitur ex uno et decem, duodenarius ex duobus et decem, et sic perfectio  
 numeri stat in decem. Sed cum in Christo fuerint tria perfecta, scilicet: «eternum, nouum et  
 antiquum», ut dicunt Augustinus et Bernardus, sequitur quod altitudo fuit triginta  
 55 cubitorum, sed longitudo trecentos cubitorum, nam cum unum istorum trium, scilicet:  
 diuinitas, fuerit perfectionis infinite, sequitur quod fuerit centum cubitorum, quia numerus  
 centum est infinite perfectionis. Nam cum decem fuerit perfectus, multiplicatus in seipso fit  
 quadratus numerus, ut decies decem sunt centum. Et sic habet omnimodam perfectionem.  
 Et alia duo ratione diuinitatis fuerunt quodammodo infinita, ut caro Christi, que ut unita  
 60 fuit pretium infiniti peccati Ade, unde Apostolus prima ad Corinthios sexto et septimo:  
*empti enim estis magno pretio*. Item prima Petri primo: *non corruptibilibus auro et argento, sed pretioso*  
*sanguine agni immaculati*, etcetera. Item Iohannis Apocalypsis primo: *lauit nos a peccatis nostris in*  
*sanguine suo*. Igitur cum peccatum fuerit infinitum ex parte Dei offensi, etiam pretium  
 sanguinis infinitum non in se, sed unitus sanguis diuinitati. Item anima quodammodo  
 65 infinita, quia meritum illius fuit infinitum, ut dicit sanctus Thomas in secundo, distinctione  
 nona, octauo ad secundum; Questionibus De Veritate, questione uicesima nona, tertio ad  
 quartum; Quodlibet tertio, questione secunda, primo ad tertium, etcetera. Et sicut diuinitas  
 dedit aliis duobus suam perfectionem, sic dedit numerum centenarium. Et sic dicit quod  
 trecentorum cubitorum erat longitudo, quia omnia tria erant quasi infinita, unum  
 70 simpliciter, scilicet: diuinitas, alia duo ratione unionis. Et ideo de arca Noe dicitur: *in cubito*,  
 scilicet: diuinitatis, *consumabis eam*, quia in illo cubito fuit perfectio aliorum. Et sic creature  
 erant quantitatis cubiti; uirgo duorum cubitorum, quia perfectissima creatura et etiam mater  
 ipsius creatoris.

Secundo, comparatur balsamo ratione fructus, unde Dioscorides dicit quod est arbor  
 75 totaliter medicinalis, quia facit triplicem fructum medicinale. Primo, folia; secundo,  
 semen; tertio, liquorem. Sic uirgo Maria, folia namque fuerunt uerba uirginis salutifera;  
 fructus operationes illius uirtuose, quibus nobis meruit et exemplum dedit; tertio, ex  
 purissima substantia illius causatur liquor omnes excellens liquores (ut dicit Plinius et  
 Dioscorides) omnes sanans languores, maxime infirmitates interiores et inueteratas. Sic  
 80 uirgo protulit ex purissimis sanguinibus suis uel ex substantia interiori et sanguine puro

42-43: Ps. 86, 5. | 43-44: Sir. 24, 12. | 49: Gn. 6, 15. | 61: I Cor. 6, 20; 7, 23. | 61-62: I Pt. 1, 18-19. | 62-63: Apc. 1, 5. | 70-71: cf. Gn. 6, 16.

40: Petr. Lom., *Sent.*, II, 1, 4. PL 192, 653B. | 47-48: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XV, 26, 1. PL 41, 472BD. | 48: cf. Ambr., *De Noe Et Arc.*, VI, 13. PL 14, 368BD. | 53-54: cf. MF. Bern. Cl., *De Cons.*, V, 10, 23. PL 182, 801C. | 65: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 9, a. 8 ad 2, p. 480; *Qu. De Ver.* (vol. 2), q. 29, a. 3 ad 4, p. 856; *Qu. Quodl.* (vol. 11), III, q. 2, a. 1 ad 3, p. 212. | 74: cf. Diosc., *De Mat. Med.* (vol. 1), I, c. 18, pp. 32-35; cf. Petr. Ber., *Reduct.*, XII, c. 17, p. 472. | 78: cf. Plin., *Nat. Hist.* (vol. 2), XII, 25, 54, 116-123, pp. 414-416.

48: Ambrosius] M Abrosius. | 62: Sanguine] M saguine.

liquorem filium suum Christum, qui sanauit omnes infirmitates, maxime inteiores anime et inueteratas Ade. Et sic, quia isto liquore significabatur Christus, sic uoluit duos christianos isto oleo ungi benedicto, et illo mediante baptizari et illo incorporari. Quo oleo benedicto non solum corpus, sed anima signatur caractere indelebili, quo omnes agareni in paruo  
85 tempore signabuntur, qui male faciunt abluendo filios suos baptizatos a chrismate, ut his diebus factum fuit a quibusdam agarenis.

Tertio, Maria uirgo comparatur lune, que recipit gratiam a Christo uero sole et communicat peccatoribus, unde Bernardus: «Maria luna, Christus est sol, nam sicut iusti uelut in die a Christo illuminantur, sic peccatores uelut in nocte a Maria illustrantur». Et sic  
90 Daudid in Psalmo octogesimo octauo, qui dicitur de Christo, dicit loquens de throno illius, id est, de uirgine: *thronus eius sicut luna perfecta in eternum*, quia nunquam lumen perdidit. Item Salomon Canticorum dicit de ea: *pulchra ut luna*, etcetera.

Et sic propter istas tres proprietates omnes nationes dixerunt illam benedictam et beatam, unde ipsa in cantico suo, Luce primo, dicit: *ex hoc enim beatam me dicent omnes  
95 generationes*. Ideo ait Bernardus in sermone: «ex hoc beatam te dicent omnes generationes, quia omnibus generationibus uitam et gloriam genuisti. In te enim angeli letitiam, iusti gratiam, peccatores ueniam inueniunt in eternum. Merito ad te respiciunt oculi totius creature, quia in te, de te et per te benigna manus omnipotentis (quidquid creauerat) recreauit». Omnes generationes, ut dicit Bernardus, sunt generationes celi et terre. Et sic  
100 quattuor generationes in terra et quattuor in celis dicunt uirginem benedictam, quia in mundo sunt quattuor populi.

Primo, populus incircumciscus gentilis a principio mundi, de quo dicit Isaie nono capitulo: *populus qui ambulabat in tenebris uidit lucem magnam, habitantibus in regione umbre mortis lux orta est eis*, quod dicitur de regibus magis ad Christum uenientibus, etcetera.

105 Secundus populus fuit circumcisionis et incepit in Abraham et fuit diuisus in duos secundum duos filios Abrahe, nam ex Isaac exiit populus iudaicus, de quo Isaie primo: *cognouit bos possessorem suum*, etcetera, *populus meus non intellexit*.

Tertio, ex alio filio Abrahe ex ancilla Agar, qui dictus fuit Ismahel. Fuit alius populus agarenorum et ismahelitarum, de quo Psalmi octogesimo secundo: *Moab et agareni*, etcetera.

110 Quartus fuit populus christianorum. Ex omnibus istis unitus in Christo Iesu, de quo habetur Hiezechielis tricesimo septimo: *ecce assumam filios Israhel de medio nationum et faciam eos in gentem unam et non erunt ultra due gentes nec diuidentur amplius in duo regna, et erunt mihi populus et ego ero eis Deus et Daudid rex super eos et pastor unus erit omnium eorum*. Et sic iste populus accepit circumcisionem spiritualem et ex omnibus debet assumi et pastor est Deus et Daudid,  
115 scilicet: Christus uerus Deus et filius Daudid, quia dicit: “unus omnium erit”. Non de Daudid loquitur, sed de filio suo, quia iam mortuus fuerat Daudid per quingentos annos ante fere, nam Daudid, secundum Eusebium, regnauit anno mundi quattuor milia centum quindecim. Hiezechiel prophetauit anno mundi quattuor milia sescentis decem, post uiginti duos reges, scilicet: anno septimo captiuitatis iudeorum. Et sic, cum unus populus fiat ex omnibus

---

91: Ps. 88, 38. | 92: Ct. 6, 9. | 94-95: Lc. 1, 48. | 103-104: Is. 9, 2. | 107: Is. 1, 3. | 109: Ps. 82, 7. | 111-113: Ez. 37, 21-24.

88-89: Bernardus] NI. | 95-99: cf. MF. Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328AB. | 117: cf. Eus., *Chr.*, I, 17, 33. PG 19, 169.

109: Octogesimo secundo] M, X octogesimo tertio.

120 populus et dux et rex sit filius Dauid, non potest esse populus agarenorum, cum non descendant ex Dauid, qui uenit per Isaac.

Omnes igitur isti quattuor populi benedicunt uirginem Mariam.

125 Primo, populus gentilium, ut patet in illis Sibyllis, de quibus ait Augustinus, decimo octauo De Ciuitate Dei, maxime Sibylla Eritrea, Babilonica, que dixit Mariam fuisse uirginem et matrem Dei. Item Sibylla Helespontica idem dixit. Item Sibylla Tiburtina Italica inter omnes narrat et prophetauit de Christo et eius matre in illis uiginti septem uersibus et ostendit uirginem ipsi Octauiano in Ara Celi, et finaliter ipsam dixit: «o felix, illa mater cuius uiscera ipsum lactabunt». Et sic de aliis.

130 Secundo, populus iudeorum dixit ipsam beatam. Patet per Dauid in Psalmis. Item per Salomonem in Canticis. Item per omnes prophetas, unde Isaie septimo dicit ipsam uirginem et matrem dicendo: *ecce uirgo concipiet et pariet*, etcetera. Item Hieremias dicit ipsam super omnes matres dicendo: *nouum creauit dominus super terram, femina circumdabit uirum*, scilicet: perfectum, Hieremie tricesimo primo, etcetera. Propter ista doctores sui doctores fuerunt coacti ista concedere, nam rabbi Berachia dicit super illo Psalmo centesimo nono: 135 *ex utero ante Luciferum genui te*, dicit ipse quod sunt uerba Dei dicentis de matrice aurore, id est, uirginis Marie, Christum genitum esse. Sed cum fuerit sine patre in mundo, sequitur quod de matre non corrupta et excellens super omnes matres, quia Deus erat pater filii sui, etcetera. Item hoc idem dicit rabbi Iode super Psalmo secundo quando: *dominus dicit ad me: "filius meus es tu, ego hodie genui te"*, etcetera.

140 Tertio, beatam dicunt uirginem agareni, nam dicunt illam semper fuisse uirginem et dicunt excellentissimam fuisse matrem, cum filius suus fuerit cunctis excellentior. Et filium Dei coacti sunt dicere, cum dicant 'Deum insufflasse in Mariam uirginem de spiritu suo et concepit', in libro primo Alchorani, azora quarta, alea centesima septuagesima. Cum igitur dicant esse spiritum Dei, coacti sunt dicere ipsum esse Deum, quia ut dicit Algazel et 145 Auerroes, qui fuerunt agareni, quod Deus est actus purus simplicissimus et nihil est in Deo quid sit Deus. Et sic cogitur dicere agareni hoc, sed Machometus: «propriam uocem ignorauit», ut dicit Philosophus primo De Generatione de ipso Anaxagora. Vnde dicit Christum fuisse perfectum 'in hoc seculo et in alio', ut dicit in primo libro, azora tertia, alea 150 quadragesima quinta. Non sic de Machometo, qui fuit filius Addalle, et mater sua fuit Hemina non uirgo, sed corrupta, et filius suus magnus peccator, ut ipse dicit, usque ad quadragesimum annum idolatra et postea maximus peccator aliorum peccatorum. Sed Christus nunquam peccauit nec mater sua, ideo fuit mater super omnes matres.

Quarto, dicitur benedicta a populo christianorum, de quo nullum dubium est.

Sic etiam dicitur benedicta in generationibus celorum quattuor.

155 Primo, a Deo patre, qui est principium generationis eterne, unde dicit ipse Isaie sexagesimo sexto: *ego qui generationem aliis tribuo sterilis ero?* Quasi dicat: non. Et sic pater dedit uirgini benedictionem, scilicet: potentialitatem et dignitatem, ut esset mater temporaliter illius cuius ipse eternaliter erat pater.

131: Is. 7, 14. | 132: Ier. 31, 22. | 135: Ps. 109, 3. | 138-139: Ps. 2, 7. | 156: Is. 66, 9.

123-124: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XVIII, 23, 1. PL 41, 579C. | 127-128: cf. Sibil., p. 158. | 134: Rabbi Berachia] cf. Ray. Mar., *Pug. Fid.*, III, dist. 3, c. 8, p. 759; cf. Por., *Vict. Adv. Heb.*, II, c. 9, f. 73v. | 138: Rabbi Iode] cf. Ray. Mar., *Pug. Fid.*, III, dist. 3, c. 8, p. 757; cf. Por., *Vict. Adv. Heb.*, II, c. 9, f. 73v. | 142-143: cf. Q 4, 171; cf. Io. And., *Conf.*, c. VII, p. 173. | 144: cf. Al-Ghaz., *Met.*, I, 2, 4, pp. 30-31. | 145: cf. Aver., *De Subs. Orb.*, c. 1, f. 4AB. | 146-147: cf. Arist. Lat., *De Gen. Et Corr.*, I, 1, 314a14, p. 5. | 148: cf. Q 3, 45.

160 Secundo, filius (de quo dicit Isaie capitulo quinquagesimo tertio: *generationem eius quis enarrabit?*) repleuit matrem omnibus benedictionibus et gratiis.

Tertio, spiritus sanctus, qui diuidit et replet mundum benedictionibus, unde Sapientie primo: *spiritus domini repleuit orbem terrarum*. Hic dedit illi benedictionem hanc quod, licet ipse spiritus sanctus principaliter daret gratias mundo, quod uirgo illas daret instrumentaliter impetrando illas.

165 Quarto, generationes angelorum dicunt illam benedictam, nam angelus Gabriel, qui ab agarenis dicitur “Gibril”, in salutatione uirginis quam ponit Machometus primo libro, azora tertia, alea quadragesima tertia, quadragesima quarta et quadragesima quinta, dicit primo: “*ane*”. Secundo, dicit: “*gratia plena*”. Tertio, dixit ei: “*dominus tecum*”.

170 Et uidendo quod hec dicebantur a tota trinitate erant plena admiratione et quod nunquam homini nec mulieri fuerant dicta. Ideo finaliter dixit angelus uerba thematis dicendo: *benedicta tu in mulieribus*. Ideo ad hanc benedictam recurramus in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Benedicta tu in mulieribus*, loco et capitulo ubi supra.

175 Dimissa introductione thematis, quia patet ex dictis in presenti sermone, uidebitur una conclusio talis: quod licet uirgo maria naturaliter fuerit peccabilis, tamen uirtute diuina non solum ab omni peccato fuit preseruata, sed excellentius omni alia creatura. Et sic conclusio habet tres partes. Prima, quod fuerit naturaliter peccabilis. Secundo, quod fuerit gratia confirmata. Tertia, quod hec confirmatio fuit excellentior omnibus creaturis.

180 Prima conclusionis pars probatur tripliciter, scilicet: rationibus, auctoritatibus et exemplis.

185 Prima ratio est sancti Thome, Questionibus De Veritate, questione uicesima quarta, articulo septimo: «omne productum ex nihilo naturaliter est peccabile». Sed uirgo fuit ex nihil, cum fuerit pura creatura. Igitur et sic maior patet, quia omne creatum ex nihil habet potentialitatem ad defectum et ad non esse. Ideo dicit Augustinus quod creabile et uariabile conuertuntur. Ex qua ratione sequitur correlarie quod Deus solus est impeccabilis per naturam, cum sit actus purus et bonum perfectum et creator omnium ab aliquo non dependens.

190 Secunda ratio sequitur ex ista et est talis: illud quod est naturale alicui non conuenit alteri naturaliter, nisi conuertatur in illam naturam. Patet hoc quia, cum esse calidum competat naturaliter igni uel aeri, non potest naturaliter competere aque, nisi in ignem uel aerem conuertatur. Nam si aqua calefit non naturaliter, sed uolenter, quod patet, nam si separatur a calido calefaciente, mox conuertitur in frigiditatem tamquam in illud quod ei erat proprium et naturale. Sed cum esse impeccabile naturaliter esset proprium et naturale ipsi Deo et nulla creatura possit in naturam diuinam conuerti, sequitur, etcetera.

195 Tertia ratio: si naturaliter uoluntas creata esset impeccabilis, naturaliter consequeretur beatitudinem, cum facta esset propter beatitudinem et nihil impediatur beatitudinem nisi

---

159-160: Is. 53, 8. | 162: Sap. 1, 7. | 168: cf. Lc. 1, 28. | 171-173: cf. Lc. 1, 28.

166-167: cf. Q 3, 43-45. | 182: cf. Th. Aq., *Qu. De Ver.* (vol. 2), q. 24, a. 7, p. 697. | 184: cf. Aug. Hipp., *Conf.*, XII, 22, 31. *PL* 32, 838AB.

peccatum, et sic esset error et heresis pelagianorum, etcetera. Et sic ex his rationibus patet quod uirgo Maria naturaliter fuerit peccabilis.

200 Secundo: conclusio hec quo ad primam partem probatur auctoritatibus doctorum scolasticorum, doctorum ecclesie et doctoris gentium.

Primo, sanctus Thomas in secundo, distinctione uicesima quarta; et in Questionibus De Veritate et in multis aliis locis. Item sanctus Bonaventura in secundo, distinctione uicesima quarta. Item Scotus in secundo, distinctione uicesima tertia, etcetera.

205 Secundo, probatur per doctores ecclesie, unde Hieronymus in tractatu De Filio Prodigio dicit: «solus Deus est in quem peccatum non cadit nec cadere potest». Item Augustinus contra Maximinum dicit: «solus Deus natura sua nec potuit nec potest nec poterit peccare».

210 Tertio, patet per doctorem gentium Paulum ad Romanos octauo dicentem: *uanitati creatura subiecta est*, sed cum indefinita equipoleat uniuersali, sequitur quod omnis creatura est naturaliter subiecta uanitati, et sic rationi illius uanitatis potest mutari et uariari de bono in malum et econuerso. Vnde Anselmus Cur Deus homo libro secundo, capitulo decimo, respondet discipulo querenti: «quare Deus non potest facere creaturam naturaliter impeccabilem? Dicit quod ratio est quia non potest facere creaturam esse Deum et illud non est ex parte Dei, sed ex parte creature, que non potest illud capere, quia esset contradictio», scilicet: esse creatorem et non esse et esse increatum et non esse.

215 Tertio, patet hec pars conclusionis exemplis.

Primo, peccare est deuiare a rectitudine actus quam debet habere. Hoc est uerum in omnibus.

Primo, in natura. Dum homo nascitur cum duobus capitibus, naturaliter non debet habere nisi unum, et sic est peccatum nature, ut dicit Philosophus secundo Physicorum.

220 Item in arte, quando artifex non facit lanceam uel sagittam directam peccat per artificium. Hoc idem in moralibus, quando actus non regulatur ratione uel Dei uoluntate. Et sic omnis uoluntas que non est iuncta regule potest ab illa deuiare, quia habet aliam regulam superiorem distinctam a se, sed uirtus iuncta regulare errare non potest.

225 Exemplum: si aliqua sagitta mittitur pro signo, omnes sagitte possunt respectu illius errare, sed ipsa non potuit, quia uoluntas primi sagittatoris fuit quod ubicumque illa esset esset signum omnium. Et cum sagitta non posset esse a seipsa separata, non potuit a signo separari, sed cum regula nostra et signum sit Dei uoluntas, sola illa errare non potest, sed omnes possunt circa illam.

230 Exemplum iterum de linea facta a magistro pro discipulo instruendo in scriptura. Dico quod linea facta a magistro non potest errare, quia uoluntas magistri est quod discipulus scribat per illam partem quam ipse signauit, et sic discipulus quelibet circa illam poterit errare et non magister. Sed regula uirginis fuit uoluntas diuina, que est contra uirginem, cum ipsa fuerit pura creatura et non dea, ut dicit Machometus, et falso quod Christus dixit

---

207-208: Rm. 8, 20.

201: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 4), lib. 2, dist. 24, q. 1, a. 1, p. 146. | 202: cf. Bon., *Sent.* (vol. 2), II, dist. 24, par. 1, a. 1, q. 1, p. 570. | 203: cf. Dun. Scot., *In Lib. Sent.* (vol. 13), II, dist. 23, q. 1, pp. 159-160. | 205: Hier., *Ep.*, XXI, 40. *PL* 22, 393C. | 206: Aug. Hipp., *Con. Max.*, II, 12, 2. *PL* 42, 768C. | 211-214: cf. Ans., *Cur Deus Ho.*, II, 10. *PL* 158, 408C-409A. | 219: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 1, 193b6, p. 48.

235 quod ipse et mater sua adorarentur pro diis, primo libro Alchorani, azora quinta, alea  
centesima decima octava. Et dicit quod Christus dixit quod non dixit ipse talia, quod est  
falsum, nam ipse potuit a nobis adorari pro Deo uero cum illa humanitas fuerit iuncta et  
unita persone diuine, ut quando adoramus regem osculamur eius uestimentum. Sed uirgo  
non sic potuit adorari tali adoratione, quia erat pure persona humana, non sicut filius, qui  
240 solum erat persona diuina. Et sic patet hec pars, scilicet: quod uirgo fuit naturaliter  
peccabilis.

Secunda pars conclusionis (scilicet: quod per gratiam fuit uirgo Maria sanctificata et  
preseruata et separata ab omni peccato) probatur tripliciter.

Primo, rationibus sic: quidquid per gratiam potuit Deus communicare pure creature  
communicauit matri sue, cum illi fuerit «copiosior gratia communicata», ut dicunt doctores.  
245 Sed esse ab omni peccato preseruatum fuit communicatum ecclesie columnis, scilicet:  
columnis ecclesie triumphantis, scilicet: angelis permanentibus, et columnis ecclesie  
militantis, scilicet: apostolis suis post missionem spiritus sancti. Vnde Psalmi septuagesimo  
quarto dicit: *ego confirmaui columnas eius*, scilicet: ecclesie, igitur confirmauit suam pretiosam  
matrem. Alie rationes posset adduci, quas omitto pro presenti.

250 Secundo, probatur auctoritatibus omnium doctorum catholicorum.

Tertio, probatur exemplo, nam sicut Adam habuit corpus mortale per naturam, sed fuit  
factum immortale et incorruptibile per gratiam, sic in proposito fuit. Corpus autem Ade  
preseruabatur a corruptione interiori per gratiam iustitie originalis, sed seruabatur exterius  
per Dei prouidentiam, ne per uulnus posset corrumpi, sic uirgo Maria. Ex quo patet error  
255 Machometi dicentis quod angeli non possunt fieri impeccabiles. Sed mali possunt esse et  
fieri boni ante diem iudicii et boni mali, ut dicit de duobus angelis, qui missi fuerunt a Deo  
in Babiloniam, et peccauerunt cum muliere et inebriati fuerunt, quorum unus dicebatur  
Araoth. De istis habetur in Alchorano, libro primo, azora secunda, alea centesima prima.

Sed contra: «gratia perficit naturam et non destruit illam», sed quando liberum arbitrium  
260 naturaliter possit peccare, quia aliis non esset liberum, sequitur quod tolleretur liberum  
arbitrium. Respondeo dicendum quod posset peccare, ut dicit Anselmus De Libero  
Arbitrio: «nec est libertas nec pars libertatis», sed est defectus consequens liberum arbitrium  
creatum, qui defectus tollitur per gratiam. Exemplum: obscuritas in aere non est de ratione  
nec de natura aeris, sed est defectus in eo, qui tollitur per lumen. Sic in proposito, ut dicit  
265 sanctus Thomas, Questionibus De Veritate, questione uicesima quarta. Deus autem habet  
liberum arbitrium nobilius quam homo, sed peccare non potest: «sed perdere te et saluare»,  
etcetera. Vnde Augustinus in Enchiridion dicit: «multo quippe liberius est arbitrium quod  
non potest seruire peccato». Et sic liberum arbitrium creature rationalis potest firmari per  
gratiam ita quod sine coactione sua poterit non posse peccare. Exemplum: si habitus et  
270 consuetudo potest hoc facere, unde aliquando ex maxima consuetudine quis non potest  
stare sine hoc quod oculus claudat, et si dicitur ei quod male facit, dicit quod non potest  
alter oculus disponere et hoc sine coactione fit. Item quando musicus incipit adiscere  
organum tangere, mox errat tangendo teclam quam non debet tangere, quia non habet  
manum bene liberam, sed quando manus est libere disposita, dato quod non respiciat

---

248: Ps. 74, 4.

234-235: cf. Q 5, 116. | 244: cf. Bern. Cl., *Ep.*, CLXXIV, 5. PL 182, 334C. | 258: cf. Q 2, 102; cf. Io. And.,  
*Conf.*, c. IV, p. 142. | 259: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 8, 199a16, p. 86; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 1, a. 8 ad 2,  
p. 11. | 262: Ans., *De Liber. Arb.*, I. PL 158, 490B. | 265: cf. Th. Aq., *Qu. De Ver.* (vol. 2), q. 24, a. 3, p. 688. |  
266: cf. Bern. Cl., *In Nat. Dom.*, I, 3. PL 183, 116D. | 267-268: Aug. Hipp., *Ench.*, CV. PL 40, 281D.



275 organum, non potest errare. Hoc autem non fit per aliquam coactionem, sed per maximam libertatem manus sue, sic hic, etcetera.

280 Tertia pars (scilicet: quod excellentius uirgo Maria fuit confirmata quam cetera creature) probatur quia triplicem sanctificationem legimus: unam absque omni peccato; aliam cum peccato originali; aliam cum aliis peccatis. Verbi gratia: angeli qui steterunt fuerunt confirmati in gratia ita quod postea peccare non potuerunt. Sed per illud tempus et morulam ante confirmationem potuerunt peccare omnes, sicut illi qui peccauerunt actualiter. Et sic, licet nunquam peccarent, sed potuerunt peccare, non solum naturaliter, ut creature pure, sed ratione temporis, quia gratia quam habuerunt in principio creationis, ut dicunt Augustinus et sanctus Thomas, non firmabat illos sic quod peccare non possent, sed sufficiebat ut stare possent, si uellent.

Secunda sanctificatio et confirmatio fuit in sanctificatis in utero, sicut fuit Iohannes, Hieremias et Sanson, etcetera. Et isti contraxerunt peccatum originale et ab illo in utero fuerunt per gratiam purgati et confirmati ita quod non possent mortaliter peccare, sed uenialiter possent.

290 Tertia sanctificatio uel confirmatio fuit in apostolis, qui contraxerunt peccatum originale et peccauerunt mortaliter et uenialiter. Sed post spiritus sancti missionem sic fuerunt confirmati quod de cetero mortaliter peccare non possent, secus est uenialiter.

295 Sed uirgo Maria excellentius omnibus istis fuit sanctificata et confirmata, nam triplex est causa confirmationis liberi arbitrii. Prima, unio regule; secunda, adiutorium gratie; tertia, prouidentia diuina.

De prima tripliciter.

300 Primo, si regula est idem cum manu, nullus error potest esse. Exemplum: quando cultellus scindit, non potest errare si supra ponatur molli, quia ipse habet regulam rectam et illa non differt a scindente. Sic est in Deo, qui est idem sue regule, scilicet: sue uoluntati. Et sic errare non potest.

305 Secundo, quando unitur regule unione hypostatica, ut in Christo. Exemplum: quando instrumentum dolandi mouetur per lignum, non potest errare, quia ferrum quod scindit iunctum est ligno recto ad duas partes ita quod non potest deuiare. Sic fuit in Christo, nam dolabrum uel cimentum est unum instrumentum et constat ex duabus naturis, scilicet: ex ferro et ligno. Sic Christus est unum suppositum, in quo sunt due nature, scilicet: diuina et humana. Sed cum persona solum sit diuina et «actiones sunt suppositorum», non potuit peccare aliquo modo, cum Deus sit impeccabilis, ut diximus. Item ratione plenitudinis gratie. Item ratione status, quia fuit uerus comprehensor, etcetera.

310 Tertio, beati non possunt peccare, quia sunt uniti et conformes uoluntati diuine. Exemplum: quando manus est iuncta dolabro uel cemento, errare non potest nisi ab illo separetur. Et beati sunt iam a Deo inseparabiles, cum sint iuncti termino, nam sagitta in uia potest errare, sed dum est fixa signo iam errare non potest. Sic est de beatis.

---

284: cf. Aug. Hipp., *De Cin. Dei*, XII, 9, 2. PL 41, 357A; cf. Th. Aq., *In Sal. Ang.*, 1120, p. 241. | 306: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 40, a. 1 ad 3, p. 288.

280: Ita] X item. | 291: Missionem] M missione. | 311: Separetur] M seperetur.

Secundo, confirmatur liberum arbitrium mediante gratia, ut si manus discipuli dirigeretur per adiutorium magistri non errantis.

315 Tertio, regulatur et confirmatur per diuinam prouidentiam. Exemplum: quando famulus aliquis non scit scribere, sed dominus suus ordinat illi litteras, ut in arte impressionis. Tunc ponendo papirum supra tabulam ordinatam errare non potest. Sic est in illis qui locuti fuerunt a spiritu sancto moti, ut prophete, qui loquebantur moti a spiritu sancto, et apostoli, unde: *loquebantur ut spiritus sanctus, dabat eloqui illis*, Actuum secundo.

320 Tunc probatur rationibus hec pars.

Prima est: ubi plures cause concurrunt alicuius effectus, maior sequitur effectus, ut fuit in diluuiio, nam omnes cause causantes pluuiam ibi fuerunt tam naturales quam supranaturales, ut dicit Guillelmus Parisiensis libro De Vniuerso, super illud "*catbaracte celi aperte sunt*", Genesis septimo. Dicit quod ibi fuit coniunctio planetarum et in signis aquaticis, etcetera. Sed plures cause confirmationis et separationis a peccato fuerunt in uirgine quam in quocumque alio sanctificato, igitur, etcetera. Minor probatur, nam in illa fuit prima causa, scilicet: unio ad regulam primam. Non quod fuerit unita personaliter et hypostatice, ut filius, nec etiam ut beati sunt uniti in gratia consummata, nam uirgo fuit uiatrix in hoc mundo ante assumptionem illius, sed fuit in illa unio quedam ad Deum, 330 quando in utero eius *uerbum caro factum* fuit, quod nunquam in aliquo alio fuit nec erit.

Item secunda causa fuit in illa excellentior, scilicet: gratia, quam ipsa excellenter habuit post Christum.

335 Tertia causa etiam que fuit prouidentia diuina a qua regulabatur, scilicet: a spiritu sancto, quia non potuit unum uerbum superfluum loqui nec superfluum panis bolum comedere, etcetera.

De his tribus unionibus habetur a christianis et agarenis.

De prima unione ad Deum dicunt christiani: *dominus tecum*. Agareni uero dicunt quod spiritus Dei in ea.

340 De secunda unione dicunt christiani: *gratia plena*. Agareni etiam dicunt fuisse plenam gratia, libro primo, azora quarta, alea centesima decima tertia.

345 De tertia unione dicunt christiani: *spiritus sanctus superueniet in te*. Hoc idem dicunt agareni, libro primo, azora secunda, alea quadragesima secunda; et libro tertio, azora prima, alea decima octaua. Hoc autem dicit Bernardus: «legimus Stephanum plenum gratia et apostolos spiritu, scilicet: repletos, sed longe disimiliter a Maria, quia nec in illo habitauit gratie plenitudo, nec illi conceperunt de spiritu».

350 Scilicet: secunda ratio est iam dicta, scilicet: illud quod fuit communicatum alicui pure creature debuit matri communicari. Sed in primo instanti habere gratiam fuit communicatum Ade et Eue, igitur et Marie. Item caro coste, ex qua formata fuit Eua, fuit sine macula et iam a gratia sanctificata in Adam. Igitur caro corporis uirginis debuit esse sine macula et ante animationem sanctificata. Non per gratiam gratum facientem, quia tali

---

319: Act. 2, 4. | 323-324: Gn. 7, 11. | 330: Io. 1, 14. | 337: cf. Lc. 1, 28. | 339: cf. Lc. 1, 28. | 341: cf. Lc. 1, 35.

323: cf. Guil. Alv. (vol. 1), *De Vni.*, par. I, c. 39, p. 633D. | 338: cf. Q 19, 17. | 340: cf. Q 5, 110. | 341-342: cf. Q 3, 42; 19, 21. | 343-345: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 2. PL 183, 72A.

## Sermo CXXX

gratia non sanctificantur inanimata, sed per aliam gratiam sanctificantem et purgantem, ut sanctificabatur chrisma et alia ecclesiastica, etcetera.

Tertia ratio est ratione finis, quia ordinabatur ad bonum commune totius mundi, non sic ceteri: hec immediate ad Deum, alii non.

355 Et sic, propter hanc causam, hec ciuitas Cesaragustana mota a spiritu sancto ponit officiales in hac festiuitate pro bono communi, ut hodie concipiant in mente facere bonum ciuitatis. Item cognoscant quod hoc non possunt sine gratia dirigente. Tertio, ut credant hanc habere mediante uirginis adiutorio.

360 Et sic faciendo et bene gubernando, habeant hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, qui, etcetera. Amen.

SERMO CENTESIMVS TRICESIMVS PRIMVS ET TERTIVS IN EODEM DIE CONCEPTIONIS  
VIRGINIS MARIE

<THEMA> *Facta est quasi nauis insistoris de longe portans panem suum*, Prouerbiorum ultimo.

5 Tres naues fecit Deus omnipotens post peccatum Ade ad hoc ut homines non periclitarent in hoc mari tempestuoso, de quo in Psalmo centesimo tertio ait Dauid: *hoc mare magnum et spatiosum. Illic reptilia*, scilicet: demones, *quorum non est numerus*. Et sic prima fuit nauis restorationis. Secunda nauis glorie. Tertia nauis gratie.

10 Prima nauis restorationis fuit sacramentalis, scilicet: ad preseruandum a morte per peccatum originale. Et ista in lege nature fuit sacrificium uel oblatio uel decimatio; in lege scripta fuit circumcisio; in lege gratie fuit baptismus. Et quod baptismus fuerit nauis patet per Hieronymum super Danihelem et ponitur a Gratiano, De Penitentiis, distinctione prima, capitulo “Secunda tabula”. Sed ista nauis non sufficiebat ad gloriam, quia fuit solum restorationis et preseruationis a morte donec ueniret largitor glorie, qui fuit uerus medicus. Exemplum: quando infirmus uult mori, datur illi aliquid restaurans uel modicum uini, 15 etcetera, ut non moriatur, sed spectet medicum. Sic fuit in proposito, nam omnes illi qui in lege nature fuerunt positi in ista naui et liberati a submersione peccati originalis fuerunt detenti in limbo patrum. Item omnes qui per circumcisionem fuerunt liberati, si sine peccato mortali decesserunt, etiam positi fuerunt in limbo. Item omnes qui ante passionem Christi fuerunt baptizati a Iohanne uel ab apostolis, etiam a Christo, ut Iohannes fuit, 20 etcetera. Omnes isti fuerunt detenti in limbo si decesserunt sine peccato mortali. Et sic fuit alia nauis glorie necessaria.

25 Secunda nauis fuit Christi et redemptionis figuratus in arca Noe, que fuit nauis quadrata, etiam propter hoc dicta fuit “arca”. Figurauit autem illa nauis Christum et quantum ad corpus et quantum ad animam. Quo ad corpus tripliciter. Primo, quo ad formam; secundo, quo ad materiam; tertio, quo ad portam.

30 Quo ad formam sic, unde Genesis sexto, Deus dixit ipsi Noe: *fac tibi arcam, etcetera, trecentorum cubitorum erit longitudo et quinquaginta cubitorum latitudo et triginta cubitorum altitudo*. Vnde Isidorus dicit super Genesim, ut notatur in glosa: «quod sexties longa ad latitudinem et decies ad altitudinem humani corporis instar ostendit, in quo Christus apparuit. Corporis longitudo a uertice usque ad uestigium sexties latitudinem continet, que est ab uno latere usque ad alterum, et decies altitudinem que est a dorso ad uentrem». Hec ille. Hoc autem habuit corpus Christi, quod fuit perfectum, et sic inuenitur in corpore humano non habente defectum in se. Vnde Apostolus dicit ad Ephesios quarto: *donec occurramus omnes in uirum perfectum in mensuram etatis plenitudinis Christi*, etcetera. Fuit igitur longitudo corporis Christi 35 trecentorum cubitorum, que fuit *a planta pedis ad uerticem capitis*, ubi per passionem *non fuit in eo sanitas*, ut dicit Isaias in capitulo primo. Et sic cum Christus ab instanti conceptionis habuerit passionem et uulnera presentia et ideo in die natiuitatis et deinceps semper figuratur cum cruce in capite et sic est littera “Thau”, que secundum hebreos significat in numero trecenti, latitudo est quinquaginta, nam sexties fuit ad primam, altitudo est a uentre 40 in dorsum, que est sub decies ad longitudinem. Et sic patet quod illa figurauit corpus Christi quo ad formam et quantitatem.

3: Prv. 31, 14. | 5-6: Ps. 103, 25. | 26-27: Gn. 6, 14-15. | 33-34: Eph. 4, 13. | 35-36: Is. 1, 6.

11: cf. Hier., *Ep.*, CXXX, 9. *PL* 22, 1115BC; cf. Gra., *Decr.*, II, 33, 3, 72. *PL* 187, 1548A. | 28-31: Isid., *Qu. In VT.*, In Gn., VII, 8. *PL* 83, 231A.

39: Primam] M primum.

Secundo, figurauit illum quo ad materiam, nam una translatio dicit quod fuit facta ex lignis quadratis, alia translatio dicit quod fuit facta ex lignis leuigatis, id est, optime dolatis. Item Isidorus dicit quod fuit: «de lignis Sethim imputribilibus», quod totum est uerum.

45 Primo, igitur membra Christi fuerunt quadrata, id est, uirtuosa, nam Aristoteles dicit in libro Ethicorum quod uirtuosus: «erit quadrangulus sine uituperatione» et Isidorus dicit quod quadratum significat stabilitatem uirtutis, unde: *uirtus de illo exhibat et sanabat omnes*, Luce sexto. Nam ut dicit Damascenus quod corpus Christi fuit instrumentum coniunctum diuinitati et sic per solum contactum in membris sanabantur, etcetera.

50 Secundo, fuerunt dolata per spiritum sanctum et ideo perfectiora cunctis siue in compositione et pulchritudine siue in complexione, etcetera.

Tertio, erant imputrebilia, quia ut dicit Dauid, Psalmi decimo quinto: *non dabis sanctum tuum uidere corruptionem*, quod dicitur per excellentiam, sicut sanctum sanctorum. Ideo dixit angelus uirgini quod: *enim ex te nascetur sanctum*, etcetera, sic: *non dabis uidere corruptionem*.

55 Item tertio, hec nauis figurauit Christum quo ad portam, nam sicut nullus saluatus fuit nisi intraret per portam illius arce, sic nullus saluus fuit nisi qui per fidem intrauit per portam lateris Christi, quia ille dicit, Iohannis decimo: *ego sum ostium*, nam: *exiuit sanguis et aqua*, a quo fundata fuerunt omnia sacramenta. Vnde: *qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit, qui uero non, condemnabitur*, Marci decimo sexto.

60 Secundo, figurauit Christum quo ad animam, nam fenestra erat in arca (ut dicunt doctores iudeorum) christallina, que recipiebat lumen a sole et illuminabat totam arcam. Hec erat anima purissima Christi, que lumen gratie et glorie recipiebat a Deo et illuminabat totum mundum, unde dicit Iohannis octauo: *ego sum lux mundi*, et Iohannis primo: *erat lux uera que illuminat omnem hominem*, etcetera. Ista igitur fuit nauis glorie.

65 Sed non sufficiebat ista, nam gloria non habetur sine gratia. Et sic oportuit quod haberemus aliam que esset gratie. Ista autem fuit uirgo Maria figurata per illam nauem quam intrauit Ionas propheta, ut habetur Ione primo. Deus precepit Ione ut iret in ciuitatem Niniue ad predicandum, ut a peccatis purgarentur. Ille uero intrauit nauim et de nauis in mare et de mari in uentrem ceti. Iste Ionas figurauit per Christum, nam ipsa ueritas dicit per Mattheum capitulo duodecimo: *sicut fuit Ionas in uentri ceti tribus diebus, sic erit filius hominis in corde terre*. Igitur filius Dei missus a patre ad mundum ut predicaret et a uitiiis retraherentur.

Primo, intrauit nauim, id est, uentrem uirginis Marie, scilicet: in conceptione.

Secundo, in natiuitate intrauit in hoc mare huius mundi.

75 Tertio, in morte intrauit in limbum, ut sicut predicauerat in mundo, sic illos liberaret a limbo. Igitur sicut Eua fuit nauis culpe, hec uirgo fuit nauis gratie. Et sicut Eua duxit culpam in mundum, unde Augustinus: «auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria», etcetera. Duxit autem Eua culpam in mundum per tria.

---

47: Lc. 6, 19. | 52-53: Ps. 15, 10. | 54: cf. Lc. 1, 35; cf. Act. 2, 27. | 57: Io. 10, 7. | 57-58: cf. Io. 19, 34. | 58-59: Mc. 16, 16. | 63: Io. 8, 12. | 63-64: Io. 1, 9. | 67: cf. Ion. 1, 3. | 70-71: Mt. 12, 40.

44: Isid., *Qu. In VT.*, in Ex., XLIV, 3. PL 83, 311A. | 46: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, I, 11, 00b22, p. 87. | 46: cf. Isid., *Qu. In VT.*, in Gn., VII, 3. PL 83, 229C. | 48: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, III, 26-27. PG 94, 1094B-1098B; cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 62, a. 5, p. 481-482. | 77: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CXCIV, 2. PL 39, 2105B.

Primo, per superbiam. Secundo, per carnis concupiscentiam. Tertio, per auaritiam.

80 Vnde primo, habuit elationem; secundo, concupiscentiam quia comedit; tertio, inordinate concupiuit scientiam quando dixit: *eritis sicut dii scientes*, etcetera. Igitur Maria per tria opposita duxit panem gratie.

Primo, per humilitatem contra superbiam.

Secundo, per uirginitatem contra carnem.

85 Tertio, per liberalitatem et misericordiam contra auaritiam. Bene ille magnus insistor uel mercator non prouideret mundo de pane gratie nisi his tribus uirtutibus mediantibus. Nam quando mercator uult mittere merces in nauim, primo considerat si nauis est sana et non recipiat aquam extrinsecam. Si uidet quod non recipit, tunc placet illi illa nauis, sic in uirgine.

90 Primo, considerauit quod mediante proposito uirginitatis aquam uirilis seminis non recipiebat, ideo dixit angelo: *quoniam uirum non cognosco*, etcetera. Tunc placuit illi hec nauis, unde Bernardus: «Maria uirginitate placuit». Et dato quod nauis placeat mercatori, si uidet quod illa stat in superbis undis maris, non ponit merces, nam posset per fortunam periclitari, et sic fuit nauis Eue in fluctibus elationis et superbie. Sed ille mercator, scilicet:  
95 Deus, uidit nauem, scilicet: uirginem, in planis undis per humilitatem et tunc posuit in ea panem gratie, unde illa dixit: *ecce ancilla*, etcetera, et sic tunc concepit, unde Bernardus: «humilitate concepit» et uenit ad portum. Sed si mercator care uendit, non prouidetur patrie, sed requiritur liberalitas misericordie.

100 Et sic dedit panem tribus numis, quos quilibet habet, de quibus dicitur a spiritu sancto, Ecclesiastici uicesimo quarto: *in me est gratia omnis uie et ueritatis*. Ecce primus.

Secundo dicit: *in me est omnis spes uite et uirtutis*. Iste secundus.

Tertio, dicit: *transite ad me*, etcetera. Hic est tertius.

105 Primus numus fuit fidei, scilicet: ut credamus postquam ipsa est mater Dei quod debet gratiam impetrare et potest, quia omnis gratie et ueritatis filii et uie, id est, uiatoribus necessarie sunt in ipsius potestate et hoc est opus credere. Iste numus est in potestate nostra, nam dicit Augustinus: «nihil tam in nostra potestate quam credere».

Secundus numus est ut in illa speremus. Ideo dicit: *in me est omnis spes uite et uirtutis*, et hoc cantat ecclesia cotidie dicens illi: «spes nostra salue», etcetera, et iste est etiam in nostra potestate.

110 Tertius est ut ad ipsam accedamus. Ideo dicit: *transite ad me omnes qui concupiscitis me et a generationibus meis*, etcetera. Et sic uult quod illam supplicemus et hoc est in nostra potestate. Vnde Bernardus: «ille solus sileat misericordiam tuam, qui aliquando inuocatam in necessitatibus senserit deffuisse». Quasi dicat: nullus est talis.

---

81: cf. Gn. 3, 5. | 91: cf. Lc. 1, 34. | 96: cf. Lc. 1, 38. | 100-102: Sir. 24, 25-26. | 107: Sir. 24, 25. | 110-111: Sir. 24, 26.

92: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, I, 5. PL 183, 59B. | 97: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, I, 5. PL 183, 59B. | 106: Aug. Hipp., *De Liber. Arb.*, III, 3, 7. PL 32, 1274C. | 108: cf. Ans., *Hymn. Et Psal. De San. Mar.*, Salutatio deprecatoria, ante Psal. B. V. dicenda. PL 158, 1037D. | 112-113: cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 428D.

115 Igitur si in fide et spe istius (solum ante illam sistamus) est impetratio gratie. Si illam hodie obtinere uolumus, ad pedes istius occurramus, que *facta est quasi nauis insistoris de longe portans panem suum*. Ad hanc igitur in principio sermonis recurramus dicendo: aue Maria, etcetera.

<THEMA> *Facta est quasi nauis insistoris de longe portans panem suum*, loco et capitulo ubi supra.

120 In presenti sermone due erunt partes. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda materie prosecutiua.

Sententia est Philosophi in principio Physicorum quod: «unumquodque cognoscere arbitramur, cum eius causas et principia cognoscimus usque ad elementa», etcetera. Et sic non potest quid a priori cognosci nisi cognoscantur eius cause, sic in uirgine Maria, de qua  
125 Salomon mediante spiritu sancto loquens de illa dicit: *mulierem fortem quis inueniet? Procul*, etcetera. Et dans signum de illa dicit: *facta est quasi nauis insistoris*, etcetera. Igitur si hanc uolumus cognoscere, cognoscamus eius causas. Nam in quolibet effectu sunt quattuor, ut dicit Philosophus, secundo Physicorum, scilicet: «causa efficiens, materialis, formalis et finalis». Et iste finis licet sit ultimus in executione, est tamen: «primus omnium in intentione  
130 et ponit necessitatem omnibus aliis», ut dicit idem Philosophus ibidem. Verbi gratia: si ego uolo habere unam capsam uel arcam ad recondendum aliquas uestes pretiosas, quero magnificum carpentarium, nam ad arcam communem quilibet artifex esset idoneus, sed ad illam excellentem requiritur optimus artifex. Ecce quomodo finis ponit necessitatem efficienti. Item ad hoc ut sit idonea arca uel capsula ad recondendas uestes pretiosas opus  
135 quod sit de optima materia et ex tabulis cipressi uel huiusmodi. Ecce quomodo finis necessitat etiam materiam. Item ad hoc ut uestes sint sine fractura aliqua opus quod habeat formam longam et latam, etcetera. Ecce qualiter necessitat causam formalem. Et sic quando Salomon predixit exemplum nauis, tetigit thematis omnes causas.

140 Primo, dicit: *facta est*, quo ad materiam; secundo, dicit: *quasi nauis*, ecce formam; tertio: *insistoris*, ecce causam efficientem; quarto, quando dixit: *de longe portans panem suum*, ecce causam finalem, propter quod fuit facta et hec ponit necessitatem omnibus aliis. Videamus igitur omnes istas quattuor causas, si uolumus dignitatem huius nauis cognoscere.

Primo, igitur causa efficiens huius nauis fuit sanctissima trinitas, pater, filius et spiritus sanctus.

145 Primo, pater, de quo habetur Ecclesiastici quadragesimo tertio: *uas admirabile opus excelsi*, id est, patris.

Secundo, filius, de quo habetur Prouerbiorum nono: *sapientia edificauit sibi domum*. Et causam finalem specificauit Dauid in Psalmo octogesimo sexto: *homo natus est in ea et ipse fundauit eam altissimus*, id est, altissimus filius ad hoc, et propter hoc fundauit eam, ut  
150 nasceretur in ea homo.

Tertio, de spiritu sancto habetur Sapientie septimo: *omnium est artifex*, etcetera. Igitur si ad omnes effectus concurrat, a fortiori ad istum tam admirabilem. Hoc autem expressus

---

115-118: cf. Prv. 31, 14. | 125-126: cf. Prv. 31, 10-14. | 139-140: cf. Prv. 31, 14. | 145: Sir. 43, 2. | 147: Prv. 9, 1. | 148-149: Ps. 86, 5. | 151: Sap. 7, 21.

122-123: cf. Arist. Lat., *Phys.*, I, 1, 184a12, p. 7. | 128-129: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 2, 194b, pp. 54sq. | 129-130: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 5, 196b23, p. 68; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 1, a. 1 ad 1, p. 5.

dixit Daud in Psalmo quadragesimo quinto: *sanctificauit tabernaculum suum altissimus*, scilicet: spiritus sanctus. Nam licet sanctificare sit commune toti trinitati, sed apropiatur spiritui  
 155 sancto et tangit causam finalem ostendens hanc necessitatem, nam ad hoc fuit sanctificata excellentius aliis, ut digne reciperet sanctum sanctorum.

Secundo, causa materialis huius nauis fuit caro pretiosa ipsius, ut tabule arce testamenti, etcetera, que figurata fuit in nauicula, in qua positus fuit Moses, Exodi secundo capitulo. Nam cum precepto pharaonis omnes masculi interficerentur in Egipto. Natus fuit Moses  
 160 ad liberandum populum et ad hoc, ut legem uiuendi daret illi, et sic occultatus per tres menses positus fuit in fiscella scirpea et sic nutritus postea liberauit populum et dedit lege illi, etcetera. Sic cum omnes in potestate demonis morerentur et filius Dei liberator populi et legislator occultatus fuit mensibus tribus. Primum patriarcharum; secundus prophetarum; tertius legis scripte. Tunc positus fuit Christus in nauiculam uirginis, que fuit ex iuncis, que  
 165 fuit materia purissima illius, scilicet: caro pretiosa. Fuit autem hec caro sicut iuncus sine grauitate peccati originalis, sine nodo et curuitate peccati mortalis et sine foliis peccati uenialis. Hec autem pretiosa caro fuit separata ab omni maledictione aliarum, nam fuit: primo, sine fomite; secundo, sine pruritu et concupiscentia; tertio, sine aliqua rebellione ad spiritum, et ideo Paulus dixit: *caro concupiscit aduersus spiritum*, ad Galatas quinto. Et etiam  
 170 ipse Paulus, qui uirgo fuit et archana Dei uidit, dicit: *uideo aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mee*, ad Romanos septimo. Sed in uirgine Maria nunquam fuit rebellio nec repugnantia, nam sicut anima semper tendebat in Deum, sic caro semper illi obediebat. Et hoc notatur in iunco, qui semper tendit in celum et habet acculeum pyramidalem in capite. Item caro uirginis fuit sine aliqua infirmitate. Nunquam enim fuit macerata aliqua  
 175 febre nec dolore. Item nunquam habuit aliquam putrefactionem, ut apostema uel aliquod simile, non solum in uita quando anima erat iuncta illi carni, sed etiam in morte nunquam fuit putrefacta, ut dicit Augustinus in sermone Assumptionis. Item caro uirginis nunquam habuit scissuram aliquam, a qua sanguis exiret, nam conseruata fuit a spiritu sancto. Et sic nec filius uoluit carnem illam rumpere in natiuitate eius, unde Augustinus dicit: «fas non erat ut matris integritatem uiolaret qui uenerat sanare corrupta». Hoc autem figuratum fuit et significatum in iunco, a quo ramus non potest scindi. Item caro uirginis non solum fuit separata ab omni maledictione, sed fuit dotata omni benedictione et gratia. Quod figuratum fuit in bitumine illius fiscelle Mosi. Et sic caro illa quo ad aliquam partiunculam fuit dotata  
 180 unione hypostatica uerbi diuini. Item fuit facta momia et medicina omnium peccatorum totius mundi et cotidie est cibus noster spiritualis in eucharistia. Item illa pretiosa caro non solum fuit a libidine separata, sed ratione plenitudinis gratiarum fuit extinctiua omnis libidinis exterioris, nam licet esset pulcherrima, nunquam aliquis oculus libidinosus potuit illam concupiscere, ut dicunt doctores. Hoc autem erat per redundantiam gratiarum in ea, quia licet gratie essent in anima, redundabant tamen in corpus. Nam clarum est quod nulla  
 185 fuit gratia nec uirtus in lapidibus uel in herbis quin fuerit in Maria uirgine, sed saphirus et calcedonium habent uirtutem reprimendi carnis concupiscentiam, igitur a fortiori caro uirginis. Item uua in uite existens, quando est florida, expellit serpentes a uinea per suauitatem odoris, a fortiori illa, que de se dicit: *ego quasi uitis fructificanti suauitatem odoris*, Ecclesiastici uicesimo quarto. Si ruta expellit uermes et si masticatur reprimat  
 190 concupiscentiam carnis; si murra expellit uermes, a fortiori illa murra pretiosa, que dicit: *ego quasi murra electa dedi suauitatem odoris*, etcetera. Patet igitur quod materia huius nauis fuit pretiosa.

---

153: Ps. 45, 5. | 158: cf. Ex. 2, 3. | 169: Gal. 5, 17. | 170-171: Rm. 7, 23. | 193: Sir. 24, 26. | 195-196: Sir. 24, 20.

177: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, VIII. PL 40, 1147AB. | 179-180: cf. Aug. Hipp., *Serm.*, CXCIV, 1. PL 38, 1015D.



200 Tertio, patet de forma ipsius que fuit pretiosa anima uirginis Marie, nam quod habuerit formam nauis patet, quia nauis est stricta in principio, lata in medio et iterum angusta in fine. Sic fuit anima uirginis.

205 Primo, stricta et angusta, quia usque ad diem conceptionis filii reputauit se ancillam non solum Dei, sed hominum, licet esset plena gratiarum. Vnde in templo fuit inferior cunctis ancillis et ministrabat illis et templo in licitis et reputabat se esse inferiorem ceteris in templo existentibus. Ideo dicit: *et in habitatione sancta coram ipso ministranti*, Ecclesiastici uicesimo quarto.

Fuit autem in medio latissima post Christi conceptionem, unde Bernardus: «o uenter capacior celis, diffusior terris, latior elementis, qui illum continere ualuit, quem totus orbis comprehendere non potuit et qui tribus digitis molem terre appendit».

210 Fuit etiam in fine angusta per passionem et mortem filii, in qua anima sua nimis fuit angustiata, quando in gremio suo uidebat illum qui in utero fuerat animatum et tunc cernebat mortem. Habebat autem anima sua ut nauis duo castella: unum in proha, in quo Christum recepit, de quo habetur Luce decimo: *intrauit Iesus in quoddam castellum*, etcetera. Secundum in parte inferiori, que dicitur “popa”, in quo recepit omnes peccatores. Nam nisi prius Christum recepisset et esset mater Dei, non recepisset peccatores nec fuisset mater peccatorum.

215 Fuit enim ista nauis ornata uirtutibus et habuit anchoram firmissimam fidei, que illam immobilem tenuit tempore passionis, quando ceteri apostoli per incredulitatem et tempestatem moti fuerunt. Habuit etiam uelum significans charitatem, quod erat plenum gratiarum spiritus sancti. Habebat enim duo brachia, in quibus pendebat significantia duplicem charitatem, scilicet: Dei et proximi, uel duo brachia erant aperat dexterum, quo amplexabatur iustos, et sinistrum, quo amplexabatur peccatores. Tertio, habebat malum in altum, que significabat spem, que spes Marie magis in altum tendit quam spes alicuius. Nam alii solum sperauerunt Christum uenturum, hec autem non solum hoc, sed quod in ipsa ueniret. Et sic extendebatur usque ad gabiam, per quam celum significatur propter altitudinem et rotunditatem, etcetera. Et sicut a gabia ad nauem descendebant chorde, sic a

220 celo ad illam descendebant uirtutes et gratie, inter quas chordas erat una modum scale, per quam descendit a gabia ille qui considerat planiciem maris et de illa defendit nauim. Sic illa scala est humilitas habens certos gradus humilitatis, unde Bernardus in sermone dicit: «facta est Marie humilitas scala celestis, per quam saluator descendit ad terram», etcetera.

225

230 Quarto, fuit causa finalis huius pretiose nauis oppositum illius nauis demonis, scilicet: Eue, unde Eua duxit mortem, hec uero uitam. Vnde Bernardus: «Eua occidendo obfuit, Maria uiuificando profuit». Secundo, Eua duxit uirtutum spoliationem et gratiarum, unde cognouerunt se esse nudos, hec uero ornamentum illarum, unde angelus dicit ei: *auē gratia plena*. Tertio, Eua duxit in mundum famem propter gulam, unde Psalmi centesimo quarto: *et uocauit famem super terram*, etcetera. Sed Maria duxit panem uite, unde ipse dicit: *ego sum panis uite*, etcetera, Iohannis sexto. Igitur uirgo Maria ad portandum hunc panem in mundum *facta est quasi nauis insistoris de longe portans panem suum*. Quo ad primam partem sermonis.

235

204: Sir. 24, 14. | 212: Lc. 10, 38. | 232-233: cf. Lc. 1, 28. | 234: Ps. 104, 16. | 234-235: Io. 6, 48. | 236: Prv. 31, 14.

206-208: Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Nic. Cl., *In Nat. Dom.*, II, 2. PL 184, 834B. | 227-228: Bernardus] *Auctor err.* cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCVIII, 10. PL 39, 2133C. | 230-231: Bernardus] *Auctor err.* cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CXCIV, 2. PL 39, 2105B.

In secunda parte tres uidebimus conclusiones. Prima est quod conceptio Christi fuit nobilissima et perfectissima inter omnes conceptiones. Secunda conclusio est quod post  
 240 istam conceptio uirginis Marie excellit omnes alias conceptiones. Tertia conclusio, quod hec uirginis conceptio est semper a nobis honoranda et memoranda et mente tenenda.

Dimissa igitur prima conclusione pro sua solemnitate propter temporis breuitatem.

Secunda conclusio probatur tripliciter, nam in conceptione concurrunt tria. Cum nihil aliud sit quam unio anime ad corpus mediante aliqua uirtute in corpore, nam si extra corpus  
 245 uniretur anima corpori esset potius resurrectio quam conceptio. Ideo in conceptione primo occurrit uirtus agentis; secundo, anima; tertio, corpus. Igitur prima ratio erit ex parte agentis; secunda ex parte carnis uel corporis; tertia ex parte anime.

Prima ratio ex parte agentis est talis: ille effectus, in quo magis relucent potentia, sapientia et bonitas artificis, est aliis excellentior, sed in conceptione uirginis Marie magis  
 250 relucent huiusmodi, dempta conceptione Christi, igitur, etcetera. Patet hoc nam alie conceptiones fuerunt per solam potentiam Dei ordinatam, hec autem non potuit per istam fieri, sed requisita fuit potentia Dei absoluta secundum mira et magna que in illa facta fuerunt, unde dicit ipsa, Luce primo: *fecit mihi magna qui potens est*, etcetera.

Secundo, patet in sapientia, nam maior sapientia requiritur in repugnantia contrariorum quam in aliquo alio casu. Patet in medicis quando est infirmitas in corde et medicina illius  
 255 obest epati, tunc fit congregatio medicorum, et sic de aliis. Sic in creatione mundi, quando Deus creauit pure spiritualia, scilicet: naturam angelicam, non dixit nisi: *“fiat lux” et facta est lux*. Quando uero creauit pure corporalia dixit: *“fiat firmamentum” et factum est*, etcetera. Sed quando creauit simul corporalia et spiritualia, ut hominem in quo est ista duplex natura,  
 260 tunc quasi in consilio totius trinitatis fuit consultum et dictum: *“faciamus hominem ad imaginem et similitudinem”*, etcetera. Hoc autem fuit quia ibi erat aliqua repugnantia. Sic in uirgine, si in primo homine a quo Christus sperabatur, secundum corpulentam substantiam a remotis, hoc factum fuit, quanto magis in ipsa uirgine, a qua immediate sperabatur Christus et in qua multe erant repugnantie. Vnde sperabatur uirgo et mater: «mater non  
 265 cuiuscumque, sed Dei», ut dicit Bernardus.

Tertio, ibi relucebat bonitas conditoris, non solum quod illi fuerunt communicate omnes bonitas et perfectiones omnium precedentium, sed quod in illa sperabatur thesaurus spiritus sancti, ita quod omnes gratie et bonitates per ipsam et mediante ipsa sperabantur in mundo. Et sic patet ratio prima.

Secundo, patet hoc ex parte corporis, nam hoc corpus fuit purius omnibus aliis, quod probatur sic: quod est propinquius Deo debet esse purius inter alia, sed hoc fuit sic, igitur,  
 270 etcetera. Maior patet in elementis, nam aqua est purior terre, aer aque, ignis omnibus elementis purior. Et sic in celis quanto celum magis appropinquatur celo empireo, quod assignatur Deo, tanto excellit aliud celum. Et etiam patet in angelis, nam excellentiores sunt superiores inferioribus, etcetera, et seraphin excellit cherubin, etcetera, quoniam seraphin  
 275 est propinquius Deo. Sed cum caro uirginis sit magis Deo propinqua, quia in unitate hypostatica unita, sequitur, etcetera.

Sed dices: hoc habet uerum de illa partiuncula unita quod fuerit propinquior Deo, sed non de corpore uirginis. Dicendum quod corpus uirginis est propinquius Deo: primo in

---

253: Lc. 1, 49. | 257-258: cf. Gn. 1, 3-6.

264-265: Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 5. PL 183, 428B.

280 mundo cum ipsa receperit ipsum in uentre, unde ad Hebreos secundo: *nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrabe apprehendit*; secundo, in celo fuit magis iuncta quam cherubin nec seraphin, quod patet nam ecclesia cantat de illa quod: «exaltata super choros angelorum», non solum quo ad animam, sed etiam quo ad corpus. Et sic uirgo Maria facit hierarchiam per se, etcetera.

285 Tertia ratio patet ex parte anime, nam fuit purior cunctis, dempta Christi anima, et sic nec habuit peccatum ueniale nec mortale nec originale. De duobus primis omnes concedunt, sed de originali patet tripliciter.

Primo, ratione medii, nam si uirgo contraxisset peccatum originale non esset in ecclesia medium inter Christum et mundum, sed cum Christus sit caput ecclesie, etiam secundum  
290 humanitatem, ut dicunt omnes doctores, et omnes fideles sint membra uel corpus illius. Ad perfectionem enim corporis facit quod habeat collum, alias esset corpus mortuum et orbatum, quod non est dicendum. Si igitur uirgo contraxisset peccatum originale, non fuisset collum, nam sicut a capite descendunt uirtutes ad corpus mediante collo, sic a Christo mediante uirgine. Collum igitur debet esse medium inter caput et corpus. Christus  
295 igitur caput ecclesie nec contraxit nec contrahere potuit peccatum originale, membra corporis inferiora potuerunt contrahere et de facto contraxerunt. Igitur uirgo collum illius tamquam media potuit contrahere, sed non contraxit. Et hoc opus dicere, quia aliis non esset media inter caput et corpus, nam medium debet participare cum extremis et ubicumque sunt extrema, ibi est dare medium, ut dicit Philosophus, octauo Physicorum et  
300 septimo Metaphysice. Igitur ad hoc ut conueniat cum extremis uel est dicendum quod non potuit contrahere cum capite et contraxit cum membris et hoc non, quia impossibile non fit. Igitur est dicendum quod potuit contrahere secundum naturam suam et originem et sic conuenit cum corpore, sed quod non contraxit preuenta gratia spiritus sancti. Et illa preseruante et sic conuenit cum capite. Quod autem uirgo sit collum patet Canticorum  
305 quarto dicens: *sicut turris Dauid collum tuum, mille clipei pendent ex ea omnis armatura fortium*, nam illa mediante habetur omnis gratia ad omnia peccata superanda, etcetera.

Secundo, probabitur sic, cui conuenit minus inconueniens nec maius, sed ad puritatem et excellentiam maternitatis uirginis non fuit conueniens quod haberet peccatum ueniale, ut  
310 omnes doctores dicunt, maxime Sanctus Doctor in tertia parte et in multis aliis locis. Igitur minus fuit conueniens quod haberet peccatum originale, quia sicut honor parentum redundat in prolem, sic ignominia, sed per peccatum originale caro uirginis, que sumenda erat a filio, esset infecta et non per peccatum ueniale. Item cum non sit conuentio Christi ad bestial et per peccatum originale esset et non per ueniale, quia per originale esset diabolo incorporata cum esset sine gratia et per ueniale non. Item originale est peccatum nature,  
315 ueniale peccatum persone, sed Christus naturam assumpsit, non personam. Igitur maius inconueniens esset quod ipsa haberet peccatum originale quam ueniale, sed nullus doctorum asseruit illam habere peccatum ueniale, igitur nec habuit originale.

Tertio, probabitur sic: ubi fuit culpa, ibi pena, que est sequela culpe, sed incineratio est  
320 pena et sequela peccati originalis necessaria, ut dicit Aureolus in tractatu De Peccato Originali. Nam ubicumque fuerit peccatum originale de necessitate ibi debet esse incineratio, sed in uirgine non fuit incineratio, ut Augustinus in sermone Assumptionis, igitur nec originale peccatum.

---

280-281: Hbr. 2, 16. | 305: Ct. 4, 4.

282: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Anti. unde supra. In primo nocturno. *PL* 78, 798D. | 299: cf. Arist. Lat., *Phys.*, VIII, 8, 262a25, p. 320; *Met.*, VII, 10, 1035b9, p. 140. | 309: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 27, a. 4, p. 209. | 319: cf. Petr. Aur., *Qu. Disp.*, II, 6, p. 39. | 321: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, III. *PL* 40, 1144BC.

325 Sed dices contra de morte, quia dictum fuit: *in quacumque die comederitis morte moriemini*,  
 etcetera. Dicendum quod non est simile de morte, nam mors potest esse uoluntarie  
 assumpta, sicut fuit in Christo, et sine peccato originali et sic fuit in uirgine sine illo. Sed  
 nec in Christo nec in uirgine fuit peccatum originale, quia mors uirginis fuit propter hoc, ut  
 carnem mortalem communicaret filio, et quando dixit: “morte moriemini”, loquitur de  
 morte spirituali per gratie perditionem. Nam dicit: “in quacumque die”, etcetera, sed post  
 330 peccatum uixit Adam annis nongentis triginta. Sed de spirituali non, sed mox perdidit  
 gratiam et sic anima eius fuit mortua spiritualiter.

Tertia conclusio est quod debet a nobis uenerari, quod patet tripliciter.

335 Primo, quia: «honor matris est honor filii». Et sic ut dicit Hieronymus, redundat in  
 filium, etcetera. Secundo, patet quia hoc est festum principale uirginis, in quo ingressa fuit  
 mundum. Et sicut in primo ingressu regine in regnum suum sit maximum festum et  
 recipitur cum palio et solemnitate, quod non sit in aliis ingressibus nec receptionibus illius,  
 sic in proposito, etcetera. Tertio, patet nam in ista festiuitate posita fuit nota et infamia  
 uirgini Marie ab aliquibus, scilicet: quod esset concepta in peccato originali, et sic deuoti  
 illius debent hoc remouere, unde ipsa dicit: *qui elucidant me uitam eternam habebunt*,  
 Ecclesiastici uicesimo quarto.

340 Secundo, patet quod hec conceptio a nobis est memoranda et menti habenda, quod  
 patet tripliciter.

Primo, quia in conceptione bonorum operum est initium totius boni, nam causando  
 bonos conceptus in nobis operamur bona opera. Et ideo dicitur “aurora” uirgo Maria, nam  
 mediante ipsa istos habemus.

345 Secundo, quod consideremus quod ista opera debent esse sine peccato, sicut eius  
 conceptio gloriosa fuit.

350 Tertio, considerare debemus quod sicut illa fuit cum plenitudine gratiarum, sic  
 operationes nostre debent esse. Ex quo patet quod a spiritu sancto fuit, quod extractio  
 iuratorum in hac ciuitate Cesaragustana fit tali die conceptionis uirginis Marie, nam quilibet  
 qui eligitur ad hoc officium debet ista tria considerare.

Primo, quod proponat bona facere sine peccato et ut gratiam acquirat.

Secundo, considerare debet quod a ciuitate uestitur duplici ueste, ut laboret in bono  
 publico, unde Prouerbiorum ultimo dicit Salomon: *domestici eius uestiti sunt duplicibus*, etcetera.

355 Tertio, debet considerare colorem uestium, scilicet: rubeum esse, per quod notatur  
 charitas et pietas quam debet ad patriam habere, scilicet: ut illam conseruet in pace quo ad  
 animam et in opulentia quo ad corpora. Non fiat arrendamentum in carne, nam per  
 indirectum ponitur sissa. Non tollatur introitus olei simpliciter, sed donec detur iustum  
 pretium. Non tollatur introitus uini, donec detur iustum pretium. Et si omnia ista  
 360 tollerantur licet illicita, maxime quo ad ecclesiasticos, saltem non ponatur in pane, sed fiat  
 ut in uirgine factum fuit, que *facta est quasi nauis insistoris de longe portans panem suum*. Et sic si  
 isti tali tempore necessitatis hunc panem portabunt, hic habebunt gratiam et in futuro  
 gloriam, quam nobis, etcetera. Amen.

---

323: Gn. 2, 17. | 338: Sir. 24, 31. | 353: Prv. 31, 21. | 360: Prv. 31, 14.

332: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 8. *PL* 30, 130B.

## Sermo CXXXII

ALIVS EST SERMO IN EODEM DIE CONCEPTIONIS FACTVS CONTRA AGARENOS ET EST  
TRICESIMVS OCTAVVS IN ORDINE

SERMO CENTESIMVS TRICESIMVS SECVNDVS IN TERTIA DOMINICA ADVENTVS

<THEMA> *Erunt signa in sole et luna*, Luce uicesimo primo.

5 Originaliter uerbum reperi quod assumpsi.

Preter rationes assignatas Christus dicitur tripliciter sol et Maria luna.

Primo, sicut sol est uita omnium, ut dicit Philosophus secundo Physicorum et secundo De Generatione, sic Christus. Vnde dicit Iohannes decimo quarto: *ego sum uita*, et Iohannis primo: *uita erat*, etcetera.

10 Secundo, ratione manifestationis, nam omnia manifestantur lumine solis et fiunt actualiter uisibilia. Vnde dicit Albertus quod: «colores non sunt actu colores, nisi sole mediante», quod est uerum quo ad manifestationem illorum. Sicut mediante Christo omnia facta fuerunt, Iohannis primo: *omnia per ipsum facta sunt*, etcetera, ita omnia manifesta in mundo per eius aduentum, unde dicit: *ad hoc natus sum et ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati*, Iohannis decimo octauo. Item dicit Iohannes decimo septimo: *pater, manifestauit nomen tuum hominibus*. Et sic post aduentum Christi plus scit uetula aliqua quam ante illum sciuit Aristoteles.

20 Tertio, sicut sol propter excellentiam claritatis non potest ab aliquo uideri nisi mediante aliquo medio uel imponendo manum supra oculos, ut dicit Aristoteles in Problematibus, parti tricesima prima, problema uicesimo octauo, sic filius Dei, unde prima Timothei sexto: *lucem habitat inaccessibilem*. Sed sicut sol non uidetur in propria forma, sed mediante nube uel mediante aliqua tela, uel per impositionem manus, sic uisus fuit mediante nube nostre humanitatis. Vnde dixit pater per os Hiezechielis capitulo tricesimo secundo: *sole nube tegam*, scilicet: uerbum humanitatis nube in incarnatione. Secundo, uidetur mediante tela cedaci, ut fit in eclipsi, sic uidetur mediantibus speciebus in sacramento altaris.

25 Et si dicis: uideo albedinem, sed non Christum. Dicendum quod tunc debet uideri per appositionem manus supra oculos, scilicet: manus potentie Dei per miracula facta per illud sacramentum, satis aperte per fidem uidetur. De qua manu habetur Exodi decimo tertio: *eduxit te dominus de Egipto in manu forti*, scilicet: potentie. Vnde Psalmi centesimo decimo septimo: *dextera domini fecit uirtutem*, etcetera. Et sic considerando miracula facta in confirmationem fidei sacramenti eucharistie, clare uidetur Christus in illo.

Similiter uirgo Maria comparatur lune tripliciter.

35 Primo, sicut luna inter planetas et soli similima non solum quo ad corpulentiam quantitatem, sed etiam quo ad lumen, sic uirgo Maria similima soli Christo, non solum quo ad corpus, quia: «caro Christi caro uirginis est», ut dicit Augustinus in sermone Assumptionis uirginis, sed etiam quo ad animam, quia maior gratia fuit in illa quam in

---

4: Lc. 21, 25. | 8: Io. 14, 6. | 9: Io. 1, 4. | 13: Io. 1, 3. | 14-15: Io. 18, 37. | 15-16: Io. 17, 6. | 21: I Tim. 6, 16. | 23: Ez. 32, 7. | 29: Ex. 13, 14. | 30: Ps. 117, 16.

7: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 2, 194b14, p. 55. | 11-12: cf. Alb. Mag., *Post. Anal.*, I, 1, 3, p. 9a; *Mar.*, XCV, p. 155. | 19-20: cf. Arist., *Pro.*, XXXI, 28, 960a22-28, p. 410. | 35: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, V. PL 40, 1145B.

15: Perhibeam] M, X perhibiam. | 27: Potentie] M pontentie.

aliquo sanctorum. Item sicut Christus sine peccato, sic uirgo. Et sic isti duo steterunt sine casu et sine motu peccati, ut diximus in die conceptionis Marie, unde Abacuc tertio: *sol et luna steterunt in habitaculo suo*, quia sicut puri creati fuerunt, sic semper remanserunt, etcetera.

40 Secundo, luna est in cursu breuissima, quia alii planete in multo tempore soli coniunguntur, sed luna in breui. Sic Maria uirgo, quia mox preseruata, ut diximus in die conceptionis eius.

Tertio, luna nobis propinquissima quam aliquis planetarum, sic Maria per misericordiam nobis semper propinqua. Et licet illuminatio mundi fiat ab isto sole Christo principaliter,  
45 sed mediante luna, que est Maria uirgo. Sed ante illuminationem precesserunt in sole duo alia signa preter dicta et alia duo in luna.

Primum signum in sole fuit denigratio, ut habetur Apocalypsis sexto: *sol factus est niger quasi saccus cilicinus*. Sic Christus in passione. Fuit Christus saccus in quo positi fuerunt thesauri nostre redemptionis, ad Colossenses secundo: *in quo sunt omnes thesauri sapientie et scientie Dei absconditi*. Figura Numeri uicesimo primo, locutus est dominus ad Mosen dicens:  
50 *fac tibi serpentem pro signo*, etcetera. Et sic hoc signum fuit in passione et morte Christi.

Secundum signum in sole fuit percussio tertie partis eius, unde Apocalypsis octauo: *percuta fuit tertia pars solis*. Sic in Christo uero sole post mortem fuit percussa tertia pars, nam in ipso (ut dicit Augustinus et Bernardus) tria fuerunt, scilicet: «eternum, nouum et antiquum». Non percussum fuit eternum, scilicet: diuinitas, que erat impassibilis, nec  
55 nouum, scilicet: anima, quia quando miles percussit lancea, iam Christus erat mortuus et sic anima non percussa fuit; sed tertium, scilicet: antiquum, corpus quod ab Adam tulit per substantiam corpulentam non per rationem seminalem. Et sic percusso corpore exiuit sanguis et aqua, scilicet: thesauri ecclesie, scilicet: sacramenta. Figura Hiezechielis  
60 quadragesimo septimo: *uidi aquam a latere templi*, etcetera. Sicut Eua a latere Ade, sic ecclesia a latere Christi. De his duobus loquitur Bernardus, scilicet: de thesauro et apertione, dicens in sermone: «quasi saccum misericordia plenum misit Deus filium suum», saccum in quo fuerunt thesauri redemptionis, etcetera. Item de his Augustinus super illud “*concidisti saccum meum et circumdedisti me letitia*”, etcetera, dicit: «concidit saccum lancea persecutor. Iudas  
65 uendidit, iudeus emit, nec ille habuit pretium nec isti Christum», etcetera.

Similiter in luna debuerunt precedere alia duo signa.

Primum fuit percussionis, ut diximus de sole, unde Apocalypsis octauo: *percuta fuit tertia pars lune*. Sic in passione et morte filii uirgo fuit percussa quo ad tertiam partem eius, nam in uirgine fuerunt tres partes. Prima portio superior quo ad intellectum et memoriam, et illa  
70 non fuit percussa, quia nil dubitauit, etcetera. Secunda fuit pars corporea et nec hec fuit percussa, quia dominus non permisit quod corpus pretiosum eius (de quo caro, que tunc patiebatur, fuit sumpta quando ille mediante illa carne patiebatur) pateretur. Tertia pars fuit sensitua et hec percussa fuit, maxime quando latus Christi fuit perforatum. Nam tunc Christus non passus fuit cum iam fuisset mortuus, sed uirgo illud uulnus sensit in se. De  
75 qua percussione habetur Luce secundo a Symeone: *tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Figura tertio Regum decimo tertio, quando Hieroboam uoluit perdere Roboam filium Salomonis et erat super altare sacrificans, dicit dominus per prophetam illi: *deditque in die illa*

38-39: Hab. 3, 11. | 47-48: Apc. 6, 12. | 49-50: Col. 2, 3. | 51: Nm. 21, 8. | 53: Apc. 8, 12. | 60: Ez. 47, 1. | 63-64: Ps. 29, 12. | 67-68: Apc. 8, 12. | 75: Lc. 2, 35. | 77-78: III Rg. 13, 3.

54-55: cf. MF. Bern. Cl., *De Cons.*, V, 10, 23. PL 182, 801C. | 62: Bern. Cl., *In Epi. Dom.*, I, 2. PL 183, 143A. | 64-65: Aug. Hipp., *Serm.*, CCCXXXVI, 4. PL 38, 1473D-1474A.

80 *signum dicens: "hoc erit signum, ecce altare scindetur"*. Spiritualiter quando rex Herodes et Pilatus uoluerunt a regno separare filium Salomonis, scilicet: Christum, in signum illius fuit quod altare fuit scissum, scilicet: uirgo Maria, que fuit altare in quo fuit positus filius Dei immolandus.

85 Secundum signum in luna fuit quod luna fuit *conuersa in sanguine*, Iohelis secundo. Sic fuit signum in uirgine quando ad pedem crucis fuit uersa in sanguinem compassionis et charitatis pro toto mundo, nam circa pedem crucis balneata fuit sanguine Christi. Figura Iudicum sexto, de Gedeone querente signum in uellere. Nam primo area fuit sicca et ros in uellere. Secundo, concha plena roris et ex illa plena fuit tota terra. Hoc fuit signum liberationis. Vellus (ut dicit Bernardus) fuit humanitas Christi, que sumpta fuit sine corruptione ouis, scilicet: Maria, et illa humanitas fuit plena rore gratie. Secundo, concha, scilicet: uirgo Maria, fuit plena. Tertia tota area, scilicet: totus mundus. Igitur, si Christus in 90 cruce fudit totum sanguinem, ut tibi ostenderet quod uiscera misericordie tibi ostendebat et nihil sibi retinebat, et si uirgo habet filium in sinistra, ut ipsa esset ad dexteram, unde Psalmi quadragesimo quarto: *astitit regina a dextris tuis*, etcetera. Item Canticorum secundo: *lena eius sub capite meo et dextera illius amplexabitur me*. Et sic matrem habet ad dexteram, quia thesauros misericordie et gratie illi communicauit pro toto mundo. Et sic filium habet in sinistra, ut 95 peccatorem fortiter trahat ad Christum cum dextera potentiori. Ideo dicit Bernardus: «securum habes, o peccator, accessum ad Deum, ubi filius ante patrem et mater ante filium. Filius ostendit patri latus et uulnera, mater ostendit filio pectus et ubera. Nulla igitur potest esse repulsa, ubi tot sunt amoris insignia».

100 Igitur quotienscumque reclamabis, ut te de gratia securum reddat, *erunt signa in sole et luna*. Ad hanc igitur in principio sermonis presentemus, etcetera.

<THEMA> *Erunt signa in sole et luna*, ubi supra.

In isto sermone erunt tres conclusiones: prima, quod ante iudicium precedet mundi conflagratio. Secunda, quod ante iudicium erit omnium mortuorum citatio. Tertio, quod ante finale iudicium erit generalis resurrectio.

105 Prima conclusio probatur, nam ut dicunt doctores, post portem Helie et Enoch et ipsius antichristi, qui illos interficiet et ponet in plateam Hierusalem et nullus eos sepellire audebit, ad terrorem bonorum hoc faciet, postea morietur antichristus in monte Oliueti per preceptum Christi et archangeli Michahelis uirtutem. Tunc dabuntur electis quadraginta 110 quinque dies penitentie, unde Danihelis duodecimo: *beatus qui expectat dies mille trecentos triginta quinque*. Et sic tres anni cum dimidio, qui erant persecutiones antichristi, erant dies mille ducentos nonaginta. Cum igitur tempus istud sit mille trecentos triginta quinque, sequitur quod superadduntur dies quadraginta quinque, etcetera. Sed notandum quod isti dies quadraginta quinque non erunt continui post mortem antichristi, ut dicunt multi doctores, sed erunt dies notabiles magnorum signorum, inter quos alii dies interponentur. 115 Et est uerisimile, nam in quadraginta quinque diebus non posset toti mundo manifestari deceptio et mors antichristi. Et sic erunt multi dies, sed notabiles erunt quadraginta quinque, in quibus signa magna erunt. Exemplum: si quis diceret: "in quadraginta quinque diebus paschalibus fiet hoc". Clarum est cum sint tres dies pasche in quolibet anno, quod illud tempus non esset precise quadraginta quinque dierum, sed annorum quindecim, quia

82: Ioel. 2, 31. | 85: cf. Idc. 6, 37. | 92: Ps. 44, 10. | 92-93: Ct. 2, 6. | 99-101: Lc. 21, 25. | 109-110: Dn. 12, 12.

87: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 7. PL 183, 64B. | 96-98: Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Ern. Bon., *De Lau. B. M. V.*, 1. PL 189, 1726CD.

120 ter quindecim sunt quadraginta quinque. Sic in proposito, erunt dies notabiles penitentie  
 quadraginta quinque, sed quot dies interponentur in his solus dominus scit, etcetera. Et sic  
 isti dies erunt ad penitentiam hereticorum, qui crediderunt ipsi antichristo et discipulis suis,  
 ut conuertantur ad Christum, ne pereant. Et in illis fient multa et maxima signa. Non illa  
 125 quindecim, que se inuenisse narrat Hieronymus, sed fient alia signa magna, de quibus in  
 euangelio habetur. Primo, igitur erit mundi conflagratio post hoc, quia sicut mundus factus  
 fuit propter hominem, sic quando homo est consumpturus, necesse est quod mundus  
 consummatur. Et sicut dicunt doctores in quarta, distinctione quadragesima septima. Sicut  
 homo sperat gloriam et prius debet corruptio remoueri et infectio peccati, sic in mundo  
 opus quod innouetur et prius tollatur corruptio et infectio peccati ab illo. Fiet autem ista  
 130 purgatio per ignem et non per aliud elementum.

Primo, quia similior glorie, et nullum elementum habet claritatem glorie sicut ignis.

Secundo, quia omnia elementa habent aliquid impuritatis preter ignem, quia ignis habet  
 puritatem in se.

Tertio, quia omnia peccata fuerunt comissa in aliis elementis. In igne autem nullum  
 135 peccatum fuit comissum. Bene autem cum igne, ut sacrificia idolorum, sed non in igne.  
 Item ignis est actiuor et faciliter omnia consumit, non autem aliquod aliorum  
 elementorum. Item ratione peccati, nam sicut primum iudicium fuit in aqua contra  
 caliditatem luxurie, secundum erit in igne contra frigiditatem auaritie, unde Matthei  
 uicesimo quarto loquens de finali iudicio dicit: *frigescet charitas multorum*. Item ratione loci  
 140 iudicii, nam cum tria sint iudicia, ut diximus, et omnia fiant in diuersis locis.

Primum factum fuit quo ad punitionem in aere caliginoso, in quo fuerunt missi angeli, ut  
 dicit Magister in secundo, distinctione sexta.

Secundum factum fuit in aqua tempore diluuii.

Tertium speratur in igne. Terra autem, cum sit immobilis, est locus fixus iudicandorum,  
 145 in quo exercitantur boni et etiam angeli mali, etcetera. Erit autem ille ignis eiusdem speciei  
 cum nostro et sicut generabitur ex omnibus causis que ignem causare possunt, sic habebit  
 omnem effectum quem potest habere ignis. Sicut ignis elementaris purificat, sic ille. Et sicut  
 noster ignis consumit omnia, sic ille omnia mixta destruet et omnia mineralia, omnes pisces  
 maris et omnia animalia. Sicut ignis inferni punit, sic ille, nam mali ab illo punientur. Et  
 150 sicut ignis purgatorii purgat culpam, sic ille purgabit bonos, si habent aliquid purgandum, et  
 tanto intensius illos affliget quanto maiora habent purganda. Si forte aliqui iusti nihil  
 haberent purgandum, ab illo destruentur sine aliqua passione.

Si dicis: non potest quis consumi sine passione? Dicendum quod sic, sicut fuit in  
 Laurentio et in aliis martyribus, qui iam erant preuenti ab igne spiritus sancti. Sicut quando  
 155 homo habet brachium incensum ab igne sancti Antonii uel sancti Martialis: si illud  
 membrum scindatur uel comburatur, non sentit ille uulnera nec passionem, quia iam est  
 igne precedenti combustus, sic in proposito fiet a spiritu sancto. Ascendet autem ille ignis  
 usque ad medium aeris intersticium, scilicet: quousque ueniat ad locum ad quem aque  
 diluuii peruenerunt, quia fumi sacrificiorum idolatrarum usque ad illum terminum  
 160 ascenderunt. Et sic impuritas elementorum et infectio peccatorum debet totaliter tolli

---

139: Mt. 24, 12.

124: Hieronymus] cf. Petr. Com., *Hist. Sch.*, in ev., CXLI. PL 198, 1611A. | 127: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), dist. 47, q. 2, a. 1, p. 494. | 142: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 6, 5. PL 192, 663D.



antequam ad gloriam renouetur mundus. Ille autem ignis precedet iudicium, unde Psalmi nonagesimo sexto: *ignis ante ipsum precedet*. Item concomitabitur iudicium, Psalmi quadragesimo nono: *ignis in conspectu eius exardescet*. Item ille ignis sequetur iudicium, unde Deuteronomii tricesimo secundo: *ignis accensus est*, etcetera, *et ardebit usque ad inferni nouissima*.  
 165 Et sic ille maximus ignis ante iudicium consumet omnia. Secundo, a facie iudicii fugiet ad partes extremas et circumdabit iudicium. Tertio, remanebit ignis purus renouans omnia elementa et illuminans mundum. Sed ignis impurus et turbidus inuoluet omnes damnatos trahens illos ad infernum et illos crucians in eternum, unde dicit Basilius quod: «separabitur lux ab ardore». Et sic ignis inferni cruciabit per calorem et non illuminabit ad refrigerium,  
 170 sed solum dabit aliquam lucem impuram, ut est sulphuris, ut damnati uideant alios patientes et sic de illorum pena crucientur.

Et cum ad iudicium criminale debeat trina citatio precedere, ut notat glosa Clementine prime De Hereticis, sic in isto iudicio erit citatio trina. Prima citatio fuit prophetarum in ueteri testamento. Secunda apostolorum in nouo testamento. Tertia erit uox tube in fine  
 175 seculi, etcetera. De ista habetur Psalmi quadragesimo sexto: *dominus in uoce tube*. Item Sofonie primo: *dies tube et clangoris*. Item Apostolus prima Corinthiis decimo quinto: *canet enim tuba et mortui resurgent*. Erit autem hec tuba uox Christi, que erit causa instrumentalis ipsius resurrectionis. Vnde tres mortuos quos resuscitauit, semper mediante uoce illos clamauit, unde Luce septimo: *adolescens, tibi dico: "surge"*. Item Marci quinto: *puella, tibi dico surge*. Item de Lazaro, Iohannis undecimo, dicit: *Lazare, exi foras*. Et sic ad resurrectionem omnium erit instrumentum uox Christi. Item ista citatio fiet per archangelum mediante aliqua corporali creatura, unde Apostolus prima Corinthiis decimo quinto: *in iussu uoce archangeli et tuba Dei descendet*. Item Matthei uicesimo quarto: *mittet angelos suos cum tuba*,  
 180 etcetera, *et congregabit omnes electos a quattuor uentis*, etcetera. Vnde collectio cinerum fiet per angelos, ideo dicit "in iussu"; reformatio et reunitio animarum per Deum in tuba; congregatio et sonatio dicendo: «surgite mortui», etcetera. Fiet per angelos in uoce alicuius rei sensibilis. Dicit quod congregabunt electos ad iudicium, non quod non ducant omnes damnandos, sed boni portabuntur per angelos honorifice. Alii uero ignominiose et uiolenter. Exemplum: dicimus quod colliguntur grana tritici et oliue, licet etiam palee et rami fracti colligantur. Sed ista ut seruentur, palee uel rami fracti oliuarum ut comburantur,  
 190 sic in proposito. De ista uoce tube terribili loquitur Chrysostomus super Mattheum: «uere uox magna, uox tube terribilis, cui omnia obediunt elementa, petras scindit, monumenta aperit et animas corporibus suis assignat».

Tertio, erit resurrectio omnium ante iudicium, prima Corinthiis decimo quinto: *resurgent mortui in ictu oculi*, id est, in tempore breuissimo quo ad collectionem cinerum, sed quo ad anime infussionem in instanti erit. Nam primum fiet per angelos. Secundum per Deum immediate, ut diximus. Resurgent autem mortui in illo loco in quo erit principalior pars a cadaueris, scilicet: ubi caput uel principalior pars capitis erit. Item resurgent omnes qui anima intellectiua fuerunt animati, licet in breui tempore fuerint mortui, unde Iohannis  
 200 quinto: *omnes qui in monumentis sunt audient uocem*, etcetera, et uiuent. Item Apostolus, prima Corinthiis decimo quinto: *omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Item Actuum decimo Christus dicitur: *iudex uiuorum et mortuorum*, sed omnes comprehenduntur in his differentiis igitur, etcetera. Resurgent autem omnes sine defectu humane nature, sed damnati cum

162: Ps. 96, 3. | 163: Ps. 49, 3. | 164: Dt. 32, 22. | 175: Ps. 46, 6. | 176: So. 1, 16. | 176-177: I Cor. 15, 52. | 179: Lc. 7, 14. | 179-180: Mc. 5, 41. | 180: Io. 11, 43. | 182-183: cf. I Th. 4, 16. | 183-184: Mt. 24, 31. | 194-195: I Cor. 15, 52. | 200: Io. 5, 28. | 201: I Cor. 15, 51. | 202: Act. 10, 42.

168-169: cf. Bas., *Hom. In Hex.*, VI, 3. PG 29, 122C; cf. Vinc. Beau., *Spec. Mor.*, II, 11, 2, p. 808. | 172-173: cf. Cle. V., *Decr.*, V, 3, 1, col. 1181. | 186: cf. MF. Hier., *Lib. Con. Vig.*, XII. PL 23, 349B. | 191-193: cf. MF. Pseu. Io. Chrys., *Op. Imp. In Mt.*, XLIX. PG 56, 920AB.

205 deformitate, si illa habuerunt ante. Omnes in etate iuuenili resurgent, scilicet: triginta trium annorum, ut fuit Christus, sed non resurgent in quantitate equali, sed in illa quantitate ad quam peruenirent natura non errante, etcetera. Resurgent omnes immortales et incorruptibiles, sed non omnes impassibiles. Resurgent integri etiam cum capillis ad decorem, non sicut nunc quod mulieres tonduntur et decaluantur, uiri uero habent capillos mulierum, etcetera. Vnde Deuteronomii uicesimo secundo: *uir non utetur habitu femineo nec femina uiri. Abominabilis enim est coram Deo qui faciet hec.* Hoc iudicium finale erit terribile quo ad tria.

Primo, non est locus fuge nec absconsionis, unde Psalmi centesimo tricesimo octauo: *quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in celum,* etcetera.

215 Secundo, ex parte iudicis, qui non potest decipi: *omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius,* ad Hebreos quarto. Nec poterit subornari, ut nostri iudices, unde Bernardus in quadam epistola: «ueniet dies quando plus ualebunt pura corda quam astuta uerba, conscientia bona quam marsupia plena».

220 Tertio, nulla erit appellatio. Non ad patrem, quia: *omne iudicium dedit filio et pater non iudicat quemquam,* etcetera, Iohannis quinto. Non ad spiritum sanctum, quia non est locus uenie, nam ante iudicium est locus misericordie, in iudicio locus iustitie, unde Psalmi quadragesimo primo: *in die mandauit dominus misericordiam suam et nocte canticum eius.* In die, scilicet: in uita presenti, que est tempus misericordie, sed nocte, id est, in fine mundi, canticum eius, scilicet: tube dicentis: “surgite mortui”, etcetera. De isto iudicio dicit Hieronymus super Mattheum: «quotiens diem iudicii considero toto corpore contremisco, 225 siue comedam, siue bibam, siue quidquid aliud faciam, semper uidetur illa tuba terribilis sonare in auribus meis: surgite mortui, uenite», etcetera. Item dicit Hieronymus ad Chromatium et Heliodorum: «ego cotidie illum dominicum clangorem expecto: “Hieronyme, ueni foras”», etcetera.

230 Quid faciet religiosus impudicus, si iste castus et uirgo tremet? Quid predicans falsa, si iste interpretis ueritatis hoc dicit? Quid simoniacus sperans fauorem, si cardinalatum relinquens sic ait? Quid usurarius et auarus faciet, cum iste qui mundum reliquit sic loquitur? Quid faciet meretrix et luxuriosus, si iste castissimus timet? Quid gulosus et intemperatus, si iste qui in eremo artissimam penitentiam fecit et dicit: «toto corpore contremisco?». Remedium est quod ponit Apostolus prima Corintibus undecimo dicens: *si nosmetipsos iudicemus, non utique iudicemur.* 235

Debet igitur peccator prius examinare conscientiam suam et cogitare diem terribilem formam insolitam. Et sic faciendo et de peccatis penitendo, hic habebit gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, qui cum patre et spiritu sancto, etcetera. Amen.

---

209-210: Dt. 22, 5. | 213: Ps. 138, 7-8. | 214: Hbr. 4, 13. | 218-219: Io. 5, 22. | 221: Ps. 41, 9. | 234-235: I Cor. 11, 31.

216-217: Bern. Cl. Ep., I, 7. PL 182, 74B. | 224-226: cf. MF. Hier., Lib. Con. Vig., XII. PL 23, 349B. | 227-228: Hier., Ep., VII, 3. PL 22, 340B. | 233-234: cf. MF. Hier., Lib. Con. Vig., XII. PL 23, 349B.

## Sermo CXXXIII

ALIVS EST SERMO IN EADEM DOMINICA TERTIA ADVENTVS DOMINI, QVEM REPERIES  
VICESIMO NONO SVPERIVS FACTVM PRO CONVERSIONE AGARENORVM

SERMO CENTESIMVS TRICESIMVS TERTIVS IN FESTO BEATE MARIE SPEI

<THEMA> *In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt et liberasti eos*, Psalmi uicesimo primo.

5 Sententia est doctorum catholicorum, maxime sancti Thome in secunda secunde,  
questione decima septima, quod licet obiectum principale uirtutis spei, que est una de tribus  
theologicalibus uirtutibus, sit ipsa beatitudo, tamen obiectum secundarium ipsius est  
quodcumque bonum et quecumque operatio uirtuosa nostra et etiam medium ad illam. Ex  
10 quo elicitur una singularis et optima conculsio: quod quilibet christianus potest et debet in  
tribus sperare.

Primo, in Deo, in quo est nostra beatitudo, unde qui sperat in aliquo alio sine illo errat,  
nam secundarium nihil ualet nisi in uirtute principalis. Et sic sperando in aliquo preter in  
Deo est maximus error, quia principaliter speratur in illo tali, et sic ex tali efficitur Deus. Et  
15 sic dicit Apostolus, ad Colossenses tertio, quod *auaritia est simulachrorum seruitus*. Vnde  
Psalmi quinquagesimo primo: *uidebunt iusti*, etcetera, *et dicent: "ecce homo qui non posuit Deum  
adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum et preualuit in uanitate sua"*, etcetera. Sic etiam  
de gulosis dicit Apostolus: *quorum Deus uenter est*, ad Philippenses tertio.

Secundo, debemus sperare in operibus uirtuosis, quia sine illis fides mortua dicitur,  
unde: «qui fecit te sine te non saluabit te sine te». Et sic sperare in Deo et nihil operari  
20 uirtuose non prodest, nam ille promittit beatitudinem illis qui seruant mandata, etcetera.  
Vnde Psalmi tricesimo sexto: *spera in domino et fac bonitatem*.

Tertio, est sperandum in mediatoribus, nam extrema non iunguntur nisi mediante  
medio. Sunt enim mediatores nostri tres, scilicet: Christus, angelus et quilibet sanctus  
aduocatus.

25 De Christo dicitur ad Hebreos nono: *mediator noui testamenti est*.

De angelo custode et quolibet alio dicitur Psalmi nonagesimo: *angelis suis Deus mandabit de  
te*, etcetera.

De sanctis habetur Iob quinto, quando suus amicus illi dicebat: *uoca si est qui tibi respondeat  
et ad aliquem sanctorum conuertere*, etcetera. Et licet Christus inter mediatores excellat sine  
30 comparatione, sed comparando alios sanctos ad nos, uirgo Maria excellit alios, unde  
Gregorius dicit in homilia: «plus profuit nobis incredulitas Thome quam credulitas  
apostolorum». Clarum est quod credulitas sine comparatione est melior quam incredulitas,  
sed illud est uerum simpliciter, sed quo ad nos est contrarium, ut dicit Gregorius. Sic in  
proposito, Christus mediator simpliciter omnes mediatores excellit, sed quo ad nos uirgo  
35 est mediatrix melior et excellit alios.

Primo, excellit Christum tripliciter.

---

4: Ps. 21, 5. | 14: Col. 3, 5. | 15-16: Ps. 51, 8-9. | 17: Phil. 3, 19. | 21: Ps. 36, 3. | 25: Hbr. 9, 15. | 26-27: Ps.  
90, 11. | 28-29: Iob. 5, 1.

5: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 17, a. 7, p. 111. | 19: cf. Aug. Hipp., *Serm.*, CLXIX, 11. PL 38, 923B. |  
31-32: Gre. Mag., *Hom.*, II, 26, 7. PL 76, 1201C.

Primo, ratione efficientie, nam ipsa dedit nobis Christum in mediatorem communicando illi naturam nostram, quia non fuit mediator in quantum Deus, sed unum extremorum. Nam dicit Apostolus ad Galatas tertio: *mediator enim unius non est*. Et sic inter Deum et  
 40 hominem fuit Christus mediator, qui est Deus et homo, unde prima ad Timotheum secundo: *mediator Dei et hominum homo Christus*, sed uirgine mediante fuit homo, igitur et mediator. Sed «propter unumquodque tale et illud magis», et cum uirgo sit mediatrix et illa mediante filius Dei factus mediator, igitur, etcetera.

Secundo, uirgo excellit quo ad nos conformitate nature, nam uirgo est pura creatura.  
 45 Christus, licet sit homo quo ad nos, sed etiam est uerus Deus, igitur, etcetera. Exemplum: licet aurum sit pretiosus pane, sed pro famelico preualet panis, quia conformis sue nature. Nam aurum non potest in substantiam suam conuerti, sed panis sic. Exemplum de Mida, qui petiit quod quidquid tangeret conuerteretur in aurum et sic periit fame, nam quando panem tangebatur conuertebatur in aurum, etcetera.

Tertio, excellit uirgo Maria quo ad qualitatem nostram, nam sumus omnes minimi et peccatores, sed Deus peccatores non exaudit nisi uirgine mediante, unde dixit cecus a natiuitate: *scimus quoniam Deus peccatores non exaudit*, Iohannis nono. Sed uirgo non illos abhorret, quia propter illos facta fuit mater Dei. Igitur in quantum sumus debiles peccatores et infirmi, melior est uirgo quocumque alio medio, licet Christus simpliciter  
 55 excellat. Exemplum: aries uel perdix melior est piro simpliciter, sed pro infirmo est econuerso. Sic in proposito, omnes istas tres rationes tangit Bernardus et etiam Hugo dicens: «o peccator, si ad Deum patrem uerebaris accedere, ad filium confuge Iesum, hunc tibi fratrem dedit Maria, sed si in illo natruam uereris diuinam, ad Mariam confuge, genus tuum conspicis, nihil in ea terrendum inuenis, mater est gratie, mater est misericordie».  
 60 Igitur isti doctores prius mittunt nos ad uerum mediatorem Christum, qui simpliciter excellit, deinde tamquam nobis magis conueniens dicunt esse ad uirginem recurrendum.

Secundo, excellit tripliciter omnes angelos.

Primo, quia uirgo fuit mediatrix sue reparationis, unde Bernardus in sermone: «per te, uirgo beata, celum impletum est», etcetera. (Et infra): «instaurata ruina celestis Hierusalem»,  
 65 etcetera.

Secundo, quia etiam uirgo Maria nunc mediat et est sua mediatrix, cum sit Deo propinquissima, ipsi angeli habent ipsa mediante reuelationes, etcetera.

Tertio, angeli non sunt obligati nobis sicut ipsa, que fuit mater Dei propter nos, ut diximus ante, igitur, etcetera.

70 Tertio, uirgo Maria in mediatione excellit omnes sanctos tripliciter.

Primo, uniuersalitate, nam ipsa est uniuersalis aduocata et mediatrix totius mundi. Sancti non cognoscuntur in uniuerso mundo sicut ipsa, unde Casiodorus in epistola dicit illi: «tu patrona humani generis, tu afflictis et captiuis medicina singularis, quis tuo non egeat munere, cum sit peccare commune?», etcetera.

---

39: Gal. 3, 20. | 41: I Tim. 2, 5. | 52: Io. 9, 31.

42: cf. Alb. Mag., *Post. Anal.*, I, 2, 18, p. 66b; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 87, 2 ad 3, p. 623. | 57-59: cf. Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 7. PL 183, 441C. | 63-64: cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429B-430A. | 72-74: cf. MF. Cas., *Var.*, XI, 40. PL 69, 851B.

41: Mediator] M madiator. | 67: Reuelationes] M reuellationes.

75 Secundo, excellit omnes sanctos ratione muneris sibi dati, scilicet: gratie, nam amicus debet habere duo, scilicet: uelle et posse. Multi sancti habent uelle, qui non habet posse, sed uirgo utrumque habet, unde Bernardus de ipsa dicit: «non deficit ei potestas, quia mater est omnipotentie, non uoluntas, quia mater est misericordie, non facultas, quia mater est gratie». Sed uirgini fuit plenitudo gratiarum communicata, que non fuit alicui sanctorum  
80 data, igitur, etcetera.

Tertio, excellit uirgo ratione propinquitatis ad ipsam trinitatem, a qua omne bonum dependet. Fuit enim propinquissima patri, nam in tempore fuit mater illius cuius eternaliter ipse erat pater. Item filio, qui ex utero suo carnem assumpsit. Item spiritui sancto, nam illam preparauit et disposuit ad Christi conceptionem: «qui conceptus est de spiritu sancto»,  
85 cantat ecclesia. Et etiam illi dedit plenitudinem gratiarum pro se et etiam pro toto mundo, unde Bernardus: «data est tibi, o uirgo beata, potestas in celo et in terra, ut quodcumque uolueris, ualeas impetrare. Tu es enim mater Dei et hominis, mater regis et exulis, mater rei et iudicis», etcetera.

Ideo est spes nostra singularis, ut cantat ecclesia de ipsa: «salue regina, mater misericordie, uita dulcedo, spes nostra, salue, ad te clamamus, ad te suspiramus» in necessitatibus. Nam firmiter credimus quod sperando in te ab omnibus periculis liberabimur, nam: *in te sperauerunt patres nostri, sperauerunt et liberasti eos*. Ad hanc igitur in principio sermonis recurramus, etcetera.

<THEMA> *In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt et liberasti eos*, ubi supra.

95 Duo sunt uidenda in presenti sermone. Primum quod omnes patres ueteris testamenti sperauerunt in uirgine Maria, ideo dicit: *in te sperauerunt patres nostri*. Secundum est quod omnes sperantes in illa et soli illi ab omni aduersitate fuerunt liberi, ideo dicit: *sperauerunt et liberasti eos*.

100 Pro introductione prime partis notandum quod ante Christi aduentum sancti mortui quacumque sanctitate essent preditione, descendebant ad limbum patrum, qui dicebatur “sinus Abrahe” et “infernus”. Dicebatur infernus quia erat una de mansionibus quattuor inferni, in qua erant tenebre glorie solum. Non autem erant in illo tenebre gratie nec pene sensus. Et sic dicebatur “sinus Abrahe” ratione requiei, quia in illo erat solum dolor de dilatione glorie, non autem de aliqua pena sensibili. Exemplum: si aliquis haberet iocalia, que irent per cameras domus hinc inde, si inuenirent aliquod tale et non haberet clauem armarii, poneret illud in sinu suo et sic illic quiesceret non fluctuando hinc inde, sed cum desiderio quiescendi in teca. Sic in proposito, in sinu Abrahe erat quies per immunitatem penarum, sicut erit in beatis. Et sic illic existentes semper desiderabant aduentum Christi, qui ianuam celi erat aperturus. Et sicut sperabant in illo, sic etiam sperabant in uirgine Maria, quia sciebant per illam esse recepturos saluatorem. Hoc autem potest probari per testes illius  
105 temporis. Fuerunt autem in ueteri testamento tres status excellentes, scilicet: patriarche, reges et prophete. De omnibus istis accipiemus testimonium et ne discurramus per omnes, sumamus de qualibet illorum statuum tres, quia: *in ore duorum uel trium stat omne uerbum*, Deuteronomii decimo septimo.  
110

---

92-98: cf. Ps. 21, 5. | 113: Dt. 17, 6.

77-79: cf. Bern. Cl., *In Ass. B.M.V.*, I, 2. PL 183, 415D. | 84: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), III<sup>a</sup>, q. 33, a. 2, p. 252. | 86-88: Bernardus] NI. cf. Petr. Dam., *Serm.*, XLIV. PL 144, 740B; cf. Pseu. Ans. Luc., *Med. Sup. Sal. Reg.*, VII. PL 149, 589A. | 89-90: cf. Ans., *Hymn. Et Psal. De San. Mar.*, Salutatio deprecatoria, ante Psal. B. V. dicenda. PL 158, 1037D.

115 De patriarchis autem sumemus principaliores, scilicet: Adam, Noe et Abraham, nam patriarcha dicitur “principalis pater”. Dicitur enim ab “archos”, quod est princeps et pater quasi principalis pater.

Sic autem sunt isti tres, nam Adam fuit pater totius uniuersi quo ad naturam, quia in illo incepit mundus et omnes ortum ab illo habuerunt.

120 Secundo, Noe fuit pater alterius principii post diluuium.

Tertio, Abraham fuit pater quo ad fidem totius mundi. Ideo dictum fuit illi: *pater multarum gentium eris*, Genesis decimo septimo. Et sic istos tres patriarchas tamquam principales sumemus testimonium.

Secundo, accipiemus tres principaliores reges, scilicet: Daud, Salomonem et Ezechiam.

125 Tertio, tres principaliores prophetas, scilicet: Isaiam, Hieremiam et Hiezechielem.

Primo, Adam sperauit in uirginem sicut in redemptorem, nam ut habetur Genesis secundo: *inmisit dominus soporem in Adam*, et sic non fuit somnus naturalis. Ideo in illo raptu ille habuit reuelationem de discursu ecclesie et de Christi incarnatione, ut dicit sanctus Thomas, secunda secunde, questione secunda, et Apostolus ad Ephesios quinto.

130 Si dicis: igitur fuit Adam prescius sui peccati. Dicendum quod non, nam fuit illi reuelata incarnatio, sed non causa nec modus incarnationis. Mihi enim posset reuelari aduentus regis in hac ciuitate et non reuelaretur causa aduentus. Sic fuit ante peccatum ipsi Ade, sed post peccatum utrumque sciuit quando dixit Deus serpenti: *inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum*, etcetera, *ipsa conteret caput tuum*, bene sciuit Adam quod illud non dicebatur de  
135 Eua, sed de alia, ex cuius semine erat filius Dei uestiendus et in istam sperabat dum esset in limbo sanctorum.

Secundo, patet hoc de Noe, qui habuit notitiam saluationis totius mundi in fabricatione arce, et sicut illi fuit dictum: *fenestram in arca facies*, etcetera, que secundum hebreos fuit christallina, in qua nec aqua nec aer poterant intrare, sed solum recipiebant radium solis  
140 sine sui corruptione. Et sic dicitur “christallina” quasi fenestra Christi, sic sperabat luminatorem totius mundi, qui debebat sic intrare per fenestram uirginem, etcetera.

Tertio, patet hoc de ipso Abraham, Genesis decimo quinto, factus est sermo domini ad Abraham per uisionem dicens: *ego merces tua*, etcetera, ubi data fuit promissio Abrahe, etcetera, *quid dabis mihi et ego uadam absque liberis*, etcetera, *qui egredietur de utero tuo ipsum habebis heredem*, etcetera. Dixit: *suspice celum et numera stellas, sic erit semen tuum*, etcetera, *credidit Abraham Deo*, etcetera. Et sic, ut dicit Nicholaus de Lyra, non solum ostendit Abrahe multiplicationem seminis, sed etiam beatificationem in lumine. Vnde Apostolus prima Corinthiis decimo quinto: *stella differt a stella in claritate*, scilicet: glorie, etcetera. Hoc est autem Christus, dixit Iohannis octauo: *Abraham pater uester exultauit, ut uideret diem meum uidit et ganius est*. Et sic dicit: *ego dominus, qui eduxi te de Vr chaldeorum, ut darem tibi terram istam*. Et non terram materiale, sed illam spirituale, de qui dicitur in Psalmo centesimo quadragesimo primo: *portio mea, domine, in terra uiuentium*. Et sic in sacrificio ostenditur illi

---

121-122: Gn. 17, 3. | 127: Gn. 2, 21. | 129: cf. Eph. 5, 32. | 133-134: Gn. 3, 15. | 138: Gn. 6, 16. | 143-146: cf. Gn. 15, 1-6. | 148: I Cor. 15, 41. | 149-150: Io. 8, 56. | 150: cf. Gn. 15, 7. | 152: Ps. 141, 6.

129: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 2, a. 7, p. 26. | 146: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 1), Gn. 15, 5, f. 65r.

144: Habebis] M habbebis. | 145: Semen tuum] M, X sementum. | 150: Vr] M, X Hur.

dicens: *sume tibi uaccam triennem*, etcetera, ubi notandum quod in sacrificio isto ostendit illi quod omnia sacrificia in lege figurarunt illud promissum Abrahe.

155 Et sic de istis tribus speciebus animalium erant sacrificia fienda in lege et si fiebant de  
passere, illud erat pro leproso, id est, peccatore. Hic autem *peccatum non fecit*, etcetera. Item  
notandum quod de istis tribus indiuiduis precipitur quod sint trium annorum, quia ueritas  
160 complenda erat in lege gratie, non in lege nature nec scripta, etcetera. Item nota quod  
precipit quod diuiderentur hec animalia in duas partes et quod Abraham poneretur in  
medio, quia in illo figurato erant credende due nature, scilicet: diuina et humana. Et sic una  
pars ad dexteram, alia ponebatur ad sinistram. Sed alia animalia, scilicet: turtur et columba,  
non diuidebantur, quia non significabant suppositum, sicut alia predicta, sed notabant  
165 perfectiones suppositi quo ad gratiam et uirtutes, que non fuerunt illi communicate ad  
mensuram, sed infinita erant omnia, etcetera, ideo non diuisa in partes. Item dixit illi in  
sopore uel extasi uel raptu: *scito quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua; tu autem  
ibis ad patres tuos in pace. Generatione autem quarta reuertetur hic*, et affligent eos quadringentis  
annis. Et sic erat peregrinum semen annis quadringentis et erant reuersuri in terram  
170 promissionis, scilicet: glorie per semen, id est, per Christum, ut dicit Apostolus: *in semine tuo*,  
id est, in Christo, *non dicit in seminibus*. Clarum est quod in terra Egipti solum fuerunt  
ducentis decem annis, sed a natiuitate Isaac, in quo uocatum est “semen Abrahe”, ut  
habetur Genesis capitulo uicesimo primo, usque quod genuit Iacob fuerunt anni sexaginta,  
ut habetur Genesis uicesimo quinto. Sed Iacob erat centum triginta annorum quando  
descendit in Egiptum, ut habetur Genesis quadragesimo septimo.

Et sic si isti anni centum nonaginta iungantur annis ducentis decem, erunt omnes  
175 quadringenti anni. Igitur istis quadringentis annis semen Abrahe fuit peregrinum in terra  
non sua, scilicet: partim in terra Canaan et Gerare et in Egipto. Igitur non intelligebatur de  
reditu ad terram promissionis, sed ad terram uiuentium, quod patet etiam quando dicit:  
*quarta generatione*, etcetera, quod non fuit ad litteram, nam quadringenti anni incipiunt ab  
Isaac mortuo Abraham, etcetera. Secunda generatio est in Iacob. Tertia Iude. Quarta  
180 Phares. Quinta Esrom, Matthei primo. Sexta Caleph, nam Esrom genuit Caleph, primo  
Paralipomenon secundo capitulo. Iste Caleph fuit de intransibus terram promissionis, ut  
habetur Numeri decimo quarto et Iosue decimo quarto. Et sic computando generationes,  
quadringentorum annorum per lineam regum non fuit quarta generatione reuersio. Nec  
etiam per lineam sacerdotum, nam prima esset Isaac. Secunda Iacob. Tertia Leui. Quarta  
185 Caath. Quinta Amram. Sexta Aaron. Septima Eleazar, qui intrauit terram promissionis.  
Nam ipse et Iosue diuiserunt terram promissionis, ut habetur Iosue decimo quarto. Et sic  
nec ex parte regum nec ex parte sacerdotum fuit hoc quarta generatione incipiendo ab  
Isaac, in quo incipiunt quadringenti anni. Sed spiritualiter fuit hoc quarta generatione, id  
est, quarto modo generandi.

190 Nam prima fuit Ade sine femina et uiro. Secunda fuit Eue de solo uiro. Tertia fuit  
aliorum de uiro et femina. Igitur sperabatur quarta generatio, scilicet: de sola femina sine  
uiro, scilicet: de uirgine Maria. Et sic promissio Abrahe sperabatur ab illa per illam feminam  
ex utero suo, etcetera, quia sine uiro. Igitur patet de patriarchis quod illi sperauerunt in  
uirgine, sicut in Christo.

195 Secundo, patet de regibus.

---

153: cf. Gn. 15, 9. | 156: cf. I Pt. 2, 22. | 165-166: cf. Gn. 15, 13-16. | 168-169: cf. Gal. 3, 16. | 171: cf. Gn. 21, 12. | 172: cf. Gn. 25, 26. | 173: cf. Gn. 47, 9. | 178: cf. Gn. 15, 16. | 180: cf. Mt. 1, 3. | 181: cf. I Par. 2, 18. | 182: cf. Nm. 14, 24; cf. Ios. 14, 8-9. | 186: cf. Ios. 14, 2.

Primo per Daudid, cui expressius facte fuerunt promissiones de Christo et uirgine, unde: *super senes intellexi*, Psalmi centesimo decimo octauo. Item uir cui constitutum est de Christo, etcetera. Sic dicit de uirginis sanctificatione: *sanctificauit tabernaculum suum altissimus*, Psalmi quadragesimo quinto. Item quod ista sanctificatio fuerit excellentior aliis, nam fuit  
 200 preseruata et in peccato non cecidit, dicit ipse: *adiuuabit eam mane diluculo*, scilicet: antequam caderet. Item de salutatione angeli et consensu suo sine quo non fuerat incarnatio habetur in Psalmo quadragesimo quarto: *audi filia et uide et inclina aurem*, etcetera. Item de conceptione dicit in Psalmo octogesimo sexto: *homo natus est in ea et ipse*, etcetera.

Secundo, patet de Salomone quo ad uirginitatem: *hortus conclusus et fons*, etcetera,  
 205 Canticorum quarto. Item Prouerbiorum ultimo: *mulierem fortem quis inueniet? Procul*, etcetera.

Tertio, patet de Ezechia, Acham filio, quando illi nuntiata fuit mors et nullum habebat filium, quia postea fuit natus Manasses, audiuerat Ezechias a patre suo promissum signum in uirgine, ut dixit Isaias, et nuntiata illi morte dicit: *ego dixi: "in dimidio dierum meorum uadam ad portas inferi"*, quia liberandus credebatur per prolem illi promissam ex uirgine. Ideo dicebat:  
 210 *generatio mea ablata est et conuoluta est a me quasi tabernacula*, etcetera. Ideo: *fleuit amare conuersus ad parietem*, id est, ad parietem, quia paries notabat uirginem Mariam intra illam et in utero stabat Christus, unde Salomon dicit Canticorum secundo: *dilectus meus stat post parietem*, id est, uirginem. Igitur patet de regibus per istos.

Tertio, patet per prophetas.

Primo, per Isaiam septimo capitulo: *dabit dominus uobis signum*, etcetera, *ecce uirgo concipiet*, etcetera. Item Hieremie tricesimo primo: *creauit dominus nouum super terram, femina circumdabit uirum*. Item per Hiezechielem quadragesimo tertio et quadragesimo quarto capitulo: *maiestas domini ingressa est templum per portam orientalem*, scilicet: innocentie et sine peccato. Sicut in oriente creationis fuit Eua, omnes alii per occidentalem fuerunt ingressi post peccatum  
 220 illius, quia ab illa mortui. Item dicit de uirginitate: *porta hec clausa erit*, etcetera. Et sic omnes isti patres sperabant illam desiderando in limbo et clamabant sicut ecclesia representat in antiphonis de O in uesperis: primo, desiderando redemptorem, et sic dicit prima: «o sapientia», etcetera, sed secundo desiderabant uirginem, sine qua sciebant non esse uenturum; ideo in secunda dicit: «o Adonai, qui Mosi in rubo apparuisti», etcetera, qui uirginem figurauit. Vnde ecclesia dicit: «rubum quem uiderat Moses», etcetera; tertia dicit: «o radix Iesse», unde: *egredietur uirga de radice Iesse*, etcetera; item alia dicit: «o uirgo uirginum», etcetera. Et sic cum essent in limbo omnes audientes Danihelem de hebdomadibus et Aggeus dixerat: *statim ueniet*, etcetera, omnes tunc clamabant, et primo Moses quando pro liberatione populi mitteretur accipiens signum.

230 Primo, in manu leprosa.

Secundo, in carne purissima sciuit quod prima manus fuit Eue, cum qua accepit fructum uetitum. Secunda caro purissima fuit uirginis Marie, et sic uidebat quod illa liberatio populi significabat liberationem a peccato, que sperabatur per Christum a uirgine Maria datum, dicebat: *mitte, domine, quem missurus es*, etcetera, Exodi quarto. Item Isaias dicebat: *emitte*

---

197: Ps. 118, 100. | 198-200: Ps. 45, 5-6. | 202: Ps. 44, 11. | 203: Ps. 86, 5. | 204: Ct. 4, 12. | 205: Prv. 31, 10. | 208-210: cf. Is. 38, 10-12. | 210-211: cf. Is. 38, 1-3. | 212: Ct. 2, 9. | 215: Is. 7, 14. | 216-217: Ier. 31, 22. | 217-218: cf. Ez. 43, 4; Ez. 44, 2. | 220: Ez. 44, 2. | 226: cf. Is. 11, 1. | 228: cf. Mal. 3, 1. | 234: Ex. 4, 13.

222-224: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Anti. maiores in Ev. PL 78, 732D. | 225: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Anti. in matutinis. PL 78, 741C. | 226: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Anti. maiores in Ev. PL 78, 732D-733A.

203: Octogesimo sexto] M, X quadragesimo sexto. | 212: Salomon] M, X Salamon.



235 *agnum domine dominatorem terre de petra deserti*, id est, de uirgine Maria. Item desiderium ostendebat dicens: *utinam dirumperes celos et uenires*, scilicet: in uterum uirginis Marie. Non quod esset rumpendus, sed uirginitate permanente, etcetera, sed sicut dicimus: “iam rumpitur aurora”, etcetera, quia uidetur lumen quod erat occultum, etcetera, sic in proposito. Item Dauid dicebat in Psalmo octogesimo quarto: *ostende misericordiam tuam*, id est, Mariam, *et salutare tuum da nobis*, etcetera. Item Salomon desiderabat dicendo: «ueni electa mea», etcetera. Et sic si omnes patres antiqui resoluuntur in patriarchas, reges et prophetas et omnes isti sperauerunt in uirgine, bene possumus concludere quod *in te sperauerunt patres nostri*. Quo ad primam partem.

245 Secunda pars principalis breuiter pertractabitur, scilicet: quod omnis qui sperat in uirgine Maria et solus ille saluatur et liberatur ab omni angustia. Hoc autem patet breuiter per Bernardum in sermone uirginis dicens de uirgine: «sicut a te despectus et auersus necesse est quod pereat, sic ad te reuersus et a te respectus impossibile est quod pereat. Filioli, hec peccatorum scala, hec mea maxima fiducia, hec tota ratio spei mee», etcetera. Et sic cum uirtus spei respectu uirginis sit tantum necessaria, ecclesia decreuit festiuitatem et  
250 solemnitatem illius instituere. Iam enim erat institutum festum gratie, scilicet: in anuntiatione, quando dixit ei angelus: *auē gratia plena*. Festum misericordie in natiuitate Christi, unde: *per uiscera misericordie Dei nostri, in quibus uisitauit nos oriens ex alto*, etcetera. Igitur inter anuntiationem et natiuitatem debuit hoc festum collocari. Et sicut est de tempore, sic etiam de loco, quia debuit in hoc hospitali Sancte Marie celebrari, nam hec dicitur “Sancte Marie Gratie”, et ibi est fons misericordie quo ad pauperes, sic etiam debet esse festiuitas et  
255 memoria spei uirginis Marie, nam mediante misericordia habemus spem gratie, etcetera.

Secundo, celebratur hoc festum propter preceptum et miraculum quod accidit tali die, nam cum sanctus Alfonsus archiepiscopus Toletanus componeret libellum pulcherrimum de uirginitate Marie contra quosdam hereticos illius temporis contrarium asserentes, uirgo  
260 Maria illi apparuit et gratias illi obtulit et casullam illi dedit in ecclesia Toletana et precepit illi ut festum hoc octaua die ante natiuitatem faceret, etcetera.

Tertio, hoc festum institutum fuit propter nos, scilicet: ad tollendum errorem et ad dandum instructionem nobis.

265 Primo, erat error quorundam dicentium quod uirgo sperabat partum suum tali die et sic quod fuit decepta in computo temporis, quod non est credendum, nam in illa nullus fuit error. Item melius sciuit tempus aduentus Christi in mundum quam aliquis prophetarum, sed si Danihel illud sciuit per computum hebdomadarum, multo melius uirgo Maria, in qua tale tempus erat implendum et qui excellentiorem et certiore reuelationem habuit. Item si aliqua mulier aliquantulum scit tempus partus naturalis, multo magis hec partus  
270 supranaturalis. Nam mulier ignorat tempus conceptionis punctualiter et per consequens partus, sed uirgo Maria sciuit tempus conceptionis filii sui, dum angelus dixit: *auē*, et ipsa: *ecce ancilla domini*, etcetera. Et sic sciuit punctualiter tempus partus et in tali tempore non fuit decepta. Sed dicitur dies speculationis, quia sperabat deuote filium de propinquo uidere, et sic per octo dies ante natiuitatem filii erat in continua contemplatione et dicebat cum  
275 Psalmista, Psalmi tricesimo nono: *expectans expectaui dominum*. Et preparauit se tripliciter.

234-235: Is. 16, 1. | 236: Is. 64, 1. | 239-240: Ps. 84, 8. | 242-243: Ps. 21, 5. | 251: cf. Lc. 1, 28. | 252: cf. Lc. 1, 78. | 271-272: cf. Lc. 1, 28; 1, 38. | 275: Ps. 39, 2.

240-241: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Med.*, XXIII. PL 40, 918C. | 246-248: cf. MF. Ans., *Orat.*, LII. PL 158, 956C; cf. Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 7. PL 183, 441D.

242: Virgine] M uirginine. | 244: Pertractabitur] M partractabitur. | 261: Natiuitatem] M natiuitate. | 265: Computo] M, X compoto. | 267: Computum] M, X compotum.

Primo, quo ad animam, que incendebatur charitate maxime sperando illum Christum adorare et oculis carnis uidere.

Secundo, preparabat pannos pauperulos, quibus filium inuolueret.

Tertio, preparabat lac, nam uidebat ubera miraculose esse plena.

280 Hec tria fecit ad nostram utilitatem et ad nostrum exemplum.

Primo, pregnans debet ante partum preparare conscientiam suam, nam tenetur ex precepto confiteri in tali casu, sicut uir in introitu belli, etcetera.

Et etiam debet secundo preparare pannos pro nascituro.

285 Tertio, debet preparare lac, non dare filium alteri nutrici si potest illum alere. Sic enim fecit uirgo Maria.

Hoc debet facere primo propter tuitionem prolis, nam mater plus diligit filium quam aliena nutrix et sic melius illum seruabit illesum.

Secundo, lac matris est conuenientius et naturalius quam lac alienum.

290 Tertio, propter hoc ut proles magis a matre diligatur. Et sic melius ipsa ab omnibus inconuenientibus illam separet et ideo nec Eua nec Maria habuerunt nutricem, nam quanto plures labores mater pro filio uel filia recipit, magis illos amat, ut dicit Philosophus in libro Ethicorum, dando causam quare matres plus diligunt filius quam patres, etcetera.

295 Et sic ad exemplum uirginis ante natiuitatem Christi omnes debemus conscientias preparare. Item pannos pro Christo sicut fecit Martinus dando uestes pauperi. Item lac dando cibum pauperi. Et sic nos preparando, hic habebimus gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, etcetera. Amen.

---

291: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, VIII, 14, 61b27, p. 317.

SERMO CENTESIMVS TRICESIMVS QVARTVS IN DOMINICA QVARTA ADVENTVS

<THEMA> *Erunt signa in sole et luna*, Luce uicesimo primo.

Originaliter, etcetera.

5 Sententia est omnium doctorum catholicorum quod filius Dei in sacra scriptura dicitur “sol” et mater sua gloriosa dicitur “luna” et preter rationes iam dictas Christus dicitur “sol”.

Primo, quia sicut sol circuit totum zodiacum faciendo diuersos effectus, sic filius Dei.

Nam sicut sol primo fuit in Ariete, sic Christus in tempore innocentie. Aries enim est animal mansuetum, sic fuit Deus ante peccatum Ade.

10 Secundo, sol in Tauro riguroso. Sic hic post peccatum primi hominis expulit eum a paradiso, etcetera.

15 Tertio, sol in Gemine. Hoc signum figuratur quod sunt duo fratres pueri iuncti, et sicut dicunt poete, fuerunt Castor et Polus, quorum cum unus esset mortalis et alter immortalis. Ille uoluit iungi alteri, ut sibi daret immortalitatem. Sic uerbum fuit in Gemini in incarnatione quando iuncta fuit persona diuina cum natura humana uel econuerso, ut cum esset immortalis et altera mortalis, illi daret immortalitatem, etcetera.

Quarto, sol fuit in Cancro, quod est animal retrogradum semper tendens retro. Sic Christus in uita sua semper, cum esset perfectissimus, debebat ire ad honorem, sed semper ad contumeliam usque ad mortem.

20 Quinto sol fuit in Leone. Sic Christus in resurrectione, unde: *uicit Leo de tribu Iuda*, Apocalypsis quinto. Item Iacob dixit, Genesis quadragesimo nono: *Iuda accubuisti ut leo, quis suscitabit eum*, etcetera?

Sexto, sol in Virgine. Sic Christus post resurrectionem et ascensionem stetit cum uirgine illis diebus.

25 Septimo, sol in Libra. Sic Christus in ascensione quando presentauit patri meritum suum de una parte et peccatum Ade in alia, de quo dicebat, Iob sexto: *utinam appenderentur peccata mea*, etcetera, *in statera*.

Octauo, sol fuit in Scorpione post ascensionem, quando ecclesia passa fuit a tyrannis, ut scorpionibus tempore martyrum.

30 Nono, sol stetit in Sagittario. Sic Christus in persecutione hereticorum tempore confessorum usque ad hodiernum diem.

Decimo, sol erit in Capricornio tempore antichristi, quia capra est animal inmundum, sic ille, et abbas Ioachim illum figurat ut hircum.

Vndecimo, erit in Aquario, sic Christus in diebus illis misericordie, que erunt inter antichristum et iudicium, nam pluet bonis misericordia domini.

---

2: Lc. 21, 25. | 19: Apc. 5, 5. | 20-21: Gn. 49, 9. | 25-26: Iob. 6, 2.

35 Duodecimo, erit sol in Piscibus, scilicet: tempore iudicii finalis, unde Matthei decimo tertio: *simile est regnum celorum sagene misse in mari et ex, etcetera. Elegerunt bonos in uasa sua ad gloriam, malos autem foras miserunt, scilicet: ad infernum.*

Secundo, Christus dicitur “sol”, nam sicut sol uidetur parue quantitatis et est maior terre occies, sic filius Dei uidetur paruus. Est tamen maior omnibus occies, quia excellit omnes  
40 in pulchra complexione, ex qua resultauit pulchritudo eius, unde Psalmi quadragesimo quarto dicit: *speciosus forma pre filiis hominum, etcetera.* Secundo, excellit in resplendore, patet in transfiguratione. Tertio, in leuitate, patet in mari. Quarto, in subtilitate, patet exiuit a matre clauso utero. Et hec quattuor sunt quo ad corpus. In quattuor etiam excellit quo ad animam, ut dicit Augustinus. Primo, in potentia. Secundo, in scientia. Tertio, in gratia.  
45 Quarto, in gloria.

Tertio, sicut lux solis est delectabilis oculis sanis et egris est odiosa, sic Christus oculis beatorum est delectabilis, unde dicit Petrus apostolus, prima Petri primo: *in quem desiderant angeli prospicere.* Sed est odiosus egris. Primo, hereticis et infidelibus. Dicit enim Apostolus, prima Corinthiis primo: *predicamus Iesum et hunc crucifixum iudeis scandalum gentibus stultitiam.*  
50 Etiam sicut erit delectabilis beatis, sic grauis damnatis, etcetera, sed etiam oculis peccatorum est grauis per contritionem. Ideo dum peccator uidet crucifixum, mox prouocatur et resoluitur in lacrimas, unde Psalmi quinquagesimo quinto: *posuisti lacrimas meas in conspectu tuo.*

Similiter uirgo Maria dicitur luna propter tria.

55 Primo, sicut luna est media inter sphaeras corruptibilium et incorruptibilium, sic uirgo Maria mediatrix peccatorum, unde Bernardus in sermone: «ad Mariam tamquam ad medium», etcetera. Item idem Bernardus in sermone de aduentu: «o domina nostra, mediatrix nostra, tuo filio nos representa».

60 Secundo, sicut non est celum per quod transeant influentie omnium celorum, sicut celum lune, cum sit inferior omnium, sic non est inter sanctos aliquis per quem transeant omnia subsidia Dei ad nos nisi per Mariam, unde Bernardus: «nihil ad nos uenire uoluit quin manibus uirginis non transiret».

Tertio, quanto magis luna iungitur soli, tanto minus uidetur a nobis, siue fit in coniunctione siue in solis eclipsi. Sic Maria quanto magis fuit propinqua soli, id est, Christo, tanto minor uidebatur, siue in coniunctione, scilicet: in anuntiatione filii, unde angelus dicit: *ave Maria.* Ipsa dicit: *ecce ancilla domini.* Ideo Bernardus: «merito facta est nouissima prima, que cum esset prima omnium se nouissimam faciebat». Vnde Petrus Rauennas: «quando angelus cognoscit dominam, ipsa se dicit ancillam», etcetera. Igitur in illa coniunctione filii Dei, quanto magis fuit illuminata gratia, minorem se reputauit. Item in  
70 eclipsi solis, licet minima uideatur quando sol et luna sunt inter caput et caudam draconis, sed ipsa luna ualde est illuminata, licet non uideatur. Sic in eclipsi solis, id est, Christi passione, multum fuit illuminata per maximum martyrium, dum uirgo stabat inter caput et caudam draconis, quia tunc, ut dicunt Beda et Gregorius, draco ille magnus demon erat in brachio crucis considerando utrum ille esset Deus. Et cauda erat suggestio populi, qui

---

36-37: Mt. 13, 47-48. | 41: Ps. 44, 3. | 47-48: I Pt. 1, 12. | 49: I Cor. 1, 23. | 52-53: Ps. 55, 9. | 66: cf. Lc. 1, 28. | Lc. 1, 38.

44: cf. Aug. Hipp., *Ep.*, CXVIII, 3, 14. PL 33, 439A. | 56-57: Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328A. | 57-58: Bern. Cl., *In Adv. Dom.*, II, 5. PL 183, 43C. | 61-62: Bern. Cl., *In Vig. Nat. Dom.*, III, 10. PL 183, 100A. | 66-67: Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, 11. PL 183, 436A. | 68: Petr. Rav., *Serm.*, CXLII, PL 52, 582B. | 73: cf. Bed., *Expl. Apc.*, II, 12. PL 93, 166C; cf. Gre. Mag., *Mor.*, XXXII, 15, 25. PL 76, 651AB.

75 dicebat: *crucifige, crucifige*. Et sic uirgo Maria erat inter illud caput draconis et caudam populi et uidebatur minima, quia ante illam habebant pro matre magni prophete et tunc uidebant eam tristem et flentem. Et sic, licet esset tunc maxima propter gloriosum martyrium, uidebatur minima propter filii mortem.

80 Et sic uiso quod Christus dicitur “sol” et uirgo Maria “luna”, in isto sole et luna, ad hoc ut mundus haberet gratiam redemptionis, fuerunt necessaria duo alia signa preter dicta. Nam non sufficiebat in sole quod non moueretur, quod fuit in eius conceptione, nec quod occultaret radios suos, quod fuit in eius natiuitate, nec quod repararet in retrogradatione decem imperfectiones uel defectus nature humane, quod fuit in uita, nec quod esset percussa tertia pars eius, quod fuit in morte, sed alia duo signa fuerunt necessaria, que  
85 fuerunt in sole materiali, etcetera.

Primum signum est quod ponitur a Iosue decimo: *sol ne mouearis*, etcetera. Sic autem fuit in Christo in sua conceptione, nam nunquam aliqua conceptio fuit sine tempore et per consequens sine motu celi. «Tempus enim est mensura motus», ut ait Aristoteles tertio  
90 Physicorum. Et licet anima infundatur in instanti, tamen corpus organizatur in tempore in aliis a Christo. Et sic in muliere sunt nonaginta dies, in homine quadraginta quinque, ut dicunt naturales, sed in Christo fuit in instanti organizatio et unio anime ad corpus et unio ad diuinitatem. Et licet fuerit corpus eius ex massa Ade, sed non fuit secundum modum illius, quia non opere nature, sed spiritus sancti. Figura huius habetur Hieremie decimo  
95 octauo, dum Deus ostendit Hieremie modum liberationis Israhel, dicit illi: “*descende ad domum figuli*”, etcetera. *Descendi et ipse faciebat opus super rotam et dissipatum est uas quod ipse faciebat e luto manibus suis conuersusque fecit illud uas alterum sicut placuerat in oculis eius, ut faceret*. Primum fuit Ade et posteritatis sue. Secundum fuit Christi, sed fecit primum super rotam, id est, super motum celi. Sed de secundo non dicit aliquid de rota, sed “sicut placuit in oculis eius”. Et sic omnis conceptio hominum fuit in tempore quo ad preparationem  
100 materie, non autem quo ad infusionem anime, que cum non habeat partes, fit in instanti. Alie autem conceptiones fiunt cum motu. Ideo cum «tempore cum sit mensura motus», sed uiri preparatio in quadraginta quinque diebus, mulieris autem nonaginta diebus, ut dicunt naturales. Sed conceptio Christi in instanti fuit corpus organizatum et anima infusa et unita diuinitati. Et cum non fuerit motus, sed mutatum esse, sic non fuit tempus, sed instans. Et  
105 sic solum in natiuitate Christi sol stetit, id est, non motus fuit.

Secundum signum soli fuit excellentis illuminationis, unde Isaie tricesimo: *erit lux solis septempleriter, quasi lux septem dierum*. Sic Christus in sua resurrectione habuit septem excellentias et prerogatiuas in lumine glorie.

Prima fuit manifesta angelis.

110 Secunda hominibus.

Tertia in limbo.

Quarta in purgatorio.

Quinta fecit corpus beatum.

---

75: cf. Lc. 23, 21. | 86: Ios. 10, 12. | 94-96: Ier., 18, 2-4. | 106-107: Is. 30, 26.

88: cf. Arist. Lat., *Phys.*, IV, 12, 221b25, p. 183; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 10, a. 4, p. 60. | 101: cf. Arist. Lat., *Phys.*, IV, 12, 221b25, p. 183; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 10, a. 4, p. 60.

Sexta fecit illud impassibile.

115 Septima fecit illud immortale, quia: *Christus resurgens iam non moritur*. Et sic anima non habuit maiorem gloriam intensiue tunc, sed solum extensiue. Ideo dixit propheta: *quasi lux septem dierum*.

Similiter in luna, preter signa dicta, fuerunt necessaria alia duo signa.

120 Primum signum est totalis remotionis, unde Psalmi septuagesimo primo: *donec auferatur luna*. Non solum occultando lumen, ut diximus, sed quod totaliter auferetur a nobis. Hoc fuit in uirgine in eius morte, nam non solum fuit anima separata a corpore, sed mox unita et in corpore et anima in celum assumpta, ut in curia celi esset nostra patrona.

125 Secundum signum fuit abundantis illuminationis, Isaie tricesimo: *erit lux lune ut lux solis*. Sic in Maria in eius assumptione, quia sicut ipse sedens erat in corpore glorioso ad dexteram patris in celo, sic ipsa ad dexteram filii. Et sicut ipse erat patronus et aduocatus ad patrem, unde Iohannes in canonica prima Iohannis secundo capitulo dicit: *aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum*, sic ipsa erit aduocata nostra apud filium, ut dicit Hieronymus in sermone Assumptionis uirginis.

130 Et sicut ista fuerunt signa gratie pro toto mundo, sic tu habes signa istorum signorum pro te, nam in Christo habes signum. Non enim solum dedit sanguinem pretiosum suum in flagellis, in corona, in uulneribus pedum et manuum, sed uoluit totum fontem cordis pro te dare, ut uiscera eius uideres per uulnus lancee, qua prompta sunt ad tibi dandum gratiam. De isto signo habetur Isaie undecimo: *elevauit domunus signum in nationibus*, scilicet: crucem. De alio habes signum, nam ad dexteram patris ut aduocatus. De signis duobus uirginis  
135 habes signum, Apocalypsis duodecimo: *signum magnum apparuit in celo, mulier amicta sole et luna sub pedibus eius*. In lumine solis notatur plenitudo gratiarum, in luna sub pedibus gubernatio et patrociniū mundi. De istis signis omnibus loquitur beatus Bernardus in sermone dicens: «securum accessum habes, o peccator, ad Deum, ubi filius ante patrem et mater ante filium. Filius ostendit patri latus et uulnera, mater ostendit filio pectus et ubera. Nulla  
140 igitur potest esse repulsa, ubi tot sunt amoris insignia».

Igitur, ut det fiduciam et spem impetrandi, quotienscumque ad illos recures, *erunt signa in sole et luna*, etcetera. Ad hanc igitur lunam in principio sermonis recurramus, etcetera.

<THEMA> *Erunt signa in sole et luna*, ubi supra.

145 Tria sunt uidenda in presenti sermone. Primo, de loco iudicii. Secundo, de personis. Tertio, de disceptatione iudicii.

Quo ad primum, omnes qui resurgent congregabuntur in ualle Iosaphat circa Hierusalem. De isto habetur Iohelis tertio: *congregabo omnes gentes et educam eas in uallem Iosaphat et disceptabo cum eis*. Est autem locus conueniens iste propter tria.

150 Primo, quia iudex debet parare iudicium in medio sui districti. Exemplum: quando rex Aragonum congregat curiam generalem, eligit medium regnorum, sic quilibet alius. Et sic, cum Hierusalem sit in medio terre habitabilis, sequitur quod fuerit locus conueniens.

115: cf. Rm. 6, 9. | 116-117: cf. Is. 30, 26. | 119-120: Ps. 71, 7. | 123: Is. 30, 26. | 126-127: I Io. 2, 1. | 133: Is. 11, 12. | 135-136: Apc. 12, 1. | 141-143: cf. Lc. 21, 25. | 147-148: Ioel. 3, 2.

128: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. PL 30, 127D. | 138-140: Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Ern. Bon., *De Lau. B. M. V.*, 1. PL 189, 1726CD.

Secundo, quia Christus debuit iudicare in illo loco in quo fuit iudicatus, sed hoc fuit in Hierusalem, igitur, etcetera.

155 Tertio, quia in eodem loco fuit homo creatus et recreatus et iudicatus. Sed in Hierusalem fuit creatus et recreatus, igitur debet iudicari.

160 Si dicis contra: quia in Hebron fuit creatus, igitur, etcetera. Dicendum quod Hebron distat a Hierusalem per octo leucas. Et sic uerisimile est quod iudicandi erunt circumcirca Hierusalem per illam distantiam, quia (ut dicunt doctores) iusti erunt in area supra montem Oliueti, sed damnati erunt in terra circa uallem Iosaphat. Non precise in ualle, ut dicit Hieronymus, quia puerile esset dicere quod omnes iudicandi essent precise in ualle Iosaphat.

165 Sed si queritur: utrum Christus ueniet prius ad locum iudicii an ipsi iudicandi? Dicendum quod Christus simul recedet a celo empireo et mittet angelos ad congregandos electos. Sed ipsi electi prius erunt in loco iudicii quam Christus, unde habetur Marci decimo tertio et Matthei decimo sexto: *uidebunt filium hominis uenientem in nubibus*, etcetera. Non possent omnes illum uidere nisi iam essent congregati in unum locum iudicii. Et tunc Christus ueniet, quia dicit: *uidebunt uenientem*, etcetera, licet omnes recedant simul a terminis a quo, sed angeli facient officium suum in paruo tempore et Christus ueniet successiue, maxime extra celos.

170 Primo, quia sic ascendit successiue, Actuum primo: *quid admiramini?* Etcetera, *sic ueniet quemadmodum*, etcetera.

Secundo, ueniet successiue et paulatim ad ostendendum gloriam suam, quia in instanti non posset.

175 Tertio, ut locum unde ueniet ostendat. Nam si in instanti ueniret et illis appareret, nescirent utrum de paradiso uel de alio loco ueniret. Et sic sicut quando ascendebat ibat successiue et paulatim, ut ostenderet quod ascendebat in celum, sic in aduentu a celo. Veniet autem in nubibus.

Primo, quia sic ascendit.

Secundo, propter suum apparatus et gloriam.

180 Tertio, ad insinuandum quod ueniebat ad iudicium in throno, unde: *thronus eius ut columna nubis*, Ecclesiastici uicesimo quarto. Tunc apparebit signum filii hominis, scilicet: crux domini, secundum omnes doctores in quarto, distinctione quadragesima octaua, unde Chrysostomus dicit: «erit tunc crux luculentior sole, in aere portabitur», etcetera. Si erit eadem crux uel solus resplendor lucis pauci determinato, sed Richardus in quarto uidetur tenere quod erit eadem crux in qua passus fuit Christus.

185

Et si dicis: omnia ligna tunc erunt combusta per ignem precedentem. Dicendum quod ligna crucis non comburentur. Per uirtutem enim diuinam preseruabuntur. Nam sicut nunc, non consumit illa ignis nec tunc faciet, cum ille ignis et iste sint eiusdem speciei, secundum doctores, etcetera.

---

165: Mc. 13, 26. Mt. 16, 27. | 167: cf. Lc. 21, 27. | 170-171: Act. 1, 11. | 180-181: Sir. 24, 7.

160: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 2. *PL* 30, 123C. | 182: cf. Petr. Lom., *Sent.*, IV, 48, 2-3. *PL* 192, 956AC. | 183: cf. Io. Chrys., *Hom. In Mt.*, LXXVI, 3, 30. *PG* 58, 698B. | 184: cf. Ric. Med., *Sup. Sent.* (vol. 4), IV, dist. 48, a. 2, q. 7, p. 645.

190 Et si dicis: est nunc diuisa crux in multis partibus. Dicendum quod uirtute angelorum reunientur ligna, sicut cinis mortuorum. Et sic ista crux in aere portabitur ut uexillum notans iudicem uenturum.

Secundo, ad confusionem iudeorum, quia uidebunt quem confixerunt.

195 Tertio, ad confusionem omnium peccatorum, ut dicit Chrysostomus, qui de passione sua noluerunt fructum recipere.

Secundo, illud signum potest intelligi quod sint cicatrices uulnerum Christi splendiores luce.

200 Tertio, illud signum potest esse signum in frontibus saluandorum, scilicet: character baptismi. Et sic omnes saluandi portabunt crucem in frontibus eorum. De quo Hiezechielis nono signum Thau, quod apud nos est crux et apud iudeos ultima littera, nam primum signum fuit Abrahe circumcisio, ultimum crux, in qua nostra redemptio facta fuit.

205 Et si dicis: si omnes saluandi portabunt crucem in frontibus, cum multi salui facti sint de iudaismo et etiam de gentilitate ante Christi passionem, quid illi portabunt? Dicendum quod omnes portabunt crucem, quia: «nullus fuit saluus nisi in fide mediatoris», ut dicunt Augustinus, sanctus Thomas et multi alii. Nam sacrificia gentilium figurabant istud sacrificium nostri redemptoris et circumcisio, in qua sanguis aspergebatur, figurabat etiam passionem Christi. Et sic omnes portabunt crucem, sed christiani portabunt illam splendidam, quia maior gratia data fuit in Christi aduentu quam in eius figura. Idolatre portabunt signum demonis. Et sicut omnes damnandi portabunt signum borratum, sicut  
210 quando supra aliquam scripturam scribitur alia et nunquam potest legi prima nec secunda, sic fiet in illo signo. Nam heretici supra signum Christi apponunt signum Mosi uel alicuius alterius heretici, sic iudei. Et sic omnes seducti per antichristum. Nam ille faciet obseruare baptismum et circumcisionem et diem dominicam et sabbatum, etcetera. Et sic de isto signo habetur Apocalypsis decimo nono dicens: *seduxit eos qui acceperunt characterem bestie*,  
215 scilicet: antichristi. Et hec quo ad primum.

De secundo, dicendum quod erunt in illo iudicio, sicut in quolibet alio, quattuor persone, scilicet: iudex, reus, actor et testis. Iudicare autem conuenit Deo, ideo toti trinitati. Sed conuenit filio principaliter et appropriate, ut dicit Richardus in quarto, distinctione quadragesima octaua.

220 Primo, quia: *pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio*, Iohannis quinto.

Secundo, iudicabit ut Deus regnum suum, ad quod non sufficiunt dona creationis, sed etiam recreationis. Sed filius fuit recreator, igitur.

225 Tertio, quia iudicabit homines. Igitur illa in trinitate persona, que est factus homo, erit iudex, sed iste est filius igitur. Et sic iudicare auctoritate principali et ordinaria conuenit filio, ut est Deus, auctoritate delegata conuenit Christo, ut est homo.

Secundo, iudicabit in forma humana. Patet hoc tripliciter.

---

199-200: cf. Ez. 9, 4. | 214: Apc. 19, 20. | 220: Io. 5, 22.

194: cf. Io. Chrys., *Hom. In Mt.*, LXXVI, 3, 30. PG 58, 698BC. | 204: cf. Aug. Hipp., *Ep.*, CXC, 2, 5. PL 33, 858D; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 2, a. 7, p. 26. | 218: cf. Ric. Med., *Sup. Sent.* (vol. 4), IV, dist. 48, a. 1, q. 1, p. 635.



Primo, quia in tali legem condidit, igitur in illa de legis transgressoribus iudicabit. Lex nature data fuit principaliter et immediate a Deo puro; secunda lex scripta data a Deo, sed ministerio angelorum; lex gratie a Deo et homine. Igitur omnia ista debebant concurrere ad finale iudicium, scilicet: quod fieret a solo Deo ordinarie et ab angelis ministerialiter, ut diximus de resurrectione et electorum congregatione, etcetera, et a Deo et homine, scilicet: Christo. Et sic iudicante Christo omnia impleta fuerunt.

Secundo, hoc erit a Christo in forma humana, quia in tali Christus fuit iudicatus.

Tertio, ad penam malorum et gaudium et delectationem bonorum. Nam damnati recipient penam in hoc quod fuerunt iudicati a quodam homine, quia si ab angelo uel Deo immediate iudicarentur, non tantum esset illis in penam. Exemplum: quando aliquis punitur et sententiatur a consocio uel canonico suo, est illi in maximam penam, quia uellet quod ab aliquo superiori puniretur et non a suo equali. Econuerso est de beatis, qui maxime gaudebunt de hoc: quod non solum a Deo gloriam recipient, sed a Deo homine existente, etcetera.

Tertio, Christus iudicabit in forma humana gloriosa et non in forma serui in qua fuit iudicatus. Tripliciter patet hoc.

Primo, iudex debet eminere et precellere iudicatis, sed multi iudicandi erunt beati iam in forma gloriosa, ut patet de omnibus sanctis, qui erant in celo cum anima gloriosa, et patebit de illis qui cum Christo surrexerunt, qui secundum aliquos, in anima et corpore ascenderunt ad celos cum Christo. Saltem patebit de uirgine gloriosa, que in anima et corpore ad celos ascendit, de qua non est dubitandum, ut dicit Augustinus et etiam sanctus Thomas in tertia parte, questione uicesima septima, primo capitulo; et in quarta, distinctione duodecima, questione prima, articulo tertio, questiuncula tertia, contestatione; et in opusculo octauo capitulo primo in fine.

Secundo, probatur quod iudicabit in forma gloriosa, nam iudicare et iudicari sunt actus contrarii. Sed iudicatus fuit in forma humili, igitur iudicare debuit in forma gloriosa. Ergo, si iudicatus fuit ut seruus, iudicare debebat ut dominus. Videbunt eum omnes tam boni quam mali, sed mali cum tristitia, sicut fit de lumine uiso ab eo qui habet oculos egros, sed boni cum gaudio et delectatione. Sed mali non uidebunt gloriam anime nec essentiam Dei, quia sine gratia non potest uideri nec sine delectatione, quam illi habere non possunt, unde Apocalypsis primo: *uidebit eum omnis oculus*.

Si dicis: quomodo poterit uideri ab omnibus? Dicendum quod hoc fiet quia Christus erit in loco eminentiori et lucido. Igitur, sicut luna uidetur ab omnibus dispersis qui sunt in mundo, multo melius illi congregati et miraculose. Hoc fieret sicut de auditu uocis Christi, que portabitur usque ad eorum auditum, sicut portatur mediante aere, multo melius uoluntate Dei. Et sic lux illa non dabit malis delectationem, sed tristitiam, ut diximus.

Veniet autem Christus cum magna societate ad iudicium.

Primo: *cum omnibus angelis*, Matthei uicesimo quinto.

---

257: Apc. 1, 7. | 264: cf. Mt. 25, 31.

247: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Ass. B. M. V.*, VI. PL 40, 1146AB; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 27, a. 1, p. 204; *Sup. Sent.* (vol. 7), lib. 4, dist. 12, q. 1, a. 3, qc. 3, p. 920; *In Sal. Ang.*, 1120, p. 241.

265 Secundo, uenient omnes sancti et iusti cum eo, Isaie tertio et ecclesia dicit: «ecce dominus ueniet et omnis sancti eius cum eo», etcetera. Et sic erunt uiginti quinque sedes posite: duodecim apostolorum et duodecim patriarcharum, unde Isaie tertio: *dominus ad iudicium ueniet cum senioribus populi*, id est, patriarchis, *et cum principibus*, id est, cum apostolis. Ideo Apocalypsis quarto dicit Iohannes: *ego fui in spiritu et ecce sedes posita erat in celo et supra*  
 270 *sedem sedens et qui sedebat similis erat*, etcetera, *et in circuitu sedis sedilia uiginti quattuor et super thronos uiginti quattuor seniores*, etcetera.

Si autem dicis: non erit ibi uirgo Maria? Dicendum quod sic propter tria. Primo, quia celum euacuabitur a beatis et ab angelis, igitur illa non remaneret sola; secundo, propter honorem Christi filii sui; tertio, propter electos, qui uoluerunt in uita auxilium suum. Et  
 275 propter confusionem damnatorum, qui noluerunt auxilium suum.

Igitur erunt uiginti sex sedes? Dicendum quod non, sed in sede filii erit ipsa collocata ad dexteram filii sui sedens, et sic pro ipsa non assignatur sedes alia, unde Salomon in figura: *ad dexteram posuit matrem suam*, tertio Regum secundo. Quod autem collocata esset ad dexteram filii patet Apocalypsis quinto, postquam dixerat de uiginti quattuor sedibus, dicit:  
 280 *et uidi ad dexteram sedentis super thronum librum scriptum intus et foris*, etcetera, *signatum sigillis septem*, etcetera. Hic autem liber, secundum doctores, erat uirgo Maria, nam sicut uerbum est intra librum, sic uerbum Dei in utero uirginis Marie scriptum intus quo ad secreta diuinitatis, extra quo ad gratias totius mundi. Signatum sigillis septem, que fuerunt septem prerogatiue et excellentie uirginis, de quibus dictum est in sermone secundo natiuitatis  
 285 uirginis et centesimo decimo in ordine aliorum. Et sic erunt uiginti quinque sedes, unde dictum fuit apostolis quando dixerunt: *nos qui reliquimus omnia*, etcetera, *quid erit nobis?* Respondit Christus: *uos sedebitis super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israhel*.

Numquid alii non iudicabuntur? Dicendum quod ut dicit Augustinus De Ciuitate Dei, quod dicit: «duodecim tribus esse iudicandos pro toto mundo», nam si de illis solum  
 290 intelligeretur, tribus Leui non iudicaretur, sed dicit “duodecim tribus” pro duodecim statibus, sex clericorum et sex laicorum.

Clericorum primus erit summorum pontificum de ueteri et nouo testamento. Secundus cardinalium et patriarcharum. Tertius archiepiscoporum. Quartus episcoporum. Quintus religiosorum. Sextus aliorum clericorum.

295 Similiter sex laicorum.

Primus patriarcharum et imperatorum. Secundus regum, tam ueteris quam noui testamenti. Tertius aliorum dominorum, ut comitum, ducum, etcetera. Quartus doctorum litteratorum et prophetarum. Quintus iudicum et officialium iustitie tam ueteris quam noui testamenti. Sextus aliorum inferiorum subditorum.

300 Et sic ut istas duodecim condiciones hominum nominaret, dixit: *iudicantes duodecim tribus*, etcetera.

Erunt autem tres accusatores in iudicio.

---

265-266: cf. Is. 3, 14. | 267-268: Is. 3, 14. | 269-271: Apc. 4, 2-4. | 278: III Rg. 2, 19. | 280-281: Apc. 5, 1. | 286-287: cf. Mt. 19, 27-28. | 300: cf. Mt. 19, 28.

265-266: cf. Gre. Mag., *Lib., Resp.*, responsoria in dominica secunda. PL 78, 727C. | 289: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XX, 5, 3. PL 41, 663BC.

305 Primo, diabolus, qui omnia peccata recitabit (ut dicit Augustinus) et de bonis omissis accusabit dicens: «iustissime iudex, iudica istum esse meum, qui noluit esse tuus. Tuus erat per naturam, meus est factus per suam malitiam. Tibi inobediens, mihi obediens. Iudica igitur esse meum et dabo illi quod ei promisi».

Secundus accusator erit peccatum comissum, unde Genesis quarto: *sanguis Abel clamat*, et Genesis decimo nono: *clamor sodomorum*, etcetera. Sic omnia peccata comissa accusabunt peccatorem.

310 Tertius accusator erit totus mundus, unde Sapientie quinto: *pugnabit mundus contra insensatos*, celi accusabunt peccatorem, quia influentiam illi optimam dederunt, elementa etiam que dederunt aquam, solem, etcetera. Ideo Chrysostomus super Mattheum dicit: «in illa die ultionis nihil est quod respondeamus, ubi celum et terra, aqua, sol et luna et totus mundus stabunt aduersus nos in testimonium peccatorum nostrorum».

315 Item erunt tres testes in illo iudicio.

Primus Deus, cui: *omnia sunt nuda et aperta*, ad Hebreos quarto. Si dicis: quomodo potest esse iudex et testis, quia in aliis iudiciis hoc non fit? Dicendum quod est hoc speciale in isto iudicio in quo idem est iudex et testis, ut habetur in Decretis nono, questione tertia, capitulo “Aliorum”.

320 Secundo, accusabit peccatorem propria conscientia, quia tunc: *omnia erunt nuda et aperta* omnibus, unde Danihelis septimo: *libri aperti sunt*. Et si dicatur quod peccata per penitentiam dimissa non sunt reuelanda in iudicio, quia tecta sunt, ut patet in glosa super Psalmum tricesimum primum: *beati quorum remisse sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata*, similiter patet per Magistrum Sententiarum in quarto, distinctione quadragesima tertia, capitulo septimo. Non irrationabiliter putari possunt peccata hic per penitentiam tecta et deleta, illic etiam tegi alii. Item Iacobi quinto: *charitas operit multitudinem peccatorum*, sed non quo ad homines, nam multa occulta operiuntur apud homines sine charitate, ergo in conspectu Dei et per consequens multo magis in conspectu omnium hominum in iudicio. Dicendum quod peccata dicuntur tecta quantum ad erubescientiam, non autem quantum ad scientiam. Similiter quantum ad punitionem, non autem quantum ad cognitionem. Ad aliud magistri patet per idem uel dicendum quod fuit illius opinionis et in hoc non tenetur. Et eodem modo ad aliud dicatur quia non reuelabuntur ad penam, sed ad euentiam diuine misericordie. Et hoc tenet sanctus Thomas et multi alii catholici, quia: «omnia tam bona quam mala nota erunt omnibus». Item dicit Origenes super epistola ad Romanos, libro secundo: «cum bona uel mala cogitamus in corde nostro, tam bonarum quam malarum cogitationum note quedam et signa relinquuntur, que in die iudicii reuelabuntur». Vnde Richardus in quarto dicit: «omnes uidebunt peccata omnium et sua etiam aperti mali, ut ex illa cogitatione et afflictione amplius crucientur. Boni autem ex cognitione remissionis et indulgentie amplius consolabuntur et misericordiam diuinam colaudabunt». Exemplum: si quis magna debita haberet siue ex patre suo siue propria et iam soluisset, tunc non uerecundaretur, si in illis haberet crucem dicendo: “hoc solui ex patre meo et hoc ex meo debito”. Sic tunc ostendet qualiter originale peccatum fuit solutum tamquam debitum ex

325  
330  
335  
340

---

307: Gn. 4, 10. | 308: Gn. 19, 13. | 310-311: Sap. 5, 21. | 316: Hbr. 4, 13. | 320: Hbr. 4, 13. | 321: Dn. 7, 10. | 323: Ps. 31, 1. | 326: Iac. 5, 20.

304-306: cf. Pseu. Aug. Hipp., *De Salut. Doc.*, LXII. PL 40, 1073A. | 312-314: Chrysostomus] NI. cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, I, p. 11. | 318-319: cf. Gra., *Decr.*, II, 9, 3, 14. PL 187, 798B. | 324: cf. Petr. Lom., *Sent.*, IV, 43, 7. PL 192, 945C. | 333-334: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 43, q. 1, a. 5, qc. 2, p. 72. | 335-336: Or., *Comm. In Ep. Ad Rm.*, II, 10. PG 14, 894AB. | 337-339: cf. Ric. Med., *Sup. Sent.* (vol. 4), IV, dist. 43, a. 7, q. 1, p. 571.

patre suo et alia peccata actualia ex seipso. Et in omnibus habebit crucem, quia omnia  
 fuerunt soluta mediante cruce Iesu Christi. Et sic ab omnibus mercatoribus ex instinctu  
 345 ponitur crux in solutionibus, quia omnia soluta fuerunt mediante cruce et misericordia  
 Christi. Et sic illa notitia bonorum non generabit penam nec ignominiam, sed gloriam  
 propter penitentiam factam et misericordiam diuinam. Vnde Gregorius quarto Moralium in  
 fine, exponens Psalmum “*miserecordias domini in eternum cantabo*” dicit: «quomodo  
 350 misericordias domini cantat in eternum qui miserum se ignorat fuisse? Et si miserie  
 transacte non meminit, unde largitori misericordie laudes reddit?».

Tertio, accusabit peccatorem angelus custos, qui illum accusabit de omnibus malis factis  
 et de omnibus bonis omissis. Et hoc quo ad secundum.

Finaliter erit discussio iudicii; utrum erit mentalis uel uocalis? Dicendum quod aliqui  
 dicunt quod omnia erunt mentaliter facta, sed alii dicunt quod erunt uocaliter omnia. Sed  
 355 hoc est impossibile, quia non possent omnia omnium uocaliter explicari. Sed concordia  
 omnium erit quod discussio de operibus misericordie erit uocalis; aliorum uero erit  
 mentalis.

Erit autem discussio, primo de cogitationibus omnibus malis.

Secundo, de uerbis otiosis, unde: *de omni uerbo otioso quod locuti fuerunt homines*, etcetera,  
 360 Matthei duodecimo.

Tertio, de omissis et comissis peccatis discussionem faciet de misericordia uocaliter, quia  
 Christus fuit uera misericordia et uirgo mater misericordie. Et sic ostenderunt mali iuste  
 priuari illa misericordia. Dicit autem Christus: “cotidie dixi uobis per meipsum, Matthei  
 quinto: *beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur*”. Item per apostolum Iacobum,  
 365 capitulo secundo, qui dixit: *iudicium sine misericordia fiet illi qui non fecerit misericordiam*. Et sic  
 dum omnes electi fuerint in aere et damnati in terra, electi ad dexteram, damnati ad  
 sinistram, dicit Christus uirgini: “quid uobis uidetur, o mater beata?” Dicit autem uirgo  
 Maria: “o fili benedicte, cotidie aduocata fui istorum et multas gratias impetraui, sed  
 noluerunt perseuerare in illis, sed Daudid dixit quod: *in die mandauit dominus misericordiam suam*,  
 370 etcetera”. Tunc dicit Christus apostolis et martyribus similiter. Respondebunt illi: “semper  
 in uita illorum fuimus aduocati illorum, nunc uindica, domine, sanguinem nostrum, qui  
 effusus est, Apocalypsis decimo nono”. Item dicent confessores: “nos semper prediximus  
 et predicauimus eis, sed noluerunt audire”. Dixerunt autem: *recede a nobis, uiam scientiarum*  
*tuarum nolumus*, Iob uicesimo primo. Tunc dixerunt uirgines: “semper illis diximus quod  
 375 seruarentur illesi et mundi, quia nihil coinquinatum intrabit in illam ciuitatem, Apocalypsis  
 uicesimo primo”. Tunc autem Christus loquetur blande electis et rigide damnatis, Psalmi  
 secundo: *tunc loquetur ad eos in ira sua et in furore suo*, etcetera. Ostendet cicatrices et signa  
 misericordie, que in illis fructum non habuerunt, et uertet se ad dexteram et dicit: *esuriui*,  
 etcetera, Matthei uicesimo quinto. Respondent: *domine, quando te uidimus esurientem*, etcetera?  
 380 Respondet: *amen dico uobis quamdiu fecistis uni ex his*, etcetera, *mibi fecistis*. Tunc uertet se ad  
 sinistram et dicit: *esuriui et non dedistis mihi*, etcetera. *Domine, quando te uidimus?* Dicit: *quamdiu*  
*non fecistis uni de minoribus his*, etcetera. Dicit bonis: *uenite benedicti patris mei*, etcetera. Et  
 damnatis: *ite, maledicti*, etcetera. Tunc ignis ille turbidus et impurus inuoluet eos et aperietur  
 terra et ibunt in infernum. Sancti autem in gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

348: cf. Ps. 88, 2. | 359: Mt. 12, 36. | 364: Mt. 5, 7. | 365: Iac. 2, 13. | 369: Ps. 41, 9. | 372: cf. Apc. 19, 2. |  
 373-374: Iob. 21, 14. | 375: cf. Apc. 21, 27. | 377: Ps. 2, 5. | 378-383: Mt. 25, 35-44.

348-350: Gre. Mag., *Mor.*, IV, 36, 72. PL 75, 678B.

SERMO CENTESIMVS TRICESIMVS QVINTVS ET PRIMVS IN NATIVTATE DOMINI NOSTRI  
IESV CHRISTI

<THEMA> *Natus est uobis hodie saluator*, Luce secundo.

Originaliter, etcetera.

5 Tria sunt que mouent nos ad laudandum et seruiendum alicui.

Primo, si liberauit ab aliquo infortunio et damno maxime a morte que secundum Philosophum, tertio Ethicorum: «est ultimum terribilium». Et sic populus iudaicus in ciuitate Bethulie liberatus per uiduam Iudith illam laudauit nimis dicendo libro Iudith: *non est talis mulier super terram* et illam recipiendo et dicendo: *tu gloria Hierusalem, tu letitia Israhel, tu honorificentia populi nostri*, etcetera.

Secunda est si est causa reconciliationis apud regem uel principem, sicut fecit Hester reconcilians populum ipsi Asuero, ut habetur libro Hester, propter quod illi obtulerunt festum et in illius memoriam institutum fuit ieiunium de Purim apud iudeos.

15 Tertio, si dat alicui protectorem, liberatorem et saluatorem. Et sic laudatur mulier ipsius Manue, scilicet: mater Samsonis, que dedit liberatorem et saluatorem populi iudaici, ut habetur Iudicum decimo tertio.

Et si propter unumquodque istorum debet fieri, quanto magis ubi omnia tria concurrunt, ut in uirgine Maria, que omnia ista fecit et per omnes istas mulieres figurata fuit.

20 Prima, ipsa mediante, liberati fuimus a morte et sic fuit figurata per Iudith, ut dicunt doctores nostri catholici.

Primo enim Iudith in uestibus uiduitatis orat pro populo et salute illius in magna abstinentia et penitentia.

25 Secundo, mutat uestimenta sua uetera et induit uestimenta nuptiarum, ungit corpus suum aromatibus et Deus dedit radios lucidos pulchritudinis supranaturaliter.

Tertio, sumit ancillam suam liberam et pugionem uel gladium in gremio suo, exit uersus Holofernem et manet cum eo tribus diebus et in quarta die amputat caput eius, et sic liberauit omnes ciues et habitatores ciuitatis Bethulie.

30 Sic uirgo Maria: primo induta uestibus uiduitatis orat, quia offertur templo ut erat consuetum in ueteri testamento, in abstinentia illic fuit semper orando pro saluatore.

35 Secundo, relictis illis uestibus antiquis induitur uestimentis nouitatis, scilicet: nouite, quando uotum uirginitatis emisit, quod erat horrendum in ueteri testamento, nam erat maledicta sterilis. Et sic dimisit consuetudines ueteris testamenti, ut Deo placeret, ut ante dixerat ei pater suus Dauid in Psalmo quadragesimo quarto dicens: *audi filia et uide et obliscere populum tuum et domum patris tui et concupiscet rex decorem tuum et ipse est dominus*, etcetera. Item

---

3: Lc. 2, 11. | 8-9: Idt. 11, 19. | 9-10: Idt. 15, 10. | 12: cf. Est. 9, 22. | 16: cf. Idc. 13, 5. | 34-35: Ps. 44, 11-12.

7: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, III, 9, 15a25, p. 191.

1: Domini] M domni. | 5: Tria] M ttria.

unxit se unguento uirtutum, unde ipsa ait, Canticorum primo: *cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis*, scilicet: humilitas, que notatur per nardum, que est herba humilis et parua, ut dicitur. Sed apposuit Deus radios pulchritudinis in facie sua, ut dicit sanctus Thomas super Mattheum primo, quod Ioseph non cognoscebat eam propter radios  
 40 a facie exientes, sumpsit secum uirginem illam libertam, scilicet: gratiam Dei et gladium in gremio suo. Fuit hic gladius filius Dei, qui dicit: *non ueni pacem mittere, sed gladium*.

Item exiuit et mansit cum Holoferno tribus diebus et quarta die amputauit caput suum. Prima dies fuit eius conceptio et preseruatio. Secunda eius natiuitas. Tertia conceptio filii quando recepit illum in utero. Quarta fuit natiuitas filii. Et sic mediante illo gladio fuit caput  
 45 Holofernus, id est, demonis, amputatum. Sic enim dixerat Deus Genesis tertio: *inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum*. Vnde Bernardus Super Missus Est homilia secunda dicit: «ipsa est mulier que caput serpentis contriuit uenenatum, dum omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra quam de mentis superbia deduxit ad nihilum». Item Fulbertus Super Missus Est dicit: «quid est serpentis caput conterere? Nisi principalem diaboli suggestionem resistendo superare. Si ergo queratur que nam mulier operata sit huiusmodi uictoriam? Profecto non reperitur in linea generationis humane donec perueniatur ad Mariam».

Secundo, uirgo nos Deo reconciliauit et sic figurata per Hester, nam Asuerus fuit maximus dominus, quia, secundum Hieronymum in interpretationibus, interpretatur  
 55 «beatitudo». Habuit enim duas mulieres, prima dicta Vasthi, secunda Hester. Fecerat enim decretum et legem quod nullus ad ipsum intraret sine suo precepto et si aliquis intraret ad ipsum sine hoc, quod ipse inclinaret sceptrum aureum, quod moreretur statim. Sed dum populus iudeorum staret in perditione, Hester non obstante precepto intrauit ad regem, et sic proiecit supra ipsam uirgam et dicit ei: *non pro te posita est lex*. Hic Asuerus, qui beatitudo dicitur, erat Deus pater, qui habuit duas mulieres. Prima inobediente et superbam, que fuit Eua. Secunda humilima, que fuit Maria loco prioris electa, unde Bernardus: «redditur femina pro femina, humilis pro superba, sapiens pro stulta», etcetera. Propter primum factum fuit decretum a Deo, ut nullus intraret ad eum nec ad beatitudinem donec uirga esset humilitata et in terram missa. Hec uirga erat filius Dei, de quo Psalmi centesimo nono:  
 60 *uirgam uirtutis tue emittet dominus ex Sion dominare in medio*, etcetera. De qua: *oriatur stella ex Iacob et consurget uirga de Israhel*, Numeri uicesimo quarto. Et sic sola uirgo ad Deum intrauit, que sanctissima et sine peccato originali fuit. Et sic meruit ut in ipsam ueniret, unde lex illa quod: *omnes in Adam moriuntur*, non pro ipsa Maria posita fuit, sed pro toto mundo residuo. Et sic totum mundum Deo reconciliauit, que sola sine peccato fuit, et sic medium reconciliationis que facta fuit per suum filium, unde Psalmi quadragesimo quinto: *sonuerunt et turbate sunt aque, conturbati sunt montes in fortitudine eius*. Ideo illi duo montes excelsi, scilicet: Adam et Eua, fuerunt conturbati per peccatum primum, et tunc aque, id est populi, Apocalypsis decimo septimo: *aque sunt populi*, ut dicit Iohannes. Isti populi fuerunt omnes turbati per illud peccatum, sed sola uirgo fuit excepta, unde in eodem Psalmo sequitur:  
 70 *fluminis impetus*, scilicet: gratie Dei, *letificat ciuitatem Dei*, scilicet: uirginem Mariam, quia: *sanctificauit tabernaculum suum altissimus*. Ratio fuit quia: *Deus in medio eius non commouebitur*,

36-37: Ct. 1, 11. | 41: cf. Mt. 10, 34. | 45-46: Gn. 3, 15. | 59: Est. 15, 13. | 65: Ps. 109, 2. | 65-66: Nm. 24, 17. | 68: I Cor. 15, 22. | 70-71: Ps. 45, 4. | 73: Apc. 17, 15. | 75-77: Ps. 45, 5-6.

39: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 16, q. 2, a. 2, p. 862; *Sup. Mt.*, I, 6, p. 23. | 47-49: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 4. PL 183, 63B. | 49-52: Fulb., *Serm. Ad Pop.*, IV. PL 141, 320D. | 55: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, VT, Dn., A. PL 23, 835B. | 61-62: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62D.

55: Vasthi] M Vastih. | 61: Humilima] M humilimam. | 70: Quadragesimo quinto] M, X centesimo septuagesimo secundo. | 71-72: Excelsi, scilicet: Adam et Eua] M, X excelsi Adam, scilicet: et Eua.

*adiuuabit eam Deus mane diluculo*, scilicet: in instanti animationis, et sic nunquam fuit sub peccato, sicut ceteri sanctificati fuerunt sub illo saltem aliquo tempore.

80 Tertio, dedit nobis saluatorem, et sic figurata per matrem Samsonis, Iudicum decimo tertio. Primo, quia sicut illi dicitur ab angelo: *ecce concipies et paries filium*, sic et huic dictum fuit, sicut illa concepit supranaturaliter, sic ista. Sicut illi dicitur quod esset sancta et sanctificata, quia Nazarea, ideo dicitur: *caue ne bibas uinum nec siceram nec immundum quidquam comedas*, etcetera, sic notaui quod esset sanctificata, sic uirgini dictum fuit: *ane gratia plena; et spiritus sanctus superueniet*, etcetera. Et sicut illi fuit nuntiatum quod filius eius esset etiam  
85 Nazarenus et sanctificatus, sic dicens *erit filius Nazarenus*, etcetera, sic uirgini fuit dictum quod: *enim nascetur ex te sanctum, uocabitur filius Dei*. Sicut illi dicitur quod filius suus liberaret populum, sic illi dicens ipse: *enim saluum faciet populum suum*, etcetera. Vnde Augustinus super illud “*Nazarenus uocabitur*” dicit quod Christus fuit figuratus per Samson, nam sicut fuit puer fortissimus uirtute septem crinium, sic Christus uirtute septem donorum spiritus sancti. De  
90 quibus habetur Isaie undecimo: *egredietur uirga de radice Iesse*, etcetera, *et requiescet super eum spiritus domini*, etcetera. Sicut ille manibus propriis sine armis interfecit leonem, sic Christus demonem ponendo manus in cruce. Et ut dicit Isidorus super libro Iudicum, sicut Samson omnes inimicos occidit in destructione templi, sic Christus omnes inimicos dum templum sui corporis solueretur extinxit, unde de istis tribus dicitur a Bernardo in sermone: «merito  
95 ad te respiciunt oculi totius creature, quia in te et de te et per te benigna manus omnipotentis quidquid creauerat recreauit».

Ideo uirgini multum obligamur, quia ea mediante non solum liberi fuimus a morte nec solum reconciliati ad gratiam, sed in ea et ex ea et per eam *natus est uobis hodie saluator*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

100 <THEMA> *Natus est uobis hodie saluator*, ubi supra.

Due erunt partes huius sermonis. Prima thematis introductiua. Secunda materie prosecutiua.

Tria sunt que nos compellunt hodie ad breuem sermonem.

105 Primum est diei breuitas, unde Bernardus in sermone primo huius solemnitatis dicit: «grandis est dilectissimi dominice natiuitatis solemnitas, sed dies breuis cogit breuiare sermonem». Et sic, licet secundum magnitudinem festiuitatis deberemus longum facere sermonem, sed diei breuitas non consentit.

110 Secundum est prolixitas officii. Hanc tangit Gregorius in homilia dicens: «quia, largiente domino, missarum solemnitas hodie ter celebraturi sumus, loqui diu de euangelica lectione non possumus».

Tertium est exemplum maiorum predicatorum et magistrorum, non solum hominum, sed Dei et angelorum. Vnde primus magister noster est Deus, de quo ait Christus: *unus est magister uester*, Matthei uicesimo tertio. Secundus magister est angelus, qui instruit homines

79: cf. Idc. 13, 24. | 80: cf. Lc. 1, 31. | 82-83: cf. Idc. 13, 4. | 83: Lc. 1, 28. | 84: Lc. 1, 35. | 85: cf. Idc. 13, 5. | 86: cf. Lc. 1, 35. | 87: cf. Mt. 1, 21. | 88: cf. Mt. 2, 23. | 90-91: Is. 11, 1-2. | 98-100: cf. Lc. 2, 11. | 112-113: Mt. 23, 8.

87: cf. Aug. Hipp., *Qu. In Hept.*, Idc., VII, 52. PL 34, 822CD. | 92: cf. Isid., *Qu. In VT.*, In Idc., VIII, 5. PL 83, 390A. | 94-96: cf. MF. Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328B. | 105-106: Bern. Cl., *In Nat. Dom.*, I, 1. PL 183, 115B. | 108-110: Gre. Mag., *Hom.*, I, 8, 1. PL 76, 1103D.

81: Supranaturaliter] X supernaturaliter.

115 de diuinis, ut Tobiam, etcetera. Tertius est quilibet sanctus, maxime doctor. Et sic ad exemplum omnium istorum, nos debemus breuiare sermonem.

Primo, exemplo omnium predicatorum, qui in tali die breuem faciunt collatione, ut diximus iam de Gregorio et Bernardo, etcetera.

120 Secundo, exemplo Dei, nam si ipse Deus pater hodie fecit breuem uerbum, non licet nobis uerbum facere prolixum et longum. Ideo dicit Bernardus, ubi supra: «nec mirum si facimus nos breuem uerbum quando et Deus pater uerbum fecit abreuiatum. Celum (inquit hoc uerbum) et terram ego impleo, et nunc caro factum in angusto locatum est presepio. A seculo, ait propheta, et in seculum tu es Deus et ecce factus est infans diei unius».

125 Tertio, hoc debemus facere exemplo angelorum, unde hodie magnum mysterium non magna et longa narratione angelus pastoribus nuntiauit, sed paucis uerbis dicendo: *natus est nobis hodie saluator*. Quo ad primam partem.

In secunda parte solam unam uidebimus conclusionem, que est talis: quod ad mundi illuminationem necesse fuit Deum uisibilem nasci et apparere.

130 Sed pro probatione conclusionis est primo notandum secundum sanctum Thomam, tertia parte, questione tricesima quinta, secundo, obiectione; et tertio, distinctione octaua, articulo quarto, questione prima, obiectione. In Christo fuit duplex natiuitas secundum quod in eo fuit duplex natura. Et sicut natura diuina est eterna, sic natiuitas diuina eterna, sicut natura humana temporalis, sic et natiuitas, etcetera. Exemplum habemus in sole et radio ab eo procedente, si autem sol esset eternus, ut philosophus Aristoteles imaginatus fuit, radius ab eo eternaliter oriretur et nasceretur de illo, dici posset quod radius semper nascitur a sole et semper natus a sole. Sed si ille radius mediante speculo concauo colligeretur et mediante aliquo combustibili incenderetur, tunc diceremus de illo igne sic incenso quod fuit ortus et natus temporaliter a sole, sed idem radius esset inuisibilis ante incensionem et eternaliter, sed postea uisibilis in tempore. Sic in proposito est de patre et de uerbo diuino, nam uerbum eternaliter secundum diuinam naturam oriebatur a patre. Et sic poterat dici quod semper nascebatur et semper natus erat, sed proprius dicitur filius semper natus de patre quam dicatur filius semper nasci, ut dicit Magister in primo, distinctione nona. Et sic licet sit a patre, est tamen coeternus patri, secundum illam naturam diuinam que per generationem accipitur a patre, et hec est generatio eterna. Sed in quantum in tempore naturam humanam recepit a matre natus fuit ab illa in tempore.

145 In prima generatione fuit inuisibilis.

In secunda uero fuit uisibilis factus et apparuit mundo uisibilis per illam generationem. Dicendum igitur quod licet generatio inuisibilis sufficeret angelis, quia angeli erant spirituales et Deus, Iohannis quarto: *spiritus est Deus*. Non tamen erat sufficiens hominibus, quod probatur tripliciter.

150 Primo, ratione obiecti, quia ut dicit Philosophus: «inter potentiam et obiectum debet esse proportio et excellens sensibile corrumpit sensum», secundo De Anima. Item Aristoteles dicit secundo Metaphysice quod: «intellectus noster se habet ad manifestissima

---

124-125: cf. Lc. 2, 11. | 148: Io. 4, 24.

119-122: Bern. Cl., *In Nat. Dom.*, I, 1. PL 183, 115B. | 128: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 35, a. 2, p. 262; *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 8, q. 1, a. 4, p. 482. | 133: cf. Arist. Lat., *Phys.*, VIII, 8, 264b9, p. 328. | 141: cf. Petr. Lom., *Sent.*, I, 9, 10. PL 192, 547D. | 150-151: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, II, 104, (424a28), p. 182. | 152-153: cf. Arist. Lat., *Met.*, II, 1, 993b10, p. 37.



155 nature, sicut oculus nictichoracis ad lumen solis». Igitur si non temperaretur per  
 humanitatem, non posset a nobis tollerari. Et sic dicit Apostolus prima ad Timotheum  
 sexto: *lucem habitat inaccessibile*. Ideo dicit sanctus Thomas ad papam Vrbanum: «uerbum in  
 fine temporum carnem uoluit assumere, ut sub tegumento nature corporee splendor eius  
 humanus intuitus posset inspicere, quod in celsitudine maiestatis non ualebat».

160 Secundo, probatur ratione potentie, cum notitia nostra ortum habeat a sensu, ut dicit  
 Philosophus: «quia nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu» et Deus summus, ut dicit  
 sanctus Thomas in quarto, distinctione prima, omnibus rebus prouidet secundum naturam  
 suam; et tertia, questione sexta, quarto. Et sic cum Christus ante locutus fuisset per  
 prophetas, ut dicit Apostolus ad Hebreos primo et habetur in epistola hodierna: *multifariam*  
*multisque modis*, etcetera, nunc locutus est nobis in filio suo, unde Isaie quinquagesimo  
 165 secundo: *propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar ecce adsum*,  
 etcetera, quia aliter non plene sciret nomen domini populis gentium. Vnde Baruch tertio  
 dicitur: *uiam discipline ignorauerunt neque intellexerunt semitas eius*, etcetera. Infra: *hic est Deus noster*  
*et non estimabitur alius aduersus eum. Hoc adinuenit omnem uiam discipline et tradidit illam Iacob puero*  
*suo et Israhel dilecto suo. Post hec in terris uisus est et cum hominibus conuersatus est*.

170 Tertio, probatur ratione peccati, quia homo reliquit spiritualia et conuersus fuit ad  
 corporalia et sensibilia. Igitur mediantibus illis debuit trahi.

Secundo, probatur per auctoritates. Primo, doctorum scolasticorum; secundo, doctorum  
 ecclesie; tertio, doctoris gentium.

175 Primo, omnium doctorum est auctoritas quod necessaria fuit filii Dei incarnatio, non  
 necessitate absoluta, sed de bene esse, non simpliciter quia Deus aliter poterat redimere, sed  
 non fuit modus congruentior omnes doctores tenent hoc in tertio, distinctione prima.

180 Secundo, doctorum ecclesie. Primo, Chrysostomus super illud “*uidimus gloriam eius*” dicit:  
 «quam utique non uidissemus nisi per consortium humanitatis uisus esset a nobis». Item  
 Augustinus super illud “*uerbum caro factum est*” dicit: «*uerbum caro factum est*, ut dicere  
 possemus: *uidimus gloriam eius*», etcetera. Item Anselmus dicit: «redemptor noster cecatis  
 luminibus collirium humanitatis apposuit, ut qui Deum in sua maiestate uidere non  
 poteramus, Deum in homine apparentem aspiceremus».

Tertio, probatur exemplis tribus.

185 Primo, diximus quod hoc fuit ex parte obiecti. Exemplum habemus in ecclipsi, nam  
 quando excellentiam luminis solis uidere non possumus, ponimus in medio telam aliquam  
 albam et tenuem et mediante illa tela uidetur. Sic fuit de pura et subtili Christi humanitate.

Secundo, patet exemplo, diximus quod erat hoc ex parte potentie nostre. Exemplum est  
 ad hoc Exodi tricesimo quarto, quando loquente Mose cum domino remanebat facies eius  
 glorificata, ita quod filii Israhel non poterant intueri faciem eius. Igitur si Moses, qui erat  
 homo purus, et filii Israhel intueri in eum non poterant ex locutione cum angelo, quanto

---

155: I Tim. 6, 16. | 162-163: Hbr. 1, 1. | 164: Is. 52, 6. | 166: Bar. 3, 21. | 166-168: Bar. 3, 36-38. | 176-179:  
 Io. 1, 14. | 187: cf. Ex. 34, 35.

155-157: Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Mt., dedicatio, p. 3. | 159: cf. Th. Aq., *Qu. De Ver.* (vol. 1), q. 2, a. 3, 19, p. 49.  
 | 160: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 6, a. 4, pp. 58-59; *Con. Gent.* (vol. 14), lib. 3, c. 148, p. 437. | 175: cf.  
 Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 1, q. 1, a. 2, p. 32. | 177: cf. Io. Chrys., *Comm. In Io.*, XII, 1. PG 59,  
 81AB; cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Io., I, 15, p. 339. | 178-179: Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, II, 16. PL 35, 1395D. |  
 179-181: Ans., *Med.*, I, 8. PL 158, 716C.

190 magis esset de Deo uero, unde Chrysostomus: «essentiam diuinam nos lutei uidere non possumus», etcetera.

Tertio, patet nam diximus quod ex parte peccati etiam erat, quia demon inducebat homines ad sensibilia et ipsi inclinabantur ad illa expretis intelligibilibus. Et sic in illis erat homo capiendus et etiam demon, ut, scilicet: homo saluaretur et demon perderetur. Nam  
 195 auis debet capi cum esca quam comedit siue sit auis ad interfectionem siue ad conseruationem, nam nunquam falco capitur cum grano frumenti, quia illud non comedit, sed perdix capitur cum grano et etiam passer. Perdix ad interitum, auis ad conseruandum, ut passer, qui gubernetur et seruiat homini ad cantandum, etcetera. Sic fuit de demone et de homine, nam mediante humanitate fuit demon captus ad sui perditionem et etiam homo ad  
 200 sui salutem. Hoc autem dicit Iob capitulo quadragesimo de Leuiatan dicens: *in oculis eius quasi hamo capiet eum*, etcetera. Et infra: *numquid illudes ei quasi aui*, etcetera. Vnde Gregorius exponens hoc triginta trium moralium capitulo decimo dicens quod hoc dicitur propter Christi incarnationem: «nam in hamo esca ostenditur et acculeus occultatur. Esca enim prouocat ut acculeus pungat, quia dominus assumpsit corpus, ut in eo Behemot iste quasi  
 205 escam suam mortem carnis appeteret, quam mortem dum in illo iniuste appetit, nos quos iuste tenebat amisit. In hamo ergo eius incarnationis captus est, quia dum in illo appetit escam corporis transfixus est acculeo diuinitatis». Propter istas igitur rationes uenit Christus totum mundum illuminare.

210 Primo, iudeos, de quo Isaie sexagesimo habetur: *surgit illuminare Hierusalem, quia uenit*, etcetera.

Secundo, gentiles, de quo Isaie nono: *populus qui ambulabat in tenebris uidit lucem magnam*, etcetera.

Tertio, sanctos patres in limbo, de quo ibidem Isaie nono: *habitantibus in regione umbre mortis lux orta est eis*. Ratio fuit quia demon totum mundum obtenebrauerat et cecauerat quo  
 215 ad tria. Primo, quo ad gratiam quam perdidit uel perdere fecit per primum peccatum. Secundo, quo ad dignitatem diuinam quam ignorare fecit quo ad idolatriam. Tertio, dignitatem humanam quam occultauerat per plura peccata, maxime per idolatriam.

Primo, demon perdere fecit gratiam quando Ade persuasit uel Eue dicendo: *eritis sicut dii scientes bonum et malum*, Genesis tertio. Et sic fecit Deum mendacem et auarum.

220 Primo, mendacem dicendo quod uerum non erat quod dixerat: *in quacumque die comederitis*, etcetera. Dicit demon: *nequaquam moriemini*, etcetera.

Secundo, auarum dicendo quod hoc prohibuit Deus ne essent sicut ipse, et sic dixit: *scit enim Deus quod in quacumque die comederitis, eritis sicut dii*, etcetera. Et sic Deus contra mendacium dedit ueritatem filium suum, contra auaritiam dedit seipsum, etcetera. Et sic  
 225 dixit Genesis tertio: *ecce Adam factus est quasi unus ex nobis*. Quasi dicat: hoc non est, sed necesse est quod unus nostrum fiat sicut ipse, scilicet: incarnando et sumendo corpus et animam sicut ipse. Et sic filius Dei factus uisibilis homo abstulit peccatum et dedit gratiam, unde Iohannis primo: *gratia et ueritas per Christum facta est*.

---

200-201: Iob. 40, 19. | 201: Iob. 40, 24. | 209: Is. 60, 1. | 211-214: Is. 9, 2. | 218-223: Gn. 3, 4-5. | 225: Gn. 3, 22. | 228: Io. 1, 17.

190-191: cf. Io. Chrys., *Comm. In Io.*, XII, 1. PG 59, 81C; cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Io., I, 15, p. 339. | 203-207: Gre. Mag., *Mor.*, XXXIII, 7, 19. PL 76, 680BC.

230 Secundo, homo derogauit dignitatem diuinam adorando creaturas per idolatriam tripliciter.

Primo, in hominibus aliqua excellentia preclaros adorando eos ut deos, ut fuit in Ioue, Saturno, etcetera.

235 Secundo, in demonibus, scilicet: in simulachris, adorando eos et audiendo responsa in eis. Et omnes isti fuerunt et hominibus apparuerunt in forma humana, ut patet in idolis in templo positis gentilium. Hodie Christus homo factus hoc destruxit.

240 Primo, illud quod erat in hominibus dum Cesar Augustus paucis ante diebus cum populus Romanus eum pro Deo uellent adorare, consuluit Sibyllam Tiburtinam, que post triduum ieiunium respondit ea que diuus Augustinus refert decimo octauo De Ciuitate Dei per uiginti septem uersus, quorum ultimus est: «recidet e celo ignis», etcetera. Et «illico uidente Augusto celum apertum est uiditque in celo pulcherrimam uirginem stantem in altari puerum baiulantem, qua uisa uocem audiuit de celo dicentem: “hec ara filii Dei est”, et Augustus hoc audiens in terram procidit et Deum adorauit et Deum appellari omnino recusauit, quo in loco ad memoriam huius templum Sancte Marie Virginis In Ara Celi edificatum fuit, quod ordo sancti Francisci nunc possidet». Et sic deinceps nullus hominum  
245 acceptus fuit in Deum, quia uenit iam ille qui uere est Deus et homo.

250 Secundum modum idolatrie etiam Christus repulit: «quando ipso intrante Egiptum omnia simulachra corruerunt», ut dicit Magister Historiarum. Hoc est quod dicit Isaias capitulo decimo nono: *ascendet Deus super nubem leuem*, id est, supra brachia uirginis Marie, *et ingreditur Egiptum et mouebuntur simulachra Egipti*, etcetera. Et sic honor qui dabatur deo ficto nunc datur Deo uero ipso incarnato mediante et sic reparauit dignitatem diuinam.

255 Tertio, derogauerat dignitatem humanam per peccatum sodomie, quia sicut tempore Abrahe, quando facta fuit ei promissio saluatoris incepit idolatria, quia demon ostendit falsum saluatorem et deum falsum, sic etiam tempore illius incepit sodomia, quia dum demon uidit quod ex muliere sperabatur ille qui ueniebat ad benedicendum totum mundum, inclinauit homines ad sodomiam siue cum hominibus siue cum bestiis et sic ad illud persuasit filios Iacob, nam dicitur de Ioseph quod: *accusauerat fratres suos apud patrem de crimine pessimo*, ut habetur Genesis tricesimo septimo. Hoc crimen fuit sodomie, nam dicit sanctus Thomas, secunda secunde, questione centesima quinquagesima quarta, duodecimo ad quartum, et etiam habetur in glosa super Genesim tricesimo septimo, quod filii Iacob  
260 miscebantur cum bestiis. Et sic perdita erat dignitas humana, quam Christus reparauit sumendo in se nostra naturam. Et sic, ut dicunt doctores, in nocte natiuitatis Christi omnes sodomite fuerunt mortui, quia non fuit licitum in die qua diuinitas apparebat mundo in humana carne quod illi uiuerent qui hanc naturam sic deturpabant. Ideo dicit Augustinus:  
265 «cognosce, o christiane, dignitatem tuam», etcetera. Vnde dicit Apostolus: *glorificate et portate Deum in corpore uestro. Nescitis quod membra uestra templum sunt spiritus sanctus?* Et ut dicit beatus Petrus secunda Petri primo: *magna et pretiosa donauit nobis Deus, ut essemus consortes nature filii sui*, etcetera. Et sic sumendo humanitatem dignificauit illam, etcetera. Et ideo apparuit angelus pastoribus hodie, ut notaret quod exemplo Christi rectores et pastores, tam ecclesiastici quam seculares debent ista tria in grege procurare.

---

248-249: Is. 19, 1. | 256-257: Gn. 37, 2. | 264-265: I Cor. 6, 19-20. | 266-267: II Pt. 1, 4.

239: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XVIII, 23, 1. PL 41, 579C. | 239-244: cf. Mar. Pol., *Chr.*, pp. 7-8. | 246-247: cf. Petr. Com., *Hist. Sch.*, in ev., X. PL 198, 1543A. | 258: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 154, a. 12 ad 4, p. 900. | 259: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 1), Gn. 37, 2, f. 101v. | 264: Augustinus] *Auctor err.* cf. Leo., *Serm.*, XXI, 3. PL 54, 192C.

270 Primo, ut gratia habeatur et conseruetur in illo. Secundo, ut Deum uerum adorent et colant. Tertio, ut a peccatis maxime grauibus se abstineant.

Primum facient preparando se ad eucharistie sacramentum.

Secundum continuando officia diuina, scilicet: missam, uesperos, etcetera, et audiendo sermones et predicationes.

275 Tertium considerando dignitatem suam abstinendo a ludis et uitiis, ex quibus sepe secuntur blasphemie et similia. Et non solum hoc faciant prelati, rectores et cure animarum, sed ad hoc adiuuent ceteri pastores seculares.

Et sic regendo et gubernando tam rectores quam illi qui recti sunt, habebunt hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

SERMO CENTESIMVS TRICESIMVS SEXTVS ET SECVNDVS IN EODEM DIE NATIVITATIS  
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

<THEMA> *Transeamus usque Bethleem et uideamus hoc uerbum*, Luce secundo.

5 Sententia est catholicorum doctorum quod sicut «Deus est pelagus infinite substantie, sic est pelagus infinite bonitatis et gratie», nam in illo non differt substantia a bonitate nec bonitas a gratia, sed sunt unum et idem. Et sic in principio temporis communicando creaturis bonitatem suam in creatione creauit unam creaturam rationalem, scilicet: hominem primum Adam, ut mediante muliere, scilicet: Eua, esset uena gratie omnibus hominibus mundi. Quam gratiam non contulit angelis, nam angelus non communicat naturam suam alteri nec gratiam illi, sicut fuit in hominibus. Nam uoluit Deus facere unum  
10 hominem a quo alii homines procederent quo ad naturam et per consequens quo ad bonitatem et gratiam. Nam communicando naturam dabat illis iustitiam originalem, que licet non esset gratia gratum faciens, sed non erat sine illa. Sed cum Adam constitutus esset uena gratia mediante muliere, illa prima mulier fuit causa siccationis illius fontis, ex quo  
15 genus humanum recepit quinque incomoda et defectus, que sequuntur, ex defectu aque gratie. Et sic post peccatum Dauid dicebat in Psalmo centesimo quadragésimo secundo: *anima nostra sicut terra sine aqua*, etcetera.

Primus enim est defectus siccationis, et sic genus humanum fuit siccum, unde dicit Dauid, Psalmi uicesimo primo: *aruit tamquam testa uirtus mea*, etcetera.

20 Secundo, factus fuit homo immundus propter peccati sordes, unde Isaie sexagesimo quarto: *facti sumus immundi omnes*.

Tertio, homo factus fuit sitibundus, unde Psalmi quadragésimo primo: *sitiuit anima mea ad Deum*, etcetera.

25 Quarto, fuit factus homo famelicus, unde Psalmi tricesimo tertio: *eguerunt et esurierunt*, etcetera.

Quinto, fuit homo mortuus, unde Psalmi centesimo sexto: *appropinquauerunt usque ad portas mortis*. Item ad Romanos quinto: *propter unum hominem peccatum et per peccatum mors*, etcetera. Videns autem Deus quod uena aque gratie erat sicca in principio originis, scilicet: in primo filio adoptiuo, et sic in omnes alios, quando enim fons siccatur in origine, nullum est remedium, sic in proposito. Ex quo non fuit filius adoptiuus ad dandum aquam gratie et mundus clamabat dicendo in eodem Psalmo centesimo sexto: *et clamauerunt ad dominum cum tribularentur*, etcetera. Dicit: *misit uerbum suum*, scilicet: proprium filium, et sanauit eos ab omnibus illis quinque incomodis, etcetera. Sic misit filium proprium naturalem, qui mediante alia muliere, scilicet: Maria uirgine, esset fons aque pro toto mundo. Et sic de ista uena aque uiue dicebat Hieremias capitulo decimo septimo: *dereliquerunt uenam aquarum uiuentium dominum*, scilicet: Christum. Et sic Christus mediante uirgine dedit aquam gratie secundum quam ab illis quinque fuerunt reparati omnes.

Primo, rigauit, unde Psalmi centesimo tertio dicit: *rigans montes de superioribus tuis*.

---

3: Lc. 2, 15. | 17: Ps. 142, 6. | 19: Ps. 21, 16. | 21: Is. 64, 6. | 22-23: Ps. 41, 3. | 24: Ps. 33, 11. | 26-27: Ps. 106, 18. | 27: Rm. 5, 12. | 31-33: Ps. 106, 19-20. | 35-36: Ier. 17, 13. | 38: Ps. 103, 13.

4-5: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, I, 9. PG 94, 835; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 13, a. 11, p. 102.

35: Aquarum] M aquaram.

40 Secundo, mandauit nos, unde de aduentu suo loquitur Zaccharie capitulo decimo tertio: *in die illa erit fons patens*, etcetera. Et ideo dicit Apocalypsis primo: *qui lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo*, etcetera.

Et tertio, dedit nobis potum, unde Ecclesiastici decimo quinto: *cibabit illum dominus potu uite*, etcetera. Ad hanc aquam inuitauit nos Isaias capitulo quinquagesimo quinto dicens: *omnes sitientes uenite ad aquas*, etcetera.

45 Quarto, cibauit, unde Psalmi octogesimo: *de petra melle saturauit eos*.

Quinto, uiuificauit nos, unde Psalmi tricesimo quinto: *apud te est fons uite*, etcetera. Figura huius habetur Genesis secundo: *fluuus egrediebatur de loco uoluptatis, qui diuidebatur in quattuor capita*. Vnde Bernardus in sermone presentis solemnitatis dicit: «Christus fuit hec uena uite, a qua orti fuerunt quattuor fontes in uita et quintus in morte», scilicet: quattuor uulnera in uita, scilicet: duo in manibus et duo in pedibus, sed quintum in morte uel post mortem, scilicet: uulnus lateris. Nam uiuificare fuit post mortem, quia nullus accipit uitam nisi post mortem. Et sic apertio lateris fuit post mortem Christi, unde idem Bernardus dicit sermone octogesimo quarto: «quis uero fons uite nisi Christus? Deriuatus est fons usque ad nos deriuatae sunt aquae, descendit per aqueductum uirginis uena illa celestis stillicida gratie arentibus cordibus nostris infundens». Et sicut gratiam Christi omnes prophete per aquam designauerunt, sic per continens uel recipiens illius aque notauerunt uirginem Mariam siue patriarche siue iudices siue reges uel prophete in ueteri testamento.

60 Primo, de patriarchis, Genesis uicesimo septimo, quando Isaac benedixit filium suum Iacob dicit: *det tibi dominus de rore celi et de pinguedine terre*. Vnde ros erat uerbum diuinum plenum gratia, quod erat miscendum cum pinguedine terre, scilicet: cum purissimis sanguinibus uirginis Marie, que fuit terra purissima recipiens illum rorem celestem, etcetera.

65 Item de iudicibus Gedeon, Iudicum sexto, recepit signum in uellere et in concha, nam prius ros descendit in uellus, scilicet: in Christi carnem, que fuit sumpta de oue, scilicet: de uirgine Maria. Quia sicut lana uelleris accipitur de oue sine ouis corruptione, sic caro illa de uirgine sine uirginis corruptione. Et sic postea de illo rore fuit concha impleta, scilicet: uirgo Maria, ex qua tota terra ultimo fuit plena. Hoc confirmat Dauid in Psalmo septuagesimo primo dicens: *descendet sicut pluuia in uellus et sicut stillicidia stillantia super terram*, etcetera. Item Salomon Cantorum quarto dicit: *fons hortorum soror mea puteus aquarum uiuentium*. Et qui hic aqua gratie erat nobis necessaria et sumenda de uirginis cisterna, dicebat et inuitabat ad hanc idem Salomon, Prouerbiorum quinto, dicens: *bibe aquam de cisterna tua*. Item de ista cupiebat bibere Dauid, quando secundo Regum uicesimo tertio dicebat: *o si quis daret mihi potum aque de cisterna que est iuxta portam Bethleem!*. Nam spiritu prophético uidit quod tali die natiuitatis Christi esset uirgo Maria circa portam Bethleem, scilicet: in diuersorio.

75 Si igitur uerbum Dei est aqua gratie et hodie est in manibus uirginis in Bethleem, si uolumus hanc gratiam impetrare: *transeamus usque ad Bethleem et uideamus hoc uerbum quod factum est*. Igitur in principio sermonis.

---

40: Za. 13, 1. | 40-41: Apc. 1, 5. | 42-43: Sir. 15, 3. | 44: Is. 55, 1. | 45: Ps. 80, 17. | 46: Ps. 35, 10. | 47-48: Gn. 2, 10. | 59: Gn. 27, 39. | 62: cf. Idc. 6, 37. | 67: Ps. 71, 6. | 68-69: Ct. 4, 15. | 70-71: Prv. 5, 15. | 72: II Sm. 23, 15. | 76-81: cf. Lc. 2, 15.

48-49: cf. Bern. Cl., *In Nat. Dom.*, I, 8. PL 183, 119BC. | 53-55: cf. MF. Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, III. PL 183, 439D-440A.

76: Volemus] M, X uolimus.

<THEMA> *Transeamus usque Bethleem et uideamus hoc uerbum quod factus est, ubi supra.*

80 Duo sunt uidentia in presenti sermone. Primo, contemplare tempus et locum natiuitatis Christi, quia: *transeamus usque Bethleem*. Secundo, uidere qualiter Christus natus est adorandus, quia: *uideamus hoc uerbum*.

Primo, dicitur quod Christus natus fuit tempore et loco conuenientibus. De tempore probatur tripliciter. Primo, considerando tempus in principio creationis. Secundo, in principio reparationis. Tertio, in suo principio, scilicet: in mente diuina.

85 Primo, in creatione considerando tempus. Christus enim uenit ad redimendum per passionem, que principaliter ostensa fuit per quinque uulnera, redimere perfecte quo ad sufficientiam genus humanum et reparauit nouem ordines angelorum per nouem portiones hominum. Et sic a creatione erat annus secundum Augustinum, Bedam, Eusebium et Hieronymum quinque milia centum nonaginta nouem. Quinque enim millenarii notant  
90 quinque uulnera; centenarius notat redemptionem perfectam quantum in se fuit, nam est numerus quadratus, qui est perfectus et non solum numerus quadratus, sed resultans ex numero perfecto, scilicet: denario. Nam quilibet numerus ante denarium est imperfectus, ut duo, tria, quattuor, etcetera. Status est in denario, nam undecim sunt unus et decem; duodecim duo et decem, etcetera. Et sic cum numerus quadratus, qui quadratur ex numero  
95 perfectiori, scilicet: denario, quia decies decem sunt centum, sit perfectissimus, clarum est quod notat perfectissimam redemptionem ex parte sui. Et sic nasci debuit Christus anno quinque mille centum, sed cum non solum ueniret ad redimendum genus humanum sed etiam ad reparandum nouem ordines angelorum, significatur hoc per nonagenarium. Et quia hec reparatio erat facienda ex hominibus saluandis, qui erant in his nouem ordinibus  
100 collocandi, non solum nonagenarius, sed nouem erant iungendi. Et sic optime natus fuit anno a creatione mundi quinque milia centum nonaginta nouem. Secundum omnes doctores, nonagenarius numerus significat nouem choros uel ordines angelorum et nouenarius hominum, quia angelus nobilior est homine quo ad naturam, licet econuerso sit in aliquo homine quo ad gratiam, ut patet de Christo et de uirgine Maria, uel potest dici  
105 econuerso de numeris secundum alium respectum, etcetera.

Si dicis contra: quia ut dicit Anselmus De Casu Diaboli et patet etiam in parabola de decima dragma, homines enim electi decimum faciunt ordinem et sic non possunt per nouenarium numerum significari. Dicendum secundum Magistrum in secundo, distinctione  
110 nona, quod non constituunt decimum ordinem, cum in loco nouem ordinum constituentur, sed est talis multitudo et ab illis different in corporibus quod possunt decimum ordinem construere. Si obiicitur de beata uirgine, dicendum quod est supra ordines et non constituit nouum ordinem, cum sua excellentia sit extra ordinem uniuersi in quantum mater est Dei ueri, etcetera.

115 Secundo, hoc patet respectu reparationis, nam cum homo ceciderit per superbiam, erat per humilitatem erigendus. Homo nunquam humilitatem habet nisi peccatum cognoscat et suis ipsius statum, debebat autem homo cognoscere duo, scilicet: cognitionem suam et uirtutem propriam. Cognitionem cognouit suam naturalem et hoc in lege nature per annos tres milia sescentos nonaginta et uidit quod ratio naturalis non sufficebat, nam illa non obstante incidit in peccata maxima, scilicet: idolatrie et sodomie contra naturam et sic de

---

106-107: cf. Lc. 15, 8.

88: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XII, 10, 2. PL 41, 358BC; cf. Bed., *De Rat. Comp.*, XVIII. PL 90, 598D; cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, VI, p. 40. | 106: cf. Ans., *De Cas. Dia.*, V. PL 158, 334AB. | 108: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 9, 7. PL 192, 671C.

120 aliis. Post hec Deus dedit illi cognitionem per legem scriptam tempore Mosi dicendo in lege  
quid agendum et quid uitandum, sed oportebat quod uirtutem et potentiam propriam  
cognosceret. Et illud fuit durante lege Mosi per annos mille quingentos nouem, sed  
125 nihilominus ipse incidit in maxima et multa peccata. Et sic cognouit homo quod solus Deus  
ipsum poterat liberare et clamauit ad Deum et sic transactis quinque milia centum  
nonaginta nouem annis, scilicet: legis nature et scripture, misit Deus filium suum in  
mundum. Et sic natus fuit Christus conuenienti tempore.

Tertio, patet hoc considerando tempus in mente diuina, sicut omnia alia fuerunt  
eternaliter in mente diuina, sic et tempus. Et sic Deus, qui creauit tempus, elegit certum  
tempus ad natiuitatem sui filii. Nos non possumus tempus eligere et sic multa decreuimus  
130 facere uno tempore que non possumus, sed Deus potest eligere tempus, cum sit dominus  
temporis. Et cum omnia ab ipso electa sint conuenientia, sequitur quod tempus electum  
eternaliter ab ipso pro tali natiuitate fuit conueniens. Et de isto loquebatur Apostolus ad  
Galatas quarto: *at ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*, etcetera, plenitudo illa  
eternaliter preelecta. Item plenitudo gratie et misericordie. Item plenitudo legis. Item tunc  
135 fuit plenum tempus, quando continuit illud quod a tempore contineri non potuit  
naturaliter, scilicet: eternum Deum, nam cum esset eternus Deus: factus fuit infans unius  
diei in quantum homo. Item fuit conueniens tempus si accidentia in tempore consideremus.

Patet hoc primo quia in tempore maxime pacis hoc dicitur Isaie secundo: *erit in nouissimis*  
*diebus*, scilicet: messie, secundum omnes doctores, *preparatus mons domus domini*, etcetera,  
140 *conflabunt gladios in uomeres et lanceas in falces, non leuabit gens contra gentem gladium propter nimiam*  
*pacem et tranquillitatem*. Item Psalmi septuagesimo primo, qui scribitur de messia, dicitur:  
*oriatur in diebus eius iustitia et abundantia pacis*. Ratio est quia “princeps pacis” qui ueniebat,  
unde Isaie nono habetur: *paruulus natus est nobis et filius datus et uocabitur princeps pacis*. Ideo  
Apostolus ad Ephesios secundo: *ipse est pax nostra qui fecit utraque unum*. Et sic dicit  
145 Hieronymus super Isaiam capitulo secundo: «reuolue historias et uidebis quod nunquam  
tanta pax fuit in orbe sicut in anno uicesimo octauo Cesaris Augusti», quo anno nata fuit  
uirgo Maria. Et sic pacato mundo dedit edictum ipse Cesar imperator, ut describeretur  
uniuersus orbis. Item natus fuit sub uno domino mundi, scilicet: sub predicto Cesare, qui si  
ante fuerat alius imperator, scilicet: Iulius Cesar, ipse pauco tempore regnauit et quasi  
150 continuum bellum cum Pompeio habuit, donec rege Alexandrino occisus fuit. Et sic  
regnauit solum quattuor annis cum mensibus septem, post quem regnauit Octauianus  
Augustus annis quinquaginta sex. Et licet bellum habuerit cum Antonio, ipsum superauit et  
pacauit imperium, quia anno decimo quinto ipsius regni superauit Alexandriam, et anno  
decimo octauo ipsius Indiam pacauit, et anno decimo nono Calabriam et gallos uectigales  
155 fecit, et anno uicesimo tertio idem Augustus misit Tiberium et occupauit Armeniam, et  
eodem anno Cantabriam uicit in Hispania. Item anno uicesimo septimo idem Augustus  
superauit Germaniam per Marcum Lolium et per Tiberium et idem Cesar anno  
quadragesimo primo sui imperii cum parthis amicitiam fecit. Et sic, ut dicit Eusebius,  
precepto Cesaris cum iam pacificum imperium haberet: «Quirinus in Iudeam mittitur et  
160 census hominum possessionesque describit». Et sic anno quadragesimo secundo Cesaris  
Augusti natus fuit Christus et sic dicitur Luce capitulo secundo: *exiit edictum a Cesare Augusto*,  
etcetera. Et sic uenit Christus quando mundus erat sub uno principe et alienigena

133: Gal. 4, 4. | 138-141: Is. 2, 2-4. | 142: Ps. 71, 7. | 143: Is. 9, 6. | 144: Eph. 2, 14. | 161: Lc. 2, 1. | 163: Gn. 49, 10.

145-146: Hier., *Comm. In Is.*, I, 2, 4. PL 24, 46C. | 159-160: Eusebius] *Auctor err.* cf. Hier., *Int. Chr. Eus.* PL 27, 558A.

143: Nono] M, X septimo. | 144: Secundo] M, X quarto. | 147: Pacato] M, paccato, X pacatum. | 157: Marcum] M Marchum. | 158: Parthis] M parchis; X partihs.



165 secundum prophetiam: *non auferetur sceptrum*, etcetera. Item in solisticio hiemali quando «dies incipiebant crescere», ut dicit Augustinus super Iohannem tertio, in hieme quia mundus uacuuus a charitate, in media nocte, scilicet: mundo tenebroso, quia uenit lux mundi, etcetera.

170 Secundo, ostenditur quod Christus in conuenienti loco natus fuit, nam ut dicunt doctores, quattuor ciuitates sibi elegit Christus: primo, Nazareth; secundo, Bethleem; tertio, Hierusalem; quarto, Romam. Sed noluit in Hierusalem maxima ciuitate nasci ad  
 175 exprobendam superbiam multorum, qui uolunt honorem recipere in maxima ciuitate, sed obprobrium in infimo loco. Christus econuerso uoluit nasci in parua ciuitate, scilicet: in Bethleem, pati uero in Hierusalem ciuitate metropolitana. Item noluit nasci in Romana ciuitate, ut dicitur in sermone concilii Ephesini: «noluit in Roma nasci ne potentie  
 180 atribueretur, etcetera, nec uoluit esse filius senatoris, etcetera, sed pauperem ciuitatem elegit et pauperrimam matrem», etcetera. Sed ut ostenderet se esse dominum totius mundi, in romana ciuitate uoluit sedem ecclesie ponere et: *lapis scissus de monte*, etcetera, figurauit Danihel secundo. Vide latius quattuor monarchias, etcetera. Vnde Isaie uicesimo sexto: *ciuitatem sublimem humiliabit*, scilicet: Romam, *et conculcabit eam pes pauperis*, scilicet: Christi, *et gressus egenorum*, scilicet: apostolorum. Voluit tamen eligere Nazareth ad conceptionem sui et  
 185 Bethleem ad natiuitatem, quia uoluit se ostendere descendisse ex Dauid, cui singulariter fuit promissus. Item quia Micheas sic prophetauerat dicens: *et tu Bethleem*, etcetera, *et te exiet dux, qui regat*, etcetera. Item secundum Gregorium, quia dicitur «domus panis». Et sic uerus panis pro toto mundo uenit in Bethleem descendens de celo, qui postea dixit: *ego sum panis uiuus, qui de celo descendi*, etcetera. Elegit Hierusalem pro passione, quia in illa fuerat per multas  
 190 hostias et sacrificia figuratus et ut ostenderet se esse uerum sacerdotem et regem, unde Psalmi centesimo nono: *uirgam uirtutis tue emittet dominus*, etcetera, et sic rex. Item: *tu es sacerdos in eternum*, etcetera, Psalmo eodem. Item: *ego primogenitum ponam illum excelsum pre regibus terre*, sed cum sacerdotum sedes et regum esset in Hierusalem, sequitur, etcetera. Voluit autem eligere Nazareth ad conceptionem.

190 Sed dices: cum homo nominetur a ciuitate in qua fuit natus, quare Christus dictus fuit Nazarenus et non bethleemita? Dicendum quod hoc fuit quia iudei negabant Christum esse ex Bethleem, ut negarent ipsum esse messiam. Nam messias non sperabatur ex Nazareth, ideo dicebant a Nazareth prophetam non esse et sic noluerunt illum appellare ex Bethleem, sed a Nazareth, et licet illi hoc facerent non bona intentione, sed Deus, qui ex malis elicit  
 195 bona, uoluit ut sic nominaretur a populo, a Philipo, ab angelo, etcetera. Et hoc tripliciter.

Primo, quia conceptio et saluatio uirginis facta fuit secrete, sed natiuitas palam pastoribus et magis, etcetera. Ideo uoluit secretum manifestare dicendo illum esse nazarenum, quia conceptum in Nazareth.

200 Secundo, hoc fecit et uoluit Deus, ut ostenderet illum non esse filium ex Ioseph, sed solum uirginis. Nam parentes uirginis erant ex Nazareth et parentes Ioseph erant ex Bethleem.

---

176: Dn. 2, 34. | 178-179: Is. 26, 5-6. | 181-182: Mi. 5, 2. | 183-184: Io. 6, 51. | 186-187: Ps. 109, 2-4. | 187-188: cf. Ps. 88, 28.

163-164: cf. Aug. Hipp., *Serm.*, CXCIV, 2. PL 38, 1016A. | 173-175: cf. Theo. Anc., *Hom.*, I, 8. PG 77, 1359CD; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 35, a. 7, p. 269. | 182: cf. Gre. Mag., *Comm. In I Rg.*, V, 3, 4. PL 79, 448C.

171: Infimo] X infinito.

Tertio, hoc fecit et uoluit quia iam prophetatum erat per Isaiam undecimo capitulo dicens: *egredietur uirga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet*, etcetera. Vbi nos habemus “flos”, iudei habent “et Nazarenus”, etcetera. Et sic ideo ante predixerat propheta, quia sic  
 205 Deus disposuerat, etcetera. Natus autem fuit in diuersorio, non in regali palatio, nam cum propter edictum iret in Bethleem cum asino et boue, ut dicunt doctores. Et cum maxima multitudo esset in illa ciuitate parua propter paupertatem, hospitium non inuenerunt et sic in loco communi platee hospitali fuerunt, in quo erat presepe iam factum pro pauperibus. Vnde Hieronymus in epistola ad Marcellam dicit: «quo sermone, qua uoce speluncam tibi  
 210 saluatoris exponam? Et illud presepe in quo infantulus uagit silentio magis quam infimo sermone honorandum est. Vbi sunt late porticus? Vbi aurata laquearia? Vbi domus damnatorum penis et miserorum labore uestite? Vbi instar palatii instructe basilice ut uile corpusculum hominis pretiosus inambulet et quasi mundo quidquam non possit esse ornatus recta sua magis uellit aspicere quam celum? Bethleem, ecce in hoc paruo terre  
 215 foramine celorum conditor natus est, hic inuolutus pannis, hic uisus a pastoribus». Et idem in epistola ad Eustochium ait: «ille cuius pugillo mundus concluditur presepis continetur angustia». O mira! circa nos pietas Iesu benedicti, o charitas inaudita! o humilitas incarnati Dei immensa! nascitur hiemali tempore et non est illi locus in diuersorio, inuoluitur pannis a sola matre.

Et sic postquam uirgo Maria Christum in *pannis inuoluit et reclinauit eum in presepio*, uidens illum flere pro peccatis nostris, ut dicunt doctores, primo fleuit, unde Sapientie septimo de ipso exponitur: *primam uocem similem omnibus emisi plorans*, etcetera. Virgo autem uidens ipsum plorantem timebat appropinquare illi et alere. Adorauit enim illum ut uerum Deum et dicebat intra se: “o creator noster et fili unice et dilecte, gratias tibi immensas ago, qui in  
 225 redemptionem mundi uenisti et per manus meas te mundus recepit, qui carnem humanam uoluisti sumere, sed de meo uentre parata sum tibi in omnibus seruire, sed quomodo tibi lac dabo, qui das escam omni carni? Quomodo tibi ministrabo, cui angeli seruiunt?” Non audebat illi lac dare se indignam reputans. Ideo Augustinus in sermone hortatur uirginem dicens: «lacta Maria creatorem tuum, panem celi, pretium mundi, prebe lambenti mamillam,  
 230 ut ipse pro te prebeat maxillam. Tu illi temporalem ministra substantiam, ut tibi et nobis det uitam sempiternam. Lacta eum qui fecit te et talem fecit te, ut ipse fieret in te». Et sic: «quem genuit, adorauit». Et ipsa illum: «lactauit ubere de celo pleno», etcetera. Curre igitur cito fidelis anima, ingredi operimentum illud, uagientem infantem audacter loquere, dic ei audienti beniuolo: “o rex regum et uniuerse conditor creature, uis ut te simul cum matre et  
 235 Ioseph ad meam domum recipiam? Vis ut auream fasciam ad te defferam? Vis ornamentum et pretiosa iocalia tibi tradam? Vis ut ad obsequium tuum turbam adducam? Vis ut matri que peperit delicata cibaria preparem? Audies illum respondentem tibi non propter temporalia ueni, prebe ista pauperi procuratori meo, quia propter miseriam inopum et gemitus pauperum ueni. Si mihi placere cupis largire mihi peccata tua atque delicta, da  
 240 mihi compunctionem, da mihi lacrimas, da mihi conuersionem et emendationem. Descendi de celo ut homo factus pro peccatis hominum satisfaciam, reuertere ad me, o peccatrix anima, et ego suscipiam pondus peccatorum tuorum, pro quibus patri modo debitum soluam. *Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores*, quos meis laboribus et proprio sanguine redimere sum paratus”.

203: Is. 11, 1. | 220: cf. Lc. 2, 7. | 222: Sap. 7, 3. | 243: cf. Mc. 2, 17.

209-215: Hier., *Ep.*, XLVI, 10. *PL* 22, 490AB. | 216-217: Hier., *Ep.*, XXII, 39. *PL* 22, 423C. | 229-231: Augustinus] *Auctor err.* cf. Pseu. Max. Tau., *Serm.*, XII. *PL* 57, 867CD. | 232: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In ev. *PL* 78, 746D; cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In tertio nocturno. *PL* 78, 735A.

202: Prophetatum] M prophetatum. | 234: Beniuolo] M beniuoio; X beniuole.

- 245 Et interim quod uirgo Maria hec faciebat, pastoribus qui erant in illa regione uigilantibus angelus apparuit et sic illos alloquitur: *euangelizo uobis gaudium magnum*, etcetera. Et cum hec dixisset, subito facta est cum angelo multitudo angelorum dicens: *gloria in altissimis Deo et in terra pax*. Hoc autem totum ad nostrum exemplum, ut simus pastores uigilantes, quia pastor noster Christus uigilat. Et sic cantat ecclesia: «gregem tuum, domine, pastor eterne, non deseras, qui dormire nescis, semper uigilas», etcetera. Et sic pastor spiritualis episcopus, archiepiscopus, rector uel uicarius debet circa gregem uigilare, ut illi angelus appareat, etcetera. Similiter pastor temporalis, rex, baiulus, gubernator, etcetera, debet circa gregem uigilare ministrando iustitiam et quilibet paterfamilias, qui est pastor sue domus et quilibet christianus, qui est pastor sue anime. Et sic tria debet facere.
- 250
- 255 Primo, adorare natum regem cum Maria.
- Secundo, gratias agere de tam magno dono cum angelis.
- Tertio, ad tugurium uirginem Mariam uisitare. Et ut ista ualeamus facere, omnes nos per contemplationem: *transeamus usque Bethleem et uideamus hoc uerbum quod factum est*.
- 260 Et sic faciendo, hic habebimus gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

246: cf. Lc. 2, 10. | 247-248: cf. Lc. 2, 14. | 258: cf. Lc. 2, 15.

249-250: cf. Hor. Can., *Hymn. PL* 86, 964B.

SERMO CENTESIMVS TRICESIMVS SEPTIMVS ET TERTIVS IN EODEM DIE NATIVITATIS  
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

<THEMA> *Pastores loquebantur ad inuicem*, Luce secundo.

Originaliter recitatie autem in euangelio presentis solemnitatis thema scribitur presens.

5 Tres species pastorum legimus in sacra scriptura, scilicet: corporalis, spiritualis et mixtus ex utroque. Patet hoc nam cum pastor secundum omnes doctores dicatur de “pasco, pascus”, est ille pastor qui dat pastum uel cibum alicui. Sed cum cibus sit duplex, scilicet: corporalis et spiritualis, ut habetur Deuteronomii octauo et Matthei quarto: *non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei*, ecce panis est cibus corporis, uerbum Dei  
10 cibus anime. Pastor igitur qui dat cibum corporis gregibus et iumentis dicitur “pastor corporalis”; qui dat cibum anime dicitur spiritualis, ut predicator, “mendicans”. Sed pastor qui dat utrumque dicitur “mixtus”, ut prelatus, qui tenetur predicare et dare cibum pauperibus, unde Gregorius dicit: «pascere uerbo, pascere exemplo et pascere temporali subsidio», etcetera. Ex quo sequitur quod omnes patriarche, prophete, reges et sacerdotis,  
15 tam ueteris quam noui testamenti, fuerunt pastores spirituales, nam seminauerunt uerbum Dei et loquebantur populo in persona Dei.

Et licet de multis loquerentur, sed maxime locuti sunt de redemptore et matre eius gloriosa. Nam coroniste solent dilatare fimbrias calami in tribus generibus personarum, scilicet: quando loquuntur de aliqua persona communi multis, ut de aliquo summo  
20 pontifice uel imperatore. Secundo, quando loquuntur de liberatore patrie, ut de Hannibale et Scipione uel huiusmodi. Tertio, si loquuntur de aliqua persona sancta.

Propter ista tria maxime locuti sunt de nostro redemptore et de matre sua sacratissima, tunc quia communes toti mundo. Secundo, quia ipse liberator et ipsa mediante. Tertio, quia ipse sanctus sanctorum et etiam ipsa sanctissima.

25 Et sic dimisso eo pro processu sermonis de uirgine gloriosa locuti fuerunt tria uel de tribus. Primo, quo ad dignitatem persone sue. Secundo, quo ad maternitatem respectu filii. Tertio, quo ad maternitatem totius mundi.

Perfectio autem uirginis stat in hoc quod fuit separata ab omni peccato et in hoc quod fuit ornata omni uirtute.

30 De primo, in sermone de eius conceptione tractauimus, ubi ostensum fuit pluribus rationibus fuisse separata ab omni peccatum.

Secundum nunc uidebimus, scilicet: qualiter fuit ornata omni uirtute et sumamus uirtutes theologicas, quibus maxime iungimur Deo. Dicunt doctores, maxime Albertus Super Missus Est, quod uirgo Maria habuit maiorem fidem, spem et charitatem omni pura  
35 creatura. Patet de fide eius, quod fuerit maior.

Primo, continuatione, nam nunquam fuit interrupta aliquo peccato, quia maior fuit fides apostolorum quam alicuius alterius sancti. Sed illa fuit tempore passionis Christi interrupta, nam in nocte passionis Christus dixit illis: *omnes uos scandalum patiemini in hac nocte*, Matthei

3: Lc. 2, 15. | 8-9: cf. Dt. 8, 3. Mt. 4, 4. | 38: Mt. 26, 31.

13-14: Gregorius] *NI.* cf. Th. Aq., *Sup. II Cor.*, XII, 5, p. 464. | 33-34: cf. Alb. Mag., *Mar.*, XLIV-XLVI, pp. 87-92.

40 uicesimo sexto. Igitur a fortiori fides aliorum sanctorum, nam tunc in sola uirgine remansit fides.

Secundo, patet quia uirgo Maria maiora credidit quam patriarche uel prophete, etcetera. Nam sicut fides prelatorum est maior quam fides laicorum, non quod laici non credant totum illud quod prelati credunt, cum credant quod sancta mater ecclesia credit, sed dicuntur prelati maiora credere, quia illud idem credunt explicite et cum multis aliis  
45 circumstantiis; laici uero solum implicite. Et sic uirgo Maria maiora credidit, quia magis explicite quam patriarche nec prophete. Illi uero credebant nasciturum messiam ex quadam uirgine, sed maiora credidit non solum nasciturum ex uirgine, sed ex seipsa. Vnde dicit Augustinus quod: «materna propinquitas nihil Marie profuisset, nisi Christum felicius mente quam carne gestasset», etcetera.

50 Tertio, patet quod fides Marie fuerit maior a posteriori et quo ad effectum, nam plus potuit fides Marie quam omnium patriarcharum uel prophetarum, unde Marci nono: *omnia possibilis sunt credenti*. Vnde sicut maior ignis est qui lignum uiride potest comburere quam qui solam stupam, sic in proposito, maior fuit fides Marie, nam Christus dicit, Marci  
55 undecimo: *amen dico uobis quicumque dixerit huic monti tollere et mittere in mari et non hesitauerit, fiet*, etcetera. Hec fuit fides Marie, nam per fidem suam ille infinitus mons diuinitatis positus fuit in ipsa, que dicitur «amarum mare», nam positus in uentre suo uestitus fuit carne, in qua amaritudines passionis assumpsit, etcetera. Vnde de ipsa dicitur: *beata que credidisti, quoniam perficientur in te que dicta sunt*, etcetera.

60 Secundo, spes Marie fuit maior omnium aliarum, nam secundum doctores: «spes est certa expectatio future beatitudinis ex meritis et gratia proueniens». Quod fuerit maior spes Marie patet tripliciter.

Primo, magis certa, nam spes aliorum uel est fallibilis uel conditionalis, sic sperant quod cadere possunt, uel sperant sub conditione, scilicet: si permanserint in charitate. Sed spes beate Marie est infallibilis, nam erat certa de confirmatione sua, etcetera.

65 Secundo, patet quia uirgo improporcionabiliter maius gaudium sperauit, igitur maior fuit.

Tertio, cum maiori gratia et cum maiori experientia, nam dicit Albertus Super Missus Est: «expectatio alterius uiatoris est per modum esurientis, sed expectatio Marie per modum comedentis», scilicet: per experientiam. Exemplum: qui sperat ferculum alicuius conuiuui incipiendo iam aliquid de conuiuio gustando certior est quam qui sperat et nescit  
70 utrum illi dabitur, scilicet: esuriendo.

Tertio, charitas uirginis fuit maior omnibus aliis, quod patet tripliciter.

75 Primo, patet ratione maternitatis, nam angeli amant Deum ut filii, ceteri ueteris uestimenti ut serui, christiani ut fratres, sed maior est amor parentum ad filios quam econuerso, uel quam serui ad dominum nec quam amor fraternus. Et inter parentes maior est amor matris ad filium quam patris, ut dicit Philosophus octauo Ethicorum, ratione certitudinis et laboris, etcetera. Igitur, etcetera.

---

51-52: Mc. 9, 22. | 54: Mc. 11, 23. | 57-58: cf. Lc. 1, 45.

48-49: Aug. Hipp., *De San. Virg.*, III. PL 40, 398A. | 56: cf. Bed., *Exp. In Ev. Lc.*, III, 8. PL 92, 429C. | 59-60: cf. Petr. Lom., *Sent.*, III, 26, 1. PL 192, 811C; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 18, a. 4, p. 116. | 67-68: Alb. Mag., *Mar.*, LXXXVII, 3, p. 144. | 75: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, VIII, 14, 61b27, p. 317.

51: Nono] M, X decimo quarto. | 62: Conditionalis] X condicionalis. | 68: Comedentis] M, X commedentis.

Secundo, fuit continua charitas nunquam per mortale interrupta nec per ueniale debilitata, sed perpetua, ut in beatis, sed maiori gratia directa a spiritu sancto, unde Apostolus: *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum*, etcetera.

- 80 Tertio, fuit maior ratione certitudinis, nam nemo scit utrum dignus sit odio uel amore. Sola enim reuelatione sciri potest, ut Paulus sciuit, etcetera. Sed uirgo Maria non solum reuelatione, sed experientia hoc sciuit. Et sic ceteri a posteriori uirgo Maria a priori sciuit et sic quantum ad hoc patet excellentia beate uirginis supra omnes puras creaturas. Et ideo dicit Anselmus libro De Conceptu Virginali: «nihil tibi, o domina, equale, nihil comparabile.
- 85 Omne enim quod est aut supra te est aut infra te. Quod supra te est solus Deus est, quod infra te est est omne quod Deus non est».

Secundo, quo ad maternitatem filii, que fuit maior ceteris. Sicut enim paternitas patris est maior omni alia, a qua est omnis paternitas in celo et in terra, sic maternitas Marie tripliciter.

- 90 Primo, quia ipsa excellentior omnibus, ut diximus.

Secundo, quia filius eius est maior omni alio sine comparatione, cum sit filius Dei.

- Tertio, quia totaliter suus filius in quantum homo. Nam sicut in celo habet patrem sine matre, sic in terra habet matrem sine patre. Et sic ceteri filii non sunt totaliter matris, sed patris et matris; hic simpliciter est matris in hoc mundo. Fuit etiam maxima maternitas, quia
- 95 sociata duabus sociis. Prima fuit uirginitas, de qua habetur a Bernardo: «unum est in quo nec primam similem uisa est nec habere sequentem. Gaudium uidelicet matris cum uirginitatis honore».

Fuit enim necessarium Mariam fuisse uirginem propter tria.

- 100 Primo, ut notaret proprietatem incarnati uerbi, nam sicut in conceptione uerbi in corde, quod est camera omnipotentis regis, ut notant tres littere illius, non frangitur cor, nec etiam in prolotione, sed manet integrum et illesum, sic in conceptione illius in utero uirginis, que fuit camera et aula regia, etcetera.

- 105 Secundo, patet hoc ratione effectus uerbi. Veniebat enim ad consolidandum et sanandum fracta per peccatum Ade, igitur non debuit matrem frangere nec honorem matris auferre. Vnde Augustinus: «non decuit matris integritatem uiolare qui uenerat sanare corrupta».

- 110 Tertio, quia Christus quantum potuit debuit matrem honorare et sic honorem uirginitatis non auferre. Exemplum: si artifex debet ponere lapidem pretiosum in anulo optime smaltato, si posset sine fractione ponere lapidem erit honor illi; si dimittit hoc facere non est nisi quia potest aliter inmittere lapidem. Sed filius Dei intendebat mundum redimere et matrem quantum potuit sublimare, sed hoc fiebat illa remanente integra in sua uirginitate ex hoc apparebat sine uiro concepisse, etcetera.

Secunda dignitas maternitatis Marie fuit non solum sine dolore parere, sed etiam cum maximo gaudio, quod fuit conueniens tripliciter.

---

79: Rm. 5, 5.

84-86: cf. Pseu. Ans., *De Conc. B. M. V.* PL 159, 307B. | 95-97: Bern. Cl., *In Vig. Nat. Dom.*, I, 1. PL 183, 87C; IV, 4. PL 183, 102A. | 105-106: Aug. Hipp., *Serm.*, CXCIV, 1. PL 38, 1015D.

115 Primo, ex parte uirginis, nam propter peccatum data fuit sententia doloris in partu, quando Eue dictum fuit et in ea omnibus aliis: *in dolore paries*, etcetera. Sed cum uirgo Maria ab illo peccato fuit preseruata, igitur a pena peccati.

Si dicis etiam: *mors propter peccatum*, ut dicit Apostolus. Dicendum quod Maria fuit mortalis, ut carnem mortalem filio communicaret. Et sic ad necessitatem redemptionis faciebat, postquam per mortem redimere decreuerat. Sed dolor matris non erat requisitus et quia Maria non fuit mortua propter peccatum, quia nullum habuit. Ideo dolor non fuit in morte sua, ut dicunt Albertus et Damascenus.

120 Secundo, non debuit dolorem habere in partu propter miraculum, nam cum in quantum homo uoluit de uirgine nasci modo quo alii egrediuntur a uentre. Sed quia Deus erat qui nascebatur, oportebat quod cum miraculo nasceretur, scilicet: ut sine fractura sigilli exiret, ita quod duo corpora essent in eodem loco. Et sic nullus dolor potuit esse ibi postquam nulla erat ruptura.

130 Tertio, patet hoc ex parte filii nascentis, nam dolor est ex parte libidinis concipientis et ex parte peccati nascentis. Ibi nulla libido fuit in uirgine, que a spiritu sancto concepit, nec nullum peccatum in filio nascente. Nam filius natus cum peccato dat dolorem, quia secum illum portat, sed hic filius erat uerum gaudium. Ideo dixit angelus pastoribus: *euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo*. Igitur ubi est gaudium magnum nullus dolor potest esse. Et si in omnibus populis erat gaudium, a fortiori in uirgine pariente, ideo Bernardus dicit: «non decuit Deum aliam matrem habere», etcetera.

135 Tertio, ex parte mundi quod esset mater omnium quo ad tria.

Primo, inimicum demonem cohercendo.

Secundo, in necessitatibus subueniendo.

Tertio, dando omnibus gratiam, que sola illam inuenit, ut dixit ei angelus.

Et de his tribus pastores ueteris testamenti locuti sunt.

140 Primo, de eius perfectione ille pastor patriarcha Noe, dum ex arca misit coruum in mundum notans statum totius mundi circa carnem et terrena Deo non obediendo. Et sic mansit in terra. Sed postea misit columbam simplicem sine amaritudine fellis peccati et illa portauit ramum oliue notans pacificationem mundi mediante Maria.

145 Secundo, locutus fuit propheta Balaam, Numeri uicesimo quarto, quando dixit: *orietur stella ex Iacob et consurget uirga de Israhel*, etcetera. Nam sicut stella lucida, sic Maria; sicut stella nunquam eclipsatur nec perdit lucem, sic Maria nullum peccatum habuit nec gratiam perdidit.

150 Tertio, locutus fuit ille pastor rex Salomon quando ei dixit: *multe filie congregauerunt diuitias*, scilicet: uirtutum. *Tu*, scilicet: Maria, *supergressa es uniuersas*. Comparauit enim illam semper lucidis dicendo: *que est ista que ascendit quasi aurora, pulchra ut luna, electa ut sol*, etcetera?

---

116: cf. Gn. 3, 16. | 118: cf. Rm. 8, 10. | 131-132: Lc. 2, 10. | 144-145: Nm. 24, 17. | 148-149: cf. Prv. 31, 29. | 150: cf. Ct. 6, 9.

122: cf. Alb. Mag., *Mar.*, CXXXI, 2, p. 183a; cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, IV, 14. PG 94, 1162CD. | 134: Bernardus] *Auctor err.*, cf. Petr. Ble., *Serm.*, LXIV. PL 207, 748B.

Secundo, de eius maternitate quo ad filium locuti sunt multi.

155 Primo, Adam dum in sopore uidit ex Eua esse oriundam Maria. Et sicut Eua erat mater omnium quo ad naturam, sic Maria quo ad gratiam, nam ex illa sperabatur Christus, qui mediante latere suo ecclesiam fundaret, et dixit: *hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea*. Vnde Apostolus dicit: *sacramentum hoc magnum est*, scilicet: in Christo et ecclesia.

Secundo, uidit maternitatem uirginis Marie Moses pastor, quando Exodi tertio, uidens flamam in rubo dixit: *uadam et uidebo uisionem hanc, quare rubus non comburatur?* Deus ignis consumens sine uirginis corruptione fuit in uirgine.

160 Tertio, uidit Aaron in uirga sine humore frondente et florente et nucem producente, nam secundum Augustinum, qui dicit in sermone trinitatis quod sicut in nuce sunt tria, scilicet: «cortex, testa et nucleus», sic in Christo tria, scilicet: anima, corpus et diuinitas.

Quarto, Hiezechielis quadragesimo quarto capitulo, uidit portam orientalem et dixit: *hec porta clausa erit et non aperietur, quia dominus transibit per eam et non uir*, etcetera. Quod aperte notat uirginitatem Marie secundum omnes.

165 Quinto, Isaias dicit: *ecce uirgo concipiet et pariet filium*, Isaie septimo. Dicit quod conciperet et pareret uirgo, sed quod sine dolore et cum gaudio. Dicit idem Isaias capitulo sexagesimo sexto: *antequam parturiret peperit et antequam ueniret partus peperit filium*. Nam parturire est cum dolore parere. Et sic uirgo peperit filium suum, etcetera, ante dolorem partus, qui dolor fuit post triginta tres annos, scilicet: tempore passionis Christi. Item hoc dicit capitulo tricesimo quinto: *germinans germinabit sicut lilium letabunda et gaudens*. Hoc idem dicit Psalmi sexagesimo quarto: *letabitur germinans*, etcetera.

De tertio, scilicet: de maternitate, quo ad mundum dicit Adam uel in sua presentia Deus serpenti: *inimicitias ponam inter te et mulierem*, scilicet: Mariam, *et ipsa conteret*, etcetera.

175 Item secundo, uidit Gedeon, Iudicum sexto, gratiam Marie in uniuerso mundo esse dispergendam. Nam accepit signum liberationis populi et uictorie, quando ros prius fuit in uellere; secundo in concha; tertio in area. Nam uellus de oue sine ouis corruptione sumptus significat humanitatem de uirgine Maria. Oue mittissima sine uirginis corruptione sumpta, in quo primo a Deo fuit gratia. Concha fuit Maria uirgo, secundo plena, tertio area mundus, in quo ros gratie fuit mediante Maria.

180 Tertio, Isaias loquitur de plenitudine gratie uirginis Marie quando capitulo undecimo dixit: *egredietur uirga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet et requiescet super eum spiritus domini*, ubi septem dona spiritus sancti enumerat.

185 Sed dices: non dicit Isaias plenitudinem spiritus sancti super “uirgam”, que significat Mariam, sed super “florem”, scilicet: Christum. Dicendum quod sicut flos recipit substantiam corporalem a uirga in qua radicatur, sed flos recipit primo rorem a celo et communicat uirge, sic flos Christus sumpsit substantiam corpoream a uirga matre sua. Sed ros gratie recipitur in uirga a flore, qui Christus est.

Quarto, hoc patet per Dauid in Psalmo centesimo tricesimo secundo, qui loquens de gratia communicata dicit: *sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron*.

---

154: cf. Gn. 2, 23. | 155: cf. Eph. 5, 32. | 157: Ex. 3, 3. | 162-163: Ez. 44, 2. | 165: Is. 7, 14. | 167: Is. 66, 7. | 170: Is. 35, 2. | 171: Ps. 64, 11. | 173: cf. Gn. 3, 15. | 174: cf. Idc. 6, 37. | 181: Is. 11, 1-2. | 189: Ps. 132, 2.

161: Augustinus] *Auctor err.* cf. Hild. Cen., *Serm.*, XLIII. PL 171, 559C.



190 Unguentum est gratia que est in capite, scilicet: in Deo, *qui est caput Christi*, prima Corinthiis undecimo, descendit in barbam sacerdotis Christi, scilicet: in humanitatem, et postea in oram uestimenti, scilicet: in Mariam, de qua fuit uestitus filius Dei.

195 Quinto, loquitur ille pastor sapiens in persona uirginis, Ecclesiastici uicesimo quarto: *ego mater pulchre dilectionis*, etcetera, *in me gratia omnis uie et ueritatis*, etcetera, *transite ad me omnes qui concupiscitis me*, etcetera. Vbi aperte dicit quod ut mater amat omnes peccatores et quod in ea est gratia ueritatis, qui filius est, qui dixit: *ego sum ueritas*. Et dicit quod ille dedit ei omnem gratiam uie, scilicet: uiatorum, qui gratiam ab ipsa recipere debent.

200 Ultimo dicit quod solum ad illam accedamus et humiliter postulemus, illa recipiemus. Solus enim priuatur illa qui non accedit ad illam et non petit. Et ut certiores essemus de istis, scilicet: de eius excellentia, de eius maternitate ad filium et de maternitate ad nos, de omnibus istis tribus *pastores loquebantur ad inuicem*. Ad hanc igitur, etcetera.

<THEMA> *Pastores loquebantur ad inuicem*, ubi supra.

205 In presenti sermone unam solam conclusionem uidebimus, que est ista: quod maius et excellentius quod Deus fecit et faciet est dare nobis filium suum redemptorem in tempore oportuno. Et sic tria puncta sunt in illa. Primum quod est maius omnibus factis et faciendis. Secundum quod dedit illum in redemptorem. Tertium dedit illum in tempore conuenienti. Primum patet tripliciter.

210 Primo, ratione facti secundum omnes doctores, maxime secundum sanctum Thomam in questione sexta De Potentia Dei, ubi dicit quod: «hoc fuit miraculum miraculorum ad quod omnia alia miracula ordinabantur».

Secundo, patet hoc ratione finis, nam factus fuit Dei filius, filius hominis, scilicet: uirginis Marie, ut nos faceret filios Dei, unde Iohannis primo: *dedit eis potestatem filios Dei fieri*.

Tertio, patet hoc ratione mirabilium, ibi contentorum specialiter trium.

215 Primum, quia maiestas fuit humiliata in hoc quod seruilem naturam induit, scilicet: corpus nostrum ex terra formatum. Et nouem mensibus in uentre uirginis Marie stare uoluit et hoc fuit multum mirabile, nam accepit corpusculum magis paruum quam nunquam alius filius accepit et uoluit in uentre matris per maius tempus habitare. Hoc patet nam ceteri filii et filie quando animantur in corpore matris sunt alicuius notabilis quantitatis iam organizatus corporibus, sed filius Dei accepit portiunculam carnis ex matre ita quod uix uideri poterat ab oculo hominis et illam spiritus sanctus disposuit et organizauit in instanti et animauit. Et sic quod in femina facit natura per nonaginta dies et in masculo per quadraginta quinque hoc fecit spiritus sanctus in uirgine Maria in instanti. Et sic filius stat post animationem in uentrem matris septem mensibus cum dimidio, filia uero solum sex menses, sed filius Dei stetit in uentre sue matris per nouem menses integros.

225 Ratio triplex assignatur ad hoc.

Prima maxima humilitas. Voluit enim humiliari plus ceteris ad extirpandam et confundendam superbiam uenerat, ideo, etcetera.

---

190: I Cor. 11, 3. | 193-195: Sir. 24, 24-26. | 196: Io. 14, 6. | 201-202: cf. Lc. 2, 15. | 212: Io. 1, 12.

209-210: cf. Th. Aq., *Qu. De Pot. Dei* (vol. 9), q. 6, a. 2 ad 9, p. 40; *Con. Gent.* (vol. 15), lib. 4, c. 27, p. 108.

230 Secunda ratio fuit omnipotentia illius, nam ut diximus, agit in non tempore. Igitur si  
 filius Dei ex mera uoluntate paratus erat redimere genus humanum, solum differebatur  
 propter defectum talis matris perfectissime, que suum consensum prestare debebat igitur  
 dicendo: *ecce ancilla domini, fiat mihi secundum uerbum tuum*. In illa prolatione ultime syllabe  
 animatus et incarnatus fuit Christus. Igitur si in illo instanti non fieret, aut fuisset mora ex  
 parte Dei, aut ex parte matris. Non ex parte Dei, quia citius uenisset, si talis consensus  
 235 antea preberetur igitur, nec ex parte matris, quia nullum impedimentum habebat, igitur,  
 etcetera.

Tertio, ratione uirginis matris, scilicet: propter illius amorem. Desiderabat enim manere  
 propter illius maximam dignitatem et ut nobis daret exemplum quod cum puris creaturis  
 ipse permaneat, et ut deuoti uirginis Marie spem firmissimam in illam habeant, cum tanto  
 amore ab ipso filio diligatur. Et isto modo fuit maiestas humiliata.

240 Secundum fuit immensitas abreuiata, nam quem celi capere non poterat, non solum stetit  
 in uentre uirginis per nouem menses, sed etiam in stabulo et, quod plus est, in presepio.

Tertium fuit eternitas inchoata, sic quod ille qui principio carebat et fine, in die  
 natiuitatis eius fuit et uoluit fieri infans unius diei et quod hodie intraret in annum mille  
 quingentos. Et sic fuit maximum dare nobis filium suum isto modo.

245 Secundo, maius fuit dare nobis illum in redemptorem. Satis esset nobis ut ueniret in  
 doctorem et magistrum ad informandum nos, sed ultra hoc uoluit pati pro nobis sic quod  
 passio esset in illo ab instanti conceptionis et natiuitatis, ita quod existens in gremio uirginis  
 non solum regebat et gubernabat mundum, sed cognoscebat omnia potentia preterita et  
 250 futura, precognoscebat quot passiones, quot uulnera sustinere debebat, quot guttas  
 sanguinis fundere pro redemptione generis humani et in brachiis uirginis Marie pinguitur  
 cum cruore rubea in capite ad hoc designandum. Ideo dicit Augustinus quod: «tota uita  
 Christi crux fuit».

255 Tertio, quod fuit natus et datus filius Dei tempore conuenienti. Non in principio mundi  
 nec ante peccatum nec mox post peccatum per rationes tritas in tertia parte et in tertio  
 Sententiarum. Nec etiam uoluit finem mundi expectare, quia debebat mundum instruere et  
 in fine mundi uana esset predicatio pro preteritis. Sed uoluit in medio temporis uenire, ut  
 preteriti salui essent in fide uenturi et futuri etiam credentes iam uenisse, etcetera.

260 Elegit sibi tempus conueniens ut dominus temporis, nam nos, qui sumus sub tempore,  
 tempus eligere non possumus, sed ille uerus Deus, qui tempus produxit, potuit quale  
 tempus uoluit eligere et sic elegit sextam etatem, quia in sexta feria creatus fuit homo. Et  
 sicut peccauit et mortuus fuit spiritualiter post quinque dies a principio creationis, scilicet:  
 in sexta die, sic natus fuit redemptor et uiuificator post quinque millenarius, scilicet: in  
 principio sexti a creatione mundi. Vnde Psalmi octogesimo nono: *quoniam mille anni ante*  
*oculos tuos, sicut dies hesternae que preterit*.

265 Elegit etiam tempus in anno, scilicet: frigidissimum tempus, ut notaret frigiditatem  
 charitatis que in mundo erat in suo aduentu et quod ipse ueniebat ad dandum calorem  
 spiritus sancti ipsi mundo.

---

231: Lc. 1, 38. | 263-264: Ps. 89, 4.

251-252: Augustinus] *Auctor err.* cf. Pseu. Bern. Cl., *Vit. Mys.*, V, 22. PL 184, 649D. | 254-255: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 35, a. 8, p. 270; cf. Petr. Lom., *Sent.*, III, 1, 1. PL 192, 757BC.

Item elegit sibi mensem, scilicet: decembris, quia in illo erat solsticium hiemale. Et sic in die natiuitatis incipiebat sol ascendere et magis perpendiculariter uenire ad nos et appropinquari, quia ille ueniebat qui erat uerus sol iustitie. Vnde Augustinus dicit super illud Iohannem tertio “*me opus minui, illum autem crescere*” dicens: «natus est Christus cum inciperet crescere dies; natus est Iohannes cum inciperet minui dies», etcetera. Differentia autem que est a die natalis Christi ad solsticium causatur quia non precise ponuntur sex hore in quattuor annis usque ad bisextilem annum, etcetera.

275 Elegit etiam diem dominicam pro sua natiuitate ut idem dies esset principium creationis et recreationis, nam in illa die dixit: *fiat lux*. Et sic eadem die uenit qui erat lux uera, etcetera.

Elegit mediam noctem dominicam ut communiter dicitur a doctoribus, nam in illa media nocte dicitur matutine misse in ecclesiis. Item quia tali hora mortui fuerunt primogenita Egipti, igitur tali hora princeps primogenitorum debuit nasci. Et hoc aperte dicit Hieronymus in suis Annalibus, quia die natiuitatis Christi in media nocte dicit quod: «mortui fuerunt omnes sodomite» et ceciderunt et «corruerunt omnia idola mundi». Et ratio est quia dum filius Dei assumpsit uisibiliter nostram naturam, nihil contra naturam diuinam nec humanam debuit fieri in mundo. Sed adorare lapidem uel signum erat contra naturam diuinam et etiam mixtio sodomitica contra naturam humanam, igitur in hora natiuitatis omnia debuerunt perire, etcetera.

Item elegit tempus circa dominium temporis, nam quando primus monarcha, scilicet: imperator Octauianus, scilicet: Cesar Augustus, regnabat, uoluit Christus uerus monarcha nasci. Nam Iulius Cesar primus imperator nunquam fuit dominus pacifice, sicut Cesar Augustus, et sic tamquam uerum Deum uolebat illum senatus adorare. Ipse uero renuens dixit Sibylle, que tunc erat Rome, que multa futura predicebat, si erat dominus aliquis maior se. Et tunc dixit Sibylla quod sic, et fecit illum uidere et: «uidit in celo mulierem pulcherrimam cum puero in brachiis suis et dixit: “ille est maior”. Tunc Cesar illum adorauit et fecit in illo loco aram Deo celi, in quo loco nunc est monasterium optimum de ordine minorum sancti Francisci et dicitur “Sancta Maria de Ara Celi”». Hoc sanctus Bonauentura in sermone. Et Theophilus historicus romanorum dicit inuenisse hoc in annalibus romanorum, et quod fuit anno tricesimo quinto Octauiani et esset septem annis ante Christi natiuitatem.

Item elegit dispositionem temporis, scilicet: quando maxima pax erat in mundo. Nam postquam Cesar Octauianus uicit inimicos suos et multas prouincias subegit Rome, romani uincentes in multa pace petierunt a Sibylla per quod tempus duraret pax illa. Tunc illis respondet quod duraret donec quedam uirgo pareret et in uirginitate remaneret. Tunc illi dixerunt: “hoc nunquam erit et sic in eternum durabit”. Et sic fecerunt templum pacis eternum. Sed nocte natiuitatis domini corrui et sic conueniens fuit ut Christus ueniret tempore tante pacis, ut diximus in precedenti sermone, quia erat *princeps pacis* secundum Isaiam nono capitulo. Et loquitur de pace in natiuitate Christi quando dicit, capitulo secundo: *conflabunt gladios in uomeres*, etcetera. Item: *habitabit lupus cum agno*, Isaie undecimo et capitulo sexagesimo quinto. Et in signum huius angeli dixerunt Christo nato: *gloria in altissimis Deo et in terra pax*, etcetera.

De his tribus predictis loquebantur pastores.

271: Io. 3, 30. | 276: cf. Gn. 1, 3. | 304: Is. 9, 6. | 306: Is. 2, 4. | Is. 11, 6; 65, 25. | 307-308: Lc. 2, 14.

271-272: Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, XIV, 5. PL 35, 1504D. | 281: Hieronymus] *NI*. cf. Hug. Card., *I Tim.*, 1. f. 209r; cf. Petr. Com., *Hist. Sch.*, in ev., X. PL 198, 1543A. | 291-294: Bonauentura] *Auctor err.* cf. Mar. Pol., *Chr.*, pp. 7-8. | 295: Theophilus] *NI*.

310 Primo, de nato dicit Adam: *hoc nunc os ex ossibus meis*, etcetera, *propter quod relinquet homo ille patrem suum*, quia non apparebit in forma diuina, sed: *exinaniuit semet ipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inuentus ut homo*, non ut Deus, licet esset uerus Deus. Ideo dicit Isidorus: «ille homo natus relinquet patrem», quia non in forma patris apparebit, relinquet matrem, scilicet: synagogam, carnalem ex qua erit secundum carnem.

315 «Adherebit uxori sue», scilicet: ecclesie, quam sibi desponsabit, *et erunt duo in carne una*, scilicet: ipse caput ecclesie et ecclesia corpus in una carne, scilicet: Christi. Item dixit Abraham multa quando ei dictum fuit: *in semine tuo benedicentur omnes*, etcetera. Item ille pastor Moses hoc predixit quando dixit: *prophetam suscitant uobis Deus*, etcetera. Item querebat illum quando dixit: *mitte, domine, quem missurus es*. Item ille pastor Isaias hoc dixit

320 quando dicebat *paruulus* propter corporis paruitatem et propter humilitatem, etcetera. Dicit *uocabitur admirabilis* propter mirabilia, que in sua natiuitate fuerunt, ut diximus. Item Hieremias hoc dixit quando dicit: *nouum creauit dominus super terram, femina circumdabit uirum*. Fuit magna nouitas quod sola femina, fuit maior etiam quia in uentre habuit perfectum uirum in scientia, in sapientia, in gratia, etcetera.

325 Secundo, de illo loquebantur pastores, scilicet: quod non solum fuit nobis datus mirabiliter, sed etiam in redemptorem. Primo, dixit Noe quod hoc uidit ipse in spiritu, quando nullus fuit saluatus in diluio nisi qui per latus arce intrauerat. Secundo, dicit Abraham quod ipse idem uidit in sacrificio filii sui Isaac. Item dicit Isaias quod hoc intellexit ipse quando dixit quod: *factus est principatus super humerum eius*, etcetera. Et sic de

330 aliis.

Tertio, loquebantur de tempore natiuitatis huius, unde Iacob dixit quod iam tempus instabat, nam alienigena Herodes regnabat et ipse Iacob dixerat in spiritu: *non auferetur sceptrum*, etcetera. Nam uiginti tres reges a Saul usque ad Sedechiam omnes fuerunt de gente et genere iudeorum. Item illi octo qui fuerunt a Iuda Macchabeo usque ad Hircanum etiam

335 iudei. Tunc uenit Herodes alienigena, nam licet ipse fuerit circumcisis et factus iudeus, ut uxorem duceret neptem Hircani nomine Mariennem, sed ipse fuit de genere gentilium, nam pater suus fuit Idumeus et mater de Arabia, etcetera. Item dixit Danihel quod: *septuaginta hebdomade erant usque ad christum ducem*, etcetera, faciunt quadringentos nonaginta annos. Incipiebant a licentia data, ut iterum reedificaretur Hierusalem, quod fuit *anno uicesimo*

340 *Artaxersis*, Nehemie secundo. Hoc erat igitur quod *pastores loquebantur ad inuicem*. Pastores etiam in hora natiuitatis Christi loquebantur ad inuicem, nam secundum Bedam, ad miliare ipsius Bethlehem erant tres pastores principales circa turrem gregis, ubi Iacob ueniens de Mesopotamia cum uxoribus et grege moratus fuit et ibi mortua fuit Rahel. Et dum illi uigilarent circa gregem, ecce angelus in hora natiuitatis nato Christo ait illis: *euangelizo uobis*,

345 etcetera, *natus est uobis hodie saluator*, etcetera.

Et rediente angelo *pastores loquebantur ad inuicem dicentes: "transeamus"*, etcetera. Vide conclusionem huius sermonis in sermone sequenti in ordine centesimo quadragesimo, in feria secunda natiuitatis.

---

310-311: cf. Gn. 2, 23-24. | 311-312: Phil. 2, 7. | 315: cf. Gn. 2, 24. | 317: cf. Gn. 22, 18. | 318: cf. Dt. 18, 15. | 319: cf. Ex. 4, 13. | 320-321: cf. Is. 9, 6. | 322: cf. Ier. 31, 22. | 329: cf. Is. 9, 6. | 332-333: cf. Gn. 49, 10. | 337-338: cf. Dn. 9, 25. | 339-340: II Esr. 2, 1. | 340: cf. Lc. 2, 15. | 344-345: Lc. 2, 10-11. | 346: cf. Lc. 2, 15.

313-315: Isid., *Qu. In VT.*, In Gn., III, 10. PL 83, 218A. | 337: cf. Fl. Ios., *De Bell. Iud.*, I, p. 121. | 341: cf. Bed., *Exp. In Ev. Lc.*, I, 2. PL 92, 332AB.

SERMO CENTESIMVS TRICESIMVS OCTAVVS ET QVARTVS IN EODEM DIE NATIVITATIS  
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

<THEMA> *Peperit filium suum primogenitum*, Luce secundo.

Originaliter recitativae autem in euangelio galli cantus presentis solemnitatis.

5 Tantum dilexit Deus uirginem gloriosam quod non solum uoluit ipsa mediante  
perficerentur omnia naturalia et artificialia, sed etiam concessit illi ut esset causa media in  
effectibus propriis diuinitatis. Sunt autem secundum doctores tres operationes proprie  
diuinitatis, scilicet: creare, conseruare et iustificare. Ad dandam ultimam perfectionem istis  
10 noluit quod aliquis sanctus mediaret, nec etiam angelus, sed quod sola uirgo Maria esset  
media propinqua in istis ad dandam ultimam perfectionem in illis.

Primo, patet de creatione, quod sit propria diuinitatis, nam cum ad illam requiratur  
potentia infinita et omnes creature habeant potentiam finitam et limitatam, nulli creature  
conuenire potest. Nam cum creare fit ex nihilo, aliquid facere hec non potest aliqua  
15 creatura, quia creatura non potest facere aliquid nisi ex aliquo, et sic dixit Philosophus in  
tertio Metaphysice et in primo Physicorum, et etiam in primo de Generatione, quod: «ex  
nihilo nihil fit». Et in hoc omnes philosophi concordarunt, considerantes potentiam finitam  
creaturarum, utrum Deus posset illud communicare creature. Non est presentis  
speculationis. Satis est pro nunc uidere et dicere quod creatura non potest aliquid agere nisi  
20 presupposita materia. Et sic, si dicatur carpentario: “fac mihi arcam”. Dicit ipse: “da mihi  
tabulas, quia sine illis non possum facere”, et sic de aliis. Et sic dixit pater noster  
Augustinus quod: «non solum creature inferiores, sed nec angelus creare potest», in tertio  
De Trinitate.

Quod autem creatio acceperit suam ultimam perfectionem per Mariam et minime ante  
patet, si consideremus ea que creata fuerunt, quo ad tria reducuntur.

25 Primo, ad ea que in primo die dominico creata fuerunt, que, ut dicunt doctores, fuerunt  
quattuor, scilicet: «materia prima, celum empireum, natura angelica et tempus».

Secundo, fuerunt illa que in quattuor sequentibus diebus creata fuerunt, scilicet: illa que  
ad seruitium hominis creata fuerunt feria secunda, tertia, quarta et quinta.

30 Tertio, fuerunt illa que in sexta feria creata sunt, scilicet: Adam et Eua. Quod omnia ista  
acceperint perfectionem principaliter a Deo, secundario a uirgine patet:

primo, de materia prima, nam cum semper «appetat aliam formam ut perficiatur ab ea»,  
nunquam tam perfectam formam habuit, sicut quando fuit informata anima gloriosissima  
Christi. Item fuit nobilitata per diuinitatis unionem, que non poterat maiorem dignitatem  
habere.

35 Secundo, patet quo ad celum empireum et angelos, nam non habuerunt ultimam  
perfectionem. Quia licet «illud celum empireum mox creatum angelis fuerit repletum», ut

---

3: Lc. 2, 7.

15-16: cf. Arist. Lat., *Phys.*, I, 8, 191a32, p. 36; *Met.*, III, 4, 999b11, p. 51; *De Gen. Et Corr.*, I, 3, 317a35, p. 16. |  
21: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, III, 8, 13. PL 42, 876C. | 26: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 46, a. 3, p. 342. | 31:  
cf. Arist. Lat., *Phys.*, I, 9, 192a24, p. 40; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 2), lib. 1, dist. 45, q. 1, a. 1, p. 921. | 36: cf.  
Wal. Str., *Glo. Ord.*, Gn., 1, 2. PL 113, 69C.

24: Quo] M que.

quando arbor producit malum punicum mox granis repletum, sed illi angeli fuerunt tunc peccabiles et in modica morula maxima pars illorum cecidit a celo. Et sic fuit uacuum et imperfectum, sed fuit restitutum et plenum mediante Maria. Non per spiritus peccabiles, sed impeccabiles, unde Bernardus in sermone dicit: «per te, uirgo beata, celum impletum est, infernus euacuatus, instaurate ruine celestis Hierusalem, expectantibus miseris uita perdata data», etcetera.

Item patet quo ad tempus, quia nunquam tempus fuit tante perfectionis sicut habuit per Mariam. Nam ante solum fuit mensura transmutabilium et successiuorum, sed pariente Maria ille qui ante erat eternus, mensus fuit tempore et «factus puer unius diei». Et sic nunc dicimus quod sunt mille quingenti quattuor anni impleti quod ipse natus fuit. Et sic patet quod licet creatio fuerit a solo Deo, sed habuit ultimam perfectionem ab ipso Deo principaliter et a Maria mediatrice instrumentaliter, etcetera.

Secundo, patet de conseruatione, quia eadem potentia requiritur ad conseruationem que requiritur ad creationem, nam si manus omnipotentis suspenderetur a conseruatione rerum, omnia in nihilum redirent. Igitur idem est uel eadem uia est de nihilo ad aliquid, que est de aliquo ad nihil. Sicut radius solis requiritur ad illuminandum mundum, idem radius requiritur ad continuandum illuminationem in mundo, nam: «per eius absentiam causatur tenebra», etcetera, sicut dicit Augustinus super Genesim ad litteram. Sed ista conseruatio facta fuit mediante uirgine Maria, nam, ut dicunt doctores, per peccatum Ade, Adam et Eua essent in nihilum redacti ipsi et per consequens tota eorum posteritas. Et Deus omnipotens noluit, sed misericorditer se habuit propter uirginem, que sperabatur ex illa posteritate, sicut tolleratur spina in horto propter rosam que ex ea speratur, unde cantat ecclesia: «sicut spina rosam, genuit Iudea Mariam».

Tertium opus est iustificatio, que a solo Deo est, quo ad reparationem uniuersalem mundi. Cum esset offensa infinita, a solo infinito potuit redimi. Et sic fuit a solo Deo, sed mediante uirgine, nam ut dicit Augustinus in decimo tertio De Trinitate: «non fuit conuenientior modus reparationis humane quam incarnatio». Nam sicut Adam ante peccatum erat quodammodo impassibilis et immortalis, quia poterat non mori, sed mediante fructu a muliere recepto fuit factus passibilis et mortalis, sic filius Dei, cum esset impassibilis et immortalis, mediante muliere factus fuit passibilis et mortalis pro nobis. Et sic ad reparationem uniuersi noluit ut interesset angelus nec archangelus, sed sola uirgo Maria, unde Isaie sexagesimo tertio: *torcular calcanei solus et de gentibus non est uir mecum*, sed bene femina, scilicet: Maria, fuit media in illa reparatione ut causa instrumentalis. Et de his tribus loquitur Bernardus in sermone dicens uirgini sic: «merito ad te respiciunt oculi totius creature, quia in te, per te et de te benigna manus omnipotentis quidquid creauerat recreauit». “In te” quo ad creationem, “per te” quo ad conseruationem, “de te” quo ad reparationem, etcetera.

Sed forte dices quod uerum est quod uirgo fuit media, sed non ad iustificationem impii particularem. Dicendum quod etiam uirgo Maria est media ad iustificationem talem, nam tripliciter iustificatur peccator.

---

68: Is. 63, 3.

40-42: cf. MF. Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429B-430A. | 45: cf. Aug. Hipp., *Conf.*, I, 7, 11. PL 32, 665C. | 53-54: cf. Aug. Hipp., *De Gn. Ad Lit.*, V, 23. PL 34, 228C. | 58-59: cf. Fulb., *Hymn.*, XI. PL 141, 345A. | 62-63: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, XIII, 10, 13. PL 42, 1024A. | 70-72: cf. MF. Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328B.

46: Mille quingenti quattuor] X centum quinquaginta quattuor.

Primo, per sanctificationem.

Secundo, per sacramenta ecclesie.

Tertio, per contritionem quando non potest habere copiam sacramentorum.

80 Et ad omnia ista concurrat uirgo ut media.

Primo, in sanctificatione, quod patet in sanctificatione Iohannis Baptiste, que fuit maior omnibus, preter suam. Nam post conceptionem Christi dicit euangelista: *exurgens Maria abiit in montana cum festinatione*, etcetera, et salutando Elisabeth sanctificauit filium, quem ante per sex menses conceperat. Et sic principaliter fuit Iohannes Baptista a Christo sanctificatus,  
85 sed mediante Maria, quia amplexando Elisabeth Iohannes in utero cognouit redemptorem suum, sed mediante utero uirginis, qui mediabat inter pueros. Hoc autem factum fuit ut nos uideremus clare quod nulla sanctificatio fit nisi mediante uirgine Maria.

Secundo, patet hoc de iustificatione mediantibus sacramentis, nam sacramenta omnia habuerunt efficaciam a passione Christi. Sed Christus passus est fundendo sanguinem,  
90 quem a uirgine acceperat, igitur, etcetera.

Tertio, patet de contritione, nam conuersio ad Deum non potest fieri nisi mediante gratia. Sed gratia facta est a Christo, unde Iohannis primo: *gratia et ueritas per Iesum Christum*, etcetera.

95 Igitur, ut uirgo esset media in omnibus istis, hodie *peperit filium suum primogenitum*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Peperit filium suum primogenitum*, ubi supra.

In presenti sermone due erunt partes. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda sancti euangelii expositiua.

100 Pro introductione prime partis uidebitur una conclusio, que talis erit: quod natiuitas Christi fuit mirabilior et miraculosior cunctis aliis natiuitatibus. Hec conclusio breuiter probatur sic: illud miraculum, ad quod omnia alia fuerunt ordinata, fuit maius omnibus. Sed omnia miracula a principio mundi usque ad aduentum Christi fuerunt ordinata ad illud, igitur, etcetera. Maior patet de se, minor est Bernardi in quodam sermone dicendo quod omnia miracula fuerunt data ad hoc ut mundus crederet quod filius Dei erat incarnandus et  
105 nasciturus ex quadam uirgine. Item patet per sanctum doctorem Thomam in Questionibus De Potentia Dei, questione sexta, secundo ad nonum; et in quarto Contra Gentiles, capitulo uicesimo septimo, primum; et in tertio, distinctione tertia, questione secunda ad secundum, in corpore et in multis aliis locis dicit hoc. Et licet ista conclusio aliquantulum sit probata, sed pro maiori informatione et consolatione fidelium ipsam extendemus et  
110 dicemus quod licet natiuitas Christi fuerit naturalis quo ad aliqua, ut quia ex femina et per locum asuetum, ut inquit sanctus Thomas quod in tertia, questione tricesima quinta, tertio ad secundum, hoc autem potest ostendi dupliciter, scilicet: ex parte matris et ex parte filii.

---

82-83: Lc. 1, 39. | 92: Io. 1, 17. | 94-96: Lc. 2, 7.

103: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 11. PL 183, 66C. | 105-108: cf. Th. Aq., *Qu. De Pot. Dei* (vol. 9), q. 6, a. 2 ad 9, p. 40; *Con. Gent.* (vol. 15), lib. 4, c. 27, p. 108; *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 3, q. 2, a. 1, pp. 182-190. | 111: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 35, a. 3 ad 2, p. 263.

Et ex parte matris tripliciter. Primo, quia fuit mater et uirgo. Secundo, quia fuit mater sine patre. Tertio, quia fuit mater sine labore aliquo.

115 Primo, quia conueniens fuit quod mater remaneret uirgo, quod patet tripliciter, si consideremus quod filius fuit natus ex matre ad hoc ut redimeret. Sic prima ratio sumitur ex filio nato. Secunda ex parte matris. Tertia ex parte redemptionis.

120 Primo, ex parte filii, ut ostenderet se esse uerbum Dei, nam filius Dei dicitur uerbum patris secundum omnes. Primo, secundum uetus testamentum, nam in multis locis dicitur uerbum, maxime in Psalmo centesimo sexto, ubi habetur quod mundus clamauit pro redemptione a peccato Ade, ad quod nullus purus homo sufficebat. Et sic dicit quod: *clamauerunt ad dominum cum tribularentur et de necessitatibus eorum eripuit eos*. Et infra ponit modum redemptionis dicens: *misit uerbum suum et sanauit eos*, scilicet: per filium, qui dicitur uerbum. Item in Alchorano secundum agarenos in multis locis dicitur Christus messias uerbum, ut patet in libro primo, azora secunda, alea quadragesima quinta, et libro eodem, 125 azora tertia, alea centesima septuagesima. Dicit angelus Marie quod ‘Deus nuntiabat illi uerbum’. Item in libro tertio, azora prima, que est ‘Marie’, alea tricesima tertia, dicit quod ‘Christus est uerbum ueritatis’, scilicet: in lege gratie, et in euangelio hodierno dicit Iohannes Euangelista: *uerbum caro factum est*. Et sic ut ostenderetur esse uerbum, dimisit 130 matrem uirginem in conceptione et natiuitate, nam sicut uerbum concipitur in intellectu et pariter dum profertur sine aliqua corruptione, sic a fortiori uerbum diuinum. Nam si hoc uerbum quod ego heri in mente mea concepi et nunc per os meum pronuntiatur et pariter, factum est sine aliqua corruptione in me, multo fortius uerbum diuinum, quod est maioris subtilitatis, etcetera. Et sic sicut hoc uerbum in me sine corruptione concipitur et sine 135 corruptione nascitur et post pronuntiationem meam sine corruptione ab omnibus uobis recipitur, sic uerbum diuinum sine corruptione matris fuit conceptum et sine corruptione in partu et post partum. Et sicut unum et idem est uerbum quod ego profero et in auribus uel mentibus omnium istorum, qui in ecclesia sunt, recipitur, sic illud idem uerbum quod incarnatum et natum fuit a uirgine est in multis locis et in multis ecclesiis mundi.

140 Secunda ratio est ex partu matris propter ipsius dignitatem, nam cum sit optima mulierum, illi debetur quod est optimum. Sed inter tres status mulierum qui sunt uirginitas, matrimonium et uiduitas, optimum est uirginitas, cui debetur corona aureole. Igitur illi non debuit deesse uirginitas, maxime quod secundum doctores non solum fuit ipsa uirgo, sed maxima uirginum et ideo dicitur ‘uirgo uirginum’.

145 Et si dicis: numquid uirginitas filii fuit maior quam uirginitas Marie? Dicendum quod si consideretur illa uirginitas filii, ut est unita deitati, est maior et perfectior quam illa Marie, sed secundum alias rationes excellit uirginitas Marie omnem aliam. Et sic Maria uirgo dicitur uirgo uirginum et non Christus propter tria.

150 Primo, ratione puritatis, nam uirginitas matris precessit uirginitatem filii, quia ut dicit Bernardus: «Maria nullum preceptum nec consilium nec exemplum inuenit in scriptura de uirginitate seruanda». Et sic fuit prima omnium, maxime in uoto.

Secundo, ratione fecunditatis, nam Maria fuit uirgo et mater, sed filius non fuit uirgo et pater.

---

122: Ps. 106, 6. | 123: Ps. 106, 20. | 129: Io. 1, 14.

126-127: cf. Q 3, 45; 4, 171; cf. Io. And., *Conf.*, c. VII, p. 173. | 128: cf. Q 19, 34. | 150-151: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 7. PL 183, 75A.

147: Marie] M Maria.



155 Tertio, ratione exemplaritatis, nam uirginitas Marie fuit exemplar omnibus uirginibus, quia: *omnes sequuntur agnum*, etcetera, sed adducuntur ad ipsum mediante uirgine Maria. Vnde Psalmi quadragesimo quarto, postquam Dauid dixit: *astitit regina a dextris tuis*, etcetera, dixit: *adducentur regi uirgines post eam*, scilicet: post Mariam. Et sic imitando illa omnes uirgines secute sunt Christum.

160 Tertio, patet ratione redemptionis, nam sicut in die passionis Christi solus ipse uoluit mori et non permisit quod mater moreretur, licet dolor quem sustinuit esset mortalis, et ratio est quia dum ipse moriebatur in carne quam ex uirgine sumpsit, noluit quod uirgo in sua moreretur. Sic in proposito, postquam in redemptione illa caro, quam ex uirgine sumpsit, erat laceranda in lancea, in flagellis, in spinis et clauibus, etcetera, noluit quod caro uirginis laceraretur, sed quod remaneret integra in sua uirginitate. Hanc rationem tangit  
165 Augustinus dicens: «fas non erat ut matris integritatem uiolaret qui uenerat sanare corrupta», etcetera.

Secundum mirabile quod fuit mater in terris sine patre, nam Christus solum habuit patrem celestem Deum.

170 Et si dicis: hec ratio nihil ponit plus quam prima, nam idem est esse matrem et uirginem quam esse matrem sine uiro. Dico quod non, nam ut dicunt physici, maxime medici, aliqua mulier posset naturaliter eam esse matrem et uirginem, quia posset sine sigilli fractione concipere et habere filium in utero uiuum. Et sic ante partum esset mater et uirgo, sed non sine uiro, et sic illa posset parere per cissuram uentris, ut fuit mater Cesaris, et remaneret uirgo in carne, licet non in mente. Sed uirgo Maria, ut dicit Bernardus: «uirgo erat non  
175 solum corpore, sed etiam mente», et sic fuit mater sine uiro. Fuit autem conueniens quod esset mater hic sine patre, quod patet tripliciter.

Primo, propter dignitatem patris eterni postquam ille filius habebat Deum patrem. Contra dignitatem enim patris esset quod illa paternitas communicaretur uiro, nam illa est excellentissima, ut dicit Apostolus: *flecto genua mea ad Deum patrem*, etcetera, *ex quo omnis paternitas in celo et in terra nominatur*, ad Ephesios tertio. Et sic non solum esset contra dignitatem patris, sed etiam contra dignitatem filii, ut haberet alium patrem quam Deum. Exemplum: sicut quando aliqua mulier perdit uirum ex quo illi remansit filius, si illi dicitur quod ducat alium uirum, dicit: “non faciam, quia nunquam meus filius uocabit alium patrem preter illum quem perdidit”, etcetera. Sic hic.

185 Secundo, propter matris dignitatem, nam si alique sancte uirgines fuerunt seruate a Deo, ita ut nullus homo ad illas posset accedere, ut legitur de Agnere et Cecilia et multis aliis, quod licet esset in lupanari posita, nullus ad illam potuit aplicari, etcetera, quia fuit ab angelis custodita. Et etiam Cecilia, que non fuit permissa a proprio sponso corrumpi, ut patet in eius legenda, multo magis de uirgine Maria est credendum. Habuit enim uirgo  
190 Maria sue uirginitatis triplicem custodiam. Primo, in se; secundo, ab angelis; tertio, a tota trinitate. Vnde cum omnis operatio alicuius sit a duobus, scilicet: a uelle et posse, nullus uir uoluit ad illam accedere, nec, licet uellet, potuit ad illam aplicari. Et sic debuit sine uiro filium Dei concipere. Quod non uellet patet, nam de facie eius oriebantur et exhibant radii fulgentes usque ad uisum hominis incontinentis quod nullus illam potuit concupiscere, ut dicunt doctores. Vnde erant sic illi radii excellentes, quod non sinebant pulchritudinem  
195 suam contemplari, ut fit in sphaera solis. Exemplum de Mosi facie. Item illi radii habebant

---

155: cf. Apc. 14, 4. | 156: Ps. 44, 10. | 157: Ps. 44, 14. | 179-180: Eph. 3, 14-15.

165-166: Aug. Hipp., *Serm.*, CXCIV, 1. PL 38, 1015D. | 174-175: Bernardus] *Auctor err.* cf. Ambr., *De Virg.*, II, 2, 7. PL 16, 209A. | 195: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 16, q. 2, a. 2, p. 862; *Sup. Mt.*, I, 6, p. 23.

uirtutem modificatiuam concupiscentie uiri etiam uitiosi, et sic nullus uoluit ad illam  
 accedere. Item, licet aliquis uellet ad illam accedere, non posset, quia seruabatur ab angelis  
 et a Deo. Ab angelis circumstantibus et a Deo immediate. Et sic de ista triplici custodia  
 200 loquebatur Isaias. Dicit in capitulo uicesimo sexto de tempore aduentus messie: *in die illa*  
*cantabitur istud in terra Iuda: "urbs fortitudinis nostre Sion, saluator ponetur in ea murus et antemurale"*,  
 etcetera. Nam antemurale fuit in uirgine custodia angelorum extrinseca, murus fuit custodia  
 diuinitatis.

Tertio, fuit in ea positus saluator, quia: «Ioseph non cognoscebat eam post  
 205 conceptionem propter radios qui exhibant a facie sua», ut dicit sanctus Thomas in capitulo  
 primo super Mattheum in fine.

Tertio, patet propter uniuersi perfectionem, nam cum Deus uellet omnia propter  
 hominem creare, debuit ipsum creare in omnibus modis quibus creari posset. Sed primo,  
 creauit hominem sine uiro et muliere, ut Adam. Secundo, ex uiro sine muliere, ut Euam.  
 210 Tertio, ex uiro et muliere, ut ceteri sperabantur. Quartus modus creandi erat ex muliere sine  
 uiro. Et si iste quartus modus non daretur, non esset mundus perfectus. Nam in primo fuit  
 perditus mundus; mediante secundo facta perditio; in tertio fuerunt perditii omnes; in  
 quarto redempti. Ideo Genesis decimo quinto, quando promissus fuit Abrahe redemptor ex  
 semine suo et nuntiata fuit illi captiuitas mundi, etiam illi fuit reuelatum quando essent  
 215 liberandi. Dicit dominus illi: *generatione quarta reuertetur huc*, scilicet: ad terram promissionis,  
 que gloriam significabat. Et sic in redemptione et liberatione a peccato erat necessarius  
 quartus modus generationis, scilicet: ex femina sine uiro ad uniuersi perfectionem.

Tertium mirabile fuit quod cum omnes femine sint matres mediante dolore et  
 penalitatibus, hec uirgo non solum fuit sine istis, sed etiam fuit mater cum maximo gaudio,  
 220 quod patet ex dictis. Nam cum remanserit uirgo et cum conceperit sine uiro, dolorem non  
 potuit sentire. Et hoc est quod de ipsa dicit Isaias capitulo tricesimo quinto: *letabitur deserta*  
*et inuia et exultabit, florebit quasi lilium, germinans germinabit et exultabit letabunda et gaudens, gloria*  
*Libani data est ei*. Quasi dicat: deserta terra, que non colitur, ut fuit uirgo Maria, et inuia, per  
 quam nullus transiuit, letabitur in conceptione filii. Nam florebit quasi lilium concipiendo,  
 225 quia lilium significat uirginitatem in scriptura. Et sic uirgo concepit. Postea dicit de partu  
 dicens: *germinans germinabit*, id est, in actu pariendi, *exultabit letabunda et gaudens*. Postea dat et  
 assignat propheta causam huius dicens: non est mirum hoc, quia *gloria Libani data est ei*,  
 quod tripliciter potest intelligi. Gloria Libani, id est, data est ei, quia rex celorum datus est ei  
 in filium; uel gloria Libani, id est, celi, quia in utero habuit animam filii gloriosam; uel ad  
 230 litteram gloria Libani fuit, quia mons Libani habet gloriam in hoc. Cum autem sit in  
 principio terre promissionis, ab illo exeunt duo fontes, scilicet: Ior et Dan, et uniuntur et fit  
 unus fluuius, qui dicitur Iordanis, et ab isto irrigatur terra promissionis. Sic in uirgine  
 fuerunt fons diuinitatis et humanitatis et factus Christus in uno supposito, a quo rigatur  
 totus mundus et ecclesia, de quo in Psalmo quadragesimo quinto: *fluminis impetus letificat*  
 235 *cinitatem Dei*, etcetera, id est, ecclesiam, que ciuitas dicitur in scriptura. Et sic uirgo floruit in  
 Nazareth quo ad conceptionem, nam Nazareth dicitur "flos". Sed peperit et germinabit in  
 Bethleem, quia «domus panis» dicitur, et semper cum gaudio et letitia maxima.

Credulitas istarum conclusionum fuit tante necessitatis ad salutem quod Deus inspirauit  
 240 illas in cordibus omnium nationum, nam tenentur illas credere et confiteri iudei, agareni et  
 christiani.

200-201: Is. 26, 1. | 215: Gn. 15, 16. | 221-223: Is. 35, 1-2. | 226-227: cf. Is. 35, 2. | 234-235: Ps. 45, 5.

204-205: cf. Th. Aq., *Sup. Mt.*, I, 6, p. 23. | 237: cf. Gre. Mag., *Comm. In I Rg.*, V, 3, 4. PL 79, 448C.

De christianis clarum est in articulis fidei.

De iudeis patet non solum in ueteri testamento, sed etiam inter doctores iudeorum ueteres, antequam scriptura illorum corrumpetur per Talmuth. Nam rabbini ueteres illas concedebant, predicabant et aserebant, quod patet nam rabbi Berachia super illud Hieremie  
 245 Trenorum ultimo, ubi habetur: *pupilli facti sumus sine patre*, dicit: «Deus sanctus dixit quod sic erit sine patre redemptor messias quod ego suscitabo uobis, nam sine patre erit, sicut dicitur Psalmi centesimo nono: *ante Luciferum genui te*, quod in hebreo habetur: “ex matrice aurore”», etcetera. Igitur sicut lux solis exit ab aurora tamquam ex matre sine patre et sicut lux illa exit sine corruptione aurore et exit quasi cum gaudio, sic messias a sua sola matre.  
 250 Item hoc idem dicit rabbi Iode dicens quod: «Deus benedictus dixit quod ipse solus crearet messiam sine alio patre, et sic in Psalmo secundo dicit: *ego hodie genui te*». Vnde Zaccharie sexto: *ecce uir germen nomen eius*, quod dicitur de messie, quia messias dicitur “germen” in scriptura, unde Isaie quarto capitulo habetur: *in die illa erit germen domini in magnificentia et gloria*, etcetera. In hebreo in Chaldaica Translatione habetur: «erit messias in magnificentia et gloria», etcetera. Item Hieremie uicesimo tertio habetur: *suscitabo David germen iustum*, habetur “messiam iustum”. Igitur sicut germen oritur ab arbore tamquam a matre sine patre et exit sine aliqua ruptura et cum gaudio, etcetera, sic messias orietur a sola sua matre, etcetera.

260 Etiam agareni tenent hanc sententiam. Dicunt enim quod fuit Yce messias in miraculo gentibus, libro tertio Alchorani, azora prima “Marie”, alea decima septima, etcetera. Item quod fuit sine patre a sola matre remanente uirgine semper.

Et sic hec conclusio patet ex parte matris.

Secundo, probatur ex parte filii tripliciter. Primo, quo ad illa ex quibus filius constabat. Secundo, quo ad modum. Tertio, quo ad dignitatem.

265 Primo, fuit mirabile ex quibus constabat, quia omnes homines constant ex duobus, scilicet: ex anima et corpore. Christus uero ex tribus, scilicet: ex anima et corpore et diuinitate, quod fuit maximum mirabile, ut dicit Augustinus: «eternum, nouum et antiquum», etcetera.

270 Secundo, quo ad modum, quia a sola femina. Figura Genesis decimo octauo, quando Abraham inuitauit angelos dixit uxori sue Sarre: *tria fata farine comisce et fac subcinericios panes*. Sic iste panis hominum et angelorum habuit tria.

Primo, a sola uirgine, sicut a sola Sarra ille figuratiuus.

Secundo, constabat ex tribus, ut diximus.

275 Tertio, sine fermento peccati et subcinericius coctus inter duos ignes: supremus charitas patris eterni, quia: *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, Iohannis tertio. Ignis inferior fuit inuidia iudeorum, quia de Pilato dicitur quod sciebat quod *propter inuidiam tradidissent eum*, etcetera, Matthei uicesimo septimo.

---

245: Lam. 5, 3. | 247: Ps. 109, 3. | 251: Ps. 2, 7. | 252: Za. 6, 12. | 253-254: Is. 4, 2. | 255: Ier. 23, 5. | 270: Gn. 18, 6. | 275: Io. 3, 16. | 276-277: cf. Mt. 27, 18.

245-248: Rabbi Berachia] cf. Ray. Mar., *Pug. Fid.*, III, dist. 3, c. 8, p. 759; cf. Por., *Vict. Adv. Heb.*, II, c. 9, f. 73v. | 250-251: Rabbi Iode] cf. Ray. Mar., *Pug. Fid.*, III, dist. 3, c. 8, p. 757; cf. Por., *Vict. Adv. Heb.*, II, c. 9, f. 73v. | 254-255: cf. Ion. Ben Uz., *Trans. Chal. In Is.*, 4, 2, p. 14; cf. Ray. Mar., *Pug. Fid.*, II, c. 15, p. 475. | 260: cf. Q 19, 16sq. | 267-268: Augustinus] *Auctor err.* cf. MF. Bern. Cl., *De Cons.*, V, 10, 23. PL 182, 801C.

Fuit mirabile quo ad ista tria.

Primo, quo ad corpus, a spiritu sancto formatum in instanti, etcetera.

280 Secundo, quo ad animam. Fuit enim prima anima in maxima gratia et gloria dotata. Item quo ad diuinitatem unitam nulla est comparatio.

Tertio, patet quo ad dignitatem, quia primogenitus tripliciter.

Primo, quo ad corpus.

Secundo, quo ad animam.

285 Tertio, quo ad diuinitatem.

Primo, dicitur primogenitus non respectu secundi, sed antequam nullus alius, et sic sumitur in multis sacre scripture locis, ut Numeri tertio, etcetera.

290 Secundo, quo ad animam, scilicet: quo ad prelationem et excellentiam, unde dicit Apostolus ad Romanos octauo: *ut sit primogenitus in multis fratribus*. Ideo Abraham fuit sic primogenitus, nam forte alius frater natus fuit ante illum, ut dicit Augustinus et habetur in glosa ordinaria. Item Isaac non fuit primogenitus antequam nullus alius, quia Ismahel natus fuit primo, sed fuit primogenitus quo ad dignitatem et prelationem. Item Iacob non fuit primogenitus antequam nullus alius, quia Esau natus fuit ante, sed dominus dixit: *Iacob dilexi, Esau odio habui*, Malachie primo. Immo, sicut Esau uendit primogenituram pro modico cibo ipsi Iacob, sic Adam primogenitus antequam nullus alius uendit primogenituram pro modico cibo, quia emit Christus magno pretio, quia ut dicit Apostolus prima Corinthiis sexto: *empti estis pretio magno*, scilicet: sanguine Christi. Vnde prima Petri primo: *non corruptibilibus auro et argento, sed pretioso sanguine agni immaculati*, etcetera. Sicut Iacob non emit pecunia primogenituram fratris sed mediante cibo rufo, unde Genesis uicesimo 295 quinto dicit: *da mihi de coctione tua hac rufa*, que fuit figura sanguinis Christi, unde habetur Isaie sexagesimo tertio: *quare rubrum est indumentum tuum*, etcetera. Item Cantorum quinto: *dilectus meus candidus*, quo ad diuinitatem, *et rubicundus*, quo ad humanitatem et corpus, etcetera. Et sic Christus quo ad animam fuit primogenitus, quo ad dignitatem et prelationem.

305 Tertio, quo ad diuinitatem primogenitus utroque modo antequam nullus alius, quia eternaliter genitus a patre et quo ad dignitatem et prelationem nulli dubium, unde Apostolus ad Colossenses primo dicit de ipso: *qui est imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creature, quoniam in ipso condita sunt uniuersa in celis et in terra*, etcetera. Igitur, cum uirgo sit mater et peperit filium sine patre, quia suum, et nulla alia mater potest dicere filium esse suum, cum sit etiam filius patris, ideo dicit “filium nostrum” in communi, ut religiosi dicunt: “noster est”, etcetera. Hec sola uirgo potuit dicere filium esse suum et singulariter primogenitum, quod nulli alteri conuenit. Ideo de ipsa dicuntur uerba thematis quod *peperit filium suum primogenitum*. Quo ad primam partem.

315 Secunda pars principalis sermonis, in qua exponetur euangelium de galli cantu, in quo tria ponit euangelista. Primo, dat causam quare Ioseph et Maria uirgo ascenderunt in

---

287: cf. Nm. 3, 13. | 289: Rm. 8, 29. | 293-294: Mal. 1, 2-3. | 297: I Cor. 6, 20. | 298: I Pt. 1, 18-19. | 300: Gn. 25, 29. | 301: Is. 63, 2. | 302: Ct. 5, 10. | 307-308: Col. 1, 15-16. | 312-313: cf. Lc. 2, 7.

290-291: cf. Aug. Hipp., *Exp. In Ep. Ad Rm.*, LVI. PL 35, 2077A; cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Rm. 8, 29. PL 114, 498BC.

Bethleem. Secundo, ponit partum uirginis cum dicit: *factum est autem cum esset ibi*, etcetera. Tertio, ponit notificationem nati pueri cum dicit: *et pastores erant*, etcetera.

Quantum ad primum est notandum quod imperator secundus Rome, dictus Cesar Augustus, pacato imperio et deuicto Antonio, cum quo bellum gessit annis tribus, in quarto anno sui imperii, uolens scire que prouincie et ciuitates erant Imperio Romano subdite et etiam que persone erant in illis, fecit edictum per mundum Imperio Romano subiectum, ut omnes homines semel in anno, scilicet: in principio anni, hoc est in solsticio hiemali, ascenderent ad ciuitates principaliores sue prouincie, et ibi erat preses et coram illo profitebantur esse se subditos Romano Imperio. Et sic quilibet dabat nummum argenteum, qui ualebat decem minutos et ideo dicebatur “denarius”, id est, “ualens decem”. Et omnes nummi unius prouincie ponebantur in una hydria terre et ducebantur Romam, et accepta pecunia secundum numerum hominum, frangebantur hydrie in quodam loco Rome ad memoriam futuram. Et sic hodie dicitur Mons Testaculus, id est, ex testis factus, et erat nomen prouincie scriptum et sculptum in hydria. Nam cum ego essem Rome, inueni multa nomina ciuitatum Hispanie in illis circa os hydrie sculpta. Et ab illo quarto anno imperii ortum habuit era Cesaris secundum, quam munerabantur omnia, ut patet in antiquis contractibus tabellionum, qui fuit triginta octo annis ante Christi natiuitatem, quia Christus natus fuit anno imperii Cesaris quadagesimo secundo, et prima descriptio facta fuit a preside Syrie Cirino. Et propter hoc ascendit Ioseph cum uirgine pregnante a Galilea de ciuitate Nazareth in Iudea ciuitatem Dauid, que uocatur Bethleem, eo quod esset de domo et familia Dauid.

Secundo, ponit partum uirginis dicens: *factum est autem cum essent ibi*, nam cum essent pauperes, licet generosi, Ioseph posuit Mariam uirginem supra asinum, quia erat delicata, licet infans in utero non grauaret illam, immo dabat illi uires. Sed propter longum iter, nam ad minus sunt uiginti quinque leuce a Nazareth in Bethleem, ideo portauit asinum propter uirginem et portauit etiam bouem secum, ut illum uenderent pro expensis. Et cum feria sexta uicesimo tertio decembris non possent applicari ad ciuitatem Bethleem, remanserunt die sabbati, scilicet: uicesima quarta die, in quodam rure ciuitatis et die transacta in nocte uenerunt in ciuitatem. Et sic propter horam tardam et propter hoc: quod ciuitas erat plena gentium, non habuerunt hospitium, sed remanserunt illa nocte in quodam porticum circa plateam, quam euangelista uocat “diuersorium”. Et erant ibi presepes facti propter rusticos ibi aliquando cum suis peccoribus declinantes et dederunt fenum ibi boui et asino. Et factum est cum essent ibi, impleti sunt dies nouem mensium ut pareret, scilicet: in nocte diei dominice, scilicet: feria prima, que fuit prima mundi quando Deus dixit: *fiat lux*, etcetera. Sic tali die dedit uerum lumen mundo, scilicet: Christum, et sic dicitur “dies dominica”, in qua dominus noster natus fuit et resurrexit a mortuis, etcetera. Et ecce hora natiuitatis Christi diuersorium illud plenum fuit angelis. Videbatur celum empireum et sic uirgo peperit filium sine dolore, immo cum gaudio, ut diximus, et propriis manibus illum accepit sine obstetricibus, ut dicit Hieronymus, nam non fuerunt digne manus alterius mulieris illum tangere et ipsa debebat illum mundo dare. Et postquam in manibus tenuit, illum adorauit et adorandum angelis et sponso dedit. Secundo, *illum pannis inuoluit et in presepio reclinauit*, quia conuenientior locus non erat in diuersorio, ut dicit euangelista. Et cum illum poneret in presepe in medio animalium, bos et asinus noluerunt fenum comedere, sed illud in dominum totius mundi et omnium animalium cognouerunt et fenum in illum miserunt, quia uidebatur illum inuolutum pannis pauperculis. Et tunc impletum est illud Isaie primo: *cognouit bos possessorem suum et asinus presepe domini sui. Israhel autem me non*

316: cf. Lc. 2, 6. | 317: cf. Lc. 2, 8. | 337: cf. Lc. 2, 6. | 349: cf. Gn. 1, 3. | 356-357: cf. Lc. 2, 7. | 361-362: Is. 1, 3.

354: cf. Hier., *De Perp. Virg. B. M.*, VIII. PL 23, 192A; cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 35, a. 6 ad 3, p. 268.

*cognouit*, ut dicit Magister Historiarum. Item illud Abacuc secundum translationem septuaginta: *in medio duum animalium cognosceris domine*, etcetera. Item illud Deuteronomii uicesimo secundo: *non arabis in boue simul et asino*, non prohibet arare cum duobus asinis uel  
 365 bouibus, sed dicit quod non simul cum boue et asino. Quasi dicat quod ista societas dedit obsequium creatori et cognouit illum uirtute diuina, ut asina Balaham cognouit angelum, quem propheta non uidebat nec cognoscebat. Item dicit: *non arabis in boue et asino*, quia ista duo animalia iunctim auxilium dederunt uirgini, que dicitur terra deserta et non arata, et sic non permittit quod simul diuidant et arent terram. «Illud fenum ductum fuit Romam per  
 370 Helenam et positum in Sancta Maria Maiori, ecclesia principali Rome», in memoriam tanti miraculi, ut dicit Magister Historiarum, etcetera.

Tertio, ponit reuelationem natiuitatis Christi dicens: *et pastores erant in regione eadem*, circa Bethleem ad miliare ciuitatis. Et sic precepto diuino mittuntur angeli ad pastores iudeorum et ad limbum patrum. Et sic in missa de galli cantu legitur prophetia Isaie nono, dicit:  
 375 *populus qui ambulabat in tenebris*, scilicet: populus iudaicus, *uidit lucem magnam, habitantibus in regione umbre mortis lux orta est eis*. Nam missus fuit Michahel cum multitudine angelorum ad pastores, quia fuit princeps ueteris testamenti, et Gabriel cum alia copia et multitudine angelorum missus fuit ad limbum patrum, quia fuit nuntius ipsius messie. Et sic dicitur de Michahel ad pastores quod: *angelus domini stetit iuxta illos et claritas Dei circumfulsit illos et dixit illis angelus: “nolite timere, ecce euangelizo uobis gaudium magnum, etcetera, quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus dominus, in ciuitate Dauid”*, etcetera. Idem fecit angelus Gabriel in limbo, nam: *claritas Dei circumfulsit illos et dixit primo: “nolite timere, euangelizo uobis gaudium magnum, quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus dominus”*. Et sic dixit illis excellentiam parientis et pueri nati; dicit qualiter mater remansit uirgo in partu et post partum, etcetera,  
 385 et dicit filius suus non solum fuit homo, sed uerus Deus, sic dicit: “Christus dominus”, etcetera. Et ecce admirati sunt omnes quasi existentes in limbo, nam mirabantur populares de populo Israhel, qui mysteria redemptionis solum implicite cognouerunt; et mirabantur gentiles, quibus lex non fuit data nec illa mysteria explicite reuelata, sed solum fuerant saluati in fide uenturi, credentes quod benefactoribus Deus daret gratiam et saluationem,  
 390 etcetera.

Et uidens Gabriel admirationem illorum dixit: “non debetis de isto mirari, nam quando precepto diuino ego missus fui ad uirginem et ipsa modum concipiendi querens dixit: *quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco?* Ego dixi illi: Maria, bene est possibile: *quia non est impossibile apud Deum, omne uerbum*, etcetera. Non indiges uiro ad hoc, quoniam: *spiritus sanctus superueniet in te et uirtus altissimi obumbrabit tibi*, scilicet: filius altissimi. Et sic dixi illi quod conciperet sine uiro, scilicet: uirtute spiritus sancti, et per consequens remaneret uirgo. Item dixi illi excellentiam filii dicens quod *enim ex te nascetur sanctum, uocabitur filius Dei*. Et sic quod non solum filius esset homo, sed Deus et homo”.

Item secundo, dixit angelus Raphael: “ego fui missus ad infirmos. Sicut Gabriel ad firmos et solidos, ut ad uirginem Mariam, sic ego ad Tobiam infirmum et cecum. Sic misit me Deus ad sponsum Ioseph, qui non uidebat plene oculis fidei. Et sic credidit quod Maria uirgo erat uitiose impregnata et uoluit illam dimittere et illam non ducere in uxorem et sic uoluit occulte dimittere. Hec autem eo cogitante, ego illi apparui in somnis dicens illi: *Ioseph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est de spiritu sancto est*.

363: cf. Hab. 3, 2. | 364: Dt. 22, 10. | 367: cf. Dt. 22, 10. | 372: cf. Lc. 2, 8. | 375-376: Is. 9, 2. | 379-383: cf. Lc. 2, 9-11. | 393-397: cf. Lc. 1, 34-35. | 403-404: cf. Mt. 1, 20.

362: cf. Petr. Com., *Hist. Sch.*, in ev., V. PL 198, 1540A. | 369-370: cf. Petr. Com., *Hist. Sch.*, in ev., V. PL 198, 1539D.

365: Boue] M bobē.

405 Et sic dixi quod non ex uiro illum haberet et per consequens ipsa uirgo remaneret. Item dixi excellentiam filii dicens: *pariet autem filium et uocabis nomen eius Iesum*, id est, saluatorem. Ratio est quia ipse saluum faciet populum suum a peccatis eorum. Et sic, cum dimittere peccata sit proprium Deo, dixi illi quod esset Deus filius eius”.

410 Item tertio, dicit Adam: “certe uera sunt ista, nam sicut ego ex terra uirgine formatus fui, sic secundus Adam debuit esse. Et sicut uxor mea Eua, dum esset uirgo, concepit uerbum malum a demone dicente: *eritis sicut dii*, etcetera, et illud peperit mihi dicendo quod sic esset, sic secunda mulier, scilicet: Maria, debuit uerbum bonum in uirginitate concipere et parere”. Et hec Genesis tertio.

415 Quarto, dicit Noe quod hoc illi fuerat reuelatum quando dominus precepit arcam fabricare: “et dixit mihi: *fenestram in latere facies*”, etcetera. Hec arca fuit receptaculum iustorum, nam sicut nullus saluus fuit extra illam, sic nullus extra ecclesiam. Habuit in latere, scilicet: in medio, non in principio nec in fine, sed in medio temporis, fenestram qua illuminabatur, scilicet: uirginem Mariam, quia Christus: *erat lux uera*, etcetera, Iohannis primo. Hec fenestra per angelum habuit uitrum christallinum purissimum, quia mater Christi purissima fuit, nec per illam fenestram intrauit aer, aqua nec puluis, sed solum lumen clarum, quia mater Christi nullum habuit peccatum, sicut dicit Iohannes in canonica prima, capitulo secundo: *quidquid est in mundo aut est concupiscentia oculorum aut concupiscentia carnis aut superbia uite*, quia omnia peccata ad istas tres radices reducuntur. Et sic puritatem uitri non intrauit uentus superbie nec aqua luxurie nec puluis auaritie, sed solum lux pura. 420 Et sicut Christus est radius patris et splendor, ut dicit Apostolus ad Hebreos primo capitulo, sicut sine corruptione uitri intrabat in ortu solis et egrediebatur in occasu, sic filius uirginis, qui est filius patris eterni, sine corruptione matris fuit conceptus et natus. Genesis sexto.

430 Quinto, dicit Moses: “hoc mihi fuit reuelatum quando eram in deserto et pascerem gregem soceri mei sacerdotis Madian in monte Dei Horeb. Apparuit mihi dominus in flama ignis de medio rubi et uidi quod rubus arderet et non combureretur. Dominus in medio rubi fuit redemptor in uentre uirginis et transiuit per rubum, ut flamma ignis, et non consumpsit rubum, sed remansit uirgo post partum”. Hec Exodi tertio.

435 Sexto, dixit Gedeon: “hoc significauit signum mihi datum in liberatione populi. Dixit mihi dominus quod acciperem uellus lane et ponerem in aream siccam et fuit uellus rore madefactum et area tota sicca et expresso uellere concha rore impleui. Secundo, rore tota terra impleta fuit. Hoc erat quia uellus ouis, de quo uestitur pastor, fuit caro uirginis, de qua uestitus fuit pastor omnium Christus filius Dei, unde ecclesia hodie cantat: «palamque fit pastoribus pastor creator omnium», etcetera. Ante incarnationem tota terra erat sicca sine gratia per peccatum Ade, sed liberatus fuit mundus quando uellus, id est, caro uirginis, assumpta fuit de oue sine aliqua corruptione. Cor uirginis ouis humilis. Et sic ros gratie fuit in uellere. Primo, quia non ad mensuram datus illi spiritus, sed ex illo rore impleta fuit concha, id est, ecclesia. Et tunc secundo tota terra, id est, mundus, fuit madefactus rore gratie, quia: *de plenitudine eius omnes accepimus gratiam*. Et sic, sicut ouis accepto uellere incorrupta manet, sic mater hec uirgo remansit. Et sicut ros fuit de celo, sic filius eius erat filius Dei, etcetera. Hec Iudicum sexto.

---

406: cf. Mt. 1, 21. | 411: cf. Gn. 3, 5. | 415: cf. Gn. 6, 16. | 418: Io. 1, 9. | 422-423: I Io. 2, 16. | 425: cf. Hbr. 1, 3. | 433: cf. Ex. 3, 2. | 444: cf. Io. 1, 16. | 446: cf. Idc. 6, 37.

438-439: cf. Coe. Sed., *Hymn. PL* 19, 765A.

413: Tertio] M, X primo. | 446: Iudicum] M iudicium, X Iudcum.

Septimo, dixit rex Dauid: “hoc etiam mihi fuit reuelatum quando in Psalmo septuagesimo primo postularem regem messie et redemptorem dicendo: *Deus iudicium tuum regi da*. Mihi dictum fuit quod esset Deus, quia permanebit cum sole et ante lunam. Et mihi fuit reuelatus modus descensus, quod esset sicut Gedeon dixerat, et ideo dixi: *descendet sicut pluuia in uellus et sicut stillicidia stillantia super terram*. Et sic dixi quod esset filius non ex uiro, sed a celo et a matre uirgine remanente, sicut uellus sine corruptione carnis sumitur a carne. Item dixi qualiter uirgo peperit sine dolore, immo cum gaudio in Psalmo sexagesimo quarto: *in stillicidiis eius letabitur germinans*, scilicet: mater pariens”.

455 Octauo, dixit filius eius, rex Salomon: “ego illud in spiritu predixi, Canticorum quarto, dicens: *hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus et fons signatus soror mea*. Quia ex Dauid, secundum carnem, sponsa Christi. Et dicit triplicem custodiam uirginitatis. Primo, hortus conclusus per custodiam angelorum, ut prediximus. Secundo, hortus conclusus per radios a facie egredientes. Tertio: «fons signatus sigillo totius trinitatis». Et sicut fons dat aquam  
460 quam recipit occulte de abyssu sine corruptione, sic uirgo dedit redemptorem e celo sine eius corruptione, etcetera”.

Nono, dixit Isaias propheta, qui a Hieronymo «euangelista» dicitur: “mihi omnia ista reuelata fuerunt. Signum liberationis populi accepi dicens: *hoc uobis signum, ecce uirgo concipiet et pariet filium et uocabitur nomen eius Emanuel*, quod est “nobiscum Deus”. Non solum per gratiam, quia sic ante iam cum multis fuerat, sed tunc nobiscum Deus per unionem hypostaticam. Et sic mater uirgo et filius Deus fuit in capitulo septimo. Item, ne crederet mundus quod erat uenturus ad mundum in etate perfecta, ut Adam, dixi in capitulo nono: *paruulus enim natus est nobis et filius datus*, etcetera, *et uocabitur admirabilis Deus*, etcetera. Item dixi in capitulo undecimo: *egredietur uirga de radice Iesse et flos radice eius ascendet*. Ecce uirga est  
470 uirgo. Et sicut flos filius ab arbore sine patre et sine ruptura exit, sic Christus a matre cum gaudio, etcetera”.

Decimo, dicit Hieremias: “ego predixi hanc nouitatem quando dixi in capitulo tricesimo primo: *nouum creauit dominus super terram, femina circumdabit uirum*, scilicet: non puerum imperfectum, sed perfectum uirum. Ideo Deus et homo, quia nemo perfectus nisi Deus. Et tunc fuit uir perfectus, quando Deo fuit unitus, et uirgo circumdedit uirum quando Deus factus fuit homo. Nam primo est Deus eternus et creauit omnia; ultimo hominem, qui a Deo recessit per peccatum. Sed mediante uirgine facta fuit perfecta circulatio quando Deus unitus fuit homini uel homo unitus Deo”.

Vndecimo, Hiezechiel dixit quod illud similiter fuit ei ostensum capitulo quadragesimo quarto dicens: *et conuertit me ad uiam porte sanctuarii que respiciebat ad orientem et erat clausa et dixit dominus ad me: “porta hec clausa erit et non aperietur et uir non transiet per eam”, quoniam dominus Deus Israhel ingressus est per eam*. Porta que respiciebat ad orientem est uirgo Maria, nam semper respexit ad filium, de quo Zaccharie sexto: *uir oriens nomen eius*. Vel respexit semper ad orientem, id est, ad solis ortum, quo ad lumen gratie quod semper tenuit. Alie creature pure tenderunt ad occidentem quasi ad solis casum, nam ceciderunt per peccatum. “Et dixit mihi dominus: “hec porta clausa erit”, non aliquando, sed semper, quia dicit: “non aperietur et uir non transibit per eam”, quoniam dominus Deus Israhel ingressus est per eam. Et sic dixi quod mater redemptoris esset uiro ante partum et in partu et post partum, et quod

448-449: Ps. 71, 2. | 450-451: cf. Ps. 71, 6. | 454: Ps. 64, 11. | 456: Ct. 4, 12. | 463-464: Is. 7, 14. | 468: Is. 9, 6. | 469: Is. 11, 1. | 473: Ier. 31, 22. | 480-482: Ez. 44, 1-2. | 483: Za. 6, 12.

459: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 9. *PL* 30, 132B. | 462: cf. Hier., *Lib. Is.*, prolog. *PL* 28, 771B.

455: Dixit] M, X dixi. | 473: Circumdabit] M, X circumdauit. | 481: Aperietur] M aperiatur.



490 conciperet sine uiro, quia *uir non transiet per eam*. Item quod filius suus esset uerus Deus, quia dominus Deus Israhel ingressus est per eam”.

495 Duodecimo, dixit Danihel quod similiter fuit hoc reuelatum ei quando in capitulo secundo dixit quod uiderat quattuor monarchias in illa statua magna. Prima chaldeorum. Secunda persarum. Tertia grecorum. Quarta romanorum. Et quod erant destruende per *lapidem scissum de monte sine manibus*. Hic erat redemptor, qui sine opere uiri erat uenturus in mundum et destructis tribus prioribus tempore monarchie romanorum erat uenturus: “nunc est tempus, nam mortuo Iulio Cesare primo imperatore, sed non monarcha, regnat hodie Cesar Augustus, qui per potentiam maximam factus est monarcha. Et sic hac monarchia destructa regnabit hic redemptor Rome. Et sic tali tempore dixit debebat uenire.

500 Tunc dicit angelus Gabriel: “o Danihel, non recordaris quod ego fui missus ad te tempore orationis et dixi ex parte Dei quod a licentia data reedificationis Hierusalem usque ad Christum erant septuaginte hebdomade annorum facientes quadringentos nonaginta annos?” Et sic incipiebant a licentia data reedificationis Hierusalem, de qua dicitur Danihelis nono: *ab exitu sermonis ut iterum edificetur Hierusalem usque ad Christum ducentis hebdomadas septem et hebdomadas sexaginta due*, que sunt septuaginta nouem, *et post hebdomadas sexaginta due occidetur Christus*, etcetera. Et sic initium hebdomadarum est a licentia data reedificationis Hierusalem, que fuit: *anno uicesimo Artaxersis*, qui misit Nehemiam ad reedificandum Hierusalem, Nehemie secundo capitulo. “Et sic ab isto anno usque ad regnum macchabeorum fluxerunt anni ducenti nonaginta sex, ut dicit Iosephus in libro Antiquitatum. Item regnum macchabeorum usque ad Herodem alienigenam habuit annos 510 centum uiginti septem, ut dicit idem Iosephus in libro Antiquitatum decimo quarto, capitulo ultimo. Et sic sunt anni omnes iuncti quadringenti uiginti quinque. Item regni Herodis alienigene hodie sunt anni triginta unum. Sunt enim omnes historie computande a datione regni facta per imperatorem ipsi Herodei, quia tres anni fluxerunt post ante mortem Antigoni et possessionem acceptam regni. Nam hic Antigonus fuit ultimus qui regnauit ex macchabeis et sic sunt omnes isti anni quadringenti quinquaginta sex. Igitur ad numerum quadringenti nonaginta defficiunt anni triginta quattuor. Hec erit uita huius redemptoris et sic in proximo erit saluatio uestra”.

Et sic omnes sancti patres uidentes quod in breui erat saluatio sua, gauisi remanserunt et angeli recesserunt, et sic dixerunt ut angeli pastorum: *gloria in altissimis Deo et in terra pax*, etcetera. Dant nobis exemplum isti angeli, ut demus Deo gratias de tanto beneficio. Item debemus gaudere spiritualiter, nam si natiuitas uirginis gaudium attulit uniuerso mundo, a fortiori natiuitas Christi, unde debemus illum omnes recipere in dominum et habere pacem in terra inter populos. Et hoc dixit ipse Machometus in Alchorano, libro tertio, azora prima, dicitur “Marie”, alea tricesima secunda, dicit Ayce: ‘pax fit in die qua natus fuit et in die mortis et in die resurrectionis mee’. In die natiuitatis sue quando angeli dixerunt: *et in terra pax*, ut credamus ea que Deo credenda sunt, nam credere illum esse propheta et non credere esse Deum nihil est. Dicit enim Machometus in Alchorano quod similitudo Ayce est coram domino Deo ut similitudo Ade. Verum dicit quod, sicut Adam fuit immediate a Deo sine patre et de terra uirgine tamquam ex matre, sic Christus, sed licet sit in hoc simile, non tamen in aliis, nam ut habetur Genesis secundo: *formauit Deus hominem de limo terre et inspirauit in faciem eius spiraculum uite et factus est homo in animam uiuentem*. Et sicut differt 530

---

489: Ez. 44, 2. | 494: Dn. 2, 34. | 503-505: Dn. 9, 25-26. | 506: II Esr. 2, 1. | 519: Lc. 2, 14. | 525-526: cf. Lc. 2, 14. | 530-531: Gn. 2, 7.

508: cf. Fl. Ios., *Ant. Iud.*, XI, 5, 7, pp. 623sq. | 510: cf. Fl. Ios., *Ant. Iud.*, XIV, 16, 4, p. 880. | 524-525: cf. Q 19, 33.

509: Alienigenam] M alieniginam. | 527: Quod] X quam.

spiritus hominis a uerbo Dei, sic Adam a Christo, nam spiritus respiratus nec concipitur in mente nec significat aliquid sicut uerbum. Sic in proposito. Et hoc est quod dixit Apostolus prima Corinthiis decimo quinto: *factus est primus homo Adam in animam uiuentem, nouissimus Adam*, scilicet: Christus, *in spiritum uiuificantem*, quia spiritus est Deus et uerbum Dei spiritus et uita est. Et sic, licet Adam et Christus sint in aliquo similes, non tamen in omnibus, quia tunc esset equalitas et idemptitas et non similitudo. Igitur, ut pax sit inter populos in die natiuitatis Christi, confiteamur illum esse Deum tam christiani quam agareni.

Secundo, dicit: 'pax fit in die quando moriar'. Si pax inter populos debet esse in die mortis, debemus omnes concedere quod mortuus est pro peccatis nostris et in morte sua uiuimus. Nam sacramenta instituit in illa et mundum pacificauit, unde Apostolus ad Colossenses primo dicit de Christo: *pacificans per sanguinem crucis eius siue que in terris siue que in celis*. Igitur confidendo mortem eius erit pax nostra in die mortis.

Tertio, in die resurrectionis sue erit pax si confitebimur quod ipso mediante resurgemus.

Et sic, o uos proximi mei ismahelite, firmiter credere debetis de Christo, sicut de eius matre creditis quod peperit sine uiro et sine corruptione uirginitatis filium perfectissimum, quod ille est uerus Deus et satis ostensum fuit. Et sic habeamus pacem in terris, scilicet: credendo quod ille qui natus fuit hodie est uerus Deus et quod fuit mortuus pro peccatis nostris, ut daret nobis gratiam, et quod resurrexit ut daret nobis gloriam, quam nobis concedat ille, qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat per omnia seculorum secula. Amen.

---

534-535: I Cor. 15, 45. | 542-543: Col. 1, 20.

539: cf. Q 19, 33.

SERMO CENTESIMVS TRICESIMVS NONVS ET QVINTVS IN EODEM DIE NATIVITATIS  
DOMINI

<THEMA> *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit in eius*, Apocalypsis uicesimo primo.

5 Originaliter, etcetera.

Inter omnia nomina in sacra scriptura uirgini attributa est magis proprium communius et excellentius ut dicatur et nominetur “tabernaculum Dei”. Ratio quia est maior uirginis excellentia fuit esse matrem Dei. Sed ex hoc fuit mater, quia recepit filium Dei in utero suo, scilicet: in uentre uirginali, ex quo fuit habitatio et tabernaculum Dei, igitur, etcetera. Quod  
10 autem uirgo Maria fuerit tabernaculum Dei patet tripliciter, quia tribus modis potest dici aliqua mansio uel edificium alicuius: aut ratione artificis, aut ratione ornatus, aut ratione inhabitationis.

Primo, artificis, nam aliquod edificium sumit denominationem alicuius artificis propter aliquam singularitatem uel excellentiam in operando, quia in illo ostendit maiorem  
15 potentiam et uirtutem. Et sic maiorem potentiam ostendit Deus creando uirginem Mariam quam creando celum et terram et naturam angelicam.

Sed dices: cum potentia Dei sit infinita, quomodo potest esse maior in uno quam in alio? Quia secundum Philosophum, tertio Physicorum, infinitum nec minui potest nec augeri. Dico quod, cum creare sit ex nihilo aliquid facere, potentia Dei potest dupliciter  
20 considerari: uno modo absolute sine respectu ad creandum et sic semper est infinita. Alio modo respectu alicuius. Et sic quo ad terminum a quo, qui est nihil, non consideratur maior in creatione angeli quam lapidis, sed quo ad terminum ad quem, scilicet: ad illud quod creatur, maior consideratur in productione angeli quam lapidis. Et sic dico quod maiorem  
25 potentiam ostendit Deus in creatione uirginis Marie quam creando totum mundum alium, scilicet: creando celum, terram et naturam angelicam. Quod patet tripliciter. Primo, quo ad puritatem; secundo, quo ad repugnantiam; tertio, quo ad exaltationem illius.

Primo, quo ad puritatem. Maior enim potentia requiritur ad purificandum quam ad impurum, patet in metallis et ceteris rebus, sed maior puritas fuit in uirgine quam in angelis, ut dicit sanctus Thomas in opusculo Super Aue Maria. Quod patet, nam ut idem doctor  
30 dicit in primo Sententiarum, distinctione decima septima, questione secunda, quarto ad quartum, et distinctione quadragesima quarta, tertio ad tertium: «puritas augetur per recessum a peccato», sed angeli fuerunt remoti a peccato actualiter et non potentialiter, quia omnes potuerunt peccare. Virgo autem fuit separata a peccato non solum actualiter, sed  
35 potentialiter, quia nunquam in aliquo instanti potuit peccare, sed angeli sic in illa morula, etcetera. Etiam maior potentia ostenditur ratione indispositionis subiecti, nam angelus spiritualis magis erat dispositus ad puritatem quam uirgo Maria, que erat simul spiritualis et corporalis. Exemplum de christallo et uitro, nam christallus fit mediante potentia et uirtute frigiditatis, unde Psalmi centesimo quadragesimo septimo: *mittit christallum suam sicut bucellas, ante faciem frigoris eius, quis sustinebit*, etcetera? Sed uitrum christallinum purissimum fit ex  
40 lapide et cinere mediante natura ignis. Et sic maior potentia ostenditur in isto quam in christallo ratione materie, etcetera, quia uitrum fit mediante potentia nature et arte superaddita, unde dicit Philosophus in secundo Physicorum quod: «ars adiuuat naturam et

---

3: Apc. 21, 3. | 38-39: Ps. 147, 17.

18: cf. Arist. Lat., *Phys.*, VIII, 3, 253b12, p. 287. | 29: cf. Th. Aq., *In Sal. Ang.*, 1120, p. 241. | 31-32: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 1), lib. 1, dist. 17, q. 2, a. 4 ad 3, p. 894; (vol. 2), lib. 1, dist. 44, q. 1, a. 3 ad 3, p. 900.

perficit eam». Etiam in uita beati Martini dicitur de eius carne: «uitro candidior», etcetera. In puritate enim non comparatur christallo, sed uitro, quod est purior, etcetera. Igitur maior uirtus et potentia requirebatur ad uas aliquod christallinum, id est, ad continendum Christum ad christallum, scilicet: ad angelum, unde Ecclesiastici quadragesimo tertio: *uas admirabile opus excelsi*. Similiter autem fuit sicut qui reciperet guttam aque descendente de celo et alia gutta tendens usque ad terram que misceretur pulueri. Maior potentia requiritur ad hoc: quod ista gutta pulueri mixta fieret purior quam illa gutta que fuit in aere seruata, quia maior repugnantia erat in subiecto mixto in terra quam in aqua. Sic in proposito, angelus fuit purus non mixtus in terra quo ad corpus, quia nullum habuit, sed anima uirginis Marie fuit mixta corpore, quod a predominio dicitur de terra, que est infimum elementorum et magis a puritate remotum, etcetera. Hoc est autem quod dicit Anselmus loquens de uirgine: «decutit ut uirgo beata ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi». Hec ille. Si igitur angelorum puritas esset maior, aliqua puritas esset maior sub Deo quam fuit puritas uirginis, quod esset contra Anselmum, igitur, etcetera.

Secundo, hoc patet ratione resistentie uel repugnantie. Exemplum: maior potentia uel uirtus requiritur ad hoc: quod quis ducat nauiculam ascendendo per fluuium eadem uelocitate quam descendendo, quia ascendendo aqua resistit, descendendo uero iuuat. Sic in proposito, in creatione angelorum nulla fuit resistentia, sed creati fuerunt dicendo: *fiat lux et facta est lux*, per quod secundum Augustinum intelligitur natura angelica. Sed in creatione uirginis fuit multa repugnantia potentie ordinate Dei, nam potentia ordinata fuit quod mulier non conciperet sine uiro. Item quod si conciperet habendo dignitatem matris perderet dignitatem uirginitatis. Item illud quod conciperet non transcenderet dignitatem matris et multa alia. Sed in creatione uirginis ei fuit concessum quod conciperet sine uiro et simul esset uirgo et mater et quod filius suus esset simul Deus et homo. Ad hoc autem non sufficebat potentia ordinata, sed fuit requisita potentia absoluta, que est maior, igitur, etcetera. Ideo dicit ipsa: *fecit mihi magna qui potens est*, Luce primo. Vnde Hieronymus in Sermone Assumptionis: «quod natura non habuit usus nesciuit, ignorauit ratione, mens non capit humana, pauet celum, stupet terra, creatura omnis etiam celestis miratur. Hoc totum est quod per Gabrielem Marie diuinitus nuntiatur et per Christum adimpletur».

Tertio, patet hoc ratione eleuationis uel exaltationis. Exemplum: maior potentia et uirtus requiritur ad eleuandum uel mittendum sagittam usque ad celum quam ad mittendum illam usque ad summitatem alicuius turris. Sed creando Deus angelos misit illos ad determinatum locum, scilicet: archangelos supra angelos, seraphin supra cherubin, etcetera. Similiter homines ordinauit ut ascenderent ad loca uacua, unde mali angeli ceciderunt. Ideo Psalmi centesimo uicesimo sexto: *sicut sagitte in manu potentis ita filii excussorum*. Vnde Casiodorus super Psalmum dicit quod: «apostoli et prophete, etcetera. Et filii istorum sunt in manu Christi potentis, quia tales fuerunt excussores sacre scripture», etcetera. Ideo sunt missi in mundum in uita et post in celum ad loca angelorum. Ideo si ballistarius mittens sagittas suas in altum ostenderet potentiam suam in una preparando illam in ferro et pennis, sic ut sine comparatione illa sagitta ascenderet in altum plus omnibus aliis, illa esset electa, sic fecit de beato Iohanne Baptista, quem in sanctificatione plus omnibus preparauit, ut ecclesia de illo dicit in suo officio illud Isaie quadragesimo nono: *dominus ab utero uocauit me*, etcetera, *et posuit me quasi sagittam electam in faretra sua*, etcetera. Quasi diceret: quod sic preparauit illum quod ascendit usque ad locum primi angeli, qui cecidit, ut dicunt multi ex

46-47: Sir. 43, 2. | 60-61: cf. Gn. 1, 3. | 68: Lc. 1, 49. | 77: Ps. 126, 4. | 84-85: Is. 49, 1-2.

42-43: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 8, 199a16, p. 86; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 1, a. 8 ad 2, p. 11. | 43: cf. Odo. Clu., *Anti. De B. Mart.*, VII. PL 133, 513B. | 54-55: Ans., *De Conc. Virg.*, XVIII. PL 158, 451A. | 61: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XII, 9, 2. PL 41, 357A. | 69-71: cf. MF. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. PL 30, 127D. | 78-79: Cas., *Exp. In Psal.*, CXXVI, 6. PL 70, 930B.

doctoribus ecclesie. Igitur si Deus ostendit potentiam suam inter sanctos in isto, sic ut esset mirabile inter sanctos, sine comparatione maiorem potentiam ostendit in uirgine, que fuit electa et prelecta et ab ipso fuit ad dexteram filii collocata, Psalmi quadragesimo quarto:  
 90 *astitit regina a dextris tuis* et: «super choros angelorum exaltata». Ex quo patet quod maior potentia fuit ostensa in hac quam in creatione omnium sanctorum et angelorum, etcetera.

Secundo, uirgo Maria dicitur “tabernaculum Dei” quo ad ornatum, quia singulariter fuit ab eo ornata, unde in figura tabernaculum fuit coopertum triplici pelle, scilicet: albis, rubeis et hyacinthinis, scilicet: colore celesti. Pelles albe notabant uirtutes communes in  
 95 excellentia, nam dicit Bernardus: «in ea erant singulares, que in aliis uidebantur esse communes». Pelles rubeae notabant uirtutes theologicas, maxime uirtutem charitatis, que est omnibus excellentior, maxime in ea: *quasi uas auri solidum ornatum omni lapide pretioso*, scilicet: omnibus uirtutibus, Ecclesiastici quinquagesimo. Hyacinthine notabant gratiam de celo datam, quia angelis data secundum capacitatem nature. Sed uirgini secundum exigentiam  
 100 officii, quod excedebat naturam angelorum, quia illi carnem dare non poterant. Et sic Psalmi decimo octauo: *in sole posuit tabernaculum suum et ipse tamquam sponsus*, etcetera, sic in tabernaculo oriente sole replebatur radiis, etcetera.

Sed dices: maior gratia data fuit angelis? Dico quod non, sed econuerso. Item angelis in primo instanti creationis? Dico quod uerum est, quia dicit Augustinus De Ciuitate Dei  
 105 duodecimo: «simul erat Deus condens naturam et largiens gratiam». Sed uirgini date fuerunt omnes gratie et non angelis, quia gratia confirmationis non fuit in primo instanti data angelis, sicut fuit data uirgini Marie, unde Psalmi quadragesimo quinto: *sanctificauit tabernaculum suum altissimus*. Quasi dicat: singulariter. Ideo dominus precepit Mosi, Exodi quadragesimo: *primo mense prima die mensis eriges tabernaculum*. Et sic in creatione omnia  
 110 ornamenta habebat. Figurabat enim quod uirgo Maria iam erat ornata uirtutibus et gratia in sua conceptione, etcetera.

Sed forte dices quod illa *die sunt duodecim hore*, ut dixit Christus, Iohannis undecimo capitulo. Et sic ante confirmationem uirginis Marie poterat esse aliqua morula, ut in angelis? Dico quod non, sed in primo instanti conceptionis fuit plena gratia, scilicet: in principio  
 115 illius diei et diluculo, id est, in primo instanti.

Tertio, Maria uirgo dicitur “Dei tabernaculum” ratione inhabitationis, nam in ceteris habitat Deus secundum gratiam, in hac etiam secundum persone diuine presentiam. Ideo dicit angelus: *auē gratia plena, dominus tecum*. Vnde Psalmi octogesimo sexto dicit Dauid: *homo natus est in ea et ipse fundauit eam altissimus*, id est, ad hoc fundauit eam altissimus Deus  
 120 eternus: ut homo nasceretur in ea in tempore. Et hoc est quod ipsa dicit, Ecclesiastici uicesimo quarto: *qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*, id est, ad hoc creauit me ut requiesceret in me, etcetera.

Si autem queris si solum ad hoc creauit illam. Dico quod non, nam sicut ipse non indigebat tabernaculo in mundo, cum celum haberet, nunc: *quis habitabit in tabernaculo tuo?* in  
 125 Psalmo decimo quarto. Sed propter nos uoluit hic tabernaculum habere, sic uoluit ut tabernaculum nobis iuuaret. Et sicut tabernaculum in ueteri testamento fuit ad tria, primo, ad hoc ut contineret arcam, in qua omnia pretiosa erant, maxime illa tria, scilicet: tabule, uirga et urna; secundo, ut orationes in illo fundarentur; tertio, ut in illo gratie impetrarentur,

90: Ps. 44, 10. | 97: Sir. 50, 10. | 101: Ps. 18, 6. | 107-108: Ps. 45, 5. | 109: Ex. 40, 2. | 112: cf. Io. 11, 9. | 118: Lc. 1, 28. | 118-119: Ps. 86, 5. | 121: Sir. 24, 12. | 124: Ps. 14, 1.

90: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Anti. unde supra. In primo nocturno. PL 78, 798D. | 95-96: Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 6. PL 183, 428B. | 105: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XII, 9, 2. PL 41, 357A.

130 ut patet de Anna matre Samuhelis, primo Regum primo. Et sic dixit dominus, Leuitici uicesimo sexto: *ponam tabernaculum meum in medio uestri et non abiiciet uos ultra anima mea.*

Et sic non solum dedit uirgini gratiam ad illud recipiendum, sed ut nobis impetraret, nam ceteris sanctis dedit aliquod lumen gratie, sed uirginem posuit in fonte luminis, scilicet: gratie, quia: «gratia est lumen habilitans mentem ad bene operandum». Et hoc dicit Psalmi decimo octauo: *in sole posuit tabernaculum suum*, etcetera.

135 Et sic, si tabernaculum erat in ueteri testamento ad gratiam obtinendam, hodie illa indigemus; si igitur impetrare uolumus, ad hanc recurramus, quia *ecce tabernaculum Dei cum hominibus*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, ubi supra.

140 Doctrina est apostoli Pauli quod omnia mysteria et cermonialia in ueteri testamento figuraliter significabant illa que sperabantur in reparatione mundi et redemptione, unde Apostolus ait, prima Corinthiis decimo: *omnia in figura contingebant illis*. Si omnia igitur, precipue ea que in duabus domibus orationis erant, scilicet: in tabernaculo et templo, ad que quasi omnia reducebantur, nam significabant duas personas principales, que ad redemptionem requirebantur, licet non simpliciter et de necessitate. Nam ut dicit  
145 Augustinus decimo tertio De trinitate capitulo decimo, Deus infinitos modos habebat reparationis humane nature secundum suam infinitam potentiam, sed conuenientior fuit hic, scilicet: ut filius Dei assumeret naturam nostram. Poterat sola misericordia remittere dicendo: *uade et noli amplius peccare*, ut dixit adultere, sed uoluit ut hominem dignificaret et illum obligaret ad amandum, unde Apostolus dicit: *empti enim istis pretio magno*, prima  
150 Corinthiis sexto. Item dicit Petrus in canonica sua, prima Petri primo: *non corruptibilibus auro et argento, etcetera, sed pretioso sanguine*, etcetera. Igitur si iustitia mediante qui poterat erat Deus, qui debebat erat homo. Igitur reparator sperabatur Deus et homo. Poterat nouum hominem creare, sed oportebat quod esset ex massa Ade quo ad corpus, sed corporea massa tota sumitur ex matre, ut dicit Philosophus decimo quinto De Animalibus, quod  
155 semen uiri non intrat in compositionem geniti, sed est sicut motor, ut carpentator in arca se habet. Et sic oportuit quod ex matre nasceretur paruulus, ut dicit Isaie capitulo nono: *paruulus natus est nobis et filius datus*, quia filius Dei erat eternus et natus fuit ut homo.

Si autem dicis: licet uir non daret materiam, sed requirebatur ad preparandam illam. Dico quod hoc esset uerum si filius esset solum homo, sed hic erat Deus et homo, igitur  
160 uirtute diuina debuit mater concipere et parere. Et sic remaneret uirgo, ut dicit idem Isaie capitulo septimo: *ecce uirgo conciperet et pariet filium*. Quod ille filius esset Deus patet ex hoc quod sequitur: *et uocabitur nomen eius Emanuel*, id est, nobiscum Deus. Item in capitulo nono allegato, ubi dicit: *paruulus natus est nobis*, etcetera, sequitur: *uocabitur Deus fortis*, etcetera. Ex quibus patet quod due persone fuerunt requisite ad redemptionem nature humane: prima  
165 Deus et homo principalis redemptor; secunda uirgo Maria mater sua, ex qua naturam nostram assumpsit. Et iste due persone fuerunt figurate per duas domos orationis in ueteri lege: prima tabernaculum, quod figurauit beatam uirginem Mariam. Secunda, scilicet: templum, figurauit Christum.

129: cf. I Sm. 1, 10. | 130: Lv. 26, 11. | 134: Ps. 18, 6. | 136-138: Apc. 21, 3. | 141: I Cor. 10, 11. | 148: cf. Io. 8, 11. | 149: I Cor. 6, 20. | 150-151: I Pt. 1, 18-19. | 157: Is. 9, 6. | 161-162: Is. 7, 14. | 163: Is. 9, 6.

133: cf. Aug. Hipp., *De Nat. Et Gra.*, XXVII, 31. PL 44, 262BC. | 145: cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, XIII, 10, 13. PL 42, 1024AB. | 154: Philosophus] cf. Alb. Mag., *De Animal.*, XV, 2, 4, p. 107b.

165: Virgo] M uirga.

170 Quod autem tabernaculum significaret uirginem patet non solum ex dictis in principio, sed tripliciter etiam ostenditur.

Primo, quia tabernaculum fuit priusquam templum. Sic beata uirgo Maria priusquam Christus secundum quod homo, quia ut Deus fuit eternus, etcetera.

175 Secundo, tabernaculum fuit minus, templum maius, quia uirgo Maria pura creatura, Christus Deus et homo. Sed licet tabernaculum in dignitate fuerit minus, sed omnia que fuerunt in templo prius fuerunt in tabernaculo, ut arca cum illis tribus, scilicet: tabule, uirga et urna manne, etcetera, quia uirgo Maria continendo Christum in utero continebat omnia. Vnde dicit Aristoteles quod: «quidquid continet continens continet et contentum», tertio Physicorum.

180 Tertio, tabernaculum fuit transitorium, sed templum permanens, sic uirgo assumpta in celum. Et nihil ex ea remansit in terra, sed Christus licet fuerit assumptus in celo, sed Matthei uicesimo octauo: *cotidie uobiscum sum usque ad consummationem seculi*. Et sic patet quod uirgo Maria recte fuit figurata per tabernaculum. Quod autem Christus fuerit figuratus per templum licet posset multipliciter demonstrari, sed probatur auctoritate ueritatis. Dicit Iohannis secundo quando iudei dixerunt: *quod signum ostendis, etcetera?* Dicit Christus: *“soluite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud”*. Si scire uolumus de quo templo hoc dicebat, audiamus Iohannem Euangelistam, qui secreta euangelii de ipso sacri pectoris fonte potauit, scilicet: in cena domini. Dicit enim Iohannes: *hoc autem dicebat de templo corporis sui*.

190 Sed ad maiorem euidenciam et declarationem huius: quod Christus fuerit templum significatum et figuratum per templum, patet tripliciter. Primo, ratione artificis. Secundo, ratione artificii, scilicet: ipsius templi. Tertio, ratione temporis edificationis.

Primo, ratione artificis, quia templum fuit edificatum per regem Salomonem, ut patet tertio Regum sexto, etcetera. Sic templum corporis Christi per uerum Salomonem, scilicet: per filium Dei, unde ipse Salomon dicit, Prouerbiorum nono: *sapientia edificauit sibi domum, etcetera*. Hec sapientia diuina est filius Dei.

195 Sed quare templum non fuit factum a Dauid, ex quo ipse posuit ordinem in sacerdotio et ex quo erat opus sanctum et bonum et Dauid desideuit facere, etcetera? Dicendum quod non fuit conueniens quod fieret a Dauid, sed a filio ipsius Dauid. Ratio est quia sicut templum primum figurauit templum uerum, sic primi templi factor debebat figurare artificem templi ueri, scilicet: corporis Christi, sed quia Salomon expressius figurauit Christum quam Dauid, igitur, etcetera. Patet quia messias debuit esse filius Dauid, ut patet in tota sacra scriptura, non immediate a Dauid, sed mediante, unde de messia loquitur Hieremie in capitulo uicesimo tertio et capitulo tricesimo: *suscitabo Dauid germen iustum et regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda et Israhel habitabit confidenter et hoc est nomen quod uocabunt eum “dominus iustus noster”*. Et sic ibi habetur Adonai nomen excellens Dei. Et sic sperabatur filius Dauid in quantum homo et filius Dei, quia Adonai est nomen quattuor litterarum, etcetera. Clarum est quod a Dauid usque ad Hieremiam fluxerunt anni plures quam quadringentos, ut dicit Eusebius, etcetera. Item quia Dauid fuit bellicosus, Salomon uero rex pacificus, et quia in templo erat sanguis consecrandus et a templo uero fundendus propter peccata nostra. Ideo non debuit a Dauid edificari, sed a Salomon, nam Christus dicitur rex pacificus, quia ecclesia heri in nocte

---

181: Mt. 28, 20. | 184-185: Io. 2, 19. | 187: cf. Io. 2, 21. | 192: cf. III Rg. 6, 1. | 193: Prv. 9, 1. | 202-204: Ier. 23, 5-6.

177: cf. Arist. Lat., *Phys.*, III, 6, 207a20, p. 129. | 207: Eusebius] cf. Hier., *Int. Chr. Eus.*, II. PL 27, 367B.

cantauit de Christo: «rex pacificus glorificatus est cuius uultum desiderat omnis terra». Item isto mane angeli cantauerunt: *gloria in altissimis*, etcetera, *et in terra pax*, quia hic duxit pacem inter Deum et homines et inter angelos et homines et in hominibus inter se, etcetera. Ideo dictum fuit ipsi Dauid, primo Paralipomenon uicesimo secundo et in multis locis: *non edificabis mihi domum, quia uir sanguinis es*. Et Dauid non solum fudit sanguinem in preliis iustis, sed propter luxuriam fudit sanguinem Vrie, qui precepto suo fuit interfectus. Dabatur intelligi quod uerum templum erat edificandum sine emissionem sanguinis, quia semen uiri est sanguis imperfectus, et hoc templum fuit «non ex uirili semen, sed mystico spiramine», etcetera. Ideo dicitur tertio Regum sexto quod: *malleus et securis non sunt audita in templi edificatione*, et hoc est quod dicit Danihel secundo capitulo: *lapis scissus de monte sine manibus*, id est, sine uiri operatione. Dicit Nicholaus de Lyra quod extra templum bene fuit operatio manus cum malleo et securi, sed intra fabricationem templi non. Item dicit idem quod aliqui dixerunt quod hoc fuit factum mediante sanguine cuiusdam uermiculi, ut fit in adamante mediante sanguine hircino, etcetera. Quod utrumque potest stare, nam extra templum bene fuit operatio manus uiri, scilicet: in uirgine gloriosa, que fuit ex patre Ioachim et matre Anna. Sed illud quod uenit ad templum fuit ex sanguine sumpto a uirgine per uerbum diuinum, qui dicit in Psalmo uicesimo primo: *ego sum uermis et non homo*, scilicet: ut ceteri ab homine. Et hoc dicit propheta Isaias capitulo decimo sexto: *mitte agnum, domine, dominatorem terre de petra deserti*, id est, de uirgine deserta, id est, ab homine non cognita. Illa petra erat mons productus ex manu hominis, sed lapis ab illo *scissus fuit sine manibus*, ut dixit Danihel, ut supra. Et sic patet ratione artificis quod templum figurauit corpus Christi.

Secundo, hoc patet ratione artificii, scilicet: ipsius templi, nam sicut duo fuerunt status templi, unum factum a Salomone, quod fuit destructum per Nabuchodonosor, secundum edificatum per Zorobabel soluti a captiuitate, sic fuit in corpore Christi. Primum passibile et disruptum in morte. Secundum reedificatum in die resurrectionis gloriosum et impassibile remota captiuitate et liberatis sanctus patribus, etcetera. Item sicut in Christo fuerunt tria, scilicet: «eternum, nouum et antiquum», ut dicit Bernardus libro quinque De consideratione, scilicet: diuinitas, anima et corpus, sic in templo fuerunt tres stantie, scilicet: atrium, sancta et sancta sanctorum.

Sancta sanctorum significabat uerbum. Nam in sancta sanctorum nullus ingrediebatur nisi solus summus sacerdos et semel in anno, scilicet: decima septembris, quando erat ieiunium expiationis. Sic sola diuinitas fuit unita in unitate persone, etcetera.

Secundo, sancta, in quam intrabant sacerdotes, significabat animam pretiosam Christi, nam character sacerdotalis imprimitur in anima.

Tertio, atrium significabat corpus Christi, nam sicut in atrium intrabat omnis populus iustorum et peccatorum, sic ad Christi corpus accesserunt tam iusti quam peccatores. Vnde uirgo Maria illud tractauit et apostoli, ut dicit Iohannes in canonica prima, capitulo primo dicit quod: *uidimus et audiimus et manus nostre contractauerunt*, etcetera. Item peccatores, nam Magdalena osculabatur pedes et Iudas dedit Christo oscula, etcetera. Et sic patet quod templum quo ad edificium figurauit corpus domini.

212: cf. Lc. 2, 14. | 214-215: I Par. 28, 3. | 219-220: III Rg. 6, 7. | 220-221: Dn. 2, 34. | 227: Ps. 21, 7. | 228-229: Is. 16, 1. | 230: Dn. 2, 34. | 248: I Io. 1, 1.

211: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, in matutinis. PL 78, 733C. | 218-219: cf. Ambr., *Hymn.*, IV. PL 16, 1410D. | 221: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 2), III Rg. 6, 7, f. 134v. | 237: cf. MF. Bern. Cl., *De Cons.*, V, 10, 23. PL 182, 801C.



Tertio, quo ad tempus edificationis hoc idem patet, nam sicut *templum edificatum fuit annis quadraginta sex*, ut patet Iohannis secundo, sic templum nostrum, scilicet: corpus. Vnde Apostolus prima Corinthiis tertio dicit: *nescitis quod templum Dei estis*. Et sic primo est semen ut lac in sex diebus; secundo sanguis in nouem; tertio caro in duodecim; quarto membra figurantur in octodecim, et altera die, scilicet: quadraginta sex, animatur. Sed in Christo omnia ista fuerunt in primo instanti, sed creuit usque ad diem quadragesimum sextum, sicut ceteri pueri faciunt.

Si dicis: quare non fuit in primo instanti auctum corpus sicut animatum? Dico quod hoc fuit quia omnia predicta fierent uirtute diuina infinita, que agit in non tempore, perfectiones recepit in instanti, sed augmentum in tempore ut ceteri, quia erat Deus et homo, et: *debut per omnia fratribus asimilari* ut homo, ad Hebreos secundo. Et sic corpus Christi quadraginta sex diebus fuit perfectum, unde Hiezechielis quarto habetur: *annum pro die uel econuerso dedi tibi*. Nam licet corpus Christi fuerit in primo instanti perfectissimum, scilicet: animatum gratia et uirtutibus repletum et uerbo Dei unitum, tamen creuit in quantitate per dies quadraginta sex, perueniens ad mensuram quatitatis perfectam, que erat mensura aliorum puerorum in die animationis eorum. Quia illi «primo uiuebant uita plante, secundo, uita animalis, tertio, uita hominis», ut dicit Philosophus in libro nono De Animalibus. Sed Christus in primo instanti habuit uitam perfectam. Et sic usque ad diem, in quo ceteri pueri recipiebant animam et ipse quantitatem illorum perfectam, fluebant dies quadraginta sex, significantes quadraginta sex annos edificationis templi.

Sed forte dices: corpus Christi creuit usque ad diem natiuitatis eius, igitur, etcetera. Dico quod sicut numerando dies quadraginta sex equabatur cum ceteris pueris, si uolumus numerare usque ad diem natiuitatis eius, fluxerunt quadraginta sex hebdomade, demptis diebus sabbatinis, in quibus non operabatur in templo. Vnde Augustinus dicit libro Octoginta Tribus Questionibus, questione quinquagesima sexta, quod si numeramus dies a conceptione Christi, scilicet: a uiginti quinque martii usque ad diem natiuitatis eius, scilicet: ad diem uiginti quinque decembris, inueniemus dies ducentos septuaginta sex. Si autem diuidantur in sex remota die sabbati, sunt hebdomade quadraginta sex, et sic significat quadraginta sex annos edificationis templi. Et sic patet quod ratione temporis edificare templum figurauit corpus Christi uerum templum.

Ex omnibus istis inferuntur tria notabilia.

Primum quod nunquam aliquis puer fuit ita paruus in uentre matris sicut Christus fuit.

Secundum quod solus Christus inter animatos post animationem prius uigilauit quam dormiret, ceteri pueri econuerso, ut dicit Philosophus in decimo nono De Animalibus. Dat Aristoteles rationem quia: «somnus est medium inter uiuere et non uiuere». Igitur de non uiuere ad uiuere opus transire per medium, scilicet: per somnum, igitur, etcetera. Sed hoc non potuit Christo conuenire propter tria.

Primo, quia ille animatus non solum erat homo sed Deus et homo. Deus uero dormire nescit, ut cantat ecclesia: «gregem tuum, domine, ne deserat pastor bone, qui dormire

---

**251-252:** Io. 2, 20. | **253:** I Cor. 3, 16. | **260-261:** Hbr. 2, 17. | **262-263:** Ez. 4, 6.

**266-267:** cf. Auctor. Arist., *De Animal.*, XIII, 203, 736b35-36, p. 225; cf. Alb. Mag., *De Animal.*, XVI, 1, 12, p. 160a. | **275:** cf. Aug. Hipp., *De LXXXIII Qu.*, LVI. PL 40, 39C. | **285:** cf. Auctor. Arist., *De Animal.*, XVI, 244, 778b27-30, p. 229; cf. Alb. Mag., *De Animal.*, XIX, 2, p. 279b. | **289-290:** cf. Hor. Can., *Hymn.* PL 86, 964B.

**252:** Iohannis] M, X Iohelis. | **253:** Estis] M istis. | **261:** Asimilari] M asimulari.

290 nescis, sed semper uigilas». Igitur si hoc habet locum in puris pueris, non in isto qui est Deus et homo.

Secundo, hoc patet ratione anime beate, nam somnus causatur ex fatigatione anime, ut patet in superflua speculatione uel contemplatione, etcetera. Sed anima Christi erat gloriosa, in gloria non est somnus, igitur, etcetera.

295 Tertio, hoc patet ratione peccati, unde in animatione in ceteris contrahitur peccatum originale. Peccatum uero in sacra scriptura comparatur somno, unde Apostolus ad Romanos decimo tertio dicit: *hora est iam nos de somno*, id est, de peccato, *surgere*, etcetera.

300 Sed forte dices: quid de beata uirgine dicemus? Dico quod ego dicerem quod hoc est Christi priuilegium, quia licet uirgo Maria fuerit animata sine peccato originali, sed non fuit uerbum Dei unitum illi hypostatice sicut Christo, nec fuit anima sua beata in illo instanti, ut in Christo, sed quidquid sit hanc determinationem remitto sapientioribus, quia ut dicit Hieronymus: «melius est dubitare quam temere definire», etcetera.

305 Tertium notabile est quod nullus tandiu fuit in uentre matris sicut Christus, non solum quo ad quadraginta sex dies, in quibus ceteros precessit animatus, sed etiam quo ad aliud tempus, quia intrauit in mensem decimum per sex dies, ut dicit Augustinus. Nam omnes  
310 femine habent determinatum tempus sue parturitionis, preter mulierem, ut dicit Philosophus in libro nono De Animalibus, capitulo primo, sed mulier aliquando parit in mense septimo, aliquando in octauo, aliquando in nono communiter, et aliquando intrat in decimum mensem, sed parum et raro. Christus uero intrauit mensem decimum per sex  
315 dies, nam a uiginti quinque martii, in qua fuit conceptus Christus, usque ad uiginti quinque decembris, in qua fuit natus, sunt ducenti septuaginta sex dies. Dando triginta cuilibet mensi sunt nouem menses et remanent sex dies mensis decimi. Sed ut dicit Macrobius de somno Scipionis, qui nascuntur ante septimum et in octauo mense moriuntur, qui uero in septimo uiuunt, sed sunt imperfecti aut in statura aut in complexione, etcetera; sunt autem  
320 sicut fructus qui colliguntur ab arboribus ante maturationem. Qui uero in nono nascuntur uiuunt et sunt perfecti, sed perfectiores sunt qui in decimum mensem intrant, sicut dicit Rabanus in glosa Macrobi De Somno Scipionis, quia dicit quod: «illi sunt magis uitales et perfectiores et sanatiui esse dicuntur. Et licet aliqui pueri intrent in decimum mensem per diem uel per aliquas horas, Christus perfectior cunctis intrauit in decimum plus ceteris», ut dicit Holcotus in lectione octogesima octaua.

Et sic debuit fieri tripliciter.

325 Primo, ratione perfectionis et nouitatis rei, nam maior nouitas in mundo fuit quod filius Dei incarnaretur. Et sic dicit Hieremie tricesimo primo capitulo: *creauit dominus nouum super terram, femina circumdabit uirum*. Circumdare est circulariter amplecti et circulum facere, non solum in se continere, quia hoc non esset nouum in terra. Virgo enim Maria circumdauit uirum non solum quo ad naturam, sed etiam quo ad tempus.

Quo ad naturam circumdauit quia circuire est «punctum primum ad punctum ducere», ita quod iungantur; et tunc fit circulus, alter non. Sola igitur uirgo hoc fecit, nam primus punctus in creatione mundi et ultimus est homo, qui factus fuit ultimo inter omnia, scilicet:

297: Rm. 13, 11. | 323-324: Ier. 31, 22.

302: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 2. PL 30, 124A. | 305: cf. Aug. Hipp., *De LXXXIII Qu.*, LVI. PL 40, 39BC. | 307: cf. Alb. Mag., *De Animal.*, IX, 1, 4, p. 507b. | 312: cf. Macr., *Comm. In Som. Sci.*, I, 6, 14, p. 20. | 317-319: cf. Hrab. Mau., *Comm. In Sap.*, II, 2. PL 109, 697B; cf. Rob. Holc., *In lib. Sap.*, VII, 89, 2, p. 302. | 327: cf. Alb. Mag., *Post. Anal.*, I, 2, 9, p. 40b.

330 feria sexta. Et sic uirgo benedicta iunxit primum cum ultimo quando in utero habuit Deum  
et hominem simul. Cetera uero femine solum hominem habuerunt, et ideo habetur  
Prouerbiorum ultimo: *mulierem fortem quis inueniet? Procul et de ultimis finibus pretium eius.*  
Loquitur de uirgine, que fortissima inter feminas fuit, nam pretiositas eius fuit, quia iunxit  
ultimum finem cum primo, scilicet: Deum cum homine. Exemplum: illa persona diceretur  
335 fortissima, que iungeret cuspidem ensis cum pomo faciendo circulum perfectum.

Secundo, circumdauit uirum perfectum quo ad tempus, quia sunt quinque numeri in  
perfectione hominis geniti, scilicet: «sex in lacte, nouem in sanguine, duodecim in carne,  
octodecim in figura membrorum, die altera est perfectus et sic sunt quadraginta sex».  
340 Accepto igitur primo numero, scilicet: senario, et ducto et multiplicato per ultimum,  
scilicet: per quadraginta sex, fit numerus ducentos septuaginta sex, et sic est circulus. Si  
unitas defuisset, non circumdaretur numerus, igitur, etcetera. Patet igitur quod sex diebus  
oportuit intrare in mensem decimum propter perfectionem et nouitatem.

Secundo, patet hoc ex parte matris et filii, nam filius fuit excellentior cunctis filiis et  
mater excellentior matribus, quia dicit Bernardus: «non decuit Deum aliam matrem habere  
345 quam uirginem nec uirginem alium filium habere quam Deum, quia nec maior inter filios  
nec maior inter matres». Igitur uirgo non esset excellentior mater, si non daret quidquid  
naturaliter potuit dare filio et omni tempore quo potuit. Igitur filius natus in mense septimo  
est imperfectior, quia tempore perfecto non remansit in matre, sicut fructus qui ante  
tempus colligitur ab arbore, etcetera. Igitur debuit usque ad decimum mensem illum in  
350 utero retinere et intrare in illum mensem non solum per aliquas horas, sed per sex dies.  
Item hoc idem dicitur de filio, quia cum esset excellentior cunctis, debuit dare matri  
quidquid ipsa posset recipere cum esset Deus, sicut dedit lac miraculose, etcetera. Vnde  
cantat ecclesia: «ubere de celo pleno», etcetera. Et licet posset illi dare in instanti, ut in  
primo instanti dedit gratiam, sed debuit dare in tempore augmentum gratiarum, ut dicit  
355 Bernardus in sermone De Nuptiis dicens: «quid mirum si pietatem exhibent uiscera pietatis,  
nonne qui pomum in manu sua tenuerit media die reliqua diei parte pomi seruabit odore?»,  
etcetera. Igitur si per totam diem tenuisset, maiorem seruaret odorem. Igitur filius in utero  
uoluit esse per quantum tempus potuit, ut matri maiorem gratie augmentum daret, dedit in  
primo instanti ut se ostenderet Deum, dedit in tempore ut se ostenderet hominem. Et  
360 etiam ratione matris recipientis, quia: «quidquid recipitur ad modum rei recipientis  
recipitur», etcetera.

Tertio, intrauit numerum senarium decem mensis propter perfectionem numeri senarii,  
nam ut dicit sanctus Thomas in secundo, distinctione decima quinta, questione tertia,  
primo ad primum; et in quarto, distinctione quadragesima nona, questione quinta, secundo,  
365 questione tertia contestatione; et in prima, questione septuagesima quarta, primo capitulo,  
dicit quod senarius numerus dicitur perfectus et congruit perfectioni uniuersi et operum  
Dei in sex diebus, quia consurgit ex omnibus suis partibus aliquotis, scilicet: ex uno, duo et  
tres. Et cum sint tres partes aliquote et «numerus ternarius sit perfectus», ut dicit  
Philosophus in primo Celi et Mundi, quod consurgit ex perfecto est perfectissimus, igitur,  
370 etcetera. Et ideo Deus elegit hunc numerum, quia in sexto miliario a principio mundi uenit

---

332: Prv. 31, 10.

337-338: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 3, q. 5, a. 2, p. 238. | 344-346: Bernardus] *Auctor err.*, cf. Petr. Ble., *Serm.*, LXIV. PL 207, 748B. | 353: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In tertio nocturno. PL 78, 735A. | 355-356: Bern. Cl., *Domi. Pri. Post Oct. Epi.*, I, 2. PL 183, 155C. | 360-361: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 75, a. 5, p. 509. | 363: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 15, q. 3, a. 1, p. 738; (vol. 10), lib. 4, dist. 49, q. 5, a. 2, p. 846; *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 74, a. 1, p. 497. | 368: cf. Auctor. Arist., *De Cael. Et Mun.*, I, 2 (268a9-24), p. 160; cf. Th. Aq., *Comm. De Cael. Et Mun.*, I, 2, 4, p. 7; *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 70, a. 2, p. 448.

ad nos. Item in sexta etate. Item in sexta feria uoluit concipi. Item in quadraginta sex hebdomadibus de sex diebus uoluit esse in uentre matris. Item in feria sexta uoluit mori, etcetera. Est etiam notandum quod aliquando quiescimus propter laborem habituum, aliquando propter hoc quod melius laboremus. Sic Deus laborauit in creatione mundi per  
 375 sex dies et septima die requieuit, sic etiam in recreatione quieuit sex diebus decimi mensis, ut exiret in mundum ad laborem in redimendo. Et sic hodie exiundo in mundo plorauit, ut habetur Sapientie septimo, dicit Salomon in persona Christi: *primam uocem emisi similem omnibus plorans*, etcetera, unde ecclesia cantat: «uagit infans inter arta positus presepia», etcetera. Ideo uulgariter dicitur a nutricibus quod si natus est puer plorat dicendo: “a, a, a”,  
 380 quasi conqueritur de Adam. Vnde Hieremias dixit in primo capitulo: *a, a, a, domine, puer ego sum et nescio loqui*, etcetera. Si uero est femina plorat dicendo: “e, e, e”, conquerendo de Eua. Ideo dicit Augustinus: «puer qui nascitur incipit a ploratu, nondum loquitur et iam prophetat», etcetera. Ideo dicunt doctores quod Christus quater fleuit, scilicet:

385 primo, in introitu in mundum, ut diximus. Vnde Augustinus dicit: «puer qui nascitur incipit a ploratu, nondum loquitur et iam prophetat», etcetera.

Secundo, fleuit exiens de mundo, ut cum erat in cruce, unde Apostolus dicit ad Hebreos quinto de Christo: *cum clamore ualido et lachrymis offerens*, etcetera.

Tertio, plorauit in Lazari suscitatione, ut habetur Iohannis undecimo capitulo.

390 Quarto, super ciuitatem Hierusalem, ut habetur Luce decimo nono, quia si propter perditionem unius debemus flere, multo magis pro multitudine. Et sic:

primo, fleuit Christus pro peccato originali intrando hodie in mundum, quia uidebat quod passio sua erat sufficiens ad redimendum, non solum omnes existentes in hoc mundo, sed etiam pro multis, ut dicit Iohannes in canonica sua secunda, capitulo secundo. Et uidebat multos frustrari, ut iudei erant et agareni et omnes infideles.

395 Secundo, fleuit in cruce propter illos qui in presentia sua nolunt flere pro peccatis propriis. Qui sine peccato erat flebat pro nostris dando nobis exemplum flendi, etcetera.

Tertio, fleuit Lazarum quatruiduanum et fetidum pro inueteratis in peccatis fetidis et nolentibus facere penitentiam usque ad decrepitem, etcetera.

Quarto, fleuit super multitudinem in ciuitate metropolitana Hierusalem.

400 Primo, propter desolationem tante ciuitatis propter diuisionem in ea, quia ciuitas est ciuium unitas et iam erat diuisa. Ideo dixit discipulis: *ite in castellum*. Erat enim sic diuisa quod in spatio quinque dierum aliqui clamabant dicens: *benedictus qui uenit*, alii dicebant: *crucifige*, etcetera.

405 Secundo, uidebat quod uerum Deum recipere nolebant, immo propter hoc ipsum crucifigere uolebant dicentes: *quia filium Dei se fecit*, et alienum Deum recipiebant in dominum dicentes: *non habemus regem nisi Cesarem*, etcetera.

---

377-378: Sap. 7, 3. | 380-381: Ier. 1, 6. | 387: Hbr. 5, 7. | 388: cf. Io. 11, 35. | 389: cf. Lc. 19, 41. | 393: cf. II Io. 1, 7. | 401: cf. Mt. 21, 2. | 402: cf. Mt. 21, 9. | 403: cf. Io. 19, 6. | 405: cf. Io. 19, 7. | 406: cf. Io. 18, 15.

378: cf. Ven. For., *Misc.*, II, 2. *PL* 88, 88B. | 382-385: Aug. Hipp., *Serm.*, CLXVII, 1. *PL* 38, 909D-910A.

377: Salomon] M, X Philosophus.

410 Tertio, uidebat in illa nullam esse iustitiam, immo iniquitatem et inequitatem. Fauebant malis et oprimebant bonos, unde clamabant liberare Barrabam sediciosum et homicidam, et petebant quod Christus, qui sine peccato erat, crucifigeretur. Propter omnia ista uidebat mala uentura in ciuitate illa, ideo Christus flens dicebat: *si cognouisses, et tu fleres*, Luce decimo nono. Sed omnia ista hodie uidemus in hac ciuitate Cesaragustana, que metropolis est, et debebant exemplum dare aliis ciuibus circumuicinis.

Primo, in hac est discordia inter ciues, ideo dicebat Dauid in Psalmo quinquagesimo quarto: *uidi iniquitatem et contradictionem in ciuitatem*.

415 Secundo, est causa flendi dum legimus quod una die omnes ciues et totus populus fudit sanguinem pro nomine Christi Iesu et hodie adoratur demon in ea et Christus expuitur. Item non solum uane iuratur, sed renegatur dicendo: “pigeat”, etcetera. Item nullum festum colitur et de omnibus his nulla fit iustitia nec puniuntur. Ideo dicebat Dauid: *labor in medio eius et iniustitia*. Item in hac tota negotiatio est falsa et cum peccato. Ideo dicebat Dauid: *et non defecit de plateis eius usura et dolus*. Iam usura pro nihilo habetur, sed est in contractibus usura et dolus, scilicet: contractus fraudulentum et impaliati, ut non puniantur nec possint apprehendi nec uideri. Et ideo Christus, ut nouus rex, hodie ponit nouos officiales et iudices, ut ciuitates suas gubernent et regant et debent tria principaliter facere, ut hodie fecerunt pastores adorantes.

425 Primo, laborare ut nomen domini glorificetur et pax inter ciues procuretur. Ideo angeli hodie dixerunt: *gloria in altissimis Deo et in terra pax*, etcetera.

Secundo, debent procurare totis uiribus ut ciuitas sit in necessariis opulentissima.

430 Tertio, ut mali castigentur et puniantur, et sic consideret “çalmentina” quod ante non portabat lignum in manu. Item considerent iurati quod ante non erant sic induti, sed pro isto anno sunt conducti ut pro uestibus laborent isto pretio, ut seruus laborat pro uestibus, etcetera. Debent attendere quod illa uestis est iubea significans charitatem Dei et proximi, quia in isto tota lex consistit. Item debent considerare quod uestis illa non habet manicas, quia non debent aliquid accipere pro sobornatione, sed considerent meritum pro labore.

435 Sed forte dicent seculares quod omnia ista pertinent ad ecclesiasticos, scilicet: quod non adorent Deum alienum, quod non blasphement, quod festa seruentur, quod usura non exerceatur, etcetera. Dico quod uerum est quod principaliter hec pertinet ad ecclesiam, sed ex consequenti ad seculares. Nam quod non adorent Deum alienum pertinet ad inquisitores, sed debent faueri per principes et uarones et ciues ciuitatis, etcetera.

440 Item quod nomen domini non blasphemetur est mixtum crimen, debet enim per omnes puniri.

Item quod festa colantur similiter, sed a nullo punitur hoc.

445 Item quod usurarii non puniantur, laborant omnes contra Christum et legem suam, et sic quilibet iudex debet exponere uitam pro iustitiam aut officium non acceptare, unde Christus tempore sue passionis dixit apostolis suis, Luce uicesimo secundo: *qui non habet gladium uendat tunicam suam et emat gladium*. Per tunicam notatur caro, per gladium iustitia.

---

410: Lc. 19, 42. | 414: Ps. 54, 10. | 418-419: cf. Ps. 54, 11-12. | 419-420: Ps. 54, 12. | 426: Lc. 2, 14. | 444-445: Lc. 22, 36.

444: Apostolis] M apastolis.

Vnde: *non sine causa gladium portat*, ad Romanos decimo tertio. Sed uoluit significare Christus quod uita est danda pro iustitia, unde Matthei decimo: *qui perdidit animam suam propter me inueniet eam*, etcetera. Ideo dixit Christus: *qui non habet uendat tunicam*, id est, det uitam, *et emat gladium*, id est, exerceat iustitiam. Tunc respondet Petrus dicens: *ecce duo gladii hic*. Respondit Christus: *satis est*, id est, sufficiunt. Quia unus est ecclesie quem Petrus exemit, Matthei uicesimo sexto, alius est secularium, quem Petrus seculo comisit. Et isti duo gladii sufficiunt si iungantur ferro charitatis, ut in forcipe fit, unde Apostolus dicit: *quis nos separabit a charitate Christi?* Nec pena nec mors, etcetera, ad Romanos octauo. Quia charitas est uinculum ligans duo. Ideo Apostolus ad Colossenses: *charitas est uinculum perfectionis*, etcetera.

Debent isti ecclesiastici et seculares istos duos gladios iunctim ducere et mediante charitate crimina resecare. Et sic faciendo omnes hic habebunt gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

446: Rm. 13, 4. | 447-448: Mt. 10, 39. | 448-450: cf. Lc. 22, 36-38. | 450-451: cf. Mt. 26, 51. | 452-453: Rm. 8, 35. | 454: Col. 3, 14.

SERMO CENTESIMVS QVADRAGESIMVS IN FERIA SECVNDA NATIVITATIS DOMINI NOSTRI  
IESV CHRISTI

<THEMA> *Aue gratia plena*, Luce primo.

5 Sex sunt necessario requisita ad impetrandam aliquam gratiam, scilicet: tria ex parte dantis uel impetrantis et tria ex parte petentis. Ex parte dantis sunt potestas, uoluntas et facultas. Si aliquod istorum defuerit, non potest gratia impetrari, quod patet sic: si aliquis haberet facultatem dandi et non uoluntatem, non dabit, nam requiritur electio. Si etiam habuerit uoluntatem et non facultatem, nec etiam dabit, et sic dixit Philosophus quod: «impossibile est indigentem bene operari». Si ista duo habuerit et non potestatem dandi, sicut est in mulieribus diutum, que licet habeant uoluntatem et facultatem, non possunt dare sine licentia mariti, ex quo enim habent licentiam dandi, tunc habent omnia illa tria. Ex parte petentis requiruntur alia tria, scilicet: primum est esse acceptum illi qui debet concedere gratiam. Nam si est inimicus, non impetrabit illam, unde Gregorius et habetur tertia questione, septimo capitulo “In grauibus”, etcetera: «si his qui displicet ad intercedendum mittitur irati animus ad deteriora prouocatur».

20 Si forte dicas: si solus dignus et acceptus debet impetrare gratiam et dignus et acceptus fit aliquis mediante gratia, igitur ante gratiam iam illam habebit, et si ante non habebit, nunquam illam recipiet, quia erat indignus et danti inimicus. Dicendum quod ut dicit sanctus Thomas in secundo, distinctione uicesima septima, quarto: «Deus dat gratiam indignis negatiue, non autem dispositiue, id est, resistentibus gratie per contrariam dispositionem peccati». Et propter defectum huius perseuerantes in peccato non recipiunt gratiam.

25 Secundum quod requiritur ex parte petentis est se recognoscere indigentem et sic humiliari ante pedes dantis. Nam: *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam*, prima Petri quinto capitulo, et propter defectum huius demones nunquam habebunt gratiam.

30 Tertium ex parte petentis requiritur obseruare tempus oportunum in petendo, et sic fecit Herodias dum in conuiuio regis petiit caput Iohannis Baptiste. Et sic multi petunt post magnam uenationem regum, quia tunc rex est letus et sic libenter concedit gratiam et etiam multi astute accumulunt gaudium alterius diei magne uenationis dicendo: “recordatur uestra dominatio de tali die, quando auis uidebatur esse in celo et dimisso falcone in momento uenit ad terram?”. Et sic seruat tempus. Et propter hoc exeuntes in inferno nunquam habebunt gratiam, quia in hoc mundo illam impetrare debebant, unde Psalmi quadragesimo primo: *in die mandauit dominus misericordiam suam et nocte canticum eius in die presentis uite*, nam in nocte canticum, scilicet: tube, expectat, unde dicit: «surgite mortui ad iudicium». Nos igitur, si gratiam uolumus impetrare, debemus ista sex obseruare. Primo, recurrere ad illam personam, in qua sint illa tria dicta. Et licet aliquialiter sint in omnibus sanctis paradisi, tamen singulariter sunt in uirgine Maria.

Primo, in illa est potentia maxima dandi uel impetrandi, quia regina totius mundi, unde Bernardus in sermone Assumptionis Virginis dicit: «data est tibi, o uirgo beata, potestas in

---

3: Lc. 1, 28. | 24: I Pt. 5, 5. | 33: Ps. 41, 9.

9: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, I, 9, 99a32, p. 154. | 14-15: cf. MF. Gre. Mag., *Reg. Past.*, I, 10. PL 77, 23C; cf. Gra., *Decr.*, II, 3, 7, 5. PL 187, 694A. | 19-21: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 4), lib. 2, dist. 27, q. 1, a. 4, p. 348. | 34: cf. MF. Hier., *Lib. Con. Vig.*, XII. PL 23, 349B. | 39-41: Bernardus] NI. cf. Petr. Dam., *Serm.*, XLIV. PL 144, 740B; cf. Pseu. Ans. Luc., *Med. Sup. Sal. Reg.*, VII. PL 149, 589A.

13: Gregorius] M Gregorius. | 20: Negatiue] M, X negatine.

40 celo et in terra, ut quodcumque uolueris, ualeas impetrare. Tu es enim mater Dei et hominis, mater regis et exulis, mater rei et iudicis».

Secundo, illa habet maiorem facultatem, quia singulariter plena gratia, unde Bernardus: «legimus Stephanum plenum gratia et apostolos spiritus sanctus repletos, sed longe  
45 dissimiliter a Maria, quia neque in illo habitauit gratie plenitudo, nec illi conceperunt de spiritu sancto».

Tertio, illa habet maiorem uoluntatem danti. Primo, ex complexione singulariter inclinata ad misericordiam. Secundo, ex maxima uirtute misericordie. Tertio, eo quia in uisceribus suis portauit ueram misericordiam mundi, scilicet: filium Dei. Ideo Bernardus: «quid mirum si pietatem exhibent uiscera pietatis», etcetera. Exemplum: «nam si quis  
50 pomum per diei partem in manu portauerit, reliqua parte diei pomi seruabit odorem», etcetera. De istis tribus loquitur Bernardus dicens: «non deficit ei potestas, quia mater est omnipotentis, nec facultas, quia mater est gratie, nec uoluntas, quia mater est misericordie». Item ex parte nostri debemus peccatum dimittere saltem proposito: *quia peccatores Deus non audit*, Iohannis nono. Sed licet simus nos inimici, tamen mittimus personam magis Deo  
55 acceptam, scilicet: matrem suam. Et licet Deus abhorreat peccatores, illa tamen non potest.

Primo, quia scit quod fuisse de numero peccatorum sine gratia Dei omnipotentis.

Secundo, quia est mater omnium peccatorum et ad hoc electa: ut pro illis impetraret, unde Isaie quadragesimo nono: *numquid obliuisci potest mulier infantem suum?* Sic nec uirgo filios suos peccatores.

60 Tertio, quia scit quod fuit mater Dei effecta propter peccatores. Et sic laborat, ut fiant boni et uirtuosi, sicut si quis habeat amicitiam cuiusdam mali, propter quem habuit totum bonum suum, diceret: “non possum obliuisci illum, quia maximum bonum habui propter istum”, etcetera. Sic uirgo Maria propter peccatores fuit mater Dei.

Secundo, debemus nos humiliare ante ipsam.

65 Tertio, recitare gaudium maximum, quod est natiuitatis filii. Nam si mulier que parit cum dolore, dum peperit filium est maxime gaudiens, unde Iohannis decimo sexto: *mulier cum parit tristitiam habet, quia uenit hora eius, cum autem peperit puerum iam non meminit pressure propter gaudium, quia natus est homo*. Igitur illa mater que parit cum dolore, ex quo uidet se peperisse filium, immediate est gauisa, quanto magis illa que peperit non solum sine dolore,  
70 sed cum maximo gaudio, et peperit filium maiorem qui esset in mundo, scilicet: filium Dei, et totaliter suum. Si etiam huic gaudio natiuitatis accumulamus gaudium conceptionis, quod fuit primum omnium et causa aliorum, nam non pareret si ante non conciperet, et sic si recitamus illum gaudium quando ipsa misit consensum suum tamquam falconem et traxit filium Dei a celo ad terram, non dubitamus habere gratiam.

75 Si autem dicis: quando fuit illud? Dico quod fuit quando Gabriel angelus dixit ei: *auē gratia plena*, etcetera.

<THEMA> *Aue gratia plena*, ubi supra.

---

53-54: Io. 9, 31. | 58: Is. 49, 15. | 66-68: Io. 16, 21. | 75-77: cf. Lc. 1, 28.

43-45: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 2. PL 183, 72A. | 49-50: Bern. Cl., *Domi. Pri. Post Oct. Epi.*, I, 2. PL 183, 155C. | 51-52: cf. Bern. Cl., *In Ass. B.M.V.*, I, 2. PL 183, 415D.



Licet in presenti sermone esset predicandum secundum festiuitatem occurrentem de beato Stephano prothomartyre, sed tria mouent me ad predicandum de beata uirgine Maria.

80 Primum est quia ad hanc deuotissimam ecclesiam beate uirginis nunquam quis debet uenire, nisi de ipsa uirgine habeat sermonem.

Secundo, licet in aliis ecclesiis de prothomartyre predicetur, sed quia nos ad hanc uirginem uisitandam uenimus, igitur ad ipsam debemus sermonem dirigere.

85 Tertio, quia postquam alii predicatorum de gaudio nati predicarunt in die pasche, nunc nos predicabimus hodie de gaudio parientis. Et sic in duas partes sermo diuiditur. In prima de uisitacione pastorum ad uirginem et de presentatione munerum. Secundo, de nostra uisitacione et presentatione ad ipsam. Igitur in prima duo uidebimus. Primum qualiter pastores uirginem salutarunt. Secundum quid ei obtulerunt. Nam consuetudo omnium est dare aliquid parentibus post partum. Isti autem pastores fuerunt tres, ut communiter  
90 tenetur.

Quod sit rationabile quod fuissent tres patet,

primo, quia isti fuerunt testes partus uirginis et Christi nati, sed cum *Dei perfecta sint opera*, etiam probatio diuina debet esse perfecta. Sed cum probatio trium testium sit perfectior, unde Deuteronomii decimo septimo: *in ore duorum uel trium testium stat omne uerbum*, igitur  
95 ideo dicit Iohannes, prima Iohannis quinto capitulo: *tres sunt qui testimonium dant in celo: pater, uerbum et spiritus sanctus*, etcetera. Igitur cum probatio ista sit a Deo, sequitur quod esset saltim a tribus pastoribus.

Secundo, patet quia illa prouincia Syrie, in qua Christus conuersatus erat, diuidebatur in tres, scilicet: in Iudeam, Galileam et Samariam. Et sic Christus illis tribus nominibus fuit  
100 nominatus.

Primo, dictus “iudeus”, Iohannis quarto, a samaritana: *tu iudeus cum sis, petis*, etcetera.

Secundo, dictus “galileus”, quia Nazareth fuit de Galilea, unde Luce primo: *missus est angelus Gabriel a Deo in ciuitate Galilee, cui nomen Nazareth*. Et sic Luce uicesimo tertio dixit: *Pilatus cum autem uidisset quod galileus esset, misit illum ad Herodem*, dicit euangelista.

105 Tertio, fuit dictus “samaritanus”, Iohannis octauo: *tu samaritanus es et demonium habes*, etcetera. Ideo dicitur Luce decimo septimo quod: *transibat Christus per mediam Samariam, dum iret de Iudea in Galilea*. Et sic cum essent tres prouincie ille, fuerunt tres pastores, unus pro qualibet prouincia.

110 Tertio, fuerunt tres, quia sicut testes populi gentilium fuerunt tres reges pro Asia, Africa et Europa, sic testes iudeorum tres pro tribus prouinciis. Quod autem fuerunt tres pastores patet per Bedam in homilia diei natalis. Dicit enim quod «circa locum gregis est ecclesia cum tribus sepulturis pastorum», igitur, etcetera. Item nota quod isti pastores erant inter Hierusalem et Bethleem per miliare, ut dicit Beda, et dicebatur “turre gregis”, ubi Iacob rediens de Mesopotamia moratus est cum grege suo, ubi Rahel mortua est et sepulta. Ideo

---

92: cf. Dt. 32, 4. | 94: Dt. 17, 6. | 95-96: I Io. 5, 7-8. | 101: Io. 4, 9. | 102-103: Lc. 1, 26. | 104: cf. Lc. 23, 6-7. | 105: Io. 8, 48. | 106-107: cf. Lc. 17, 11.

111-112: cf. Bed., *Hom.*, VI. PL 94, 37D-38A; cf. *Exp. In Ev. Lc.*, I, 2. PL 92, 332AB.

78: Licet] M Licet. | 103: Vicesimo tertio] M, X uicesimo secundo.

115 appellatur “turris gregis”, Genesis tricesimo quinto et Michee quarto. Et sic salutatio istorum  
ad uirginem fuerunt tres “aue”, nam triplex erat “ue” in mundo, ut dicit Iohannes,  
Apocalypsis octauo: *ue, ue, ue, habitantibus in terra*. Sed pastores dixerunt ter “aue”, nam  
“aue” dicitur ab “A”, quod est sine et “ue”, quia uirgo Maria fuit sine triplici “ue”, scilicet:  
120 sine “ue” originali, sine “ue” actuali et sine “ue” penali. Nam uirgo Maria non habitauit in  
terra, sed in celo, ubi Christus.

Primus igitur pastor dixit “aue”, id est, sine “ue” originalis culpe. Quod autem uirgo  
Maria fuerit sine tali “ue” patet tripliciter, scilicet: ratione, exemplo et auctoritate.

Primo, ratione sic: maiora et mirabilia facta fuerunt in recreatione quam in creatione,  
nam in creatione ipse dixit: *et facta sunt omnia*, mandauit et creata sunt uniuersa, sed in  
125 recreatione filius Dei fuit incarnatus et passus. Igitur si in creatione prima mater fuit in  
gratia creata, in recreatione, in qua plura mirabilia fuerunt facta, secunda mater necesse est  
quod fuerit in gratia creata. Alias, maioris perfectionis esset prima mater quam secunda.

Secundo, hoc patet exemplo: si aliquis uellet aliquid mundare, non solum ipse  
mundaretur in manibus, sed etiam quereret aquam mundissimam. Nam si illa aqua esset  
130 maculata colore illius macule mundante, nunquam ea mediante altera macula mundaretur.  
Igitur si Christus uenit principaliter ad mundandum peccatum originale, sequitur quod non  
solum ipse deberet esse sine illo, sed etiam illa qua mediante erat mundandum. Sed hec fuit  
uirgo Maria, unde Ambrosius super Lucam: «redempturus si quidem Deus mundum  
operationem inchoauit a Maria, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem primo  
135 fructum salutis hauriret ex pignore».

Tertio, hoc patet auctoritate, unde Augustinus in sermone Natiuitatis, qui est  
quadragésimo tertio, dicit: «sicut in celo habuit patrem immortalem et incorruptibilem, sic  
in terra habuit matrem omni corruptione carentem». Igitur Christus sicut est similis patri in  
quantum Deus, sic est similis matri in quantum homo et econuerso, sed ipse est sine tali  
140 peccato, igitur et mater sua gloriosa. Item maior laus uirginis est esse preseruata a peccato  
originali quam esse mundata ab eo, sed illud quod est maioris laudis est uirgini  
atribuendum igitur, unde ecclesia dicit: «felix namque est sacra uirgo Maria et omni laude  
dignissima, quia ex te ortus est sol iustitiae Christus Deus noster». Dat autem causam huius,  
quia gratia plena, scilicet: gratia sanctificationis, que fuit maior in uirgine Maria quam in  
145 aliquo alio sanctificato. Vnde Bernardus ad canonicos Lugdunenses: «puto quod copiosior  
sanctificationis gratia in eam descenderit», etcetera. Sed de Iohanne Baptista et Hieremia  
dicitur: *priusquam te formarem in utero noui te et antequam exires de uulua sanctificaui te*, etcetera.  
Igitur uirgo Maria maiorem gratiam habuit, sed cum illa gratia fuerit singularis, clarum est  
quod non solum fuerit quo ad maiorem gratiam, sed quo ad tempus dandi eam. Et quod  
150 hoc sit patet per Augustinum, De Natura et Gratia, dicens: «illa enim uirgo singulari  
preuenta est gratia atque repleta, ut ipsum haberet uentris sui fructum, quem ex initio  
habuit uniuersitas dominum».

Et si dicis: prius quis debet esse quam gratiam recipere, quia creatura rationalis, que est  
subiectum culpe et gratie, prius debet esse quam illud recipere. Dico quod gratia priuilegii  
155 prius potest dari quam esse alicui. Vnde priuilegium datur aliquando antequam quis sit  
natus et sicut rex potest dicere: “licet illa sit empticia uel ancilla, uolo quod illud quod

115: cf. Gn. 35, 21; Mi. 4, 8. | 117: Apc. 8, 13. | 124: cf. Gn. 1, 3-14. | 147: cf. Ier. 1, 5.

133-135: cf. MF. Ambr., *Exp. Ev. Sec. Lc.*, II, 17. PL 15, 1559C. | 137-138: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm. Ad Fr. In Er.*, XX. PL 40, 1267D. | 142-143: cf. Ans., *Orat.*, LX. PL 158, 965A. | 145-146: Bern. Cl., *Ep.*, CLXXIV, 5. PL 182, 334C. | 150-152: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Lib. De Fid. Ad Pt.*, II, 17. PL 40, 758D.

160 primo concepit sit a tali lege seruatum”, sic in proposito. Omnes eramus serui per peccatum primi parentis, sed Deus dixit quod a tali lege primum conceptum ab Anna esset immune. Et sic uirgo Maria fuit seruata, licet alie due filie sue et sorores uirginis Marie non fuerint. Sed gratia habitualis potest dari cum creatione, nam de angelis dicit Augustinus duodecimo De Ciuitate Dei: «simul erat condens naturam et largiens gratiam». Similiter de Eua habetur, in qua nullum fuit tempus quod non haberet gratiam, sic a fortiori in uirgine Maria.

165 Et quando dicitur: prius est esse quam sanctificari uel preseruari. Dicendum quod illa prioritas non est temporis, sed nature. Exemplum de primo filio regis, qui prius est homo quam princeps prioritate nature, sed non prioritate temporis, sed mox.

170 Secundus pastor salutatur dicendo “aue”, id est, sine “ue” actualis peccati. Quod autem uirgo Maria nullum habuerit peccatum actuale patet ex parte filii, quia peccatum redundaret in prolem; non fuit conueniens quod filius Dei haberet matrem peccatricem. Item nec ex parte nostri, ut pro omnibus peccatis posset intercedere, nec ex parte sui, quia nullam inclinationem ad peccatum habebat, quia fomes est proueniens a peccato originali, et tale (ut diximus) in ea non fuit. Item dicit “gratia plena”, quia hoc fuit a plenitudine gratie, unde Bernardus dicit, ubi supra, quod: «illa gratia sanctificationis non solum ortum, sed et deinceps totam uitam sanctificauerit», scilicet: ab actuali. Item Augustinus De natura et gratia: «cum de peccatis agitur, nullam prorsus habere uolo questionem de uirgine Maria. Inde enim scimus quod ei plus gratie est collatum ad uincendum ex omni parte peccatum (tres enim sunt partes peccati, scilicet: originalis, uenialis et mortalis) quod concipere aut parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum?».

180 Tertius pastor salutatur dicendo “aue”, id est, sine “ue” penalitatum, nam sola uirgo Maria fuit preseruata a penalitatibus datis Eue, Genesis tertio, ut dicit Augustinus in sermone Assumptionis, sicut sine libidine concepit, sic fuit grauida sine corruptione uel grauedine et puerpera sine dolore, etcetera. Vnde Bernardus: «Maria fuit sine grauedine grauida, sine dolore puerpera», etcetera. Hoc autem fuit quia gratia plena, unde gratia anime redundabat in corpus, et sic «radii exhibant a facie uirginis». Illud corpus Christi quod portabat habuit grauitatem, sed dabat illi tributum sustentandi et sic non sentiebat pondus. Exemplum fortissimi uiri, dum uult sallere, sumit secum lapides graues, et sic illi disponunt ad melius sallendum. Sic in proposito.

190 Postquam pastores salutauerunt uirginem Mariam uoluerunt ei offerre aliquid, nam dum angelus dixit illis: *natus est hodie uobis saluator*, et illi dixerunt: *transeamus usque Bethleem*, etcetera, et sic inter se dixerunt: “bonum erit portare aliquid de grege nostro puerpere”. Et sic pastor principalis dedit capucium iuniori pastori et accepit agnum de grege. Alter uero pastor similiter comisit cappam iuniori et accepit panem subcinericium in peram suam uel sacculum suum. Et sic iunior portabat uestimenta et quilibet cum uirga pastoralis in manu uenit in Bethleem. Et facta adoratione (ut diximus) principalis pastor comisit uirgam alteri iuniori et accepit agnum in manibus et ad pedes uirginis positus dixit: “o uirgo Maria, sicut accepisti tuis meritis impares salutationes, sic accipe hoc munusculum, quod fuit figura tui sacratissimi filii. Nunc uirgo Maria sunt iuncta ueritas et figura. Hic agnus est primum

---

180: cf. Gn. 3, 16. | 189: cf. Lc. 2, 11; 2, 15.

161: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XII, 9, 2. PL 41, 357A. | 173-174: cf. Bern. Cl., *Ep.*, CLXXIV, 5. PL 182, 334C. | 175-178: Aug. Hipp., *De Nat. Et Gra.*, XXXVI, 42. PL 44, 267B. | 180-181: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CXCV, 2. PL 39, 2105B. | 182-183: Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, 7. PL 183, 433B. | 184: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 16, q. 2, a. 2, p. 862; *Sup. Mt.*, I, 6, p. 23.

173: Et] M est.

sacrificium quod Deo placuit in Abel, Genesis quarto. Hic est agnus qui sacrificatus fuit  
 200 loco Isaac, Genesis uicesimo secundo, nam non debet mori filius Abraham, qui pater  
 multarum gentium, sed agnus pro eo, quia filius Dei non morietur, sed filius uirginis, quia  
 in quantum homo patietur et morietur. Et si Genesis uicesimo secundo dicitur “aries” et  
 non “agnus”, causa est quia non patietur in tenera etate, sed etate perfecta triginta trium  
 annorum. Vnde: *non coques bedum in lacte matris*, etcetera. Hic est agnus paschalis, Exodi  
 205 duodecimo, qui sine macula peccati et sine fractione ossis, etcetera. Hic est agnus qui  
 uespere et mane in iuge sacrificium precipiebatur immolari, Exodi uicesimo nono. Nam hic  
 filius uester mane immolabitur et offerretur a uobis in ulnis sacerdotis Symeonis die  
 quadragesima uespere etate perfecta immolabitur a multitudine. Vnde Exodi duodecimo:  
*immolabit eum multitudo filiorum Israhel ad uesperam*, etcetera. Hic est agnus mansuetus in  
 210 manibus uestris, de quo Hieremie undecimo capitulo: *quasi agnus mansuetus qui portatur ad*  
*uictimam*. Hic est agnus quem patres nostri tantum desiderauerunt, in persona quorum ille  
 principalis noster propheta Isaias capitulo decimo sexto dicit: *emitte agnum domine dominatorem*  
*terre de petra deserti ad montem filie Sion*, missus de celo deserto per ruinam angelorum et per  
 peccatum primi parentis ad montem filie Sion, id est, ad uterum sacratissimum uestrum.  
 215 Vnde Psalmi sexagesimo septimo: *mons Dei mons pinguis, in quo beneplacitum est Deo habitare in*  
*eo*, etcetera.

Eleuato primo pastore a pedibus uirginis uenit secundus pastor et commisit similiter  
 uirgam suam alteri iuniori et accepit panem subcinericium et prostrauit se ad pedes uirginis  
 Marie et dixit: “o domina mea, sumite hunc panem, qui fuit figura istius ueri panis, quem  
 220 habetis in manibus. Hic est enim ille panis quem primo obtulit Melchisedech in oblationem,  
 Genesis decimo quarto. Hic est enim ille panis quem Sarra in figura uestri ex tribus satis  
 farine pastauit pro angelis, nam iste panis angelorum est in quo sunt tria: «eternum, nouum  
 et antiquum», ut dicunt Bernardus et Augustinus. Hic est panis qui precipiebatur offerri in  
 sacrificio absque fermento peccati. Hic est panis coctus a uidua Sareptana inter duo ligna,  
 225 quia uidua synagoga debet illum ponere in duobus lignis crucis. Et sic inter ignem charitatis  
 et acerbissime passionis erit coctus et immolatus, tertio Regum decimo septimo. Hic est  
 panis subcinericius, in fortitudine cuius Helias *ambulauit usque ad montem Dei Horeb*, tertio  
 Regum decimo nono. Sic nos in fortitudine huius debemus usque ad celum ambulare. Hic  
 est panis quem famelici peccatores desiderabant, unde Trenorum quarto: *paruuli petierunt*  
*panem et non erat qui frangeret eis*. Vos domina nostra et regina debetis toti mundi dispensare,  
 230 quia fortissima inter omnes, de qua Salomon, Prouerbiorum ultimo: *mulierem fortem quis*,  
 etcetera. (Infra): *facta uelut nauis institoris de longe portans panem suum*, quia a celo in terram, ante  
 hic panis erat intra nauiculam uestri sacratissimi corporis. Hodie iam est in manibus ad  
 dispensandum”.

Dum iste surgeret, uenit tertius pastor ad pedes uirginis cum maxima uerecundia et dum  
 235 non haberet quid uirgini daret ait illi: “o domina, ego eram occupatus in uestibus sociorum  
 meorum portandis et quasi iuuenis in aduertenter nihil uobis attuli. Poteram modicum  
 butiri portare ad notandum esse impletum illud Isaie septimo, qui dum de ambobus  
 loqueretur ait: *ecce uirgo concipiet et pariet filium et uocabitur nomen eius Emanuel*. Immediate  
 subiungit: *butirum et mel comedet, ut sciat*, etcetera. Quasi diceret quod debebat constare ex  
 240 butiro et melle, nam mel est uerbum diuinum, ut dicit Bernardus sermone secundo

---

198: cf. Gn. 4, 4. | 199: cf. Gn. 22, 13. | 203: cf. Ex. 34, 26. | 203-204: cf. Ex. 12, 5. | 205: cf. Ex. 29, 39. |  
 208: Ex. 12, 6. | 209-210: Ier. 11, 19. | 211-212: Is. 16, 1. | 214-215: Ps. 67, 16-17. | 220: cf. Gn. 14, 18. |  
 225: cf. III Rg. 17, 13. | 226: III Rg. 19, 8. | 228-229: Lam. 4, 4. | 230-231: Prv. 31, 10-14. | 238-239: Is. 7,  
 14-15.

221-222: cf. MF. Bern. Cl., *De Cons.*, V, 10, 23. PL 182, 801C. | 240: cf. Bern. Cl., *In Adv. Dom.*, II, 2. PL 183,  
 41CD.

aduentus domini, et sic cantat nunc ecclesia. Hodie per totum mundum melliflui facti sunt celi, butirum est de purissimo lactis, et sic notabat humanitatem. Ideo mel non erat in grege nostro, quia in celis, sed lac qui de purissima substantia ouis, que estis uos. Et sic sumpsit de uestra substantia purissima butirum et mel de celis, et sic Deus et homo Emanuel, etcetera. Sic Abraham, Genesis decimo octauo, quando uidit tres angelos et unum adorauit, scilicet: unum Deum uel unum, scilicet: secundam in trinitatem personam, scilicet: filium uestrum, qui passurus erat pro nobis. Et sic ei specialiter dedit gratias et sic dicitur: *Abraham uidit diem meum*, etcetera, quando igitur Sarra faciebat panem, de quo socius meus dixit: ipse Abraham portauit uitulum de grege suo, ut notaret passionem. Sed ne crederemus quod pro se patiebatur, portauit cum illo lac et butirum, quia notabat quod de uera oue mitissima matre debebat illa duo sumere, scilicet: butirum, id est, purissimam substantiam corpoream et lac pretiosissimum in nutrimentum, sed postquam ego non portauit butirum, accipite has tres uirgas quas habeo, scilicet: meam et duas sociorum meorum. Nam licet illi optime dixerint de filio uestro, sed de uobis quasi nihil dixerunt, etiam fecerunt filium uestrum solum sacerdotem, dum obtulerunt agnum et panem, sed non solum erat sacerdos, Psalmi centesimo nono: *tu es sacerdos in eternum*, etcetera, sed etiam rex. Psalmi secundo: *ego autem constitutus sum rex ab eo*, rex dico totius mundi. Vnde: *postula a me*, etcetera, *possessionem tuam terminos terre accipite*. Igitur uirgo regia has tres uirgas, nam due pertinent ad filium uestrum, scilicet: uirga regia et sacerdotalis, alia pertinet ad uos, que estis regina mundi non capax sacerdotii, etcetera. Iste due uirge filii figurate in uirgis Mosi et Aaron, nam licet esset una sola, in quantum ab Aaron significabat sacerdotium, in quantum a Mose regnum. Et sicut ille uirge destruxerant omnes uirgas magorum, sic ista uirga filii uestri destruxit omnia regna, ut ait Danihel de lapide cadente, et etiam destruxit omne sacerdotium nullo alio preter suum remanente. Hec uirga filii est illa de qua Numeri uicesimo quarto: *oriatur stella ex Iacob et consurget uirga de Israhel*. Vos estis illa lucida stella de qua illa pretiosa uirga orta fuit, hec est uirga clementie, que post repudiationem regina Vasthi erat rigor in mundo regis Asueri. Et sic uirga illa erat uersus celum, sed finaliter fuit extensa supra reginam Hester, que fuit figura uestri, et sic postea fuit signum clementie, Hester quinto capitulo. Hec est uirga de qua Daudid dicebat: *uirgam uirtutis tue emittet dominus ex Sion*, etcetera, Psalmi centesimo nono. Similiter uos regina estis illa. Tertia uirga ex qua sacerdos et rex exiuit, scilicet: filius uester, unde Numeri decimo septimo, dum questio esset ex quo sacerdotium exiret, illa uirga Aaron sicca sine humore floruit, fronduit et nuces fecit. Illa figurabat uos que sine humore uirilis seminis dedistis florem uirginitatis solia conuersationis sancte uite et amigdalum, in quo tria (ut dicit Augustinus) «corticem, testam et nucleum», sic in filio uestro tria: anima, caro et diuinitas. Non solum sacerdotium, sed regnum, unde Psalmi quadragesimo quarto: *uirga directionis uirga regni tui*, ut dicit Apostolus in epistola diei natalis. Item ille propheta Isaias capitulo undecimo locutus fuit de uestra uirga dum dicit: *egredietur uirga de radice Iesse et flos de radice eius*, etcetera. Hanc duplicem uirga desiderauerunt patres nostri, unde siue de uestra siue de uirga filii dicebant: *uirga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*, Psalmi uicesimo secundo”.

Et sic facta oblatione omnes tres ad uirginis Marie pedes prostrati petierunt licentiam, quia in grege nullus pastor remanebat. Et sic in recessu illam salutarunt dicendo: *auē gratia plena*. Quo ad primam partem.

245: cf. Gn. 18, 2. | 247-248: cf. Io. 8, 56. | 256: Ps. 109, 4. | 256-258: Ps. 2, 8. | 264-265: Nm. 24, 17. | 268: cf. Est. 15, 15. | 269: Ps. 109, 2. | 272: cf. Nm. 17, 8. | 276: Ps. 44, 7. | 277-278: Is. 11, 1. | 279-280: Ps. 22, 4. | 282-283: cf. Lc. 1, 28.

274: Augustinus] *Auctor err.* cf. Hild. Cen., *Serm.*, XLIII. PL 171, 559C.

244: Butirum] M putirum. | 250: cum] X com. | Butirum] M putirum. | 256: Sacerdos] M secerdos.

285 In secunda parte est uidere qualiter nos debemus uirginem salutare et uisitare et quid ei debemus dare et offerre, et ista sunt fienda exemplo pastorum. De salutatione autem iam facta est in principio sermonis, sed debemus seruare tria que recitantur ab euangelista dicens quod pastores erant.

Secundo, dicit in regione eadem.

Tertio, uigilantes super gregem suum uigilias noctis.

290 Primo, igitur cum pastoribus simus pastores, nam pastor dicitur a “pascendo”. Et sic debet quilibet pascere gregem Christi tripliciter, sicut ter dixit Christus Petro: *pasce oues meas*, scilicet: «uerbo, exemplo et temporali subsidio quilibet debet esse pastor».

295 Prelatus debet esse pastor ouium ecclesie et alii iudices et rectores ciuitatis debent similiter esse pastores uniuersitatis et quilibet christianus debet pascere pauperes Christi uerbo consolando, exemplo instruendo et elemosynas largiendo.

Secundo, erant in regione sua. Sic pastores specialiter debent oues proprias pascere non dimittendo diocesim propriam uel parrochiam suam, ne oues pereant.

Tertio, debent uigilias noctis uigilare non in ludis, non in comessionibus et ebrietatibus, non in furtis, non in uitiiis carnis, etcetera, sed super gregem suum, etcetera.

300 Secundo, debemus ei offerre illud quod pastores obtulerunt.

Primo, agnum, scilicet: nosmetipsos tamquam agnos per mansuetudinem et benignitatem.

Secundo, agnum per patientiam, non solum non ledere alios, sed si ab aliquo uexatur, debet christianus habere patientiam exemplo Christi.

305 Tertio, agnum per penitentiam, sicut Christus uerus agnus passus fuit propter nostra delicta et nos debemus pati propter nostra scelera. Secundo, debemus ei offerre panem lacrimarum in satisfactionem peccatorum. Item panem sacramentalem sumendo corpus Christi post penitentiam ueram in isto sacratissimo tempore natiuitatis domini nostri. Tertio, panem elemosynarum in tempore quando ille, qui alimentum dabat toti mundo, 310 Psalmi centesimo quadragesimo quarto: *aperis tu manum tuam et implet omne animal benedictione*, et sic qui cibo non indigebat, uoluit isto tempore a uirgine cibum sumere. Et sic ei in forma pauperum nos debemus cibum dare, etcetera.

Tertio, debemus offerre ei uirgam iustitie extirpando uitia et castigando delicta.

315 Et sic quando iudices uigilant in nocte super gregem suum, hic recipiunt gratiam et in futuro habebunt gloriam, quam nobis concedat ille, etcetera. Amen.

---

291: cf. Io. 21, 16. | 310: Ps. 144, 16.

292: cf. Th. Aq., *Sup. II Cor.*, XII, 5, p. 464.

303: Aliquo] M alquo. | 310: Animal] X animalis. | 311: Indigebat] M indigibat.

## SERMO CENTESIMVS QVADRAGESIMVS PRIMVS IN DIE SANCTORVM INNOCENTIVM

<THEMA> *Accipe puerum et matrem eius*, Matthei secundo.

Originaliter recitatie uero, etcetera.

5 Sicut terra, licet in se fuerit bona, non potest fructum optimum producere nisi fuerit irrigata aqua naturali, et sic regiones que non abundant fontibus sunt deserte et steriles, sic creatura rationalis, licet sit excellens in intellectu et uoluntate, non potest fructum bonum facere, scilicet: meritorium uite eterne. De quo fructu loquebatur Iohannes Baptista dicens: *facite fructus dignos penitentiae*, scilicet: uite eterne, Matthei tertio. Et sic dicebat Dauid: *anima mea sicut terra siue aqua tibi*, scilicet: per peccatum, Psalmi centesimo quadragesimo secundo.

10 Et sic Deus in mundi creatione dedit uenam gratie, mediante qua omnes possent saluari, que fuit pater noster Adam. Nam accepit terram paruam et rubeam de campo Damasceno circa Hebron, et insuflauit in illa spiraculum uite, scilicet: animam, quo ad naturalia, et posuit in eo canalem, scilicet: iustitiam originalem, qua mediante uena gratie deriuaretur in mundum. Et quia uena non prodest nisi oriatur in fonte, ista uena gratie terminata fuit in

15 Eua. Et sicut Adam fuit uena gratie, sic Eua fuit fons, a quo omnes nascentes erant gratiam recepturi. Et quia hoc erat Ade et Eue communicatum supra naturam et sola uoluntate diuina, ueniendo peccando contra eius uoluntatem Deus abstulit illud donum ab eis. Et sic uena Ade fuit siccata et per consequens fons Eue. Sed Dauid hoc uidens dicebat, Psalmi octogesimo octauo: *usquequo, domine, auertis*, etcetera, *memorare que mea substantia*, scilicet: in

20 Christi promissione et uirginis, etcetera. *Numquid enim uane constituisti omnes filios hominum?* Quasi dicat: si non mittis uenam gratie et fontem, nullus saluabitur. Hoc desiderabat Moses dicendo: *mitte quem misurus es*, Exodi quarto. Et Isaias dicebat: *rorate celi desuper et nubes pluant iustum*, Isaie quadragesimo quinto. Et ne periret mundus, Deus misit aliam uenam et alium fontem gratie. Et cum prima esset missa cum excellenti creatura, que fuit iustitia originalis,

25 et fuerit siccata, hanc decreuit mittere cum ipso creatore, ne posset siccari. Nam sicut fontes generantur, ut dicit Philosophus in libro Meteororum, in concauitatibus montium, in quibus est uapor, ne detur uacuum, et ex uapore ingrossato generatur humiditas, ut fit de nebula supra terram, et ille humor uel humiditas magis ingrossata fit aqua et per uenam terre querens exitum, dum exit in superficiem terre dicitur “fons”, sic in spiritualibus. Nam

30 uapor existens in concauo celi empirei significat patrem, humor ingrossatus significat filium, qui procedit a patre, sicut a uapore humiditas, aqua significat spiritum, scilicet: que procedit a uapore et humiditate, sic spiritus sanctus a patre et filio. Et sicut hi tres sunt una substantia et una essentia, sic tres persone in trinitate. Ista solum differunt per relationes originis, sic in proposito. Et sic Deus pater uoluit mittere uenam gratie cum ipsa diuinitate,

35 sed non erat in mundo terra apta in qua poneretur, quia terra humane nature per peccatum Ade fuit sicca, deserta et maledicta, unde Genesis tertio: *maledicta terra in opere tuo*.

Primo, igitur Deus uisitauit illam terram uirginis preseruando a peccato, Psalmi sexagesimo quarto: *uisitasti terram*, etcetera. Et quia non sufficebat quod preseruaretur a peccato cum aliqua gratia, sed ad recipiendum uenam diuinitatis, oportuit quod impleretur

40 omni benedictione, unde Psalmi octogesimo quarto: *benedixisti, domine, terram tuam*. Et sic ex illa terra preparata et benedicta accepit Deus portiunculam et posuit in ea uenam gratie mediante diuinitate, et hec uena nata in uirgine, et sic uirgo Maria fuit fons gratie. Quod autem filius Dei dicatur “uena” patet per Hieremiam dum loquitur de redemptore dicendo

2: Mt. 2, 20. | 8: Mt. 3, 8. | 8-9: Ps. 142, 6. | 19-20: Ps. 88, 47-48. | 22: Ex. 4, 13. | 22-23: Is. 45, 8. | 36: Gn. 3, 17. | 38: Ps. 64, 10. | 40: Ps. 84, 2.

26: cf. Alb. Mag., *Mete.*, II, 2, 7, p. 552b.

1: Innocentium] M innocentum. | 9: Scilicet: per peccatum] M, X per peccatum, scilicet.

45 quod omnes qui illum recipient saluabuntur et peribunt qui illum relinquent. Dicit propheta  
 capitulo decimo septimo: *domine, omnes qui te derelinquent confundentur, recedentes a te in terra*  
*scribentur*. Dat causam dicens: *quoniam dereliquerunt uenam aquarum uiuentium dominum*, igitur  
 filius dicitur “uena”. Quod autem uirgo Maria dicatur “fons” patet Canticorum quarto  
 capitulo: *sponsa mea hortus conclusus es et fons signatus*. Et infra: *fons hortorum puteus aquarum*  
 50 *uiuentium, que fluunt impetu de Libano*. Et sic uirgo dicitur fons indificiens, nam tria dicit  
 Salomon de isto fonte.

Primo, dicit quod est “fons signatus” quo ad uirginitatem. Dicit Augustinus: «signatus  
 sigillo totius trinitatis», nam quando charta signatur tria concurrunt: primum metallum in  
 sigillo, scilicet: auri, argenti uel huiusmodi. Hoc significat patrem; secundo, a metallo oritur  
 imago. Sic filius a patre, nam filius est imago patris per apostolorum a metallo et imagine  
 55 oritur figura in cera, sic a patre et filio, spiritu sancto. Et sic uirgo fuit signata a tota  
 trinitate.

Secundo: “fons hortorum”, quia ab ipsa omnes horti debent rigari, et quicumque ab ea  
 non rigatur remanet incultus et desertus.

60 Dicit tertio: “puteus aquarum uiuentium”, etcetera. Et in isto dicit tria que reducuntur ad  
 insufficientiam eius, nam fons si non sufficit est propter tria.

Primo, si habet parum de aqua in origine. Et sic dicit quod non deficiet propter hoc,  
 quia est puteus aquarum.

65 Secundo dato quod haberet multam aquam in origine, forte aliquando posset deficere et  
 non oriri. Et ad hoc dicit secundo “aquarum uiuentium”, nam exitus aque uiue nunquam  
 deficit.

70 Tertio, posset esse si non exit celeriter, et ad hoc dicit “que fluunt impetu de Libano”.  
 Et sic sine mora aqua gratie fuit a celo empireo, unde cum esset eternaliter in sinu patris et  
 post mundi creationem per quinque milia annos mediantibus quinque uerbis Marie uirginis  
 eruperunt aque dicendo: *fiat mihi secundum uerbum tuum*. Nam dicendo “tuum” fuit uerbum in  
 utero, etcetera.

75 Sed forte dices: dixistis ante quod filius erat uena que uenit per terram, etcetera, et quod  
 spiritus sanctus notabatur per aquam, igitur uidetur repugnantia. Dicendum quod per illam  
 uenam uenerunt filius, qui per humilitatem significatur, et spiritus sanctus, qui notatur per  
 aquam. Et hoc fit recte quia iste due persone fuerunt misse ad redemptionem mundi a  
 patre, nam: «pater nunquam legitur missus», ut dicit Augustinus in libro De Trinitate.  
 Solum mittitur persona que ab alia procedit, et cum pater a nullo sit nec procedat, filius  
 procedit a patre et spiritus sanctus a patre et filio. Solum due persone procedunt et sic sole  
 due mittuntur ad redemptionem. Et sic uena illa repleta fuit humiditate, que significat filium  
 80 et aqua, que notat spiritum, scilicet: non est dicendum quod in redemptione mundi non  
 fuerit tota trinitas, quia opera trinitatis quo ad extra sunt indiuisa, et sicut in uena est uapor,  
 humor et aqua, sic tota trinitas est, etcetera. Sed pater non est missus, sed misit filium  
 suum, quia: *dum uenit plenitudo temporis misit Deus filium suum*, etcetera, ad Galatas quarto. Item  
 de spiritu sancto dicit, Ioelis secundo capitulo: *effundam de spiritu meo super omnem carnem*, sed  
 pater licet affuerit, non tamen missus. Exemplum: sicut si rex noster existens in ciuitate

---

45-46: Ier. 17, 13. | 48-49: Ct. 4, 12-15. | 69: cf. Lc. 1, 38. | 82: Gal. 4, 4. | 83: Ioel. 2, 28.

51-52: Augustinus] *Auctor err.* cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 9. PL 30, 132B. | 75: Aug. Hipp., *De Tr.*, II, 5, 8. PL 42, 849C.



85 Neapolitana diceret cuidam doctori: “uolo ut eas in ciuitatem Cesaragustanam et uideas in tali negotio, quere alium tecum”. Et ipse inquit alium doctorem et ambo, scilicet: dominus rex et primus doctor, dicunt quod debent iste tendere Cesaragustam pro illo negotio. Et sic primus mittitur a rege solo immediate, secundus a rege et ab illo primo doctore. Dum isti uolunt uenire in Hispaniam dicit rex: “ego etiam uado in illam patriam”, et uenerunt omnes  
 90 tres et uiderunt de illo negotio. Et licet omnes isti tres determinent negotium illud, sed duo fuerunt solum missi et non rex. Sic in negotio reparationis nature humane, licet fuerit factum a tota trinitate, sed ad illud pater non fuit, sed filius fuit missus a solo patre et spiritu sancto, fuit missus a patre et filio. Et sic due persone fuerunt misse, scilicet: filius et spiritus sanctus. Sic in hac uena humiditas et aqua, nam licet filius debebat redimere, quia  
 95 redemptio terminabatur ad ipsum, sed hoc mediante spiritu sancto, quia conceptus de spiritu sancto, etcetera. Item quia redemptio fienda erat mediante humore sanguineo, nam: *lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo*, Apocalypsis primo capitulo. Sed spiritus sanctus significatur per aquam, unde ecclesia dicit de ipso: «rigas quod est aridum», etcetera. Et sic redemptio apropiatur filio et sanctificatio spiritui sancto. Vnde fuit uena lateris Christi rupta  
 100 in passione: *exiuit sanguis et aqua*, Iohannis decimo nono. Sanguis pro redemptione, aqua pro ablutione sacramentorum, unde Iohannis primo: *uidimus eum quasi unigenitum a patre plenum gratia et ueritate*, etcetera. Et sic habemus quod Adam fuit uena gratie et Eua fons illius et quod Christus fuit uena et uirgo Maria fuit fons.

105 Sed dices: ista fuerunt equalia, etcetera? Dicendum quod magna differentia fuit inter istas uenas et fontes et quantum ad hoc est triplex differentia, nam fons differt a fonte et uena ab alia in tribus, scilicet: in essentia uel origine; secundo, in plenitudine; tertio, in sapore aque.

110 Primo, in essentia uel origine, nam fontes sunt in duplici differentia: quidam est naturalis, qui oritur ab origine pelagi et hic nunquam deficit. Alius est accidentalis, qui causatur ex maxima humiditate alicuius montis et hic in tempore maxime siccitatis siccatur. Sic in proposito, nam uena filii Dei exiit naturaliter a patre et sic deficere non potest, sed uena Ade non sic naturaliter, sed illa gratia fuit habitus creatus et sic siccatus et per consequens fontana illa que fuit Eua. Non sic Maria uerus fons, nam fons non potest  
 115 siccari nisi siccetur uena, etcetera.

120 Secunda differentia fontium est abundantia aque uel defectus. Et sic in isto est maxima differentia inter istos, quia plenitudo uene Christi et fontis uirginis Marie fuit maxima respectu uene Ade et fontis Eue, nam ista fuit ut gutta respectu illius magnitudinis Christi et Marie. Nam plenitudo Ade fuit secundum canalem iustitie originalis create a Deo, sed plenitudo Christi fuit secundum diuinitatem et capacitatem illius et sic non ad mensuram illi  
 125 datam. Ideo dicit Iohannes capitulo primo: *uidimus eum*, scilicet: Christum, *quasi*, id est, uere, *unigenitum a patre plenum gratia*, etcetera. Et sicut plenitudo Christi excedit plenitudinem Ade in uena, sic plenitudo Marie excedit plenitudinem Eue in fonte, nam plenitudo fontis est a plenitudine uene. Et sic tota gratia que fuit in Christo fuit in uirgine. Vnde Hieronymus in sermone Assumptionis uirginis dicit: «tota plenitudo gratie que fuit in Christo fuit in  
 125 uirgine», sed aliter et aliter, nam in Christo fuit gratie plenitudo tamquam in homine personaliter deificato, in uirgine uero tamquam in templo consecrato. Et sic gratia in Christo fuit tamquam unita personaliter, quia illa humanitas erat unita Christo in unitate persone, sed in uirgine non, sed tamquam in uase, nam: «quidquid continet continens continet etiam quod ab illo continetur», sed aliter et aliter. Exemplum: si anulus habet in se

97: Apc. 1, 5. | 100: Io. 19, 34. | 101-102: Io. 1, 14. | 120-121: Io. 1, 14.

98: cf. Rob. Fra., *Hymn.*, I. PL 141, 940B. | 124-125: cf. MF. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. PL 30, 127A. | 128-129: cf. Arist. Lat., *Phys.*, III, 6, 207a20, p. 129.

130 lapidem pretiosum sibi unitum et si poneretur in bursa ille anulus, diceretur quod bursa non solum contineret anulum, sed lapidem illi unitum. Sic in proposito, ille homo plenus gratia erat Deo unitus, sed uirgo Maria dum illum, scilicet: Deum et hominem continebat, etiam gratiam continebat. Sed non erat ille Deus et homo unitus illi secundum unitatem suppositi, sed erat in illo tamquam in continente, etcetera.

135 Tertia differentia est fontium in sapore aque, nam aqua unius est melius saporis quam alterius. Sic sapor Ade et Eue fuit amarus, sed Christi et uirginis fuit dulcissimus, unde per peccatum Ade et Eue fuit factus sapor salsus et amarus. Ideo Dauid in Psalmo centesimo sexto: *terram fructiferam in salsugine a molicia inhabitantium in ea*, scilicet: conuertit hoc propter peccatum Ade et Eue. Sed uena Christi dulcissima, quia Deus, unde Psalmi uicesimo quarto: *dulcis et rectus dominus*, etcetera. Et sic in quantum Deus dulcior cunctis, sed ut homo etiam dulcis in ore, unde Canticorum secundo: *et dilectus meus loquitur mihi*. (Infra): *sonet uox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis est*, non solum in uerbis, sed in factis. Ibidem: *fructus eius dulcis gutturi meo*. Similiter in fonte dulcedo, unde ipsa dicit: *spiritus meus super mel dulcis et hereditas mea super mel et fauum*, Ecclesiastici uicesimo quarto. In omnibus enim uirgo Maria

140

145 fuit dulcis, in uerbis, uide sacram scripturam dum ipsa loquitur; in gestu, in factis, maxime in clementia, pietate et misericordia: «que miseris sapit dulcius», ut dicit Bernardus. Et sic a peccatoribus cotidie inuocatur dicendo: «salue regina», etcetera. In fine post multa dicunt peccatores: «o clemens, o pia, o dulcis uirgo Maria».

150 Igitur si aqua gratie non potest haberi sine uena et non habetur nec recipitur nisi appareat in fonte, igitur si uena est filius, fons est mater. Ergo si tu peccator uis illam obtinere, *accipe filium et matrem*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Accipe filium et matrem eius*, ubi supra.

155 Due erunt partes in presenti sermone. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda sancti euangelii expositiua. Sententia est doctorum catholicorum quod tria sunt genera martyrii.

Primum est habere propositum et tollerare mortem pro Christo uel pro fide, ut fuit in Stephano, de quo primo celebratur festum post Christi natiuitatem, quia fuit prius qui natus fuit in celo. Nam martyrii pugna est scala celestis, que habet in fine fidem et habet tres gradus: primus charitatis; secundus fortitudinis; tertius patientie.

160 Et sic martyres pugnant, sicut ille qui uult castrum ad aduersario accipere et sic dum recipit mortem, incipit uiuere in celo. Nam uita huius mundi non est nisi mors, et in martyrio terminatur mors, sicut in candela, que dum incipit ardere consumitur et moritur, et sic dicit Gregorius quod: «temporalis uita eterne uite comparata mors est potius dicenda quam uita». Et ideo in die mortis martyris dicit ecclesia natale sancti Vincentii, Laurentii, etcetera. Et sic quia Stephanus primo ascendit scalam celestem, ideo ab ecclesia prius

165 recipit honorem, sicut rex plus honorat militem qui primo ascendit per scalam, etcetera.

---

138: Ps. 106, 34. | 140: Ps. 24, 8. | 141-142: Ct. 2, 10-14. | 142-143: cf. Ct. 2, 3. | 143-144: Sir. 24, 27. | 151-152: cf. Mt. 2, 20.

146: Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429A. | 147-148: cf. Ans., *Hymn. Et Psal. De San. Mar.*, Saluatio deprecatoria, ante Psal. B. V. dicenda. PL 158, 1037D. | 163-164: Gre. Mag., *Hom.*, XXXVII, 1. PL 76, 1275B.

137-138: Centesimo sexto] M, X centesimo nono. | 141: Et] M, X en. | 143: Gutturi] M gutturri.

170 Sed forte dices: si martyrium est de precepto? Dicendum quod simpliciter non, sicut est  
preceptum honora parientes, uel simile. Sed ut dicit sanctus Thomas in Quodlibet quarto,  
175 questione decima, articulo secundo: «cedit sub precepto secundum preparationem anime in  
casu, scilicet: habere propositum in animo, ut quis prius permetteret se occidi quam  
Christum negare, uel mortaliter peccare. Et sic etiam relinquere propria bona cedit sub  
precepto, quia debet esse paratus animus christiani magis sustinere rapinam bonorum  
suorum quam Christum negare uel mortaliter peccare». Debent tamen cauere ne ad  
180 particularia penarum multum descendant cogitando, ne perdatur propositum. Sufficit  
autem in genere habere bonum propositum et sperare diuinum auxilium, et sic dicit sanctus  
Thomas Quodlibet primo, questione octaua: «quod contritus tenetur in generali uelle pati  
magis quamcumque penam quam mortaliter peccare. Ideo Anselmus libro De  
Similitudinibus dicit quod: «quis debet magis eligere esse in inferno sine culpa quam in  
paradiso cum culpa, quia innocens in inferno non sentiret penam et peccator in paradiso  
non gauderet de gloria». Et quia contritio non potest esse sine charitate, ex charitate enim  
185 plus tenetur homo diligere Deum quam seipsum. Peccare autem est facere contra Deum,  
puniri autem est aliquid pati contra seipsum». Igitur potius debet pati quam uenire contra  
Deum peccando.

185 Secundum genus martyrii est solum pati in spiritu, scilicet: habere propositum et habere  
animum paratum et patienter sustinere maxima flagella uel obprobria, et simul cum illis  
diligere inimicos talia procurantes, et sic dicit Gregorius: «sine ferro martyres esse  
possumus, si patientiam in animo ueraciter custodiamus». Hoc habuit beatus Iohannes  
Euangelista, quia habuit animum paratissimum ad martyrium, sed non passus fuit mortem,  
190 quia noluit Deus quod anima separaretur a suo corpore, sed quod uiueret multo tempore.  
Habuit enim tria sufficientia ad mortem.

Primo, compassionem maximam circa crucem in passione domini.

Secundo, missus Rome in feruens oleum.

195 Tertio, relegatus in insulam de Pathmos, quod equiparatur morti. Sed Deum illum  
conseruauit illesum, ut sua predicatione et doctrina conuerteret totam Asiam Minorem et ut  
esset custos matris Dei et testis de uisu ad mundum. Nam omnia mysteria Christi uidit  
oculis propriis, et alia a uirgine habuit, et sic dicit ipse: *qui uidit testimonium perhibuit et scimus*  
*quod uerum est testimonium eius*, etcetera. Et propter hoc uixit longo tempore, scilicet: usque ad  
annum domini centum tres, scilicet: anno tertio Traiani imperatoris. Secundo uero anno  
Euaristi pape, ut narrat Eusebius et allegat Ireneum episcopum. Et sic uixit secundum  
200 Isidorum annis nonaginta nouem et sic passus fuit in anima et non in corpore simul.

Tertium genus martyrii est quando quis patitur in corpore et non in spiritu, scilicet: ante  
annos discretionis, ut fuit in infantibus innocentium. Vnde Bernardus de his tribus dicit in  
sermone De Innocentibus: «habemus in beato Stephano martyrii simul et uoluntatem et  
opus; in Iohanne Euangelista solum uoluntatem; in innocentibus solum opus».

---

196-197: Io. 21, 24.

169-173: Th. Aq., *Qu. Quodl.* (vol. 11), IV, q. 10, a. 2, p. 436. | 176-182: Th. Aq., *Qu. Quodl.* (vol. 11), I, q. 5, a. 1, pp. 50-52. | 178-180: Anselmus] *Auctor err.* cf. Ead. Cant., *Lib. De Sim.*, CXCI. PL 159, 701D. | 186-187: cf. MF. Gre. Mag., *Hom.*, XXXV, 7. PL 76, 1263D. | 199: cf. Eus., *Hist. Eccl.*, III, 23. PG 20, 258A. | 200: cf. Isid., *De Ort. Et Ob. Pat.*, LXXII, 129. PL 83, 152A. | 203-204: Bern. Cl., *In Nat. S.S. Inn.*, I. PL 183, 129-130.

198: Imperatoris] M, X imperatoris.

205 Sed dicet aliquis quod isti non sunt martyres nec festum debet ab ecclesia celebrari, quia nullum meritum habuerunt, cum sint mortui ante annos discretionis, nec fidem nec charitatem habuerunt, que requiruntur ad martyrium. Dicendum quod salui facti sunt merito Christi et mediante amore suo, quia cum similitudo sit causa amoris, isti fuerunt ualde similes Christo.

210 Primo, innocentes, unde in Psalmo uicesimo quarto habetur: *innocentes et recti adheserunt mihi*.

Secundo, isti uirgines, unde Apocalypsis decimo quarto: *uirgines enim sunt*, etcetera.

Tertio, ex eadem patria, quia bethleemitici sicut Christus, etcetera. Et sic merito Christi fuerunt saluati.

215 Sed forte dices quod licet meritum Christi fuerit sufficiens *ad salutem totius mundi*, prima Iohannis secundo capitulo, hoc est uerum quo ad sufficientiam, non autem quo ad efficaciam, quia solum saluantur qui Christo incorporantur. Isti uero non fuerunt baptizati. Dicendum quod isti fuerunt baptizati baptismo sanguinis, licet non fuerint baptismo fluminis. Igitur sicut qui moritur post baptismum immediate uolat in celum, sic isti ad  
220 limbum patrum.

Si dicis: igitur de quolibet puero qui moritur post baptismum poterit festum celebrari? Dicendum quod non, sed si interficeretur pro Christo sic. Isti uero eum magna ratione debent ut martyres uenerari propter tria.

225 Primo, quia mortui pro Christo, unde ait Augustinus quod: «causa facit martyrem et non pena». Vnde Apocalypsis septimo: *lauerunt stolas suas et candidas eas fecerunt in sanguine agni*.

Secundo, quia non solum mortui pro Christo, sed primi omnium qui pro Christo mortui fuerunt, unde Apocalypsis decimo quarto habetur: *hi empti sunt ex omnibus primitiis Deo agno*. Et sic dicit Augustinus in sermone Innocentium, quia isti fuerunt primi flores, etcetera.

230 Tertio, quia isti non solum fuerunt mortui pro Christo, sed in illis patiebatur Christus, nam quilibet interficiens puerum credebat interficere Christum, quod non fuit in aliis martyribus. Et quia Christus, licet ueniret ad recipiendum mortem pro nobis, primo tamen debebat predicare et miracula facere, et non debebat mori in infantia, Exodi uicesimo tertio: *non coques hedom in lacte matris*, et licet multis modis posset euadere manus Herodis, noluit nisi per fugam in Egiptum. Et sic Deus misit angelum ad sponsum uirginis dicentem  
235 illi: *accipe puerum et matrem eius* et fuge in Egiptum. Quo ad primam partem.

Secunda pars de euangelio duas habebit particulas. Prima de peregrinatione uirginis in Egiptum cum filio suo et sponso. Secunda de nece puerorum ibi: *tunc Herodes uidens quod illusus esset a magis*, etcetera. In prima autem parte tria facit.

240 Primo, ponitur preceptum domini ad Ioseph, ut iret in Egiptum in principio: *angelus domini apparuit Ioseph*, etcetera.

---

210-211: Ps. 24, 21. | 212: Apc. 14, 4. | 215: cf. I Io. 2, 2. | 225: Apc. 7, 14. | 227: Apc. 14, 4. | 233: Ex. 23, 19. | 235: cf. Mt. 2, 20. | 237-238: cf. Mt. 2, 16. | 239-240: cf. Mt. 2, 13.

224-225: Aug. Hipp., *Serm.*, CCLXXXV, 2. PL 38, 1293C. | 228: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCXX, 1. PL 39, 2152C.

228: Sic] M sit.

Secundo, ponitur iter in Egiptum ibi: *qui consurgens accepit puerum*, etcetera.

Tertio, agitur de termino ad quem iuit ibi, mansit autem ibi, etcetera.

245 Dicendum autem quod angelus domini apparuit Ioseph in Nazareth, a quo loco cepit iter. Nam Ioseph et uirgo Maria cum puero manserunt in Bethleem triginta octo uel triginta nouem diebus a natiuitate Christi et postea perrexerunt in Hierusalem, que distat a Bethleem duabus leucis. Et die quadragesima obtulerunt puerum in templo secundum legem Mosi, ut habetur Luce secundo: *postquam impleti sunt dies purgationis* Marie, qui fuerunt quadraginta a natiuitate, ut habetur Leuitici duodecimo. Post autem presentationem Christi in templo uerisimile est quod manerent in Hierusalem duobus aut tribus diebus, ut 250 narrarent Symeoni et Anne omnia que acciderant, et sic sunt dies quadraginta tres. Et reuersi sunt in Galileam, ut habetur Luce secundo dicens: *et ut perfecerunt omnia secundum legem domini, reuersi sunt in Galileam in ciuitatem suam Nazareth*, etcetera. Et cum essent in ciuitate Nazareth angelus domini in nocte quadam apparuit in somnis Ioseph dicens: *accipe puerum et matrem*, etcetera. Et sic quo tempore recessit non habetur ex littera, sed clarum est quod 255 recesserunt ante bienium, quia Herodes non occidit pueros nisi post duos annos a Christi natiuitate, sed uerisimile est quod recesserit cito a Iudea, ne aliqua suspicio posset habere de fuga sua, et sic nocte recessit. Sed non eadem nocte qua angelus illi apparuit, sed post aliquot dies, quia preparauit aliqua necessaria pro uia pro matre et puero, maxime cum uia esset longa et laboriosa per desertum. Item quia angelus dixerat Ioseph quod iret in 260 Egiptum ad manendum aliquo tempore, nam dixit illi: *fuge in Egiptum et esto ibi usque dum dicam tibi*, etcetera. Igitur non solum pro uia sed pro tanto tempore aliquibus indigebant preparatoriis. Item quia licet Ioseph et Maria fuissent pauperes, sed aliqua habebant, et sic oportebat disponere de rebus suis. Et sic non eadem nocte recessit, sed paucis diebus interpositis propter obedientiam precepti domini et propter timorem et amorem pueri, quia 265 ut dicit Ambrosius: «nescit tarda molimina spiritus sancti gratia». Et sic cum omnia ista posset facere in septem diebus, uerisimile est quod recesserit a Iudea die quinquagesimo a Christi natiuitate.

Sed si queris: quis erat iste angelus? Respondent doctores quod fuit angelus Gabriel, qui habuit curam de omnibus pertinentibus ad incarnationem et redemptionem nostram.

270 Si dicis: quare precepit ut irent in Egiptum? Satis erat exire a Iudea propter Herodem. Dicendum quod fugit in Egiptum propter tria.

275 Primo, propter securitatem, quia si in Galileam uel Samariam fugissent, propter amicitia dominorum Herodes, Christum haberet in sui potestate, et sic instruit nos ut a persecutionibus fugiamus, unde dicit Christus: *cum uos persecuti fuerint in una ciuitatum, fugite in aliam*, Matthei decimo.

280 Secundo, hoc fecit propter utilitatem Egipti, nam olim grauatus fuit propter hoc quod non dimittebat populum Dei, qui erat ei filius. Nunc uadit in Egiptum filius Dei, ut faciat Egiptum populo suum. Item qui olim offuscauerat solem in Egipto, nunc uadit in Egiptum uerus sol. Item Christus uerus Deus ueniebat in mundum ut falsos deos fugaret a mundo et quia idolatria maxime uigebat in Egipto. Igitur fugit in Egiptum ut sanaret Egiptum. Vnde Psalmi centesimo sexto: *misit uerbum suum et sanauit eos*, qui fuit uerus medicus mundi, etcetera.

---

241: cf. Mt. 2, 14. | 247: Lc. 2, 22. | 248: cf. Lv. 12, 6. | 251-252: Lc. 2, 39. | 253-254: cf. Mt. 2, 20. | 260-261: cf. Mt. 2, 13. | 274-275: Mt. 10, 23. | 281: Ps. 106, 20.

265: Ambr., *Exp. Ev. Sec. Lc.*, II, 19. PL 15, 1560A.

285 Tertio, hoc fecit ut implerentur prophetie que ante predicte erant. Vnde Osee undecimo habetur: *ex Egipto uocauit filium meum*, igitur non poterat exire ex Egipto nisi prius intraret in illum, etcetera. Item habetur Isaie decimo nono: *ecce dominus ascendet super nubem leuem et ingredietur Egiptum*, quia filius incarnatus positus fuit in nube uestitus humanitate uel ascendit super nubem, quia in brachiis uirginis ingressus fuit Egiptum, quia tam humanitas quam uirgo Maria fuit nubes leuis sine peccati grauitate. Et hoc de termino a quo recessit.

290 Secundo, ponitur uia et peregrinatio quando dicit: *qui consurgens accepit puerum*, etcetera. Paratis omnibus necessariis arripuerunt iter. Erat autem octoginta leucarum et erant quinquaginta leuce de deserto aspero et sicco. Cum autem intrarent desertum post locum de Bersabee inciderunt inter latrones, ut dicit Anselmus. Erat autem inter eos quidam adolescens filius principis illorum latronum, qui uidens claritatem in facie uirginis et in puero quem in brachiis portabat. Iste iuuenis fuit defensor et seruator illorum et duxit illos ad tugurium suum, et dedit illis refectionem eorum, que erant in sua spelunca. Et postea cum maxima charitate docuit illis uiam per magnam partem, dum uellet ad socios conlatrones redire. Virgo Maria dedit ei gratias de tanto beneficio et dixit quod ueniret tempus in quo ipsa compensaret. Et ideo aliqui dixerunt quod hic latro fuit ille qui crucifixus fuit cum Iesu ad dexteram eius et dixit: *memento mei*. Et sic per contactum umbre Christi fuit conuersus, sed mediante umbra uirginis. Nam uirgo erat media inter Christum et latronem, et sic fuit mediatrix sue conuersionis, ut promiserat ipsa in deserto. Et possibile est quod iste esset, nam licet adolescens haberet sedecim aut septemdecim annos, cum Christus fuerit crucifixus in etate triginta trium annorum, esset tunc latro ille quinquaginta annorum. Item, ut multi doctores recitant, cum essent circa finem exitus deserti et uenissent ad altissimam arborem palme et pro quiete sub illa aliquantulum pausarent, ait uirgo Maria: “o utinam ex his fructibus percipere possem”. Cui Ioseph: “o domina, debemus prius cogitare de aqua, que nobis iam in uase deficit”. Et ecce palma se inclinans fructus suos uirgini colligendos exhibuit, et de sub radice palme fons aque erupit et sic fuerunt recreati. Et ut narrant multi doctores, maxime Tostatus episcopus, cum multa miracula fierent per hanc arborem, idolatre succiderunt eam, sed nocti sequenti consolidata est et erecta, et apparent adhuc incisiones in ipsa, ex quo ueritas confirmatur, cum palma non sit arbor que incisiones recipiat. Et etiam patet ueritas ex fonte, quem uidentes iudicant esse miraculosum, cum aliud non sit in partibus illis, et propter ipsum facta est uia itinerabilis per desertum, quod non esset sine illo fonte, sed exeuntes de deserto applicuerunt Egiptum et intrarunt in ciuitatem Heroum uel Pharamia alio nomine. Nam ut dicunt doctores, uirgo Maria cum filio suo stetit in quinque ciuitatibus Egipti, ut habetur Isaie decimo nono.

Prima, iam dicta.

Secunda fuit Cayrum uel Alcadrum.

320 Tertia fuit Babilon, et circa istam est fons in quo uirgo Christum balneauit uel pannos suos abluebat, et ut narrant sarraceni et multi christiani, arbor balsami rigata ex ista aqua uiuit et crescit. Et ex tactu Christi dicit Iohannes Nider quod dedit uirtutem balsamo, ut esset ex eo chrisma. Item fons paruus et lapis, qui est circa illum fontem, habetur in magna ueneratione apud agarenos et christianos, quia in illo abluebat uirgo Maria pannos uel siccabat. Sed quia iste fons est paruus, ut ampliaretur hortus balsami, agareni fecerunt aliud

284: Os. 11, 1. | 285-286: Is. 19, 1. | 289: cf. Mt. 2, 14. | 299: cf. Lc. 23, 42. | 317: cf. Is. 19, 18.

292: Anselmus] NI. | 309: Tostatus] NI. | 322: Nider] NI.

295: Tugurium] M rugurrium. | 299: Contactum] X contractum. | 309: Tostatus] X Tostado.

quasi puteum profundum iuxta illum, de quo quattuor boues per quandam rotam aquam  
trahebant putantes quod ex isto propter uicinitatem fontis haberet uirtutem, ut faceret  
arbores balsami germinare, quas rigaret. Sed uidentes quod hoc non faciebat, canalem  
quandam fecerunt de fonte isto ad fontem Christi, ut sic miscerentur et copiosus fluerent,  
330 ut uirtus de uno in alterum transfunderetur et sufficeret ad rigandum totum hortum, et sic  
factum est. Nunc autem per ipsas aquas mixtas fecundatur hortus balsami, quod alias fieri  
non posset. Et etiam ibi ualde mirabile ad fidei christiane confirmationem, quia quattuor  
boues qui trahunt aquas de puteo illo mediante rota quedam a meridie diei sabbati usque ad  
335 ortum solis diei lune cessant a labore et nullo modo uolunt postea aquam trahere, etiam si  
occidantur uel exorientur. Et post in die lune trahunt aquas usque ad aliud diem sabbati ad  
meridiem. Hoc multi christiani uiderunt et uident cotidie et frater Burchardus testatur in  
libro suo se uidisse, cum ante non crederet omnibus atestantibus. Ad istum fontem Christi  
in die epiphanie conueniunt christiani et sarraceni et ibi lauantur, et quia sarraceni habent  
fetorem maximum, qui tollitur ex ablutione huius aque per experientiam, ut ipsi  
340 confitentur, et sic se et filios in illo fonte lauant.

Et procedentes de Alcandro uenerunt in Babiloniam, etcetera, ut diximus, sed postea  
applicuerunt ad ciuitatem que dicitur Hermis, in qua, ut narrant multi, maxime Casiodorus  
in Historia Tripartita, antequam ad illam applicuerunt lassati ex uia et calore circa arborem,  
que dicitur “persidis”, que quidem arbor se inclinauit et adorauit filium uirginis et obtulit  
345 fructum suum, que tante postea fuit uirtutis, ut si quid de eius fructu uel folio aut cortice  
collo egrotantium ligaretur, omnis infirmitas eo ipso expellerentur.

Deinde finaliter uenerunt in quinta ciuitatem, que dicitur Helyopolis, in qua septem  
annis permanserunt, ut dicit Casiodorus in Historia. Et hec ciuitas est Thebayde Egipti, in  
qua ut idem dicit permanserunt septem annis, et dum intrarent in hanc ciuitatem non  
350 habentes aliquem locum in quem ingrederentur, intrarunt quoddam templum, in quo erant  
idola trecenta sexaginta quinque iuxta numerum dierum anni, quibus singulis diebus diuinus  
exhibebatur honor. Ad Christi uero et matris eius ingressum uniuersa idola corruerunt. Et  
tunc impletum est illud Isaie decimo nono: *ecce dominus ascendet super nubem leuem*, id est,  
humanitatem, uel in manibus uirginis sine peccati grauitate, *et mouebuntur simulachra Egipti a*  
355 *facie eius*, etcetera. Infra in eodem capitulo habetur: *in die illa erunt quinque ciuitates in terra*  
*Egipti loquentes lingua cananea et iurantes per dominum exercituum, ciuitas solis uocabitur una*. Et sic  
dicit Casiodorus in Historia Tripartita quod manserunt septem annis in una ciuitate  
Thebayde que dicitur Helyopolis, id est, “ciuitas solis”, nam “Helyopolis” in greco idem est  
quod “ciuitas solis” in latino. Iterum dicit: *in die illa erit altare domini in medio terre Egipti et*  
360 *titulus domini iuxta terminum eius*. Hoc altare est uirgo Maria, in quo positus fuit Christus, et in  
manibus suis offeruntur omnia a peccatoribus. Titulus iuxta eam erat filius in ulnis suis.

Fugit autem dominus in Egiptum, ut dicit Gorram et multi alii, ut extirparet idolatriam,  
que maxime in partibus illis uigebat, ut dictum est.

Secundo, ut dicit Lyra, propter prophetiarum impletionem.

365 Tertio, ut dicit Chrysostomus, ut sanaret et conuerteret Egiptum. Nam sicut ante  
nolentes dimittere populum misit plagas in ipsum, nunc mittit filium ut sanaret, unde

**353-355:** Is. 19, 1. | **355-356:** cf. Is. 19, 18. | **359-360:** cf. Is. 19, 19.

**336:** cf. Burc., *Desc. Ter. San.*, VII, p. 61. | **342-348:** cf. Cas., *Hist. Tri.*, VI, 42. PL 69, 1058CD. | **362:** cf. Nic. Gorr., *Comm. In Quat. Ev.*, in Mt., II, f. 7v. | **364:** cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 4), Is. 19, 19, f. 40v. | **365:** cf. Io. Chrys., *Hom. In Mt.*, VIII, 2. PG 57, 84C-85A.

**336:** Meridiem] X meridiem. | Burchardus] M Brocardus, X Borcardus.

Psalmi centesimo sexto: *misit uerbum suum et sanauit eos*. Ideo dicitur Isaie decimo nono quod: *egiptii clamabunt ad dominum et mittet eis saluatorem et cognoscetur dominus ab Egipto et tollent eum in hostiis*, nam multi eremite fuerunt ex Egipto. Et iterum dicit: *percutiet dominus Egiptum plaga*,  
 370 scilicet: tempore Mosi, *et sanabit eam*, scilicet: per aduentum uirginis cum suo filio. Iterum dicit: *in die illa erit uia de Egipto in Assirios econuerso*, etcetera. Hoc dicit propter fontem ibi datum miraculose, etcetera. Dicit finaliter quo modo uirgo Maria et sponsus, qui sunt de Israhel, uidentes et cognoscentes dominum, fuerunt causa mediante Christo principaliter, quod isti populi unirentur et reuerterentur ad dominum. Dicit sic: *in die illa erit Israhel tertius*,  
 375 id est, medius Egipto et Asirio, *benedictio in medio terre, cui benedixit dominus exercituum dicens: "benedictus populus meus Egipti et opus manuum mearum Assirius"*, quia in Assiria fecit miracula, etcetera, *sed hereditas mea Israhel*, scilicet: uidentes Deum per fidem qui sunt christiani. Lyra uero in Moralitatibus suis dicit quod in isto capitulo decimo nono Isaie tractat de fuga Christi in Egiptum, licet sic diffuse non exponat. Vnde notandum quod Christus poterat  
 380 alio modo euadere inuisibilem se faciendo, ut fecit quando iudei uoluerunt eum lapidare et patet Iohannis octauo. Sed uoluit fugere et dare locum ire, ut nobis daret exemplum fugiendi in persecutionibus. Vnde dicunt doctores quod si persequitur grex, pastor non debet fugere, sed quando persequitur pastor et non grex, tunc debet dare locum et non fugere, ut dicit Sanctus Doctor. Et hoc habet uerum non solum in persecutionibus  
 385 hominum, sed etiam in persecutionibus a Deo factis, ut patet in peste, quia Deus non uult mortem peccatoris, sed ut conuertatur, Hiezechielis decimo octauo.

Et sicut quando pater castigat filium uult quod propter reuerentiam patris et propter timorem placet ei quod fugiat a conspectu suo, sic in proposito. Dat multotiens in elementis persecutionem castigationis, ut patet de igne in Sodoma et Gomorra. Et sic  
 390 placuit ei quod Loth fugeret a conspectu ignis. Sic in aqua, ut patet de Noe in arca. Sic et in terra quando terremotu uult destruere aliquam ciuitatem, placet Deo quod exeant et fugeant a ciuitate illa, et sic dixit Christus: *cum uos persecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam*. Sic etiam est in quarto elemento, scilicet: in aere. Multotiens enim mittit aerem infectum in aliquam ciuitatem et placet Deo quo multi fugiant propter rationes dictas, ut conuertantur a  
 395 peccatis commissis et nouam uitam incipiant. Et sic hic recipiant gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

367: Ps. 106, 20. | 368-377: Is. 19, 20-25. | 381: cf. Io. 8, 59. | 386: cf. Ez. 18, 30. | 392: cf. Mt. 10, 23.

377-378: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 4), Is. 19, f. 39v-40v. | 384: Sanctus Doctor] NI.



SERMO CENTESIMVS QVADRAGESIMVS SECVNDVS IN DIE CIRCVMCISIONIS DOMINI  
NOSTRI IESV CHRISTI

<THEMA> *Postquam consummati sunt dies octo*, Luce secundo.

Originaliter recitatie uero in euangelio, etcetera.

5 Sententia est sancti Thome in prologo Super Psalterium quod: «numerus septenarius significat uetus testamentum et numerus octonarius significat nouum testamentum». Ratio est quia numerus septenarius est imperfectus, sicut uetus testamentum, in quo gratia perdita recuperari non potuit. Sed nouum testamentum significatur per numerum octonarium  
10 tamquam perfectum, in quo gratia uniuersalis perdita recuperata fuit. Quod autem uetus testamentum per numerum septenarium significetur probatur Sanctus Doctor super epistolam ad Colossenses secundo capitulo dicens quod hoc potest uideri si consideramus dies, hebdomadas, menses et annos, quibus utebantur iudei.

Nam dies septima erat apud eos solemnitas, scilicet: dies sabbati.

15 Item septima hebdomada a principio primi mensis illorum, qui erat martius, ut habetur Exodi duodecimo: *mensis hic primus erit et principium mensium*, propter beneficium liberationis ab Egipto. Et licet aliquando ueniat in aprili, aliquando in martio, quoniam incipiebat a principio lunationis propinquioris equinoctio uernali, a decima quinta huius pasche dicit: *numerabis septem hebdomadas*, et erat penthecostes, Leuitici uicesimo tertio, quando in monte Sinai legem receperunt.

20 Tertio, patet mensibus, nam mensis septimus erat illis solemnitas et festus, ut dicit sanctus Thomas, prima secunde, questione centesima secunda, articulo quarto, in quo erant quinque festiuitates, scilicet: neomenie, clangoris, ieiunii, tabernaculorum et colecte, ut habetur Numeri uicesimo nono.

25 Quarto, patet in annis, nam annus septimus erat solemnitas, qui dicebatur “annus remissionis”, ut habetur Leuitici uicesimo quinto et Deuteronomii decimo quinto.

Quinto, patet in hebdomadis annorum, nam post septem hebdomadas annorum erat iubileus, ut habetur Leuitici uicesimo quinto. Hoc idem patet in sacrificiis, unde: *cum sanguine asperget septies*, Leuitici quarto. Hoc idem Leuitici decimo quarto. Item: *tollet de sanguine uituli et asperget septies*, Leuitici decimo sexto.

30 Sed numerus octonarius significauit nouum testamentum, nam sicut festiuitates iudeorum erant in septem diebus et prima et ultima inter eos erat solemnitas, sic inter nos in nouo testamento solemnitates nostre sunt in spatio octo dierum et prima et octaua sunt  
35 solennes. Ex quo patet quod illa gratia perdita per peccatum primi parentis non potuit recuperari in septem diebus ueteris testamenti, sed in octo diebus noui testamenti. Fuerunt autem requisiti octo dies noui testamenti, sed quia homo peccando offendit diuinam maiestatem, ideo fuerunt dies eterni requisiti ex parte Dei offensi et dies temporales ex parte hominis offendentis.

---

3: Lc. 2, 21. | 15: Ex. 12, 2. | 18: Lv. 23, 15. | 23: cf. Nm. 29, 1. | 25: cf. Lv. 25, 4; cf. Dt. 15, 1. | 27: cf. Lv. 25, 10. | 27-28: Lv. 4, 6; cf. Lv. 14, 16. | 28-29: Lv. 16, 14.

5-6: cf. Th. Aq., *Sup. Psal.*, prolog., p. 49. | 10: cf. Th. Aq., *Sup. Col.*, II, 4, p. 656. | 21: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 102, a. 4 ad 10, pp. 690-691.

4: Euangelio] X euangeliis. | 27: Iubileus] M iubeleus.

Fuerunt autem tres dies eterni ex parte diuinitatis, scilicet: pater, filius et spiritus sanctus, nam dies dicitur “illuminatio hemispherii”, scilicet: mundi superioris. Et sic pater dicitur  
 40 “principium luminis”, tam eterni quam temporalis, unde Iacobi primo habetur: *omne datum perfectum et donum perfectum de sursum est descendens a patre luminum*, datus fuit filius. Vnde Isaie nono habetur: *paruulus natus est nobis et filius datus*. Et sic sanctus Thomas in Officio Corporis Christi dicit: «nobis natus, nobis datus», etcetera, spiritus sanctus est donum.

Et sic prima dies fuit patris, qui fuit principium luminis diuinitatis sine principio, et  
 45 secunda fuit filius, qui a patre illud idem lumen accepit. Vnde qui haberet entorcham unam ex tribus candelis et prima candela cum sola cera eternaliter a se haberet lumen, hec esset prima dies eterna. Sed si in eadem eternitate illa prima candela communicaret illud idem lumen secunde candele, etiam secunda dies, unde ecclesia in Symbolo cantat de filio: «lumen de lumine, Deum uerum de Deo uero». Sed si iste due candele communicarent  
 50 tertie candele, scilicet: spiritui sancto, de his autem tribus diebus loquitur Dauid in Psalmo centesimo nono: *dixit dominus domino meo*, scilicet: *dixit pater filio suo*, ut Christus exponit, Matthei uicesimo secundo et Luce uicesimo. Et sic pater est dies prima, quando dicit: *ex utero*, Casiodorus ex utero dicit: «pater filium genitum, id est, ex archano substantie mee ex ipsa, scilicet: deitate». Sed Hieronymus dicit quod quando dicit pater filio, ut dicit  
 55 Casiodorus: «tecum principium, omnipotens pater de omnipotenti filio», dicit: *tecum principium*, scilicet: spiritus sanctus, quia: «sunt unum, non duo principia spiritus sanctus». Ecce dies tertia.

Sed notandum quod iste possunt dici una dies uel tres dies. Nam si consideratur una natura uel essentia diuina, sicut hic unum solum lumen, non dicitur nisi una dies. Sed si  
 60 considerantur tres persone, tunc erunt tres dies, ut dixit beata Barbara patri suo, quod licet esset unum solum lumen totum illuminans mundum, sicut una sola deitas, sed erant tres fenestre, scilicet: tres persone diuine, scilicet: pater, filius et spiritus sanctus. Sed filius habuit non solum diem eternum, sed temporalem, quia decretum trinitatis fuit quod una persona eterna diuinitatis incarnetur in tempore et sic quod haberet non solum diem  
 65 eternum, sed temporalem. Et ista persona conuenientius fuit persona filii propter multas rationes, que ibi pretermittuntur.

Quod autem filius haberet diem eternum et temporalem patet, nam super illud Iohannem octauo, quando Christus dixit iudeis: *pater uester Abraham exultauit ut uideret diem meum, uidit et gauisus est*, dicit Augustinus, ut habetur in glosa magistrali: «ambiguum est ante  
 70 diem eternum aut temporalem uiderit, sed utrumque uidit». Vnde Nicholaus de Lyra dicit: «uidit diem eternum, Genesis decimo octauo, quando in figura trium angelorum sibi apparentium cognouit trinitatis mysterium. Vidit diem temporalem quando dictum est ei: *in semine tuo benedicentur omnes gentes*, et in oblatione Isaac propter quod locus ille dictus est: *dominus uidet*, Genesis uicesimo secundo, quia dominus fecit uidere Abraham occultum  
 75 Christi mysterium». De istis diebus habetur Michee quinto capitulo dicens: *et tu Bethleem ex te exiet dux dominator in Israhel*. Iste fuit exitus temporalis, subdit de eternitate: *et egressio eius ab initio a diebus eternitatis*. Ecce qualiter ponit plures dies eternitatis secundum pluralitatem personarum. Sed postquam erat decretum sanctissime trinitatis quod filius sumeret carnem

40-41: Iac. 1, 17. | 42: Is. 9, 6. | 51: Ps. 109, 1. cf. Mt. 22, 44; cf. Lc. 20, 42. | 52-53: cf. Ps. 109, 3. | 55-56: cf. Ps. 109, 3. | 68-69: Io. 8, 56. | 71: cf. Gn. 18, 2. | 72-73: cf. Gn. 22, 18. | 74: Gn. 22, 14. | 75-77: Mi. 5, 2-3.

43: cf. Th. Aq., *Off. Cor. Christ.*, p. 275. | 49: cf. *Missa latina*. PL 138, 1321D. | 53-54: Cas., *Exp. In Psal.*, CIX, 4. PL 70, 796B. | 55: Cas., *Exp. In Psal.*, CIX, 3. PL 70, 795B. | 56: Hieronymus] *Auctor err.*, cf. Aug. Hipp., *De Tr.*, V, 14, 15. PL 42, 921BC; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 36, a. 4, p. 265. | 60: cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, CCII, p. 900. | 69-70: cf. Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, XLIII, 16. PL 35, 1712BC. | 71-75: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 5), Io. 8, 56, f. 213v.

80 ex quadam purissima uirgine, sicut dies eternitatis fuerunt plures, sic de necessitate dies temporales, quo ad humanitatem requirebantur plures.

Nam primo erat requisitus dies conceptionis matris. Secundo, natiuitatis matris. Tertio, conceptionis filii. Quarto, natiuitatis filii.

85 Et sic isti quattuor dies erant de necessitate requisiti ad hoc ut redemptorem reciperemus. De istis autem habetur Hieremie uicesimo tertio dicens: *ecce dies uenient – dixit dominus– et suscitabo Dauid germen iustum*. Et loquitur de diebus aduentus Christi et dicit quod produceret arborem iustissimam ad dandum uerum messiam et redemptorem. Hec arbor fuit beata Anna, que concepit et peperit filiam, scilicet: uirginem Mariam. Et sic duo dies fuerunt ex ipsa arbore, scilicet: prima concipere Mariam uirginem; secunda illam parere.

Nam in arbore primo in gemma concipitur uirga uel germen.

90 Secundo, oritur ex illa illud germen et floret et fructum facit.

Et sic de istis quattuor diebus dicit Isaie capitulo undecimo: *egredietur uirga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet*, etcetera. Hoc declarat beatus Augustinus dicens: «uirgo est uirga, Christus est flos», etcetera. Et sic uirgo Maria primo in Anna fuit concepta, scilicet: in gemma, id est, in utero suo.

95 Secundo, uirga, id est, uirgo, exiuit de eius utero, scilicet: in natiuitate sua. Nam sicut quando exit uirga ex arbore tempore uernali dat gaudium mundo, sic in natiuitate uirginis mundus recepit gaudium magnum, ut cantat ecclesia: «natiuitas tua, Dei genitrix uirgo, gaudium annuntiauit uniuerso mundo». Et sic patet quod conceptio uirginis fuit primus dies temporalis et natiuitas eius secunda dies.

100 Tertio, fuit conceptio Christi in utero uirginis Marie, quia dicit: *et flos de radice eius ascendet*, scilicet: de utero eius. Nam flos est conceptus fructus et quia hec Christo conceptio facta fuit in ciuitate Nazareth, que interpretatur «flos» secundum Hieronymum, et sic dicit scriptura quod Christus: *Nazarenus uocabitur*, Matthei secundo, id est, “floridus” secundum aliam translationem. Floruit enim in Nazareth, quia in illa conceptus fuit, et sic semper uocatus fuit “Jesus Nazarenus”, Marci sexto, Luce decimo octauo et Iohannis decimo octauo. Fuit autem natus in Bethleem, que dicitur “domus panis”, nam sicut spica dum concipit granum floret, sed dum parit illud dicitur “frumentum”, sic Christus floruit in Nazareth et dedit granum in Bethleem et sic tunc fuit panis. De quo: *panem angelorum manducauit homo*. Et sic propter passionem suam dicit ipse: *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, etcetera, Iohannis duodecimo. Et sic habemus iam septem dies, scilicet: tres eternitatis et quattuor temporalis humanitatis, scilicet: conceptionis matris Christi et natiuitatis eiusdem matris et conceptionis filii et natiuitatis eiusdem. Et hoc necessario, quia secundum iustitiam regulatam a Deo.

115 Primo, mater erat concipienda quam nata. Secundo, primus debuit nasci quam filium concipere. Tertio, prius filius debuit concipi quam nasci. Quarto, debuit nasci, quod fuit in die natiuitatis eius iam preterita.

---

84-85: Ier. 23, 5. | 91-92: Is. 11, 1. | 100: cf. Is. 11, 1. | 103: Mt. 2, 23. | 105: cf. Mc. 1, 24; cf. Lc. 18, 37; cf. Io. 18, 5. | 108-109: Ps. 77, 25. | 109-110: Io. 12, 24.

92-93: cf. Aug. Hipp., *De Symb. Ad Cat.*, III, 4, 4. PL 40, 655A. | 97-98: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Resp. sive Anti. de Nat. S. M., ad uesperas. PL 78, 802B. | 102: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, NT, Mt., N. PL 23, 842B.

80: Humanitatem] M humanitaiem. | Requirebantur] M riquirebantur. | 99: Temporalis] M temporalis.

120 Sed forte dices: ad recipiendum igitur redemptorem sufficiebant septem dies, scilicet: tres eterni et quattuor temporales. Sed dico quod non, quia ad nostram redemptionem requisitus fuit octauus dies hodiernus. Nam postquam decretum trinitatis fuit quod in illa carne quam assumpsit pateretur et esset mediator et pacificator inter Deum et hominem, non sufficiebat nobis illum recipere in septem diebus nisi iste dies octauus adesset. Nam in illo debuit pacificare mundum ut mediator, quia per peccatum Ade triplex fuit ortum prelium in mundo.

125 Primum inter Deum et hominem. Secundum inter angelos et homines. Tertium inter homines, scilicet: inter populum iudaicum et gentilem.

Sed primum quod erat inter Deum et hominem fuit pacatum et pacificatum in die conceptionis Christi, scilicet: in utero uirginis, quando diuinitas et humanitas osculate fuerunt. De qua dicit Apostolus ad Ephesios secundo: *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum*, scilicet: naturam diuinam et humanam in uno supposito.

130 Secunda pax inter homines et angelos fuit tractata in die natiuitatis Christi, nam prelium inter istos fuit quod angeli boni conquerebantur de hominibus dicendo: quare peccarent? Nam si non peccassent per homines sedes uacue angelorum peccantium essent reparate? Sed homines dicebant contra angelos quod si homines peccauerunt, quod hoc fuit propter mediationem unius angeli mali, qui temptauit Euam, et illa fuit causa peccati Ade. Hoc  
135 autem prelium fuit pacificatum in die natalis domini quando uenit unus angelus mediator, sicut fuit in temptatione Eue, et dixit pastoribus: *euangelizo uobis gaudium magnum, natus est uobis hodie saluator*, Luce secundo. Sed quia per mediationem unius angeli facta fuit discordia inter omnes homines et angelos, uenerunt multi angeli cum isto, ut dicitur Luce secundo: *et subito facta est cum angelo multitudo celestis exercitus laudantium Deum et dicentium: "gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bone uoluntatis"*, etcetera. Et sic ibi factus fuit contractus pacificus  
140 inter angelos et homines, licet in stabulo natiuitatis consummatus, ut patebit. Et sic licet pax facta esset inter Deum et hominem in die conceptionis Christi et in die natiuitatis eius facta esset pax inter homines et angelos, restabat pax inter ipsos homines et inter populum iudaicum et gentilem.

145 Et sic de necessitate sperabatur octaua dies, que nunc est. Et sic hodie Christus positus fuit inter duos populos, nam in die natiuitatis sue uocauit ad se populum iudaicum, scilicet: pastores. Nam cum ipse natus fuisset in populo iudaico, scilicet: in Bethleem, pastores poterant ad ipsum uenire in breui tempore. Sed uocauit gentiles de partibus longinquis et fuerunt tres reges pro tribus partibus mundi, scilicet: Asia, Africa et Europa. Ideo  
150 Augustinus in sermone secundo epiphanie dicit: «isti fuerunt primitie gentium». Et iterum dicit: «ille in presepe iacebat et magos ab oriente ducebat». Vnde fuerunt de Asia, que est principalior pars mundi, que orientalis est et maior omnibus aliis. Nam continet in se plusquam medietatem mundi. Et licet essent isti tres de Asia, fuerunt autem electi de prouinciis uicinoribus Europe et Africe, scilicet: unus de Arabia Felice, in qua est  
155 abundantia auri, unde Psalmi septuagesimo primo: *dabitur ei de auro Arabie*, etcetera. Alius fuit de prouincia Sabe, unde in Psalmo eodem: *reges arabum et Saba dona adducent*. Tertius fuit de Chaldea, ut patet in sermonibus sanctorum doctorum dicentium quod chaldei uenerunt ad Christum, etcetera. Vnde Maximinus in sermone huius diei dicit: «ecce fratres ad inquirendum regem regum una chaldeos stella preduxit», etcetera. Et sic cum iste prouincie  
160 esset remote a Iudea, non potuerunt gentiles uenire tam cito sicut iudei, sed uenerunt uocati a Christo die decimo tertio a natali eius. Et sic Christus ut ostenderet se esse mediatorem et

128-129: Eph. 2, 14. | 136-137: Lc. 2, 10-11. | 138-140: Lc. 2, 13-14. | 155: Ps. 71, 15. | 156: Ps. 71, 10.

150-151: Aug. Hipp., *Serm.*, CC, 1. PL 38, 1028D-1029A. | 158-159: cf. Max. Tau., *Hom.*, XXIII. PL 57, 274A.

pacificatorem istorum duorum populorum in medio tempore istorum tredecim dierum, scilicet: hac die, ostendit se esse mediatorem et redemptorem istorum. Nam in hac die fecit contractum redemptionis nostre. Vnde sicut fratres ordinis redemptionis, dum sunt in  
 165 Africa pro captiuis redimendis, faciunt pretium de centum uel quinquaginta captiuis redimendis pretio mille florenorum et dant decem pro arra et dicunt quod in banco mercatorum est alia quantitas pretii et ueniant numerare pecuniam, hec concordia et contractus factus est et non possunt isti fratres perdere illos captiuos nisi uellent arram illam perdere, sic fuit in nostro proposito. Nam Christus hodie fecit contractum  
 170 redemptionis nostre et dedit arram pro signo, scilicet: aliquas guttas sanguinis pretiosi, et non restabat nisi quod pretium acciperent in banco crucis. Et in illo pretio sanguinis accepto fuerunt captiui de carcere limbi accepti et liberati. Et sic patet quod hodie contractus redemptionis fuit factus et sic non suffecerunt dies septem, sed necessarium erat ut esset dies octaua ut ostenderet se esse mediatorem, pacificatorem et redemptorem totius  
 175 mundi.

Sed forte dices si fuit alia persona mediatrix ad omnia ista. Dico quod sic, scilicet: mater eius gloriosa, nam filius fuit mediator principaliter, uirgo uero instrumentaliter, non sic principalis ut filius eius. Fuit autem uirgo Maria mediatrix in omnibus his, nam pax inter Deum et homines facta fuit ista mediante, scilicet: in utero eius dicendo: *fiat mihi*, etcetera.  
 180 Aliter autem non fuisset pax inter homines et angelos, etiam ipsa mediante facta fuit in diuersorio, nam sicut in prima Christum tenuit in utero, sic in ista ipsum tenuit in presepio, unde angelus dixit pastoribus: *inuenietis infantem pannis inuolutum positum in presepio*. Et licet ista pax fuit in campo firmata, sed hodie in diuersorio fuit consummata, in quo erant pastores et angeli lucidiores.

Tertia etiam pax fuit facta mediante uirgine inter duos populos, quando tres reges uenerunt et inuenerunt puerum cum Maria matre eius. Fuit etiam uirgo Maria mediatrix quo ad redemptionem, quia licet redemptio fuerit facta immediate a Christo, sed ipsa contulit pretium redemptionis, scilicet: sanguinem, quem dedit in signum hodie et in pretium totale in cruce.  
 185

Et sic in septem diebus ueteris testamenti gratiam perditam habere non potuimus, recurrendo nunc cum deuotione ad mediatricem et pacificatricem nostram simus certi quod illam recipiemus a filio suo, *postquam consummati sunt dies octo*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.  
 190

<THEMA> *Postquam consummati sunt dies octo*, ubi supra.

In presenti sermone duo sunt uidenda, que totum euangelium declarant. Primum quod *consummati sunt dies octo* legis repromissionis, et hoc in principio euangelii tangitur, ubi dicitur: *postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer*. Secundum quod *consummati sunt dies octo* nostre reparationis, ibi: *uocatum est nomen eius Iesus*, etcetera.  
 195

Pro introductione prime partis est notandum ut dicunt doctores theologi, maxime sanctus Thomas, prima secunde, in multis locis, quod lex uetus et noua non differunt ut contraria uel ut species distincte, sed solum ut perfectum et imperfectum in eadem specie, ut homo et puer, scilicet: ut regula puerorum et regula uirorum perfectorum. Et hoc dicit Apostolus ad Galatas tertio: *lex pedagogus noster fuit*.  
 200

179: cf. Lc. 1, 38. | 182: Lc. 2, 12. | 192-198: cf. Lc. 2, 21. | 203: Gal. 3, 24.

200: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 107, a. 1, p.744.

205 Ex quo potest formari ratio ostendens quod nunc lex uetus non est seruanda, que talis  
 est: adueniente perfectione cedit imperfectio, quia si illam imperfectionem non tolleret, non  
 esset uera perfectio. Sed lex uetus fuit imperfecta, Christi uero lex fuit perfecta per notabile  
 superius positum, igitur, etcetera. Maior patet per Apostolum dicentem: *cum uenerit quod*  
*perfectum est euacuabitur quod*, etcetera, prima ad Corinthios decimo tertio. Minor probatur,  
 210 quod lex Mosi esset imperfecta patet, nam dicit Apostolus de illa quod: *nihil ad perfectum*  
*duxit lex*, ad Hebreos septimo. Hoc autem erat quia illa precepta carebant gratia, unde dicit  
 Apostolus quod erant: *egena, uacua et infirma*, ad Galatas quarto. Sed lex Christi in hoc fuit  
 perfecta, unde Iohannis primo: *lex per Mosen data est, gratia et ueritas per Christum facta est*.

215 Sed forte dices: igitur lex Mosi non fuit bona, nam Hiezechielis uicesimo habetur quod  
 dicit dominus: *dedi eis precepta non bona et cerimonias, in quibus non uiuent*. Si igitur non erant  
 bona ergo erant mala. Dicendum quod inter bonum et malum est medium. Et sic illa  
 precepta non erant bona, quia uitam gratie nec glorie dabant, sed erant utilia pro illo  
 tempore, ut Augustinus dicit ad Hieronymum. Sicut consuetudo et lex puerorum non est  
 bona ad hoc ut ducat hominem ad statum perfectum, sed non est mala pro tempore  
 220 pueritie. Et hoc est quod Apostolus dicebat prima Corinthiis decimo tertio: *dum eram*  
*paruulus loquebam ut paruulus, sapiebam, etcetera, nunc autem factus uir euacuauit que paruuli sunt*,  
 etcetera. Et sic patet quod lex Mosi que in septem diebus continebatur fuit euacuata.

Prima autem dies fuit decima quinta primi mensis, scilicet: pascha azimorum quando  
 egressi fuerunt de Egipto.

Secunda fuit quinquagesima ab ista die, quando in monte Sinai receperunt legem.

225 Tertia dies fuit decima quinta septimi mensis, que dicebatur “scenophegie” uel  
 “tabernaculorum”.

Quarta dies fuit expiationis uel ieiunii maximi, scilicet: ante diem preteritam uel dictam,  
 scilicet: decima mensis septimi.

Quinta dies fuit aliorum ieiunorum, ut Hester et aliorum in lege mandatorum.

230 Sexta dies fuit sacrificiorum.

Septima dies sabbati.

235 Preter autem istos, septem dies fuit dies octaua, scilicet: circumcisionis, que non proprie  
 fuit ex lege sed ex patribus. Nam Abrahe fuit data quadringentis annis ante legem et si  
 probauerimus quod isti octo dies fuerunt completi et consummati, poterimus dicere quod  
 lex Mosi et repromissionis non sit seruanda *postquam consummati sunt dies octo*. Quo ad  
 primum.

Sed quia ad declarandos istos octo dies sermo esset longus, ideo solum tres dies  
 posteriores pro presenti sermone uidebimus, scilicet: qualiter sacrificia ueteris testamenti et  
 dies sabbati et circumcisionis cessauerunt.

---

207-208: I Cor. 13, 10. | 209-210: Hbr. 7, 19. | 211: Gal. 4, 9. | 212: Io. 1, 17. | 214: Ez. 20, 25. | 219-220: I  
 Cor. 13, 11. | 235: cf. Lc. 2, 21.

217: cf. Aug. Hipp., *Ep.*, LXXV, 4, 14. *PL* 33, 259B.

208: Prima] M, X secunda. | 222: Azimorum] M azmiorum.

240 Pro introductione sacrificiorum est notandum quod, ut doctores theologi dicunt, precepta legis ueteris, que erant in numero sescentos tredecim, erant diuisa in tribus speciebus, scilicet: in preceptis moralibus, iudicialibus et cerimonialibus, unde Moses in persona domini dixit Deuteronomii sexto: *hec sunt precepta et cerimonie, atque iudicia que mandauit dominus Deus uester, ut dicerem uobis et faciatis*, etcetera. Vnde istorum aliqua erant circa  
 245 mores et hec dicuntur “precepta”, ut sunt decem mandatorum, etcetera; aliqua circa modum colendi Deum et dicuntur “cerimonie”; aliqua circa iustum hominis conuictum et dicuntur “iudicia”.

Quod autem iudicialia debuerunt cessare patet, nam lex uetus fuit rigoris, noua uero amoris, unde Augustinus: «breuis legum differentia amor et timor». Vetus autem dicebat:  
 250 *dentem pro dente, oculum pro oculo*, etcetera, et ideo tunc dicebatur: *Deus ultionum dominus*, etcetera. Patet hoc, nam pro peccato sodomitico perierunt innumerabiles anime, ut patet Genesis decimo nono. Item pro peccato adorationis uituli perierunt uiginti tres milia anime, ut patet Exodi tricesimo secundo. Item pro populi numeratione perierunt septuaginta milia anime, ut patet secundo Regum uicesimo quarto. Et sic patet quod lex Mosi fuit timoris et  
 255 rigoris, sed lex Christi fuit amoris. Et hoc iuste, quia si illa Mosi fuit puerorum et imperfectorum, qui castigantur flagellis, Christi uero uirorum, qui amore ducuntur. Hanc enim legem desiderabat Dauid in Psalmo centesimo decimo octauo dum dicebat: *legem pone mihi, domine*, etcetera. Et in alio declarat dicens: *ostende nobis, domine, misericordiam tuam et salutare tuum da nobis*, quia in aduentu saluatoris, qui “salutare” dicitur in sacra scriptura.  
 260 Ideo dicit Symeon: *uiderunt oculi mei salutare tuum*, etcetera. Ideo qui uellet illum rigorem nunc sequi, negaret Christum cum misericordia uenisse, unde dicit Hieronymus ad Damasum papam in homilia de filio prodigo dicens: «lex uetus clementiam non habebat», sed misit Deus filium suum factum sub lege, ut austeritatem legis gratie euangelii temperaret. Quod autem lex uetus fuerit grauis patet per dictum beati Petri, Actuum decimo quinto, dicens de lege: *ingum quod nec nos nec patres nostri portare potuerunt*. Sed Christus dicit de lege sua: *ingum enim meum suauis est et onus meum leue*, quod patet per multa que hic dimittuntur. Et sic patet quod nullus debet illa intentione secundum illorum rigorem iudicare, nam tunc negaret misericordiam et benignitatem Christi uenisse in terris.

270 Secundo, patet de cerimonialibus, nam ista erant figure futurorum et sic adueniente ueritate debebant cessare, etcetera. Ex quo patet quod omnia sacrificia ueteris testamenti, cum ordinarentur ad illud supremum sacrificium Christi in cruce, debuerunt cessare completo illo.

Sed forte dices: Augustinus et ceteri doctores catholici dicunt quod omnis lex habuit sacrificia aliqua, sed cum illud sacrificium Christi in hora mortis fuerit terminatum, quia:  
 275 *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*, igitur lex Christi nullum nunc habet sacrificium. Dicendum quod lex gratie habet nunc sacrificium altaris, nam sicut omnes saluati fuerunt in fide et spe mortis Christi, qui illum precesserunt, sic qui sequuntur saluantur in memoria illius passionis, unde Psalmi centesimo decimo: *memoriam fecit*, etcetera. Et hoc debet usque ad finem mundi durare, unde Psalmi centesimo primo: *domine, memoriale tuum in generatione et generatione*, etcetera. Nam quod omnia alia essent terminanda ad istud dicit Dauid in Psalmo quadragesimo nono: *non accipiam de domo tua uitulos neque de gregibus tuis*, etcetera, *immola Deo sacrificium laudis*. Quale fuit hoc sacrificium dicit idem in Psalmo eodem: *sacrificium laudis honorificauit me et illic iter*, quia dicitur uiaticum ad gloriam *quod ostendam illi salutare Dei* dicitur.

243-244: Dt. 6, 1. | 250: cf. Ex. 21, 24; cf. Ps. 93, 1. | 252: cf. Gn. 19, 24. | 253: cf. Ex. 32, 28. | 254: cf. II Sm. 24, 15. | 257-258: Ps. 118, 33. | 258-259: Ps. 84, 8. | 260: cf. Lc. 2, 30. | 265: Act. 15, 10. | 265-266: Mt. 11, 30. | 275: cf. Rm. 6, 9. | 278: Ps. 110, 4. | 279-280: Ps. 101, 13. | 281-282: Ps. 49, 9-14. | 283: Ps. 49, 23.

249: Aug. Hipp., *Con. Ad. Man. Disc.*, 17, 2. PL 42, 159A. | 262: Hier., *Ep.*, XXI, 2. PL 22, 380D.

285 Non solum ostendit per fidem, sed per multa miracula ostendit dubitantibus ibi esse saluatorem mundi, etiam in regnis nostris patet in corporalibus Daroce, etcetera. Et sic patet quod omnia sacrificia debuerunt cessare facto sacrificio altaris, scilicet: crucis Christi Iesu.

Tertio, moralia debebant remanere usque ad finem mundi.

290 Et si dicis: igitur aliquid remanet legis mosaice. Dicendum quod ista non erant ex lege ueteris, sed ex dictamine rationis naturalis, et cum essent a lege nature, semper fuerunt et erunt necessaria, etcetera. Et sic in eis nullus potest dispensare, non solum homo purus, sed nec Deus potest dispensare in illis preceptis que sunt in prima tabula, ut dicit sanctus Thomas in prima secunde, questione centesima, nam si Deus dispensaret in illis, iam non esset Deus. Non enim potest cum aliquo dispensare quod non diligat illum super omnia,  
295 quia cum aliquid super omnia sit diligendum, illud iam esset Deus et non ipse et sic negare seipsum non potest, etcetera.

Et sic patet primum.

300 Secundo, patet etiam quod dies sabbati non sit seruanda nunc. Ratio est hec, nam «cessante causa cessat effectus», ut dicunt philosophi naturales uel ut dicunt iurisperiti: “cessante ratione uel causa legis debet cessare lex”. Sed hodie nulla causa est ad seruandum et colendum hanc diem, igitur, etcetera. Triplex autem fuit causa precipiens seruare sabbatum.

305 Prima fuit terminus creationis rerum quam habemus Exodi uicesimo, ubi dicitur: *memento ut diem sabbati santifices*, etcetera. Dat causam dicens: *sex diebus fecit Deus celum et terram*, etcetera. Et sic pro termino huius creationis ad referendum gratias Deo precipitur, etcetera.

Secunda causa fuit memoria liberationis a captiuitate Egipti, ut habetur Deuteronomii quinto, ubi dicitur: *obserua diem sabbati*, etcetera. Infra dat causam huius dicens: *memento quod ipse seruieris in Egipto*, etcetera, *idcirco tibi precepit ut obserues diem sabbati*.

310 Tertia causa fuit, quia significabat requiem domini, unde habetur Deuteronomii quinto: *sex diebus operabis et facies omnia opera tua, septimus dies sabbati est, id est, requies domini Dei tui*. Sed hodie propter nullam istarum causarum debet seruari, quod patet non autem propter primam, nam ille non fuit terminus precisus creationis. Et sic non dixit Genesis primo quod requieuit dominus ab omni opere, sed dixit: *ab omni opere quod patrarat*. Et sic dum  
315 iudei uoluerunt Christum accusare de fractione sabbati, quando sanauit hominem in piscina existentem, ut habetur Iohannis quinto, dixit Christus: *pater meus usque modo operatur et ego operabor*.

320 Si autem dicis: omnes species fuerunt create in illis sex diebus et postea solum indiuidua illarum specierum et sic nihil nouum factum nec creatum fuit. Dicendum quod aliqua species nouiter fuit creata postea, ut est gloria anime et communicatio illius in corpore. Nam prima gloria anime fuit creata in instanti conceptionis Christi et communicata corpori suo in die resurrectionis eius. Et hoc est quod dicit Augustinus: «sabbatum non seruat christianus, quia factum fuit quod ante non fuerat». Et non solum christianus, sed nec

---

304-305: Ex. 20, 8-11. | 308-311: Dt. 5, 12-15. | 314: Gn. 2, 2. | 316-317: Io. 5, 17.

293: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 100, a. 8, pp.660-661. | 299: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 96, a. 3, p. 686. | 322-323: Aug. Hipp., *Con. Fau. Man.*, XIX, 9. PL 42, 353D.



325 iudeus hodie seruat sabbatum, nam ut habetur Iosue decimo: *quod stetit sol et non fuit motus in*  
*spatio unius diei*. Et sic ut dicunt doctores, dies illa fuit dupla, clarum est quod tempus non  
 stetit per motum primi mobilis, quia motus solis non causat tempus. Nam prima die,  
 secundum omnes doctores, fuit tempus creatum et quarta die fuit creatus sol et sic in illo  
 330 spatio temporis sol non fuit raptus a primo mobili, sed dimissus in suo motu. Nam suo  
 proprio motu in zodiaco potuit sol moueri, quia in die artificiali non mouetur ab occidente  
 in oriens, etiam per medium gradum, qui est quantitas insensibilis in zodiaco, cum in anno  
 moueatur gradibus trecentis sexaginta. Et sic cum prelium Iosue fuerit in die ueneris, ut  
 aliqui doctores dixerunt, cum illa dies fuerit duplicata et in die sequenti illi celebrarent  
 sabbatum, clarum est quod in die dominica festiuarent. Hoc idem sequitur in quacumque  
 335 die fuerit illud prelium Iosue, cum duplicetur dies in illa die, clarum est quod sabbatum  
 festiuarent in die dominico.

Sed forte aliquis diceret quod illa dies dominica duplicata tempore Iosue non fuit dies  
 naturalis, scilicet: uiginti quattuor horarum, sed solum dies artificialis, scilicet: duodecim  
 horarum. Dico quod uerum est, sed clarum est quod dies naturalis fuit addita, nam ut  
 habetur quarto Regum uicesimo et Isaie tricesimo octauo capitulo: *dum egrotaret Ezechias,*  
 340 *etcetera, stetit sol et reuersus fuit decem lineis in horologio Acaz,* que fuerunt decem hore. Et sic  
 habemus iam uiginti duas horas augmenti. Sed gloria communicata anime Christi fuit in die  
 resurrectionis eius, scilicet: in nocte inter sabbatum et dominicam diem. Nam resurrectio  
 Christi facta fuit secundum omnes doctores post medium illius noctis et magis circa  
 auroram quam circa medium noctis, sed cum esset in equinoctio, in quo sunt sex hore a  
 345 media nocte usque ad diem, si equaliter esset resurrectio Christi facta inter mediam noctem  
 et auroram, esset in tertia hora ante diem. Sed cum omnis opinio sit quod magis  
 appropinquauit ad auroram, sequitur quod quando anima Christi fuit unita corpori et fecit  
 illud gloriosum, quod fuit duabus horis ante diem dominicam, et sic addendo duas horas  
 uiginti duas sunt omnes uiginti quattuor et sic est dies naturalis. Et sic patet quod etiam ad  
 350 litteram iudeus non seruat sabbatum et sic propter hanc causam primam etiam non debet  
 seruari, nec etiam propter secundam, scilicet: propter memoriam liberationis a captiuitate  
 Egipti. Nam ut habetur Hieremie uicesimo tertio: *ecce dies ueniunt –dicit dominus– et non dicetur*  
*ultra: “uiuuit dominus qui duxit et adduxit semen domus Israhel de terra aquilonis”*. Igitur si sabbatum  
 uel obseruantia sabbati erat in memoria liberationis a captiuitate Israhel de terra Egipti, cum  
 355 illa memoria debuit cessare, ut dicit propheta, igitur celebratio sabbati debebat cessare.

Sed forte dices: dato quod sabbatum non esset festiuandum in memoriam liberationis de  
 Egipto, sed tunc erat celebrandum propter liberationem a captiuitate Babilonie, de qua  
 loquebatur Hieremias in capitulo predicto dicens: *et non diceretur ultra: “uiuuit dominus”*,  
 etcetera, *sed “uiuuit dominus qui eduxit de terra aquilonis”*, etcetera. Dico quod clarum est quod  
 360 non erat preceptum domini de seruando sabbato in memoriam captiuitatis Babilonie, sed in  
 memoriam liberationis ab Egipto, et illa memoria debebat cessare. Clarum est quod etiam  
 hoc, scilicet: celebratio sabbati, debebat cessare, nec potest esse in memoriam liberationis  
 Babilonie nec propheta Hieremias loquitur de illa, ut dixi in sermone decimo quarto, folio  
 tricesimo primo. Et sic patet quod nec propter hoc secundum debet seruari sabbatum.

365 Quod autem propter tertium non sit seruandum patet, nam erat cerimoniale et  
 cerimonialia adueniente ueritate debebant cessare, ut diximus. Quod autem fuerit  
 cerimoniale patet Exodi tricesimo primo dicens: *locutus est dominus ad Moysen dicens: “loquere*  
*filiis Israhel et dices ad eos: uidete ut sabbatum meum custodiat, quia signum est inter me et uos”*,  
 etcetera. Significabat enim quietem domini in sepulchro et quietem sanctorum in gloria, ut

---

324-325: Ios. 10, 13. | 339-340: cf. IV Rg. 20, 1-11; cf. Is. 38, 1-8. | 352-353: Ier. 23, 7-8. | 358-359: Ier. 23, 7-8. | 367-368: Ex. 31, 13.

370 dicit sanctus Thomas in tertio, distinctione tricesima septima, articulo quinto; et in prima  
 secunde et secunda secunde, in multis locis. Quod autem fuerit cerimoniale patet etiam in  
 prophetis, nam Hiezechielis uicesimo capitulo dicit dominus: *sabbata mea dedi eis ut essent*  
*signum inter me et eos*, etcetera. Quod autem esset cerimoniale non solum patet in lege et in  
 375 Colossenses secundo: *nemo uos iudicet in cibo aut in potu aut in parte diei festi aut neomenie aut*  
*sabbatorum, que sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*. Et sic dicit Apostolus quod  
 sabbatum erat figura et umbra corporis Christi quiescentis in die sabbati in sepulchro. Igitur  
 cum hoc sit impletum, iam non debet nunc seruari, etcetera.

Sed forte dices contra: quia dixistis quod moralia debebant remanere, sed sabbatum est  
 380 unum preceptum de decem moralibus, igitur, etcetera. Dicendum quod sabbatum erat  
 partim morale et partim cerimoniale. Quo ad morale debebat remanere, non autem quo in  
 quantum cerimoniale. Erat autem morale in quantum alia dies erat danda de tempore  
 domino Deo, sed quod illa esset septima uel octaua, illud erat cerimoniale et poterat uariari.  
 Nam sic de bonis temporalibus est aliquid dandum Deo, ut puta decimam uel primitiam, et  
 385 illud est morale et debet semper permanere. Sed taxatio illius partis est cerimoniale, scilicet:  
 dare decimam partem uel pro primitia tricesimam partem. Hoc est cerimoniale et potest  
 uariari secundum necessitatem personarum uel ecclesiarum et templi. Sic in proposito,  
 assignare de tempore aliquam diem ad seruitium Dei hoc erat morale, sed assignare istam  
 uel illam erat cerimoniale. Et cum secundum hoc significaret quietem domini in sepulchro,  
 390 oportuit quod cessaret, quia aliter non crederet Christum resurrexisse. Et si ista die cessante  
 oportebat aliam diem assignare ad laudem Dei, debebat enim esse dies dominica propter  
 beneficium in hac die susceptum. Nam propter hoc nunc aliqua dies festiuatur, ut patet. In  
 hac autem die fuit creatum: «celum empireum, natura angelica, tempus et materia prima». Item  
 in hac die fuit glorificatum corpus Christi dum resurrexit, in hac die misit spiritum  
 395 sanctum, etcetera. Et sicut etas octaua erit resurgentium, sic hec dies post resurrectionem  
 semper manebit, ut dicunt doctores, nam post resurrectionem sol remanebit in oriente die  
 dominica et luna in occidente et alia dies non succedet. Ex quo patet quod sabbatum non  
 remanebit.

400 Quod autem dies circumcisionis debebat cessare patet per eadem rationem, scilicet:  
 «cessante ratione legis debet cessare lex», sed ut dicunt doctores, triplex ratio assignatu ad  
 circumcisionem seruandam.

Primo, quia data fuit in signum et distinctionem illius populi ad alios populos uel  
 nationes.

Secundo, in remedium peccati.

405 Tertio, in significationem. Et quo ad hoc erat cerimoniale. Sed nulla istarum causarum  
 nunc militat, igitur, etcetera.

Primo, data fuit in signum ut cognosceretur ille populus electus cui data fuit lex, ut  
 prepararetur ad hoc, ut ex illo sumeret carnem filius Dei. Et sic quando iste populus fuit  
 iunctus cum aliis, semper habuit signum circumcisionis in carne, ut patet in Egipto, sed

---

**372-373:** Ez. 20, 12. | **375-376:** Col. 2, 16-17.

**370:** cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 6), lib. 3, dist. 37, q. 1, a. 5, p. 950; *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 100, a. 5 ad 2, pp. 656-657; q. 102, a. 4 ad 10, pp. 690-691; (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 122, a. 4, pp. 730-731. | **393:** cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 46, a. 3, p. 342. | **400:** cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 96, a. 3, p. 686.

**393:** Empireum] M impireum.

410 quando fuit solus sine mixtione aliorum, ut in deserto, non fuit aliquis circumcisis, sed solum in ingressu terre sancte, ut patet Iosue quinto. Et sicut ille populus erat carnalis et ex eo assumpturus erat carnem filius Dei, sic habuit signum in carne. Sed nunc quando iam uenit redemptor noster, qui non habet unum solum populum, sed totum mundum et unum et hic populus est spiritualis, ideo dedit illi signum spirituale in anima per characterem, etcetera. Quod autem in aduentu redemptoris non esset in mundo nisi unus solus populus patet in lege Genesis quadragesimo nono: *ipse erit expectatio gentium*. Patet in prophetis, Isaie quadragesimo nono: *dedi te in lucem gentium*. Patet in Psalmis, unde Psalmi secundo: *possessionem tuam terminos terre*, et Psalmi septuagesimo primo: *dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum*. Et sic ante aduentum Christi erat populus iudaicus electus et segregatus a populo gentili et sic signatus. Sed in eius aduentu, cum omnes sint unus populus, nullum requiritur signum. Nam si non esset nisi unus grex in mundo, non esset necesse illum signare. Quod autem illo iam ueniente non sit distinctio populorum patet per Hiezechielem capitulo tricesimo septimo loquentem de eius aduentu dicit: *ecce adducam filios Israhel et non erunt ultra due gentes nec diuentur amplius in duo regna et rex unus erit omnibus imperans*, scilicet: Christus, *et erunt mihi populus et ego ero eius Deus et seruus meus Dauid rex super eos et pastor unus erit omnium eorum*. Clarum est quod loquitur de messia descendente a Dauid secundum carnem, nam tempore Hiezechielis iam ante per annos quadringentos septuaginta mortuus fuerat Dauid. Ideo Christus dixit, Iohannis decimo: *ego sum pastor bonus*, et omnes oues mundi erant suus populus. Ideo dicit: *alias oues habeo, que non sunt ex hoc ouili, quas opus me adducere et fiet unum ouile et unus pastor*. Igitur agareni nolunt uenire ad ecclesiam, que est ouile Christi, debent signari, ut mandat Decretalis De Iudeis et Sarracenis, capitulo “In Nonnullis”. Nam dicit Innocentius Tertius quod in consilio generali fuit determinatum quod iudei et sarraceni utriusque sexus debebant in terris christianorum uti habitu per quem a christianis discernantur, etcetera. Hoc idem fuit statutum per regem Iacobum Secundum in curia generali Cesaraguste, ut patet in foro quod agareni incedant signati sub pena pecuniaria, et si illam penam non possint soluere, quod puniantur flagellis, etcetera. Igitur si non ueniunt ad ouile Christi isti sarraceni, debent in alio ouili separari. Non debent misceri cum christianis, quia ex hoc multa mala sequuntur. Item non debent audiri alia uox in grege nisi proprii pastoris, unde Christus dicit de ouibus suis: *et uocem meam audient*. Nunc autem in terris christianorum inuocatur nomen Machometi, quod est contra Christi honorem et prohibitum per Clementinam unicam De Iudeis et Sarracenis et per forum regis Iohannis Secundi. Sed hodie nullus est Christi procurator. Et sic patet quod propter istam rationem non debemus hodie uti circumcisione.

445 Secundo, patet quod nec propter secundam causam, scilicet: in remedium peccati, quia adueniente medicina perfectiori cessat imperfecta, sed baptismus est medicina perfectior ipsa circumcisione, igitur, etcetera. Quod autem circumcisio esset imperfectior baptismo et baptismus perfectior medicina patet, quia baptismus fuit uniuersalior, scilicet: pro masculis et feminis, fuit facilius ad sumendum, quia circumcisio cum sanguinis efusione, baptismus cum sumpsione aque modice.

450 Tertio, quia baptismus copiosam gratiam dedit plusquam circumcisio. Exemplum: si quis in infirmitate aliqua peteret medicinam et daretur ei impastrum, quod solum tolleret dolorem et esset infirmo penosum illud accipere, ueniret alter et diceret ei: “ecce dabo medicinam leuiorem et meliorem”, scilicet: cum modico aque, “non solum tollet dolorem, sed etiam omnem infirmitatem”; clarum est quod ille infirmus dimittet impastrum et

---

411: cf. Ios. 5, 3. | 416: Gn. 49, 10. | 417: Is. 49, 6. | 418: Ps. 2, 8. | 418-419: Ps. 71, 8. | 423-426: Ez. 37, 21-24. | 428-430: Io. 10, 14-16. | 439: cf. Io. 10, 16.

431: cf. Gre. IX., *Decr.*, V, 6, 15, col. 776-777. | 441: cf. Cle. V., *Decr.*, V, 2, 1, col. 1180.

455 sumeret illam aquam. Sic in proposito, dimittenda est circumcisio, que in effusione sanguinis consistebat et sumenda est aqua baptismi leuior et fructusior, etcetera.

Tertio, patet quod nec propter tertiam causam debet nunc seruari, scilicet: propter significationem.

Significabat enim tria.

460 Primum quod redemptor debebat uenire de illo populo secundum carnem.

Secundum significabat modum aduentus eius quod, scilicet: sine uiri semine. Et ideo abscindebatur pellicula illius membri, per quod semen emittitur. Et hec fuit causa quare mulieres non circumcidebantur. Nam ex uiro non erat sumenda caro, quia descendebat de Daudid secundum corpulentem substantiam et non secundum rationem seminalem, sed ex  
465 matre perfecte oriebatur, nam quidquid mater communicat filio, hec uirgo Maria illi debuit communicare. Et sic nihil a muliere auferebatur per circumcisionem, sed solum a uiro.

Tertio, significat modum redemptionis, quia per sanguinis effusionem erat fienda, etcetera, sed cum omnia ista tria nunc sint impleta, quia iam carnem assumpsit et sine semine uiri et facta est redemptio mediante sanguinis effusione, igitur qui nunc seruaret  
470 circumcisionem negaret omnia ista esse impleta et sic esset hereticus. Vnde Apostolus dicit ad Galatas quinto: *ecce ego Paulus dico uobis quod si circumcidimini Christus nihil uobis prodest, testificor omni circumcidanti se debitor est uniuerse legis seruande*, etcetera, sed lex impleta est, igitur, etcetera. Et cum neget Christum uenisse, ideo Christus illi nihil prodest, unde dicit Apostolus: *dico Iesum ministrum fuisse circumcisionis in ueritate ad confirmandas promissiones patrum*,  
475 ad Romanos decimo quinto. Igitur fuit terminata per Christum. Ideo dixit ipse Christus: *non ueni legem soluere, sed adimplere*, Matthei quinto.

Christus autem impleuit legem tripliciter.

Primo, in se sumendo, unde dici solet quod presentia regis implet festiuitatem aliquam. Sic maius quod potuit habere lex Mosi fuit quod dator legis reciperet illam legem.

480 Secundo, impleuit legem illam dando quod ei deficiebat, scilicet: ueritatem promissam, et sic dicit mercator uel creditor, dum uult soluere quod promisit: “uenio ad implendum promissa”.

Tertio, impleuit legem illam terminando, et sic dicit seruus dum non impleuit tempus in seruitio domini sui: “uenio ad implenum tempus anni”, etcetera.

485 Vnde, o Hispania!, gratias immensas debes Deo reddere de tua illuminatione et liberatione a tam inmanissima heresi, nam hec fuit crudelior cunctis.

Primo, duratione, nam a principio legis Christi per apostolos fuit damnata, ut patet Actuum decimo quinto.

490 Secundo, hec uniuersalior in toto mundo patet, nam lex Machometi in ista fundatur. Patet de hoc quod accipit arietem sumit circumcisionem, uetat carnes porcinas, suffocatum et sanguinem et multa alia, etcetera.

Tertio, hec non errat in aliquo articulo, sed tota lege, etcetera.

---

471-472: Gal. 5, 2-3. | 474-475: Rm. 15, 8. | 475-476: Mt. 5, 17. | 488: cf. Act. 15, 2.

495 Quarto, multe hereses fuerunt propter excellentiam Christi, ut patet dicentium quod ex muliere non accepit corpus, sed de celo, etcetera. Item dicentium quod Christus non fuit mortuus a iudeis uilissimis, etcetera, sed hec in odium Christi, unde ipse dicit de istis: *odio habuerunt me gratis.*

Quinto, hec disponit ad receptionem antichristi, ut dicunt doctores, qui totum accipiet.

500 Igitur, o christiane, dimitte iugum importabile, ut dicit beatus Petrus, Actuum decimo quinto: *iugum quod nos nec patres nostri portare potuimus.* Noli iam fundere sanguinem, postquam Christus fudit suum pro te, noli soluere debitum iam solutum pro te, sed solue illi redemptori, qui pro te fudit, et ille non uult aliud nisi quod doleas de preteritis, proponas nunquam redire ad illud et petas misericordiam et ueniam. Et si hoc facis, ille dabit tibi hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

495-496: cf. Io. 15, 25. | 499: Act. 15, 10.

## SERMO CENTESIMVS QVADRAGESIMVS TERTIVS ET PRIMVS IN DIE EPIPHANIE

<THEMA> *Venite adoremus*, Psalmi nonagesimo quarto.

Originaliter uerbum reperi, etcetera.

5 Sententia est Magistri in tertio, distinctione nona, et aliorum doctorum ipsum sequentium, quod adoratio sumitur dupliciter. Vno modo proprie, et sic conuenit ipsi Deo, ut principio creationis et gubernationis et recreationis; alio modo communiter, et sic conuenit ipsis sanctis, ut participantes aliquid ab eo. Et habent pro determinata et uera conclusione quod inter omnes sanctos excellentior adoratio debetur uirgini Marie et ratio est quia ea que conueniunt sanctis excellentiori modo conueniunt uirgini. Probatum autem  
10 hec conclusio tripliciter. Primo, ratione cause adorationis. Secundo, ratione filii adorati. Tertio, ratione significationis.

Primo, motuum et causa quare adoramus Deum est triplex, ut dicunt doctores.

15 Primo, quia creator. Secundo, quia conseruator et gubernator. Tertio, quia recreator et redemptor. Et licet ista tria ipsi Deo competant proprie, sed magis in hoc participauit uirgo Maria quam aliquis sanctorum.

Primo, quo ad creationem, ut patet ex sermone centesimo uicesimo secundo in principio.

20 Secundo, conseruatio et gubernatio ipsius mundi etiam facta fuit mediante uirgine Maria, nam ut dicunt doctores, dum Adam et Eua peccarunt, dignum fuerat quod anihilarentur. Nam sicut ex nihilo illos creauerat Deus ut ei obedirent et seruirent, dum fuerunt inobedientes debebant in nihilum reuerti. Exemplum: si quis rex sumeret pastorem et faceret illum comitem ut ei seruiret, si talis factus fuisset inobediens, minimum quod rex illi poterat dare esset reducere illum pristinum statum, scilicet: ad gregem, sicut fecit ipsi Dauid, nam: *de post fetantes accepit eum*, ut ipse dicit. Cum igitur Adam et Eua creati fuerunt  
25 quo ad animam ex nihilo, per peccatum debuerant conuerti in nihil et de facto sic esset, nisi quia de posteritate sua sperabatur una uirgo, scilicet: Maria, qua mediante mundus erat reparandus et propter illam fuit mundus conseruatus. Exemplum: si quis haberet in horto suo aliquod rosarium et dum illud coleret, per aculeum domino lederet, iustum esset quod dissiparetur, sed propter hoc quod ex illo speratur rosa pulcherrima tolleratur. Sic fuit de  
30 uirgine, unde cantat ecclesia: «sicut spina rosam, genuit Iudea Mariam». Item Canticorum secundo: *sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias*, dicit sponsus. Item gubernatio totius mundi principaliter est a Deo, sed fit mediante uirgine, nam dicit Bernardus: «nihil ad nos uenire uoluit quod manibus uirginis non transiret».

35 Tertio, recreatio in redemptione facta fuit mediante Maria et nulla alia creatura tam intime interfuit sicut ipsa. De his omnibus dicit Bernardus in sermone: «merito uirgo ad te respiciunt oculi totius creature, quia per te, de te et in te benigna manus omnipotentis quidquid creauerat recreauit».

---

2: Ps. 94, 6. | 24: cf. Ps. 77, 70. | 31: Ct. 2, 2.

4: cf. Petr. Lom., *Sent.*, III, 9, 2. PL 192, 776C. | 30: cf. Fulb., *Hymn.*, XI. PL 141, 345A. | 32-33: Bern. Cl., *In Vig. Nat. Dom.*, III, 10. PL 183, 100A. | 35-37: cf. MF. Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328B.

5: Sequentium] M sequentum. | 7: Determinata] M deterrainta. | 10: Adorationis] M adorotionis. | Adorati] M adoroti.

Secundo, probatur ratione filii tripliciter.

40 Primo, quia: «si dominum in sanctis laudare iubemur, multo plus sancta celos migrante  
 Maria dominum, que genuit, celos qui cuncta creauit», ut cantat ecclesia et est Hieronymi.  
 Ideo si adoramus adoratione dulia omnes sanctos qui aliquando (ut dicit Iohannes) fuerunt  
 Dei inimici per peccatum, multo plus debet adorari mater Christi, que nunquam fuit sub  
 aliquo peccato, sed separata ab omni peccato et plus sancta quam aliquis sanctorum. Ideo  
 45 dicit Dauid in Psalmo nonagesimo octauo: *adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est,*  
 scilicet: per excellentiam. Nam sicut scabellum est reclinatorium alicuius, sic uirgo Maria  
 fuit Dei filii, et sicut est clausum omni parte, sic in ea filius Dei requieuit, unde Ecclesiastici  
 uicesimo quarto: *qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.* Et sic requieuit quod ipsa non fuit  
 aperta nec corrupta, sed uirgine permanente.

50 Secundo, si sancti adorantur in eo quod aliquam uirtutem a Deo participati sunt, multo  
 magis uirgo Maria, que fuit excellentius plena omni gratia et uirtute, etcetera.

Tertio, quia mater Christi, nam si Deus uult laudari in omni sancto, quia est amicus eius,  
 multo plus in uirgine que est mater eius, ut diximus. Vnde Hieronymus in sermone  
 Assumptionis uirginis dicit: «honor matris eius est qui est natus ex ea». Item Bernardus in  
 sermone dicit: «non est dubium quidquid in laudibus matris proferimus ad filium  
 55 pertinere», etcetera.

Tertia ratio sumitur ratione significationis hodiernae, nam si reges hodie aurum dederunt  
 Christo ut regi, cum hec fuerit regina celi ut cantat ecclesia: «regina celi, letare», etcetera,  
 igitur, etcetera.

60 Secundo, thus significans quod erat sacerdos magnus, qui sacrificium nostre  
 redemptionis debebat immolare. Propter hoc etiam uirgo Maria est adoranda, nam si ipse  
 est sacerdos, ipsa uere diaconissa illius sacrificii, quia officium diaconi est ministrare  
 sacerdoti et dare ei materiam sacrificii et recipere oblationes a populo. Sic uirgo Maria fecit.

Primo, ministravit filio Dei, unde dicit Ecclesiastici uicesimo quarto: *coram ipso ministravi,*  
 etcetera.

65 Secundo, dedit illud quod patri sacrificauit, scilicet: carnem pretiosam.

Tertio, recepit oblationes a populo presentando illos Deo, unde Dauid dicebat: *dirigatur*  
*domino oratio mea sicut incensum in conspectu tuo,* Psalmi centesimo quadragesimo, sic Maria  
 representat Deo, unde Bernardus: «si quid Deo paras, totum Marie commenda, si non uis  
 habere repulsam».

70 Tertio, obtulerunt murrum Christo significantes quod mortem sanctissimam pro nostris  
 peccatis erat passurus. Sic uirgo simili modo est adoranda, nam mors sua fuit pretiosior  
 morte omnium sanctorum, non sicut mors filii, sed media inter mortem filii et aliorum  
 sanctorum. Nam mors filii fuit redemptiua et satisfactoria pro peccato Ade, mors aliorum  
 sanctorum erat solutoria, quia soluebat debitum peccati originalis, unde: *statutum est*  
 75 *hominibus semel mori,* scilicet: peccatoribus, sed uirgo Maria (cum non fuerit in peccato

---

41: Iohannes] *NI.* | 44: Ps. 98, 5. | 47: Sir. 24, 12. | 63-64: Sir. 24, 14. | 66-67: Ps. 140, 2. | 74-75: cf. Hbr. 9, 27.

39-40: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 4. *PL* 30, 126BC. | 53: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 8. *PL* 30, 130B. | 54-55: Bern. Cl., *Hom.*, IV, 1. *PL* 183, 78C. | 57: cf. Anti. B. M. V. | 68-69: Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 18. *PL* 183, 448AB.

concepta) non ex debito debuit mortem, sed fuit facta mortalis ut naturam mortalem filio Dei daret. Vnde murra significat mortem et sicut murra est triplex, sic mors.

Prima murra est illa que guttatim uoluntarie exit ab arbore, sicut rasina a pino, et hec est murra prima uel probatissima et pretiosior, ut dicit Isidorus.

80 Alia est murra que exit ab arbore per mortem arboris, ut cum arbor pini totaliter secceatur exit quedam rasina ab eo per mortem eius.

Tertia murra est media inter istas et causatur per aliquam scisionem in latere arboris sine eius morte, ut patet in pino quando fit in ea aliqua scissura et exit rasina ex eo.

85 Prima murra uoluntaria significat mortem Christi, que facta fuit uoluntarie, ut nos redimeret, et hec est prima et pretiosior.

Alia que fit per sectionem et mortem arboris significat mortem omnium aliorum, que fuit ut pretium solueret peccati originalis. Sed media que fuit sine morte et fuit per aliquam scissuram, fuit mors uirginis, que non fuit per solutionem peccati, sed propter redemptionem nostram. Non ut ipsa redimeret, sed ut daret mortalitatem illi qui mori non poterat. Et sic fuit media inter mortem Christi et nostram. Ideo dicit ipsa, Ecclesiastici uicesimo quarto: *ego quasi murra electa*, etcetera. Non electa ut mors filii, sed quasi, unde ipsa dedit mortalitatem filio Dei, ideo dicitur Canticorum quinto: *digiti mei distillauerunt murram probatissimam*, scilicet: mortem Christi. Vnde dando illi naturam mortalem dedit ei possibilitatem moriendi et etiam habuit mortem compassionis, filius suus mortem passionis. Et sic non moriendo, mortua fuit, ut dicit Hieronymus de suo martyrio. Ideo dicit ipsa Canticorum primo: *fascisculus murre dilectus meus mihi inter ubera mea conmorabitur*, quia in mente assumpsit ipsa omnes passiones filii, que sufficientes erant separare animam suam a corpore, nisi quia Deus noluit nec permisit.

100 Et sic si uirgo Maria habuit mortem compassionis filii, sic habet de aliis filiis per pietatem et misericordiam, si recipit orationes nostras et illas representat, quod significatur per thus. Si dat omnes gratias ut regina solum petit ut supplicetur et adoretur ut mater. Igitur postquam excellens adoratio illi debetur, ut gratiam suam impetremus, *uenite adoremus*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Venite adoremus*, ubi supra.

105 Duo sunt uidenda in presenti sermone. Prima erit thematis introductiua. Secunda sancti euangelii expositiua.

110 Sicut excellentia Dei est maior sine comparatione quam bonitas creature, quia illa infinita, hec finita; illa propria, hec ab illa participata; sic laus, honor et adoratio Dei excellentior est humana. Et sic adoratio Dei dicitur procedere a uirtute, que dicitur "latria". Adoratio omnium creaturarum rationabilium que participant potestatem uel sanctitatem diuinam dicitur "a dulia procedere". Sed adoratio uirgini conueniens dicitur "hyperdulia", que est maior dulia et minor quam latria. Et sicut latria datur Deo ratione essentie diuine, cum in patre et filio et spiritu sancto sit una essentia, sic est una adoratio, unde Genesis decimo octauo dicitur de Abraham quod uidit tres et unum adorauit. Et licet sint rationes

91: Sir. 24, 20. | 92-93: Ct. 5, 5. | 96: Ct. 1, 12. | 102-104: cf. Ps. 94, 6. | 113: cf. Gn. 18, 2.

79: cf. Isid., *Etym.*, XVII, 8, 4. *PL* 82, 621A. | 95: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IV, 3. *PL* 30, 58C.

102: Adoremus] X aderemus.



115 adorationis distincte, quia ut est principium creationis, gubernationis et reparationis, adoratur adoratione latria, sed cum omnia ista sint ratione essentie diuine, non multiplicatur adoratio. Nam licet creatio communicaretur a Deo ipse creature, illa creatura que erraret non esset adoranda adoratione latria, quia illa adoratio deberetur Deo, qui talem excellentiam illi communicaret et non creature cui communicaretur.

120 Similiter dicendum est de gubernatione et conseruatione totius mundi et etiam de reparatione, nam licet redemptio esset facta per angelum, illi non daretur adoratio, que debetur Deo, sed soli Deo qui concederet quod per talem creaturam essemus redempti. Ideo in hymno quando dicitur: «sit laus Deo patri summo Christo decus spiritui sancto, trinus honor unus, amen». Non debet dicit “trinus honor”, sed “tribus honor unus”,  
 125 etcetera. Et cum una ratio adorationis sit redemptio, omnia illa que fuerunt unita redemptori Christo adorantur eadem adoratione cum ipso Deo, ut est humanitas unita hypostatice uerbo diuino. Non autem si consideraretur separata, non quod fuerit separata, quia: «quod semel assumpsit, nunquam dimisit». Sed potest intelligi separatim non intelligendo diuinitatem, quia: «abstrahentium non est mendacium», ut dicit Philosophus  
 130 secundo Physicorum. Vnde erraret qui intelligeret illam esse separatam et talis intellectio esset falsa, sed qui consideraret illam separatam a diuinitate, si esset possibile illam esse separatam, non adoraretur sic adoratione latria, sed adoratione hyperdulia, ut uirgo Maria. Sed ut unita eadem adoratione adoratur cum Deo, quia eadem est persona. Exemplum: si in horto meo esset arbor pretiosa et multum a me uenerata et esset inserta pars alterius in ea,  
 135 eadem ueneratione ueneraretur pars illa et tota arbor, sed si pars inserta tolleretur et separaretur ab arbore, iam non ueneraretur tali ueneratione, sicut dum fuit iuncta, sic de Christi humanitate. Item dum chaldei adorabant ignem pro Deo propter hoc quod uidebant quod omnia consumebat, sic etiam ferrum ignitum adorarent, sic in proposito.

Idem est dicendum de cruce, nam in quantum est imago Christi extensi, eadem  
 140 adoratione adoratur, ut Deus, scilicet: latria. Hoc idem est dicendum de quacumque cruce, sed si est illa in qua Christus pependit, duplici respectu adoratur tali adoratione, scilicet: ut imago et ut perfusa et balneata sanguine Christi. Alia uero crux non nisi ut representat Christum in ea extensum. Similiter imago Christi adoratur latria, quia non adoratur, ut ex ligno uel panno, etcetera. Sed ut Christum representat et non requiescit adoratio in imagine,  
 145 sed transita ad imaginatum, scilicet: Christum, ut dicit Damascenus.

Si forte dicatur: numquid preceptum erat in ueteri testamento quod non faceret quis imaginem? Vnde Exodi uicesimo: *non facies tibi sculptile neque adorabis*, etcetera. Dicendum quod imago simpliciter non fuit prohibita fieri, quia imago cherubin erat in templo et erat excellentioris creature rationalis, sed fuit prohibita imago Dei, quia populus ille erat pronus  
 150 ad idolatriam et etiam quia Deus ante incarnationem non sumpsit imaginem nostram. Sed nunc, quia iam mundus est informatus per Christi predicationem et doctrinam et filius Dei sumpsit nostram imaginem, iam non solum est permissa fieri, sed precepta ad instructionem illorum qui pauca intelligunt et ad memoriam preteritorum et ad excitandam deuotionem fidelium, ut habetur De Consecratione, distinctione tertia, capitulo “Perlatum”,  
 155 etcetera. Hoc idem a Sancto Doctore in tertio, distinctione nona, questione prima, articulo secundo, questiuncula secunda ad tertium; et secunda secunde, questione nonagesima

---

147: Ex. 20, 4-5.

123-124: cf. *Hymn.*, Ave, Maris Stella. | 128: cf. Petr. Lom., *Sent.*, III, 22, 2. PL 192, 803CD; cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, III, 27. PG 94, 1098AB. | 129: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 2, 193b35, p. 50; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 7, a. 3, p. 45. | 145: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, I, 11. PG 94, 842B. | 154: cf. Gra., *Decr.*, III, 3, 27. PL 187, 1790A. | 155: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.*, (vol. 5), lib. 3, dist. 9, q. 1, a. 2, qc. 2 ad 3; cf. *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 94, a. 2 ad 1, p. 588.

quarta, secundo ad primum. Ecclesia autem introduxit illas exemplo Christi et apostolorum: «nam Christus misit imaginem suam regi Abagaro, ut habetur in Historia Ecclesiastica et dicit sanctus Thomas in tertio, distinctione nona, ut supra, et etiam dedit imaginem suam  
160 Veronice in panno, etcetera. Item Lucas pinxit imaginem Christi et uirginis Marie, ut in Italia habetur et a multis aprobatur. Item tempore apostolorum sanctus Seruacius ducebat secum imaginem Christi crucifixi et sinodus romane ecclesie istud aprobauit in presentia mille episcoporum», ut ait Nider in suo Preceptorio.

Si autem queritur: qualiter debemus adorare? Dicendum quod, cum motuum  
165 adorationis sit reddere Deo debitum in quantum sumus ab ipso, ut quis reddit tributum alicui de proprietate sua, cum ab ipso simus non solum quo ad animam, sed quo ad corpus et bona exteriora, omnia ista tria sunt Deo subiicienda.

Primo, spiritum interius humiliando.

Secundo, corpus nostrum postrando.

170 Tertio, bona ei dando quod fit per sacrificium exterius.

Et omnia ista secundum proportionem. Totaliter spiritum dare Deo, unde Psalmi  
quinquagesimo: *sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum*, etcetera. Sed sanctis non in illa proportione, sed in minori, sic etiam de corpore est dicendum. Sic Deo  
175 flectimus omnia genua et sic dicit Apostolus: *flecto genua mea ad patrem*, ad Ephesios tertio, sic de Christo. *In nomine Iesu omne genu flectatur*, ad Philippenses secundo. Sanctis solum caput humiliare. Virgine uero unum genum, quasi media inter Deum et alios sanctos, sic etiam de sacrificiis et oblationibus est dicendum.

Ad hanc uero adorationem obligantur et tenentur omnes christiani, nam sicut omnes  
180 religiosi tenentur ad aliquam religionem, sic cum latria, secundum Augustinum, sit religio et christiani omnes obligentur ad religionem christianam, sic ad adorationem. Vnde nunquam iudei uel gentiles uere adorauerunt omnes, dico simul, sicut christiani. Vnde Christus dixit samaritane circa puteum: *uenit hora et nunc est, quando ueri adorantes adorabunt patrem in spiritu*, scilicet: sancto, *et ueritate*, id est, in filio, qui dicit: *ego sum ueritas*, etcetera, Iohannis decimo  
185 quarto. Dicit autem Scotus quod precipitur sub illo precepto: *non adorabis deos alienos*, et licet sit preceptum negatiuum, in illo includitur preceptum affirmatiuum, scilicet: adorare uerum Deum, unde habetur Deuteronomii sexto: *dominum Deum tuum adorabis*, etcetera. Et sic cum sit preceptum affirmatiuum obligatur semper, sed non ad semper, sed ad tempus limitatum, et determinatur per illud preceptum *sabbata sanctifices* ad dominicam diem et ad festiuitates  
190 principales anni. Et sicut stricte religionis religiosi ad plura obligantur quam alii, sic clerici et religiosi christiani ad plures uices obligantur quam ceteri religionis christiane. Et sic in media nocte dicunt: *uenite adoremus et procidamus*, sed in die septies, unde Psalmi centesimo  
decimo octauo: *septies in die laudem dixi*, etcetera. Sed alii satis est in dominicis et principalibus festiuitatibus. Et sic in ista que est prima totius anni, nam circumcisio est  
195 remotiua impedimenti ueteris testamenti soluendo debitu pro nobis, sed ista est prima noui testamenti. Ideo exemplo uirginis que fuit prima que (ut dicit Bernardus): «quem peperit,

172: Ps. 50, 19. | 174: Eph. 3, 14. | 175: Phil. 2, 10. | 182-183: cf. Io. 4, 23. | 183: Io. 14, 6. | 184: cf. Ex. 20, 3. | 186: Dt. 6, 5. | 188: cf. Ex. 20, 8. | 191: Ps. 94, 6. | 192: Ps. 118, 164.

158-163: cf. Io. Nid., *Precep.*, I, 9, p. 54. | 158: cf. Eus., *Hist. Eccl.*, I, 13. PG 20, 122B; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.*, (vol. 5), lib. 3, dist. 9, q. 1, a. 2, qc. 2 ad 3. | 179: cf. Aug. Hipp., *Con. Serm. Ari.*, XX. PL 42, 798C. | 184: Scotus] NI. | 195-196: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In ev. PL 78, 746D.

175: Secundo] M, X tertio.

adorauit». Et exemplo regum ad inuitandum nos in hac festiuitate pro aliis totius anni, ad hoc ego cepi uerba thematis que dicunt: *uenite adoremus*. Quo ad primam partem.

Secunda pars est euangelii, in qua tria declarabuntur secundum tres conclusiones in illo.

200 Prima erit quod isti magi naturaliter et sine miraculo potuerunt uenire in tredecim diebus usque ad Christum.

Secunda erit quod istorum principaliores fuerunt tres et non plures nec pauciores.

Tertia conclusio quod isti debito modo Christum adorauerunt et nobis exemplum adorandi dederunt.

205 Prima conclusio probatur si consideramus a quibus partibus ipsi uenerunt, nam omnes doctores in hoc concordant quod fuerunt isti magi sequaces aut successores prophete Balaam, qui predixit de stella ista, ut habetur Numeri uicesimo quarto: *oriatur stella ex Iacob et consurget uirga*, etcetera. Iste autem Balaam fuit de Mesopotamia uel Chaldea uel de partibus circumuicinis, ut habetur Numeri uicesimo tertio, nam cum uidisset Balac rex Moabitarum quod Moses uicisset regem Basam, qui dicebatur Og, misit pro Balaam, qui erat in fama  
210 prophete magni ut malediceret populo Israhel et sic ille non uinceretur ab eo. Vnde habetur Numeri uicesimo tertio, dum Balac staret circa sacrificium, dixit Balaam ipsi Balac et principibus Moabitarum de precepto domini dicens: *de Aram adduxit me Balac rex Moabitarum de montibus orientis*. Clarum est quod Aram erat in Mesopotamia, secundum omnes doctores. Iacob duxit uxores de Mesopotamia, sed socer suus Laban fuit de Aram, Genesis uicesimo  
215 nono. Et sic saltem unus istorum magorum fuit de Mesopotamia uel circa et alii duo fuerunt de Arabia et de Saba, ut habetur in Psalmis: *Deus iudicium tuum regi da*, ubi habetur: *reges Arabum et Saba dona adducent*, Psalmi septuagesimo primo. Et sic Arabia et Saba non longe distant a Mesopotamia et omnes iste tres prouincie erant in distantia ducentorum uiginti leucarum a Hierusalem, ut patet: primo, per astrologiam; secundo, per sacram  
220 scripturam.

Per astrologiam sic patet, nam auctoritate Theodosii, Ambrosii, Macrobiani, ut habetur ab auctore Sphere: «terre ambitus est ducentorum quinquaginta duorum milium stadiorum». Et sic ut ibidem habetur cuilibet gradui zodiaci correspondent septingenta stadia, quod  
225 probatum est per astrolabium, ista stadia faciunt octoginta septem miliaria cum dimidio. Nam octo stadia faciunt miliare, quia stadium continet centum uiginti quinque passus, et sic octies centum uiginti quinque faciunt mille. Sic igitur octoginta septem miliaria faciunt quadraginta quattuor leucas, quia miliare duplicatum fit tibi leuca, etcetera. Cum igitur secundum Ptolomeum, terra sancta uel Hierusalem usque ad Mesopotamiam uel usque ad Arabiam Felicem et Sabam sint gradus quinque uel parum plus, cum unicuique graduum  
230 dentur leuce quadraginta quattuor, sunt leuce ducenti uiginti, et sic diuise in tredecim dies per singulos dies faciunt leucas septemdecim, nam tredecim multiplicati per septemdecim faciunt ducenti uiginti unum. Et licet stetissent per aliquem diem ante recessum a patria sua et Herodes ipsos detinisset in Hierusalem per aliquem diem, cum uenissent in dromedariis, ut habetur in lectione hodierna, scilicet: Isaie sexagesimo: *dromedarii Madian et Efa*, etcetera, cum igitur dromedarius pergat in die plusquam equus in tribus, sequitur quod  
235 illi uiam tanti spatii in tredecim diebus, et minus, poterant pertransire. Et sic per

197: cf. Ps. 94, 6. | 206-207: Nm. 24, 17. | 212-213: Nm. 23, 7. | 214: cf. Gn. 29, 4. | 216: Ps. 71, 2. | 217: Ps. 71, 10. | 234-235: Is. 60, 6.

222: cf. Io. Sacr., *Sph. Mun.*, I, de quantitate absoluta, f. 8v. | 228: Ptolomeum] NI.

209: Vicisset] X uidisset.

astrologiam patet quod illi sine miraculo uenire potuerunt in tam breui tempore, et non fuit opus quod stella illis appareret per duos annos ante, ut aliqui dixisse uoluerunt, ut dicit Chrysostomus, nec etiam quod illi ducerentur a principio mundi, scilicet: ab oceano Indico, ut idem Chrysostomus super Mattheum refert per prophetiam Seth, etcetera.

Secundo, hoc idem probatur per sacram scripturam, nam cum Iacob iret in Mesopotamiam ad Laban, iuit in Aram, ut habetur Genesis uicesimo nono. Et sic ille Iacob seruiuit septem annis pro Lia et septem aliis pro Rahel. Et dum uideret quod Laban et filii eius non contractarent Iacob more solito, dixit dominus ipsi Iacob, Genesis tricesimo primo: *“reuertere in terram patrum tuorum”* et uocauit Iacob Rabel et Liam uxores suas, etcetera. *Surgens Iacob impositis liberis et coniugibus suis super camellis abiit tulitque omnem substantiam*, etcetera. Venerunt in terram promissionis usque ad montem Galaath, qui est in terra promissionis inter tribum Gath et Ruben. Venit autem Laban contra Iacob usque ad montem Galaath in septem dietis, et nuntiatum fuit ei in tribus diebus a pastoribus, ut ibidem habetur. Et sic non possunt esse ab illo loco Mesopotamie usque ad montem Galaath nisi decem diete, sed a monte Galaath usque ad Hierusalem sunt leuce uiginti quinque, ut dicit Marinus scribens Innocentio pape de terra sancta. Et sic usque in Hierusalem essent duodecim diete, sed a Hierusalem usque in Bethleem sunt due leuce uel tres aut minus. sequitur quod in tredecim dietis possent ad locum illum uenire sine dromedariis, si autem fuerunt dromedarii, multo melius hoc esset, etcetera.

Item hoc patet quia inter Arabiam et terram sanctam nulla mediat prouincia, sed Arabia continet tres partes, sicut Hispania. Nam Hispania diuiditur in Beticam, Lusitaniam et Tarraconensem. Et licet Tarraconensis esset propinquissima Gallie, sed Betica multum distat ab ea. Sic Arabia deserta diuiditur in Arabiam Desertam, Petrosam et Felicem. Et licet Deserta et Petrosa fuerint uicine Iudee, sed Arabia Felix distat per leucas ducentas uiginti. Et sic est de Saba, que est pars illius, et similiter de Mesopotamia, ut diximus. Sed quod Saba sit uicina patet, nam regina Saba uenit in Hierusalem ad uidendum sapientiam Salomonis. Clarum est quod mulier aliqua, licet fuerit de multis associata, non ueniret per maiorem distantiam solum ad uidendum aliquem regem et reginam domus illius, ut ista fecit, ut habetur tertio Regum decimo. Et sic patet quod iste tres prouincie uel regna non multum distant a terra sancta.

Hoc autem tangitur in euangelio in prima parte dicens: *cum natus esset Iesus in Bethleem Iudee*. Dicit autem “in Bethleem”, quia de Bethleem erat nasciturus, ut uidebitur. Item quia ex semine Daud secundum carnem et Daud natus fuit in Bethleem. Item quia Bethleem dicitur «domus panis» et ipse fuit uerus panis, ut dicit ipse, Iohannis sexto: *ego sum panis*, etcetera. Dicit “Bethleem Iudee” ad differentiam alterius Bethleem que erat in tribu Zabulon, de qua Iosue decimo nono habetur. Dicit “in diebus Herodis” qui fuit primus alienigena qui regnauit in Iudea et sic prophetauerat Iacob, Genesis quadragesimo nono dicens: *non auferetur sceptrum de Iuda*, etcetera.

*Ecce magi ab oriente uenerunt Hierosolymam*. Et sic patet quod stella non apparuit eis per aliquod tempus ante Christi natiuitatem, ut aliqui dixerunt, quia dicit: *cum esset natus uenerunt ab oriente in Hierusalem*, etcetera. Nec uenerunt ab oriente simpliciter a principio mundi, sed a partibus orientalibus respectu Hierusalem, quia Mesopotamia est ad partem orientis sita, ut habetur Genesis uicesimo nono dicens: *profectus Iacob uenit in terram orientalem*, etcetera. Et

242: cf. Gn. 29, 4. | 245: Gn. 31, 3-4. | 246: cf. Gn. 31, 17-18. | 265: cf. III Rg. 10, 1. | 267-268: cf. Mt. 2, 1. | 270: Io. 6, 48. | 272: cf. Ios. 19, 15. | 274: Gn. 49, 10. | 275-277: cf. Mt. 2, 1. | 279: Gn. 29, 1.

239-240: cf. Pseu. Io. Chrys., *Op. Imp. In Mt.*, II, PG 56, 637A-638D. | 252: Marinus] NI. cf. Tost., *Comm. In Mt.* (vol. 18), II, 7, p. 190. | 270: cf. Gre. Mag., *Comm. In I Rg.*, V, 3, 4. PL 79, 448C.

280 quia uenit in Aram Mesopotamie. Item de Balaam dicit Numeri uicesimo tertio: *de Aram uocauit in Balac de montibus orientis*, etcetera, ut diximus supra. Item Arabia et Saba sunt orientales respectu Hierusalem, sed magis declinant ad meridiem quam ipsa Mesopotamia. Et sic patet quod sine miraculo potuerunt uenire in tredecim diebus, quod dicebat prima conclusio.

285 Secunda conclusio, scilicet: quod isti reges fuerunt tres principales et non plures nec pauciores, licet fuerint multi cum eis, ut patet Isaie sexagesimo dicens: *ambulabunt gentes in lumine tuo*, quo ad comitatum, *et reges in splendore ortus tui*, quo ad principales. Item Isaie quadragesimo nono habetur: *reges uidebunt*, quo ad primum, *et consurgent principes*, quo ad secundum, *et adorabunt*, etcetera. Sed quod fuerint tantum tres principales, probatur tripliciter. Primo, ex regnis. Secundo, ex muneribus. Tertio, ex corporibus suis.

290 Primo, ex prouinciis, quia ut diximus, unus fuit ex Chaldea ex genere uel secta Balaam; alios duos nominat scriptura, Psalmi septuagesimo primo: *Arabum et Saba*, etcetera.

295 Secundo, ex muneribus, nam aurum habetur in Arabia, unde Psalmo predicto: *dabitur ei de auro Arabie et orabunt de ipso semper*, etcetera. Secundo, thus colligitur in regno Saba, unde Hieremie sexto: *thus de Saba offertur*. Tertio, murra de Mesopotamia, unde Canticorum quarto: *ibo ad montem murre*. Nam hic mons ad litteram est in Mesopotamia inter Tigrim et Eufratem, ut dicunt doctores, sed moraliter mons murre est mons Caluarie, nam “murra” significat “mortem”, ut aliqui dicunt.

300 Tertio, patet ex numero corporum eorum, nam multo tempore fuerunt tria corpora eorum in ciuitate Mediolanensi et tempore Federici imperatoris translata fuerunt illa tria corpora ad ciuitatem Colonie, ubi nunc uidentur et habentur in maximo honore.

Finaliter patet ex omnibus doctoribus, qui dicunt illos fuisse tres, et consuetudo ecclesie et picture que fiunt in ea hoc ostendunt. Et etiam Leo papa in sermone hodierno dicit: «tribus enim magis noua stella apparuit», etcetera.

305 Sed contra: uidetur quod fuerint plures, nam in Psalmo septuagesimo primo habetur: *adorabunt eum omnes reges, omnes gentes*, etcetera. Dicendum quod isti tres representarunt omnes partes mundi, que sunt tres, scilicet: Asia, Africa et Europa.

310 Sed contra uidetur quod fuerunt saltem quattuor, nam in Psalmo predicto dicitur reges Tharsis, Arabum et Saba, sed alter fuit ex Mesopotamia, ut dictum est. Igitur fuerunt quattuor. Dicendum quod non fuerunt nisi tres prenominati, sed dicuntur reges Tharsis propter prouinciam et propter illud quod in illa fecerunt. Nam in recessu moniti per spiritum sanctum, ne redirent ad Herodem in Ioppem, intrauerunt naues Tharsis et applicuerunt Tharsum. Et Herodes ueniens de imperatore romano et sciens illas naues portasse tres reges, igne combussit eas, et hoc habetur in Psalmo quadragesimo septimo dicens: *in spiritu uehementi conteres naues Tharsis*. Et sic non fuerunt reges Tharsis, sed dicuntur reges Tharsis propter illud quod accidit eis in Tharso. Et sic patet quod principales non fuerunt nisi tres, etcetera.

---

280-281: Nm. 23, 7. | 286-287: Is. 60, 3. | 288-289: Is. 49, 7. | 292: Ps. 71, 10. | 293-294: Ps. 71, 15. | 295: Ier. 6, 20. | 296: Ct. 4, 6. | 306: Ps. 71, 11. | 315: Ps. 47, 8.

304: Leo., *Serm.*, XXXI, 1. PL 54, 235B.

294: Orabunt] M, X adorabunt. | 295: Hieremie] M, X Isaie.

Hoc autem tangitur in secunda parte euangelii, ubi habetur: *uenerunt Hierosolymam*, quia  
 320 stella duxit eos in illam ciuitatem. Item coacti fuerunt intrare in illam, quia stella disparuit  
 eis ante introitum ciuitatis. Et sic crediderunt quod tam magnus rex in regia ciuitate esset  
 nasciturus et sic pro certo dicunt: “*ubi est qui natus est rex iudeorum?*” *Audiens autem Herodes*,  
 etcetera. Interrogauit et quesiuit a regibus: que fuit causa inquisitionis huius noui regis?

Et respondit prius rex peritus in poesia et dixit quod legerat in Vergilio in Buccolicis  
 325 suis, ubi habetur: «iam redit et uirgo, redeunt saturnia regna et noua progenies celo  
 dimittitur alto», et hunc nos querimus.

Item dixit secundus rex quod legerat in Ouidio, libro De Vetula dicens: «Cesaris Augusti  
 anno iam bis duodeno debere sine uiro de uirgine nasci prophetam», et hunc querimus nos.

Item dixit tertius rex quod ipsi habebant prophetiam Balaam dicens: *orietur stella ex Iacob  
 et consurget uirga*, id est, regia potestas de Israhel; et hunc querimus nos.

330 *Audiens autem hoc Herodes rex turbatus est et omnis Hierosolyma cum illo.* Turbatio Herodis fuit  
 quia credebat Herodes quod aliquis esset de genere Hircani et sic timebat perdere regnum,  
 et iudei turbati quia mirabantur quomodo gentiles poterant scire hoc de suo messia. Et sic  
 Herodes congregauit sapientes et scribas et sciscitabatur ab eis: *ubi Christus nasceretur?*

Et primo, aliqui illorum dixerunt quod de Nazareth erat oriundus, nam Isaie septimo  
 335 habetur: *egredietur uirga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet*, etcetera. Vbi hebraica littera  
 habet: “et Nazarenus de radice eius ascendet”, etcetera. Et sic dixerunt aliqui sapientes  
 quod ciuitas parua erat et sic non de illa erat oriundus. Vnde Iohannis primo, Philippus  
 dixit ipsi Nathanael: “*inuenimus messiam a Nazareth*”. Respondit Nathanael: “*a Nazareth potest  
 340 aliquid boni esse?*” Quasi dicat: non. Et sic licet esset conceptus in Nazareth, non tamen natus  
 in illa ciuitate. Et sic non credebant sacerdotes ipsum esse a Nazareth, quia parua erat,  
 etcetera.

Secundo, aliqui dixerunt quod sperabatur de Hierusalem, nam propheta Isaias in  
 capitulo secundo dicit: *uenite, ascendamus ad montem*, etcetera. (Et infra): *quoniam de Sion exiuit  
 345 lex et uerbum domini de Hierusalem*. Sed aliqui sapientes dixerunt quod non loquebatur de  
 messia, sed de lege que illum ostendebat. Et sic erat studium legis in Hierusalem.

Tertio, alii sapientes dixerunt quod non de Hierusalem, sed de parte meridiana uersus  
 Hierusalem, nam Abacuc prophetando in Hierusalem dixit: *Deus ab austro ueniet*, que est pars  
 meridiana, *et sanctus de monte Pharam*, etcetera.

Vltimo autem dixit quidam sapientissimus illorum quod uerum erat quod de parte  
 350 meridiana, scilicet: de Bethleem, que est meridiana respectu Hierusalem. Ille autem probauit  
 hoc per Micheam prophetam dicentem: *et tu Bethleem*, etcetera, *ex te exiet dux qui regat populum  
 meum Israhel*, Michee quinto.

Et sic finaliter omnes in illa sententia concordarunt dicentes quod certum erat  
 secundum suos doctores quod ueniret et nasceretur in Bethleem. *Tunc Herodes clam uocatis  
 355 magis dedit tempus stelle*, etcetera, *et misit illos in Bethleem*. Et sic patet secunda conclusio.

---

318: cf. Mt. 2, 1. | 321: cf. Mt. 2, 2-3. | 328-329: cf. Nm. 24, 17. | 330: cf. Mt. 2, 3. | 333: cf. Mt. 2, 4. | 335:  
 Is. 11, 1. | 338-339: Io. 1, 45-46. | 343-344: Is. 2, 3. | 347-348: Hab. 3, 3. | 351-352: Mi. 5, 2. | 354-355: cf.  
 Mt. 2, 7-8.

324-325: Ver., *Eclo.*, IV, vv. 6-7, p. 28. | 326-327: cf. Pseu. Ov., *De Vet.*, III, vv. 612-614, p. 272.

360 Tertia conclusio est quod illi debito modo adorauerunt Christum et dederunt nobis exemplum debito modo adorandi. Patet hoc quia dum illi exirent a Hierusalem uiderunt *stellam quam perdiderant et tunc gausi sunt gaudio magno. Et dum aplicuerunt Bethleem, stetit stella supra domum, ubi erat puer, et illic inuenerunt puerum cum Maria matre eius et procidentes adorauerunt eum.* Et sic patet quod tria fecerunt. Primo, adorauerunt interius quo ad spiritum. Secundo, procidentes quo ad corpus. Tertio, quo ad bona exteriora, quia: *apertis thesauris suis*, etcetera. Sicut illi adorauerunt, sic nos debemus facere.

365 Primo, uenire in Hierusalem, ubi erat legis ueteris scola, et non permanere ibi, quia uisa stella legis gratie non debemus quiescere in Hierusalem, scilicet: in ueteri lege, sed bene considerare prophetias et fundamentum legis noue et transire in Bethleem, que dicitur «domus panis», scilicet: ad ecclesiam. Nam isti tres reges significarunt totum mundum per tres partes eius, scilicet: Asiam, Africam et Europam, uel omnes mundi qui de tribus filiis Noe orti sunt.

370 Et sicut rex Arabie et Sabee non remanserunt in Arabia Felice, ubi est domus de Mecha et ubi est corpus Machometi, sed uenerunt in Bethleem, sic agareni debent facere, scilicet: non remanere in secta machometica, sed uenire ad Bethleem, scilicet: ad ecclesiam, quia dicitur “domus panis”, ut dictum est. Nam in ea consecratur uerus panis, qui est corpus domini.

375 Sic etiam iudei non debent remanere in Hierusalem, sed tendere ad Bethleem. Nam pastores sic fecerunt quia dixerunt: *transeamus usque Bethleem et uideamus hoc uerbum*, etcetera.

380 Sic etiam omnes christiani debent facere quod reges fecerunt, quia intrantes inuenerunt Christum cum Maria, matre eius, quod est ualde notandum. Nam nullus ipsum inuenire potest nisi mediante Maria uirgine peccatorum aduocata. Et tunc spiritu debemus adorare et corpore procidentes et de bonis exterioribus sacrificare, Exodi uicesimo tertio: *non apparebis uacuis ante me*, etcetera, non adorare sicut faciunt indeuoti. Qui ante Christum genua non flectunt, signum est quod nec cor ad ipsum habent.

Igitur qui bonus christianus est debet corde, corpore et bonis exterioribus adorare Christum. Et sic faciendo, hic habebit gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedere dignetur, etcetera. Amen.

---

358-361: cf. Mt. 2, 9-11. | 375: cf. Lc. 2, 15. | 379-380: Ex. 23, 15.

366: cf. Gre. Mag., *Comm. In I Rg.*, V, 3, 4. PL 79, 448C.

SERMO CENTESIMVS QVADRAGESIMVS QVARTVS ET SECVNDVS IN EODEM DIE EIPHANIE  
DOMINI

<THEMA> *Vidimus stellam eius in oriente*, Matthei secundo capitulo.

Originaliter, etcetera.

5 Tria requiruntur ad aliquod opus intentum ab homine. Primum cognitio finis in genere. Secundum cognoscere in quo consistat ratio illius finis. Tertium disponere media que sunt necessaria ad finem illum assequendum.

10 Exemplum: si quis habitat in paruo loco et habet facultatem et industriam ad negotiationem agendam, considerando industriam suam et sufficientiam cogitat ire in aliquam ciuitatem, in qua habeat et acquirat diuitias multas, et hic est finis intentus.

Secundo, querit ciuitatem in qua sit ratio illius finis. Et si habet sufficientiam ad negotiationem maris, dicit non esse eligendam ciuitatem Cesaragustanam, que non est maritima, sed potius esse eligendam Valentiam uel Barchinonam, etcetera.

Tertio, querit ea que sunt ad finem, que se habent, ut uia in terminum.

15 Et sic ista tria sunt necessaria ad felicitatem uel gratiam obtinendam.

Primo, intendere finem et beatitudinem et in illo non potest errare in uniuersali, nam uoluntas fertur in illam naturaliter et ut natura. Et sic omnes christiani, iudei, barbari, etcetera, uolunt esse beati, etcetera.

20 Secundum est scire eligere in quo consistat illa beatitudo particulariter et in isto multi errauerunt: quidam credendo quod erat in diuitiis, alii in honoribus et sic de aliis. Illi etiam crediderunt quod in solo Deo erat errauerunt non eligendo Deum uerum, sed falsum, ut omnes idolatre. Sola autem lex diuina ostendit illud in quo erat beatitudo uera et gratia Dei, unde Hieremie nono: *hec dicit dominus: "non gloriatur sapiens in sapientia sua nec diues in diuitiis nec fortis in fortitudine sua, sed in hoc gloriatur: scire et nosse me"*. Lex autem gratie magis hoc  
25 determinat, quia cum uerus Deus sit iam incarnatus post Christi aduentum et ante debuit incarnari, sicut illi tenebantur credere quod sperabatur incarnandus, ut prophete promiserant, sic nunc debemus credere quod est incarnatus. Et sic salus et gratia est et consistit in hoc: quod credatur Deus et homo, quia unum sine alio non dat salutem. Et sic dicit Iohannis decimo septimo: *hec est uita eterna ut cognoscant te Deum uerum et quem misisti Iesu  
30 Christum*.

Hoc autem non sufficit nisi tertium habemus, scilicet: scire uiam per quam ad illud peruenitur. Vnde Augustinus undecimo De Ciuitate Dei dicit: «quid prodest scire quod eundum sit, si ignoratur uia qua eundum est?». Quasi dicat: nihil. Via autem perueniendi ad Christum est uirgo Maria, unde Hugo dicit: «Maria est uia, Christus ostium, pater occultum.  
35 Per Mariam itur ad Christum et per Christum itur ad Deum». Omnes igitur qui errarunt in hac uia gratie, errauerunt in fonte gratie et ad illam non peruenerunt. Et quia erat sic necessaria hec uia in mundo, Deus posuit in ea quattuor signa que poni solent in uia ad hoc ut non erretur.

---

3: Mt. 2, 2. | 23-24: Ier. 9, 23-24. | 29-30: Io. 17, 3.

32-33: Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, XI, 2. PL 41, 318B. | 34-35: Hugo] *NI*. cf. Iac. Var., (1590) *Serm. Aur.*, CVII, f. 142v.



40 Primum signum est in aliqua uia quod sit patens et uideatur et distinguatur ab illo spatio.  
Verbi gratia: si sit in uia in aliquo nemore, scinduntur arbores, ut spatium uideatur.

Secundum signum est quod sit uia trita, secundum uestigia cuius uia est, ut si queritur uia regia, est trita bestiarum uestigiis, si queritur uia ceruorum, quod sit trita ex uestigiis illorum et sic de aliis, quia semper uia cognoscitur ex uestigiis cuius est.

Tertium signum est crux qua distinguitur ab alia uia.

45 Quartum signum est acruus lapidum, etcetera.

Sic in uirgine Maria posita fuerunt ista quattuor signa: primum est humilitas, que respondet signo primo. Secundum signum in uirgine Maria fuit uirginitas, que respondet secundo signo uie. Tertium signum fuit maternitas, que tertio respondet. Quartum signum fuit plenitudo gratie, que respondet quarto.

50 Primum signum est quod clare uideatur. Hec est uirginis Marie humilitas, nam dicunt doctores quod sicut corpus sine colore non uidetur, sic bonum opus sine humilitate non acceptatur a Deo. Et sic primum sacrificium ipsius Cain non fuit a Deo acceptum, quia factum cum superbia. Erat enim primogenitus et dominus frumenti. Secundum factum ab ipso Abel, qui pastor gregis et minor filius Ade, cum humilitate ex agno, fuit uisum a Deo  
55 et sic habetur Genesis quarto: *respexit dominus ad Abel et ad munera eius*. Ratio fuit quia in isto fuit color humilitatis, que est color omnium uirtutum. Ad Cain autem non respexit et sic dicit uirgo Maria, Luce primo: *respexit humilitatem ancille sue*, licet uirgo Maria magnas et multas uirtutes habuisset, ut dicit Bernardus, ad solam humilitatem respexit Deus, quia erat color aliarum uirtutum, et sic dicit quod: «humilitate concepit», etcetera. Et sic uia ad  
60 fontem gratie parabatur cum maiori humilitate esse quam quecumque alia pura creatura, unde ipsa dicit Canticorum primo: *cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis*. Nardus uero est herba humilis, ut dicunt doctores, et significat uirginis humilitatem. Et sic uirgo Maria fuit maioris humilitatis quam quecumque alia, unde Bernardus: «merito facta est nouissima prima, que cum esset prima omnium, se nouissimam faciebat». Et sic  
65 primum signum fuit humilitatis et esse uisibile. De isto signo habetur Apocalypsis duodecimo: *signum magnum apparuit in celo, mulier amicta sole et luna sub pedibus eius*. Ratio est quia cum uirgo Maria se humiliauerit infra Deum plusquam fecerit totus mundus, iustum est quod uestiretur a filio Dei in utero illum recipiendo et quod haberet lunam, id est, mundi gubernationem, infra se, etcetera.

70 Secundum signum fuit maxima uirginitas Marie, que fuit tripliciter excellens omnem aliam uirginitatem.

Primo, in puritate, quia non habuit mixtionem alicuius operationis male nec cogitationis sinistre, unde Bernardus dicit: «uirgo non erat solum corpore, sed etiam mente».

75 Secundo, fuit uirginitas exemplaris, quia: *adducentur regi uirgines post eam*, Psalmi quadragesimo quarto.

Tertio, fuit diffusiuia in alios, unde radii pulchritudinis Marie, dum perueniebant ad alios, licet essent incontinentes, nullo modo inducebantur ad concupiscentiam, sed laudabant

---

55: Gn. 4, 4. | 57: Lc. 1, 48. | 61: Ct. 1, 11. | 66: Apc. 12, 1. | 74: Ps. 44, 15.

59: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, I, 5. PL 183, 59B. | 63-64: Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, 11. PL 183, 436A. | 73: Bernardus] *Auctor err.* cf. Ambr., *De Virg.*, II, 2, 7. PL 16, 209A.

dominum de tanta pulchritudine. Et sic uirgo Maria excellit omnes alias uirgines in hac uirginitate et fuit uirginitas lucida, ut stella lucida, et sic respondet secundo signo uie. De isto dicitur Isaie septimo: *dabit dominus uobis signum, ecce uirgo concipiet et pariet filium*, etcetera. Sicut uia cognoscitur ex uestigio cuius sit, scilicet: esse tritam uel non, sic uirgo Maria in hoc cognoscitur quod *uir non transiit per eam*, unde Hiezechielis quadragesimo quarto: *et conuertit me ad uiam porte sanctuarii exterioris, que respicit ad orientem et erat clausa et dixit dominus ad me: "porta hec clausa erit et non aperietur et uir non transiet per eam, quoniam dominus Deus Israhel ingressus est per eam eritque clausa principi, princeps ipse sedebit in ea"*, etcetera. Et sic Maria uirgo dicitur "uia", quia dicit: *conuertit me ad uiam porte sanctuarii exterioris*, scilicet: humanitatis Christi, etcetera. Et sic fuit clausa per uirginitatem, et sic *uir non transiit per eam*, sed solus princeps, id est, primogenitus Dei. Et sic ex hoc quod non erat trita uiro, sed Deo, cognoscitur hec uia.

90 Tertium signum fuit excellens maternitas, nam Mater excellentior omnibus matribus debuit esse uia fontis gratie.

Virgo Maria excellit in maternitate tripliciter.

95 Primo, fuit mater sine dolore, nam illud quod est optimum non potest haberi sine magno labore. Et sic mulieribus est optimum donum esse matrem, sed sine labore et dolore non habent illud. Sola uirgo Maria illud habuit sine dolore et non solum sine dolore, sed cum maxima spirituali delectatione, unde in Psalmo sexagesimo quarto dicitur de ea: *letabitur germinans*. Item Isaias dicit capitulo tricesimo quinto: *germinans germinabit et exultabit letabunda et gaudens*.

100 Secundo, eius maternitas fuit excellens, quia ei parum constituit, nam illud quod est optimum raro habetur sine magnis sumptibus. Sed uirgo Maria habuit suam maternitatem sine sumptibus, nam alie mulieres illam non habent sine hoc quod uirginitatem perdant, sola uirgo Maria habuit maternitatem sine amissione uirginitatis, unde: «unum est in quo nec primam similem uisa est nec habere sequentem. Gaudium uidelicet matris cum uirginitatis honore», unde dicit Bernardus: «uirgo et mater».

105 Tertio, fuit maior maternitas uirginis respectu filii, nam filius suus fuit maior omnibus filiis, igitur mater omnibus matribus. Vnde Bernardus: «mater erat non cuiuscumque, sed Dei», etcetera. De isto signo habetur Numeri decimo septimo: *positis uirginis, inuenta est uirga Aaron germinasse*, etcetera, *et protulit folia et amigdala*, etcetera. Et sic fuit sine humore mater, ut dicit Augustinus. *Dixitque dominus ad Moysen: "refer uirgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut seruetur ibi in signum rebellium filiorum Israhel"*, etcetera. Et sic hec fuit maxima mater, quia mater Dei, et hoc signum respondet cruci, que est signum filii sui. Vnde mater sua est signata cruce filii sui, quia in uentre matris acceptauit passionem. Et sic ab infantia figuratur filius cum cruce in capite et in diademate.

115 Quartum signum est plenitudo gratie sanctitatis et sicut acruus lapidum ponitur in uia pro signo, sic congregate fuerunt omnes gratie et lapides pretiosi in uirgine. De isto signo habetur Iudicum sexto de Gedeone, accepit signum in uellere, quod significauit plenitudinem gratie in uirgine. Nam sicut uellus, de quo uestimur, sumitur ab oue sine ouis corruptione, sic caro, de qua uerbum et filius Dei uestitus fuit, accepta fuit a uirgine sine

80: Is. 7, 14. | 82-87: Ez. 44, 1-3. | 97: Ps. 64, 11. | 97-98: Is. 35, 2. | 107-110: cf. Nm. 17, 8-10. | 116: cf. Idc. 6, 37.

102-104: Bern. Cl., *In Vig. Nat. Dom.*, I, 1. PL 183, 87C; IV, 4. PL 183, 102A. | 104: Bern. Cl., *In Vig. Nat. Dom.*, III, 9. PL 183, 99A. | 106-107: Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 5. PL 183, 428B. | 109: Augustinus] NI.

uirginis corruptione et dum ros erat in uellere et postea in concha fuit ros pro tota terra. Et  
 120 sic gratia primo in Christo et ex ipso in uirgine Maria pro toto mundo, unde Psalmi  
 centesimo tricesimo secundo: *sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron,*  
*quod descendit in oram uestimenti eius, sicut ros Hermon,* etcetera. Primo, unguentum est gratia que  
 oriebatur a capite, quod est Deus, in barbam summi sacerdotis Aaron, scilicet: in  
 125 humanitatem Christi, qui fuit *sacerdos in eternum*, et ex illa in oram uestimenti, scilicet: in  
 corpus uirginis, ex cuius carne uestitus fuit filius Dei. Et sic patet quod uia fontis gratie est  
 uirgo Maria et omnes qui errauerunt in uia non inuenerunt fontem gratie. Et secundum  
 quattuor signa cognitionis uie, et sic quattuor hominum conditiones in illa errauerunt.

Primo, pagani et existentes in lege nature errauerunt in prima conditione uirginis uie,  
 scilicet: in humilitate eius, non ualentes credere quod humilitas unius puelle sufficeret ad  
 130 hoc: ut filium hominis portaret e celo. Et sicut prima conditio et signum uie fuit ut esset  
 nota et uisibilis illa, hanc non uiderunt propter tenebras peccati, de quibus Psalmi  
 octogesimo primo: *nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulans,* etcetera.

Secundo, iudei errauerunt in secunda uia uel in secundo signo uie, quod fuit uirginitas,  
 que stelle lucide comparatur. Et sic non cognouerunt uirginem esse lucidam ut stellam per  
 135 uirginitatem et ratio fuit hec: quia cum ex prophetis haberent quod messias et saluator  
 sperabatur ex quadam muliere que illum parere debebat, estimarunt mulierem que non  
 conceperat esse maledictam. Et sic odio habuerunt uirginitatem et sic ignorauerunt matrem  
 saluatoris expectasse uirginem. Et sic, licet dicta fuisset a prophetis esse uirginem et esse  
 140 stellam, illi minime cognouerunt, immo ducebant puellas ad matrimonium etiam ante  
 tempus et dum erat una sterilis, soror sua dabatur illi, ut patet in Rahele et Lia et multis  
 aliis.

Tertio, agareni errauerunt in tertio signo, scilicet: in maternitate eius, nam primam  
 conditionem bene perceperunt, scilicet: esse humilem, et sic dicunt in Alchorano, azora  
 <tertia>, alea <quadragesima tertia>, quod angelus dixit Marie quod humiliaretur plus  
 145 ceteris et sic conciperet Christum. Item secunda conditionem uel signum perceperunt,  
 scilicet: esse uirginem, et sic bene crediderunt matrem messie expectasse humilimam et  
 uirginem supra omnes. Sed errauerunt in tertio signo, ut fecerunt magi pharaonis, qui etiam  
 fuerunt de Africa. Et sic agareni non crediderunt Mariam fuisse optimam matrem, scilicet:  
 esse matrem Dei.

Quarto, heretici errauerunt in quarto signo, scilicet: non credentes uirginem Mariam esse  
 plenam gratiarum et esse sanctissimam omnium. Et sic non crediderunt fuisse semper in  
 oriente et nunquam habere casum peccati. Et sic nullus errans circa uirginem conuersus fuit  
 ab heresi sua. Ratio est quia cum uirgo fuerit uia conuersionis omnium peccatorum,  
 maxime hereticorum, unde ecclesia dicit: «gaude, Maria uirgo, cunctas hereses sola  
 155 interemisti», etcetera, et sic errantes in filio uel in trinitate, mediante ea illuminantur et  
 conuertuntur. Sed errantes in ea minime, quia uiam errauerunt, et hoc expertus fui dum  
 officium inquisitionis in hac ciuitate haberem: omnes heretici errantes et blasphemantes de  
 uirgine Maria nunquam conuerti potuerunt et illi qui contra filium uel contra sacramenta  
 errarunt et non contra uirginem, peccatum suum cognouerunt et de illo penitentiam  
 160 fecerunt. De his omnibus quattuor dicitur in Psalmo centesimo sexto: *errauerunt in solitudine,*  
*in inaquoso uiam ciuitatis habitaculi non inuenerunt,* etcetera. Et sic omnes isti quattuor

121-122: Ps. 132, 2-3. | 124: cf. Ps. 109, 4. | 132: Ps. 81, 5. | 160-161: Ps. 106, 4.

143-145: cf. Q 3, 43-45. | 154-155: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In tertio nocturno. PL 78, 746B.

143-144: Azora <tertia>, alea <quadragesima tertia> M, X *Post azora omm. tertia; post alea omm. quadragesima tertia.*

errauerunt in deserto et fontem gratie non inuenerunt. Rationem assignat Psalmista, quia fuit error uie, scilicet: uirginis Marie.

Sed nos christiani non errauimus circa ista quattuor.

165 Primo, non circa humilitatem, nam dicimus uirginem fuisse humilimam inter omnes et quod humilitas uirginis duxit filium Dei ad nos et debet nos in illum portare, unde Bernardus in sermone: «facta est Marie humilitas scala celestis, per quam saluator descendit ad terram», etcetera. Et sic hoc signum uidimus aperte, cum esset color omnium uirtutum.

170 Secundo, cognouimus maximam uirginitatem Marie fuisse ut stelle splendorem, unde ecclesia cantat: «candida uirginitas», et Bernardus: «sicut stella sine sui corruptione emittit radium, sic Maria sine sui corruptione peperit filium», etcetera.

175 Tertio, cognouimus eius eminentem maternitatem, scilicet: esse matrem eius, scilicet: Dei filii. Et sic Origenes super illud “*cum esset desponsata mater eius*” dicit: «cuius eius? Mater unigeniti Dei, mater plasmatoris et creatoris uniuersi, cuius eius? Mater eius qui est in celis sine matre et in terris sine patre», etcetera.

Quarto, cognouimus eam esse plenam sanctitatem et gratiarum. Et sic nunquam incidisse in casum peccati et habere gratiam, non solum personalem et pro se, sed etiam pro toto mundo, et mediante ea inuenire fontem gratie.

180 Et sic si illi precedentes non inuenerunt fontem gratie, non fuit mirum, quia errauerunt in uia et signa uie non perceperunt. Sed nos non possumus hoc perdere nisi per negligentiam. Si autem curremus per hanc uiam, certi sumus quod gratiam obtinebimus, quia *uidimus stellam eius in oriente*. Ad hanc igitur in principio, etcetera.

<THEMA> *Vidimus stellam eius in oriente*, ubi supra.

185 Due erunt partes in isto sermone. Prima thematis introductiua et materie prosecutiua. Secunda sancti euangelii expositiua et declaratiua.

190 In prima parte solum uidebimus una conclusionem que est hec: sicut ad illuminationem trium magorum fuit necessarium ut ad Christum uenirent et illum adorarent, sic nobis est necessarium. Et non loquimur hic de necessitate simpliciter, sed ex presupponne. Probatur autem sic, nam ut dicit sanctus Thomas in tertia parte, questione tricesima sexta, quasi per totum, quod non fuit conueniens quod natiuitas Christi omnibus manifestaretur propter tria.

Primo, quia fuisset impedimentum nostre redemptionis, que sperabatur ex Christi passione, unde Apostolus prima Corinthiis secundo: *si cognouissent, nunquam dominum glorie crucifixissent*.

195 Secundo, minuisset fides nostra, que est de non uisis, secundum Apostolum.

---

173: cf. Mt. 1, 18. | 182-183: cf. Mt. 2, 2. | 193-194: I Cor. 2, 8. | 195: cf. Hbr. 11, 3.

167-168: Bernardus] *Auctor Err.* cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCVIII, 10. PL 39, 2133C. | 170: cf. Adh. Sch., *De Lau. Virg.* PL 89, 267B. | 170-171: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 17. PL 183, 70C. | 173-175: Origenes] *Auctor err.* cf. Pau. Dia., *Hom. De Temp.*, XVII. PL 95, 1163A. | 189: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 36, a. 1, pp. 271sq.

Tertio, dubitaretur de eius humanitate, nam quod toti mundo esset manifestum, hoc non posset esse nisi per maxima et plura miracula, et sic ostenderetur clare diuinitas Christi, sed offuscaretur eius humanitas, ut dicit Augustinus in epistola ad Volusianum. Et sic cum ad salutem nostram utrumque requirebatur, scilicet: credere Christum esse Deum et esse  
 200 hominem, sic temperate media uia processit ipse, ut aliquando miracula faceret ostendendo esse Deum et aliquando infirma ostenderet, ut comedere, dormire et flere, etcetera, ut uerum se hominem ostenderet. Et sic ut dicit sanctus Thomas, ubi supra, licet non esset conueniens omnibus innotescere, fuit tamen conueniens quod aliquibus manifestaretur, quia si nulli fuisset manifesta, nulla nobis fuisset utilitas quod non crederetur illi. Et sic fuit  
 205 conueniens quod aliquibus manifestaretur et cum Christus uenisset propter salutem totius mundi et utriusque populi non sufficiebat quod uni populo manifestaretur, sed ut manifestus esset populo gentili et iudeorum, unde Isaie quadragesimo nono: *dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremum terre*. Et sic cum in die natalis manifestus fuisset populo iudeorum, scilicet: pastoribus, per angelum nuntiando eis, hodie manifestum fuit  
 210 populo gentilium, unde Christus fuit lapis angularis, de quo Isaie uicesimo octauo: *ecce mittam in fundamentis Sion lapidem angularem*, etcetera. De quo etiam Apostolus, ad Ephesios secundo: *ipso summo lapide angulari Christo Iesu*, etcetera.

Si autem dicis: quare non uenerunt omnes in eodem die? Dicendum quod primo debebant uenire iudei tripliciter.

215 Primo, quia illis prenuntiatus et prophetatus, etcetera.

Secundo, quia in populo illo primo erat facienda predicatio, secundo, in populo gentili.

Tertio, quia illi habebant illum in domo, isti de longinquo. Et sic quando rex recipitur a duobus regnis, primo legatio fit a regno propinquiori quam a remotiori, sic nunc.

Si autem dicis: quare non fuerunt pastores et simplices illi quibus manifestus fuit de  
 220 populo gentili, sicut fuerunt illi de populo iudaico, uel econuerso? Dicendum quod iustum fuit quod iudei essent pastores et pauci, gentiles reges et multi, nam de populo iudeorum eligendi erant pauci rustici et pastores aliorum et alios conuerterent, sicut fuerunt Apostoli. Sed de populo gentilium multi magnates et reges ad hoc, ut conuersi essent ab illis, nam ut  
 225 in predicatione apostolorum legimus, predicantibus apostolis paucis et simplicibus conuersi fuerunt reges in Ethiopia, Asia, Armenia, etcetera. Et sic hodie necesse fuit ut uenirent reges de populo gentilium postquam in die natiuitatis uenerant pastores de populo iudeorum. Secundo, debuerunt isti Christum adorare et recognoscere ipsum in regem et dominum uniuersorum, nam rex nouus non solum a populo recipitur, sed iuratur. Et sicut isti reges cognouerunt hunc esse dominum bonorum exteriorum et corporis anime, sic  
 230 tripliciter illum adorauerunt.

Primo, quo ad animam adorando illum in Deum adoratione latrerie; secundo, quo ad corpus procidentem, etcetera; tertio, quo ad bona exteriora, quia obtulerunt ei munera, etcetera.

Primo, ut dicit Nicholaus de Lyra, consuetudo regum Arabie erat talis.

---

207-208: Is. 49, 6. | 210-211: Is. 28, 16. | 212: Eph. 2, 20.

198: cf. Aug. Hipp., *Ep.*, CXXXVII, 3, 9. *PL* 33, 519CD. | 202: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 36, a. 1, pp. 271sq. | 234: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 5), Mt. 2, 11, f. 12r.

216: 2<sup>o</sup> Populo] M populi. | 220: 1<sup>o</sup> Populo] M populi.

235 Secundo, hoc fuit quia illa erant pretiosa in regnis suis.

Tertio, quia in his profitebantur quid in illo puero credebant et in thure Deum cui offertur et sacerdotem, de quo: *tu es sacerdos in eternum*. In auro regem qui erat *rex regum et dominus dominantium*. Vnde in Psalmo octogesimo octauo: *et ego primogenitum ponam illum excelsum pre regibus terre*. In murra moriturum pro peccato totius mundi. Ex quo sequitur quod cum omnia ista in illo essent credenda ab omnibus regibus, sequitur quod omnes omnia illa tria obtulerunt, nam licet Persia abundet murra, ex qua erat unus rex, et Arabia abundet auro, ex qua alius rex erat, maxime in Arabia Felice, unde in Psalmo septuagesimo primo: *dabitur ei de auro Arabie* et Saba abundet thure, unde Hieremie sexto: *thus de Saba offertur*. Et sic licet quilibet istorum non portaret quodlibet istorum trium, sed in uia quilibet istorum, aliis duobus dedit de suo. Et sic omnes tres omnia tria obtulerunt, ut communis est opinio.

Quarto, ista tria dederunt: primo aurum contra paupertatem, thus contra loci fetorem, murram ad solidandam membra pueri.

250 Tertio, dico quod isti reges principales fuerunt solum tres, licet multi in comitatu suo uenissent, ut diximus in precedenti sermone, sed etiam patet:

primo, ratione muneris, quia tria fuerunt.

Secundo, quia ueniebant pro tota progenie Ade, et licet multos filios Adam habuisset, solum tres nominantur, scilicet: Cain, Abel et Seth.

255 Tertio, ueniebant pro omnibus generationibus mundi, que orde fuerunt a tribus filiis Noe, scilicet: Sem, Cham et Iafeth. Ex Sem uiginti septem, ex Cham triginta, ex Iafeth quindecim. Et sic sunt septuaginta duo generationes et lingue principales in toto mundo.

Quarto, patet quod essent tres et isti sufficerent quia tres sunt partes terre et per istos populate. Nam Sem cum filiis suis populauit Asiam, Cham cum filiis suis Africam, Iafeth cum suis Europam.

260 Quinto, patet quod essent solum quia nunquam plures nominati nec inuenti fuerunt.

Primo, tres baptizauit Thomas dum in illam prouinciam iret et tres in sua predicatione coadiutores habuit et pro Christo martyrizati fuerunt.

Secundo, tria corpora istorum Helena mater Constantini in Constantinopoli duxit et asportauit.

265 Tertio, tria corpora sanctus Eustorgius archiepiscopus Mediolanensis Mediolanum traduxit.

Quarto, tria corpora solum Federicus imperator Coloniam finaliter duxit, ibi nunc honorifice in capella ostendunt.

270 Sexto, patet quod solum tres essent per figuram, que habetur secundo Regum uicesimo tertio, quando philistei erant in Bethleem et Dauid desiderauit bibere de aqua cisterne que erat intra portam Bethleem et tres robusti ipsius Dauid, dum pergerent in Bethleem,

---

237: Ps. 109, 4. | 237-238: Apoc. 19, 16. | 238-239: Ps. 88, 28. | 243: Ps. 71, 15. | 243-244: Ier. 6, 20. | 269: cf. II Sm. 23, 15.

275 acceperunt aquam de cisterna illa. Isti significabant tres reges qui uenerunt in Bethlehem et acceperunt aquam gratie de cisterna, que erat Christus, uel cisterna Maria et fons gratie Christus fuit. De quo in Psalmo tricesimo quinto: *apud te est fons uite et in lumine tuo uidebimus lumen*. Lumen, scilicet: Christum, uiderunt isti in lumine, scilicet: stella, de qua dixerunt: *uidimus stellam eius in oriente*. Quo ad primam partem conclusionis.

Secunda pars conclusionis probatur, scilicet: quod conuenit nobis uenire et adorare, tripliciter, sicut isti fecerunt.

280 Primo, uenire uniformiter ad lapidem angularem qui Christus est et dicitur esse in Bethlehem, id est, in domo panis, scilicet: in ecclesia. Et sicut isti reges uniformiter uenerunt et eadem munera illi obtulerunt, sic nos uniformiter non cum aliqua distinctione in Christo. Non considerare si uenit ex iudaismo nec si uenit ex agarenis uel gentibus et grecis, etcetera. Sed considerare quod uenientes ad Christum sunt christiani, quia in Christo: *non est iudeus neque grecus*, ad Galatas tertio. Et sic in conuersis nullam debemus facere  
285 distinctionem, quia in Christo: *nec est distinctio iudei et greci*, ad Romanos decimo. Et sic omnes sunt dicendi et reputandi christiani.

Secundo, debemus adorare cum his cum quibus adorauerunt isti.

Primo, debemus dare aurum deuotionis et puritatis cordis.

290 Secundo, debemus dare orationem uel sacrificium, quod notatur per incensum, unde Psalmi sexagesimo quinto: *offeram tibi cum incenso*, etcetera. Item Psalmi centesimo quadragesimo: *dirigatur, domine, oratio mea sicut incensum*, etcetera.

Tertio, debemus dare murrā, id est, carnis mortificationem per penitentiam, et sic unum istorum sine aliis nihil ualet.

295 Sed sicut isti reges fuerunt tres, sic quilibet christianus tenetur triplicem dare adorationem: primam “dulie”, que debetur cuilibet sancto et cuilibet habent aliquid diuinitatis siue sit gratia Dei siue gloria siue regimen ab ipso Deo. Quia omnis potestas a Deo est et sic debetur prelati, regibus, ducibus, etcetera.

300 Secunda adoratio est maior ista, que dicitur “hyperdulia”, que debetur illi que in omnibus his excellit, scilicet: uirgini Marie, que excellit omnes in gratia et gloria et est regina mundi et domina angelorum et mater dignissima Dei.

305 Tertia est “latria”, que debetur soli Deo et sic est maior omnibus, sicut Deus sine comparatione excellit omnes alios. Et sicut reges adorauerunt spiritu et anima et corpore et bonis exterioribus, sic nos debemus facere. Et tenemur nos feruentius adorare quam alii tripliciter: primo, in quantum Europani; secundo, in quantum Hispani; tertio, in quantum Cesaragustani.

310 Primo, ut Europani, quia Europa fuit inspecta a Deo magis quam aliqua alia pars mundi. Ratio est ut dicit Damascenus, quia tempore Christi passionis Christus habuit oculos misericordie uersus illam. In signum huius misericordie in die natalis domini fons olei Rome apparuit et sicut Christi uisio fuit causa conuersionis Petri, sic et Europe. Et sic tertia pars mundi nunquam perdidit adorationem Christi sicut cetera, nam tota Africa aliquando

---

274-275: Ps. 35, 10. | 276: cf. Mt. 2, 2. | 283-284: Gal. 3, 28. | 285: Rm. 10, 12. | 290: Ps. 65, 15. | 291: Ps. 140, 2.

307: cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, IV, 12. PG 94, 1135A.

fuit perdita et a Christi fide aliena, sicut nunc est. Tota etiam Asia sic fuit, nam si aliqui christiani in illa sint, non tamen sunt perfecti in fide Christi, sed in aliquo errantes. Sed Europa tota semper fuit et est sub Christi iugo, et si aliqua pars fuit perdita, ut fuit in Hispania Betice pars, que Granata dicebatur, nunc est recuperata et Deo data. Hac  
 315 mediante, tota recuperabitur Africa et in breui tempore, ut in domino spero. Signum autem huius fuit quod isti tres reges, licet fuissent naturales ex Asia et in persona totius mundi ad Christum uenissent tamquam ex principali parte mundi, sed post illorum mortem corpora eorum semper in Europa remanserunt. Et patet (ut diximus) in Constantinopoli et in Mediolano et in Colonia. Et sic hoc fuit signum quod hoc dabatur Europeanis quod sicut illi  
 320 in uita Christum ueraciter adorauerunt, sic debebant illi qui in Europa morabantur.

Secundo, nos tenemur magis ad hoc ut Hispani, nam in signum huius in die natiuitatis domini, quando istis uisa et ostensa fuit stella, in Hispania fuerunt uisi tres soles, ut dicit sanctus Thomas in tertia parte, questione tricesima sexta, articulo tertio ad tertium, et sic nos plus ceteris tenemur ratione ostensionis signi precipui.

Tertio, ad hoc tenemur in quantum Cesaragustani, nam cum magno tempore hec ciuitas esset sub potestate agarenorum et fuisset obsessa a rege Alfonso, filio Sancii regis Aragonum, et cum eo erat Petrus, comes Perticarum et dominus Tutelle ciuitatis, et Gaston, uicecomes Bearne et dominus de Vn Castillo, qui hodie iacet in Sancta Maria Maiori in capella sancti Braulii. Isti tres sicut fecerunt tres reges intrantes in Bethleem tali die, sicut est hodie, anno mille centum septemdecim, intrauerunt et ceperunt ciuitatem Cesaraguste et in Sancta Maria Maiori inuenerunt puerum cum Maria matre eius et procidentes adorauerunt eum. Et cum uidissent quod mater habebat ecclesiam et filius non haberet diuersorium, consecrata fuit mezquita maior in ecclesiam filii et nunc a die illa dicitur ecclesia Sancti Saluatoris. Et sic, ut dicit sanctus Bonauentura, tres uise fuerunt stelle  
 325 in die illa a regibus.  
 330  
 335

Prima, in celo.

Secunda, in diuersorio, scilicet: uirgo Maria.

Tertia, in presepio, scilicet: Christus Iesus. Ante captionem huius ciuitatis solum uidebatur stella uirgo Maria in occidente, a die autem illa in altari huius ecclesie cotidie  
 340 *uidimus stellam eius in oriente*. Quo ad secundam partem conclusionis et primam partem sermonis.

Hoc autem tangitur in euangelio hodierno a Mattheo dicente: *cum natus esset Iesus in Bethleem Iudee in diebus Herodis regis*, qui erat Idumeus primus alienigena qui regnauit in Hierusalem. Nam omnes qui fuerunt reges ab ipso Dauid fuerunt de Iuda usque ad istum,  
 345 ut ostenderet esse impletum illud quod Iacob dixerat in benedictione ipsius Iude, Genesis quadragesimo nono: *non auferetur sceptrum de Iuda nec dux de femore eius donec ueniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium*, etcetera. Ideo dicit Mattheus: *in diebus Herodis regis*, ut ostendat illud esse impletum, *ecce magi ab oriente uenerunt Hierosolymam*. Venerunt autem a parte orientali Hierusalem, nam Persia, Arabia et Saba omnes sunt orientales respectu  
 350 Hierusalem. Isti fuerunt magi, id est, sapientes uel astrologi, ut dicit sanctus Thomas in tertia parte. Et sic cum sapientia sit duplex, quedam humana, que dicitur “poesia”, alia diuina, que dicitur “metaphysica”, alia celorum, que dicitur “astrologia”, unus istorum erat

340: cf. Mt. 2, 2. | 342-343: cf. Mt. 2, 1. | 346-347: Gn. 49, 10. | 347-348: cf. Mt. 2, 1.

323: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 36, a. 3 ad 3, p. 274. | 334: Bonauentura] *NI*. | 350: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 36, a. 1, p. 274.



peritus in humanitate, alius in theologia, alius in astrologia, etcetera. Venerunt igitur Hierusalem uoluntate diuina, ut ex informatione iudeorum certiores fierent, et credebant  
 355 quod rex tam mirabilis in ciuitate regia esset querendus. Item quia perdiderunt stellam antequam applicuissent Hierosolymam, dixerunt ergo intrantes in templum ipsis sacerdotibus: “*ubi est qui natus est rex iudeorum?*” *Audiens autem rex Herodes turbatus est et omnis Hierosolyma cum illo.* Ipse quia cum esset alienigena natione Idumeus, sed effectus esset iudeus, timebat regnum perdere per aduentum noui regis. Hierosolyma etiam turbabatur ex  
 360 istius turbatione et timebat perturbationes in controuersia regum. Item mirabatur qualiter isti alienigene et de longinquis partibus regem suum quererent.

Congregauit autem Herodes omnes scribas, sacerdotes et sapientes Hierusalem et in conspectu trium regum quesiuit de isto rege et interrogauit ipsos reges que fuit causa aduentus sui et monitum inquisitionum huius noui regis.

365 Et primo, respondit rex peritus in poesia et dixit quod legerat in Vergilio in Buccolicis suis: «iam redit et uirgo redeunt saturnia regna et noua progenies celo dimittitur alto». Et hunc querebant ipsi. Item dixit idem rex quod legerat in Ouidio in libro De Vetula dicens: «Cesaris Augusti anno duodeno debere sine uiro de uirgine nasci prophetam». Et sic hunc querimus nos. Interrogauit autem Herodes iudeos: utrum iste nouus rex uel propheta, si  
 370 sperabatur e celo et de alto? Illi uero dixerunt quod secundum suos prophetas sic. Vnde dicit unus illorum quod sic dixit Dauid, cui singulariter hoc mysterium reuelatum fuit in Psalmo quadragesimo secundo: *emitte lucem tuam et ueritatem tuam.* Nam cum mundus fuerit tenebratus per peccatum, ab illo suo messia sperabatur illuminari. Et cum in mundo nulla esset ueritas, quia: *omnis homo mendax*, et etiam ea que in sua lege habebant erant omnia in  
 375 figura, ueritas sperabatur per illum in toto mundo et sperabatur e celo. Et sic dixit: *emitte lucem tuam*, quo ad primum, *et ueritatem tuam*, quo ad secundum.

Secundo, dixit alius iudeus quod ab alto sperabatur, unde idem Psalmista dicit in Psalmo centesimo quadragesimo tertio: *emitte manum tuam de alto*, etcetera. Et sic cum per manum notetur uirtus uel potestas, hec noua potestas de celo speratur quod ueniat.

380 Tertio, dixit alius iudeus et sacerdos quod hoc idem dixit Isaias in capitulo decimo sexto: *emitte agnum, domine, dominatorem terre de petra deserti*, id est, de celo deserto per peccatum angelorum et hominum, *ad montem filie Sion*, scilicet: Hierusalem.

Secundo, querit Herodes quomodo sine uiro et de uirgine sperabatur. Dicit unus illorum sacerdotum quod non sperabatur immediate de uiro, sed de sola muliere, nam ipsi Dauid  
 385 promissus fuit sic in Psalmo centesimo tricesimo primo: *de fructu uentris tui ponam super sedem tuam.* Clarum est quod non sperabatur de uentre hominis, quia homo non parit et semel hominis in lumbis est et non in uentre, sed quia speratur ex una muliere ex Dauid descendente, ideo dixit: *de fructu uentris tui*, etcetera. Nam si de uiro et muliere immediate ueniret, uir hic nominaretur, cum denominatio debeat a nobiliori fieri, sed non nominauit  
 390 uirum, sed uentrem mulieris, igitur, etcetera. Alius iudeus dixit quod sic sperabatur messias suus ex sola muliere immediate, nam etiam ipsi Dauid in secundo Regum capitulo septimo promittitur. Hic dixit ei: *suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo.* Clarum est quod hoc non dicitur de Dauid, quia dixit: *post te*, nec aliquo eius filio, nam postquam Dauid fuit mortuus filios non genuit. Sed dixit “post te” quod egredietur de utero tuo, id est, de  
 395 quadam muliere, que ex te descendet.

---

357-358: cf. Mt. 2, 2-3. | 372: Ps. 42, 3. | 374: Ps. 115, 11. | 375-376: cf. Ps. 42, 3. | 378: Ps. 143, 7. | 381-382: Is. 16, 1. | 385-388: Ps. 131, 11. | 392-393: II Sm. 7, 12.

366: Ver., *Ecl.*, IV, vv. 6-7, p. 28. | 368: cf. Pseu. Ov., *De Vet.*, III, vv. 612-614, p. 272.

Item querit Herodes utrum illa mulier sperabatur uirgo in partu et post. Dicit quidam iudeus quod sic est, quia si concipiet sine uiro, igitur sine sui corruptione. Item dicit ipse: “sic habemus nos per prophetam Isaiaem, capitulo septimo: *ecce uirgo concipiet et pariet filium*”. Igitur in conceptu et partu uirgo sperabatur.

400 Ex sic ex dictis primi regis tria habuerunt, scilicet: quod sperabatur e celo et quod sine uiro et de muliere uirgine remanente.

Secundus rex theologus dixit quod motuum sui aduentus fuit quod legeret in Sibyllis multa, cum ipsi non haberent prophetias. Primo, dicit Sibylla Erithrea: «in ultima etate humiliabitur Deus, humanabitur proles diuina, iungetur humanitati diuinitas», etcetera.

405 Interrogat autem Herodes iudeos dicendo quod si ipsi habent quod ille rex speretur Deus. Dicit autem unus illorum iudeorum quod certe speratur ab illis esse Deum, nam Isaiaem in septimo capitulo quando locutus fuit de illa uirgine et de filio quem debebat parere dixit quod: *uocabitur nomen eius Emanuel*, id est, nobiscum Deus, et sic tunc erant iungenda humanitas diuinitati. Nam quod Deus sit nobiscum erit nouo modo, non secundum  
410 essentiam, presentiam et potentiam, quia isto modo semper nobiscum fuit, sed nunc nouo modo expectatur a nobis, scilicet: per unionem hypostaticam, etcetera. Secundus iudeus dixit quod sic expectatur, nam quando iterum Isaiaem locutus fuit de illo nascituro dixit: *paruulus natus est nobis*, etcetera, *admirabilis Deus et fortis*, capitulo nono. Item dixit alius iudeus:  
415 “sic est ueritas, nam quando Dauid cui promissio facta fuit expressior dixit in Psalmo quadragesimo quarto, qui de illo ab omnibus interpretatur: *speciosus forma pre filiis hominum*, etcetera, *dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo letitiae pre consoribus tuis*”. Igitur iste per admirationem uocat illum Deum et patrem suum Deum, nam dicit: *o Deus, quia dilexisti iustitiam*, etcetera, *Deus tuus*, id est, pater tuus, *unxit te oleo letitiae*, id est, oleo gratie spiritus sancti pre aliis, etcetera. Nam fuit Deus eternus et pater suus  
420 eternus, sed in quantum homo fuit unctus unctione spiritus sancti pre aliis omnibus, nam: *illi non fuit datus spiritus ad mensuram*, etcetera.

Secundo, dicit idem rex quod legerat in alia Sibylla, que dicta est Helespontica, dicens: «de excelso celorum prospiciet humiles suos et nascetur in ultimis diebus de uirgine hebraea in cunabulis terre», etcetera. Interrogat autem Herodes rex legisperitos dicens quod quando  
425 erat uenturus, nam audiuit “in ultimis diebus”, etcetera. Dixit unus ex illis quod in ultimis diebus sperabatur, nam Isaiaem dixit in capitulo secundo: *erit in nouissimis diebus preparatus mons domus domini in uertice montium*, etcetera. Loquitur hic de aduentu illius, in quo mons debet in multis nobilitari supra alios montes. Nam si in illo instituit sacramentum sacramentorum et in illo dabit legem et multa alia faciet in cenaculo super illum montem, et hoc dicit propheta quod erit “in ultimis diebus”, etcetera. Item dicit alius iudeus quod idem dicit Iacob in  
430 benedictionibus filiorum suorum dicens Genesis quadragesimo nono: *congregamini ut annuntiem uobis que uentura sunt in diebus nouissimis*, etcetera. Et sic dies aduentus illius dicuntur dies nouissimi. Item dicit alius iudeus: “puella illa debet esse hebraea, nam ex semine Dauid fuit promissa et ex semine Abrahe”, etcetera. Item dicit aliud iudeus: “certe debet esse  
435 uirgo, ut diximus, nam Hiezechielis capitulo quadragesimo quarto dicit quod illa porta non erat per uirum aperienda, sed clausa esset semper ipsi principi, id est, filio primogenito Dei”, etcetera.

398: Is. 7, 14. | 408: Is. 7, 14. | 413: Is. 9, 6. | 415-418: cf. Ps. 44, 3-8. | 421: Io. 3, 34. | 426-427: Is. 2, 2. | 431-432: Gn. 49, 1. | 435: cf. Ez. 44, 2-3.

403-404: cf. Sibyl., p. 170. | 423-424: cf. Sibyl., p. 158.

398: Septimo] M, X nono.

Tertio, dixit idem rex: item legi in eadem Sibylla, que dicta fuit Tiburtina: «nascetur  
 440 Christus in Bethleem regnante tauro pacifico, beata mater cuius ubera eum lactabunt». Item  
 dicit Herodes iudeis: quid ipsi habent de isto tempore et loco? Dixit unus iudeorum: “certe  
 ipse debet pacem portare et in tempore pacifico nasci. Patet nam Isaias dicit capitulo  
 secundo: *conflabunt gladios et uomeres tempore sue natiuitatis*”, etcetera. Item dicit alius: “uerum  
 est, nam Isaias capitulo nono uocat eum *principem pacis*”. Item dicit alius: “certe nos  
 445 suspicamur quod tempus sui aduentus sit prope, nam iam regnat iste Octauianus pacificus,  
 qui propter nimiam pacem auxit Rem Publicam et sic dictus Augustus. Et istis diebus dedit  
 edictum ut pacifice omnes describerentur”, etcetera. Interrogat iterum Herodes: “quid  
 habetis de loco sue natiuitatis? Nam hic rex dicit quod in Bethleem”. Dicunt iudei: “de loco  
 nihil certum scimus”. Dicit autem unus illorum quod nasci debuit in Nazareth, nam  
 450 uocatus fuit Nazarenus ab Isaia capitulo undecimo dicens: *egredietur uirga de radice Iesse et flos*  
*uel Nazarenus (ut dicunt iudei) de radice eius ascendet*. Et sicut non dicitur Cesaragustanus nisi  
 natus sit Cesaraguste, sic nec Nazarenus nisi natus in Nazareth. Dixit autem alius: “non  
 mihi uidetur quod sit natus in Nazareth, sed conceptus bene. Nam natiuitas est duplex,  
 scilicet: occulta in utero et manifesta extra uterum. Isaias autem in predicto loco loquitur de  
 455 occulta natiuitate, nam dicit: *de radice eius ascendet* germen in radice pululans, etiam non  
 uidetur, ut patet de spargo”, etcetera. Item dixit alius scriba quod nasci debebat in  
 Hierusalem, nam idem Isaias capitulo secundo dicit: *de Sion exhibit lex et uerbum domini de*  
*Hierusalem*, igitur, etcetera. Dicit alius: “non loquitur de illo, sed de uerbo legis dande per  
 eum in Hierusalem, nam declaratur uerbum illud per legem, que de Sion”, etcetera. Item  
 dicit alius: “certe non potest determinate sciri in quo loco nascetur, sed per Abacuc capitulo  
 460 tertio scimus quod in parte meridiana a Hierusalem nascetur, unde dicit: *Deus ab austro ueniet*  
*et sanctus de monte Pharan*”, etcetera. Vltimo dixit summus sacerdos quod ciuitas Bethleem  
 posita et sita est ad partem meridianam a Hierusalem et de illa clare loquitur, nam propheta  
 Micheas capitulo quinto dicit: *et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es*, etcetera, *ex te exiet*  
*dux qui regat populum meum Israhel*, etcetera. Et sic dignitas ipsius Bethleem ostenditur non in  
 465 multitudine in ea habitantium, sed in hoc quod in ea Christus et rex promissus erat  
 nasciturus.

Tertio, locutus fuit rex astrologus et dixit quod secundum cursum celorum rex  
 admirabilis sperabatur, nam anno Octauiani uicesimo quarto, ut dixit Ouidius: «facta fuit  
 470 coniunctio maxima Saturni et Iouis», etcetera. Item dicit idem rex quod legerat in quadam  
 Sibylla dicta Cumana dicens: «surget stella mirabilis, que mundum lustrabit. Iacebit in feno  
 agnus et puellari officio educabitur Deus et homo». “Item inuenimus”, dicit idem rex, “in  
 partibus nostris dictum antiquissimi doctoris Balaam, qui dixit quod quando stella noua  
 orietur, tunc exiret uirga quedam et regalis potestas ex Iacob”. Etiam de ista stella dicit  
 doctor agarenus, nomine Almanzhodi, multa, qui erat Arabs. Dicit Herodes iudeis si aliquid  
 475 sentirent ipsi in lege sua. Respondet summus pontifex: “certe, licet ille doctor noster non  
 fuit, sed quando uenit ipse in partibus nostris dixit illam prophetiam et quia erat de messia  
 nostro, licet fuerit dicta ab alieno, Moses spiritu sancto edoctus illam illam scripsit, Numeri  
 uicesimo quarto dicens: *orietur stella ex Iacob et consurget uirga de Israhel*”, etcetera. Respondit  
 rex et dixit: “certe nos hanc stella uidimus sunt duodecim dies, quedam autem stella est  
 480 nouiter producta, nam plures stellas calculauimus et nunquam ante talem uidimus. Ambulat  
 autem motu recto, non circulari, ut cetere. Alie motu continuo, hec aliquando interrupto,

442: Is. 2, 4. | 443: Is. 9, 6. | 449-450: Is. 11, 1. | 454: cf. Is. 11, 1. | 456-457: Is. 2, 3. | 460-461: Hab. 3, 3. |  
 463-464: Mi. 5, 2. | 479: Nm. 24, 17.

438-439: cf. Sibil., p. 158. | 468-469: cf. Pseu. Ov., *De Vet.*, III, v. 637, p. 273. | 470-471: cf. Sibil., p. 170. |  
 474: cf. Al-Mas', *Muruğ al-dabab* (vol. 4), c. 68, p. 79-80.

462: Meridianam] X meredianam.

nam nobis quiescentibus, quiescit ipsa, etcetera. Item ambulans circa terram, alie in celo. Item alie presentia solis occultatur, hec semper uidetur". Omnes autem tres reges iuncti tunc dixerunt: "hec est autem illa de qua diximus quod *uidimus stellam eius in oriente*".

485 Et sicut illi uiderunt oculis corporis, sic nos uideamus oculis mentis et fidei, ut habere possumus hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedere dignetur, etcetera. Amen.

---

484: cf. Mt. 2, 2.

SERMO CENTESIMVS QVADRAGESIMVS QVINTVS IN FESTIVITATE CONVERSIONIS SANCTI  
PAVLI

<THEMA> *Vas electionis est, Actuum nono.*

Originaliter, etcetera.

5 Duo uasa legimus in principio creationis et alia duo in principio recreationis. Vasa  
creationis fuerunt Adam et Eua, uasa recreationis Christus et uirgo Maria. Adam et Eua  
uasa totius nature et iustitie originalis et gratie. Nam: «iustitia originalis erat naturalis non  
causata a principiis nature, sed propagata cum natura», sanctus Thomas, Contra Gentiles  
10 quarto, capitulo quinquagesimo secundo. Et cum: «iustitia originalis non esset sine gratia»,  
ut ait sanctus Thomas in Questionibus De Malo, questione quarta et quinta, sequitur,  
etcetera. Adam erat uas in quo erant ista. Eua uas per quod communicabatur natura, licet  
Eua peccaret et non Adam, filii nati fuissent cum iustitia originali et gratia, ut dicit sanctus  
Thomas in secundo, distinctione uicesima; et in prima parte, questione centesima, primo.  
15 Et sic non intrauit per Euam, sed per Adam, ut dicit Apostolus, ad Romanos quinto  
capitulo: *per unum hominem peccatum in mundum*, etcetera. Et sanctus Thomas, prima secunde,  
questione octogesima prima, primo; et in tertio, distinctione duodecima, questione secunda,  
articulo primo, questione secunda ad primum.

Sed licet ista contraherentur a primo uase Ade, non tamen nisi mediante secundo,  
scilicet: Eua, nam si ex carne digiti Ade generatus fuisset aliquis, non haberet peccatum  
20 originale, quia non esset ab Adam per rationem seminalem nec per generationem, ut dicit  
Augustinus decimo Super Genesis ad Litteram, nec etiam Eua habuisset si Adam ante  
peccaret, quia non per uiam generationis producta fuit. Et sic hoc secundum uas, scilicet:  
Eua, requirebatur, quia mediante illo fundebatur, etcetera. Ista duo uasa fracta fuerunt, quia  
25 primo uas Eue fractum fuit per peccatum transgrediendo mandatum et mediante ea  
fractum uas Ade similiter, unde Ecclesiastici uicesimo primo: *cor fatui quasi uas confractum*.

His duobus fractis fracta fuerunt omnia alia que ab ipsis exierunt, unde dicebat Dauid,  
Psalmi tricesimo: *factus sum tamquam uas perditum*, scilicet: per peccatum primorum  
parentum. Et fractio ista non potuit solidari nec reparari per uirtutem nec potentiam  
30 creatam in tempore quinque milia annorum, sed solum per potentiam diuinam. Et sicut  
mediante uerbo fuerunt facta: *quia ipse dixit: "et facta sunt"*, etcetera, Psalmi tricesimo  
secundo, sic mediante uerbo diuino fuerunt reparata.

Sed oportuit quod ad reparationem illam conuenirent alia duo uasa. Primum uerbum  
diuinum, quod poneretur in uase, scilicet: in corpore pretioso nostre humanitatis per  
incarnationem, et aliud uas quo mediante repararetur et quod esset uas femine, scilicet:  
35 uirginis Marie, quia illo mediante fuit fractum aliud, etcetera. Et sicut primum creationis uas  
non fuit per generationem uiri nec primum recreationis et sicut illud fuit formatum  
immediate a Deo, ut dicit sanctus Thomas, prima, questione nonagesima prima, secundo,  
obiectione; et questione sexagesima secunda, quarto, obiectione, sic hoc primum uas a sola

3: Act. 9, 15. | 15: Rm. 5, 12. | 25: Sir. 21, 17. | 27: Ps. 30, 13. | 30: Ps. 32, 9.

7-8: Th. Aq., *Con. Gent.* (vol. 15), lib. 4, c. 52, p. 165. | 9: Th. Aq., *Qu. De Mal.*, q. 5, a. 1 ad 13, p. 132-133. |  
13: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 20, q. 2, a. 3, p. 980; *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 100, a. 1 ad 2, p. 699. |  
15: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>a</sup>e, q. 81, a. 1, p. 530; *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 12, q. 2, a. 1, p. 634. | 20:  
cf. Aug. Hipp., *De Gn. Ad Lit.*, X, 21, 37. PL 34, 425AB. | 37: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 91, a. 2, p. 649;  
q. 62, a. 4, p. 429.

27: Tricesimo] M, X nono.

40 potentia diuina. Et sicut secundum uas creationis fuit de massa Ade, sic secundum recreationis esset de eadem massa. Figura Hieremie decimo octauo, nam ut dominus ostenderet modum reparationis, ipsi Hieremie dixit: “*uade et descende in domum figuli et ibi audies uerba mea*”. Et descendit in domum figuli et ecce ipse faciebat opus super rotam et dissipatum est uas quod ipse faciebat et luto manibus suis conuersusque fecit illud uas alterum sicut placuerat in oculis eius ut faceret, etcetera. Primum uas dissipatum fuit Eua, sed secundum ex eadem massa fuit uirgo 45 Maria, ita pulchra ut placuit oculis artificis. Sed inter ista duo uasa fuit differentia maxima tripliciter, nam quod uas excedat alterum potest esse in tribus: aut ratione componentium, aut ratione contenti, aut ratione finis.

Ratione componentium, scilicet: partium essentialium, scilicet: ratione materie. Et sic uas aureum est pretiosius argenteo. Ratione forme, sic uas rotundum est pretiosius quadrato. 50 Aut ratione totius, sic uas infrangibile est nobilius frangibili.

Secundo, ratione continentis. Sic uas quod plura continet pretiosius est quam uas quod parum continet.

Tertio, ratione finis sic: uas quanto ad nobiliorem finem ordinatur est pretiosius, ut calix pretiosior est quam ciphus, quia ad continendum sanguinem Christi ordinatur.

55 Sic in proposito, Marie uas fuit nobilius Eua quo ad formam, quia anima uirginis purior fuit quam anima Eue, nam cum puritas uirginis excesserit puritatem angelorum, sequitur quod etiam puritatem Eue et etiam cum maiori gratia fuit formata Maria quam fuerit Eua.

Ratione materie etiam, unde Eua de costa Ade, in qua nullum fuerat peccatum, sed Maria de massa corrupta descendens ipsa fuit purissima, quod fuit mirabilis. Vnde 60 Salomon, Prouerbiorum uicesimo quinto dicit: *aufer rubiginem de argento et egredietur uas purissimum*. Et sic mirabilis fuit quod Maria esset purissima et sine peccati macula cum esset de massa infecta.

Ratione compositi etiam, quia mirabile est ex corruptibilibus fieri uas incorruptibile, sicut fuit uirgo Maria, que nec peccare nec frangi potuit. Et de isto loquitur Sapiens, 65 Ecclesiastici quadragesimo tertio: *uas admirabile opus excelsi*, unde hoc non potuit fieri nisi mediante potentia diuina. Ideo Iob decimo quarto: *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es*, etcetera?.

Secundo, excellit ratione continentie, nam de uirgine cantat ecclesia: «quem celi capere non poterant tuo gremio contulisti», etcetera. Et sic hoc uas continuit in se primum uas a 70 quo fuit producta. Figura de urna manne, que contenta fuit ab arca federis, sed Maria fuit per arcam figurata pulchra intus et foris, etcetera.

Tertio, excellit ratione finis, nam Eua fuit mater omnium qui fuerunt in mundo hominum, sed Maria etiam mater domini totius mundi. Secundo, illa mater nature, hec 75 totius gratie. Tertio, illa mater amaritudinis mortis, ista mater dulcedinis uite. Ideo cantat cotidie ecclesia: «uite dulcedo, spes nostra», etcetera. Et ideo dicebat Augustinus quod: «prius fuerunt preemtores quam parentes». Et sic sicut mediante Eua fuit in mundo

---

41-44: Ier. 18, 2-4. | 60-61: Prv. 25, 4. | 65: Sir. 43, 2. | 66-67: Iob. 14, 4.

68-69: cf. Pseu. Bern. Cl., *Vit. Mys.*, IV, 12. PL 184, 644B. | 75: cf. Ans., *Hymn. Et Psal. De San. Mar.*, Saluatio deprecatoria, ante Psal. B. V. dicenda. PL 158, 1037D. | 76: Augustinus] *Auctor err.* cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62B.

66: Decimo quarto] M, X decimo tertio.

amaritudo mortis, sic mediante Maria fuit dulcedo uite. Figura quarto Regum secundo, dixerunt habitatores Hiericho ad Heliseum: *ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sed aque pessime sunt et terra sterilis*. Ille ait: *afferte mihi uas nouum et mittite in illud sal*. Quod cum attulissent, egressus ad fontem aquarum misit in illud sal et ait hec: “dicit dominus, sanauit aquas has et non erit in eis ultra mors neque sterilitas”. *Sanate sunt igitur aque iuxta uerbum Helisei*, etcetera. Et sic patet quod debet aqua per uerbum transire et sic ablutio agarenorum nulla est nec alie ablutiones, quia: «accedit uerbum ad elementum et fit sacramentum». Et sic instituit Christus baptismum et alia sacramenta post incarnationem suam, sed debet etiam esse intentio et uirginis mediatio.

85 “Hiericho”, secundum Hieronymum, interpretatur “luna”, et sic significat mutabilitatem huius uite. Heliseus interpretatur “Dei mei salutare”, secundum Hieronymum, et sic significat “Deum patrem”. “Sal” secundum Isidorum, significat “sapientiam patris”, scilicet: filium, qui est Dei patris sapientia. Et sic in hoc mundo uolubili, in quo erat amaritudo mortis, posuit Deus pater suam sapientiam in uase nouo, scilicet: in uirgine Maria, nouiter creata sine peccato, nouiter fecundata de uiro perfecto et Deo, unde Hieremie tricesimo primo: *creauit dominus nouum super terram, femina circumdabit uirum*. Nouum quia nunquam tale productum, nouum quia mater et uirgo, nouum quia mater et filia eiusdem, nouum quia creatura et mater creatoris. Et sic dulcedo, id est, gratia, fuit principaliter a sale, id est, a filio Dei, sed diffusum mediante illo uase. Vnde sicut manna in quo omnes sapes erant, secundum doctores, notat gratiam, sed dabatur et diuidebatur mediante uase gomor, Exodi decimo sexto. Vnde Apostolus ad Ephesios quarto: *unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram*. Hec uirgo fuit mensura impetrandi et dandi.

Et sic licet principaliter ad fontem gratie recurramus, ad hanc etiam deuote debemus recurrere, quia *uas electionis est*. In principio igitur sermonis, etcetera.

100 <THEMA> *Vas electionis est*, ubi supra.

Duo sunt uidenda in presenti sermone. Primum, qualiter apostolus Paulus fuit uas plenum omni admiratione. Secundum, qualiter fuit uas plenum omni sanctitate et perfectione.

Tria admiranda inueniuntur in ipso.

105 Primum, admiratur ecclesia: quare eius conuersio ab ecclesia celebratur? Et respondetur quod propter tria.

Primum est propter nostram consolationem, nam sicut ecclesia tristata fuit in eius persecutionem, sic debet gaudere de eius conuersione, unde ipse dicit, secunda Corinthiis primo: *sicut fuistis socii passionum, eritis et consolationum*, quia si de omni beneficio debemus gratias dare Deo, a fortiori de maiori, sed: «maius est iustificare impium quam creare celum et terram», ut dicit Augustinus, igitur. Item ecclesia: «Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas», etcetera. Sed dicit sanctus Thomas, prima secunde, questione centesima decima tertia, articulo nono, quod: «creatio est maior quo ad modum, quia ex nihilo fit, etcetera, sed quo ad factum iustificatio est quid maius, quia terminatur ad bonum eternum diuine participationis», etcetera. Igitur si gaudium est in celis

78-81: IV Rg. 2, 19-22. | 91: Ier. 31, 22. | 95: cf. Ex. 16, 22. | 96-97: Eph. 4, 7. | 99-100: cf. Act. 9, 15. | 109: II Cor. 1, 7.

83: cf. Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, LXXX, 3. PL 35, 1840B. | 85: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, NT, Mt., I. PL 23, 842B. | 86: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, VT, Rg., E. PL 23, 821A. | 87: Isidorum] NI. | 109-110: Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, LXXII, 3. PL 35, 1823D; cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 7), lib. 4, dist. 5, q. 1, a. 2, p. 366. | 111-112: cf. Gre. Mag., *Lib. Sacr.*, hebdomada XII post pentecosten. PL 78, 181A. | 113-115: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 113, a. 9, p. 803.

super unum peccatore, a fortiori de tali tam magno persecutore et tam utili predicatore, etcetera.

120 Secundo, propter nostram utilitatem, unde Bernardus in sermone primo huius festiuitatis dicit: «merito quidem dilectissimi conuersio doctoris gentium ab uniuersitate gentium festiuis gaudiis hodie celebratur, quia multos ab hac radice ramos prodisse uidemus. Conuersus Paulus conuersionis minister factus est uniuerso mundo, non solum tunc sed nunc non cessat exemplo oratione, doctrina ab hominum conuersione». Hec ille.

125 Tertio, propter spem uenie peccatorum, unde idem Bernardus, ubi supra, dicit: «propterea denique conuersionis eius memoria frequentatur, quia memorantibus utilis inuenitur. In hac peccator spem uenie concipit et ad penitentiam prouocatur. Quis desperet iam pro magnitudine criminis, cum uideat Saulum conuersum in Paulum?».

Secundo, admiratio est de miraculosa conuersione. Fuit enim miraculosa quo ad tria, ut dicit sanctus Thomas, prima secunde, questione centesima decima tertia; et quarto, distinctione quarta et distinctione decima septima.

130 Primo, ratione efficientis, scilicet: Christi, qui corporaliter post ascensionem apparuit. Nullus eum nisi solus Paulus uidit nec audiuit, quia in potestate corporis gloriosi est se ostendere uel non et uni se ostendere et alteri non.

Secundo, ratione disponentis, scilicet: lucis celestis, quia: *subito circumfulsit eum lux*.

Tertio, ratione Pauli.

135 Et si dicis: cum iustificatio impii sit maius quam creare celum et terra? Igitur iustificatio erit miraculosa et non solum ista, etcetera. Dicendum quod non, nam ut dicit sanctus Thomas, prima secunde, questione centesima decima tertia, articulo ultimo, tria requiruntur ad miraculum.

Primum, quod a solo Deo fieri possit illud tale.

140 Secundum, quod forma inducenda sit supra naturalem potentiam materie, ut in suscitatione mortui, et quantum ad hoc iustificatio impii non est miraculosa, quia naturaliter anima est gratie capax, quia: «facta ad imaginem Dei», ut dicit Augustinus.

145 Tertium, quod sit preter solitum modum causandi illud ut recipere subito sanitatem, et sic iustificatio impii communiter fit primo imperfecta et deinde perficitur. Vnde Augustinus: «charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici». Et sic quo ad modum conuersio Pauli fuit miraculosa, sicut conuersio subita aque in uinum. Nam licet natura possit conuertere aquam in uinum, ut patet in uite, sed non potest illud facere subito, ut in nuptiis, nec potest illud facere si uitis fuerit sicca, nam mediante humiditate illius ascendit aqua. Et sic si dispositio contraria siccitatis fuerit, non potest illud fieri nisi  
150 miraculose. Sic fuit in Paulo, nam fuit illa conuersio subita et existente in eo contraria dispositione, sed uoluntate peccandi et christianos persequendi.

---

133: cf. Act. 9, 3.

119-126: cf. Bern. Cl., *Serm. De San.*, I, 1. PL 183, 359D-361A. | 128: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 113, a. 10, pp. 804-805; *Sup. Sent.* (vol. 7), lib. 4, dist. 4, q. 3, a. 1, p. 324; (vol. 8), lib. 4, dist. 17, q. 1, a. 5, p. 490. | 137: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 113, a. 10, pp. 804-805. | 142: Aug. Hipp., *De Tr.*, XIV, 3. PL 42, 1038D. | 145: Aug. Hipp., *Ep.*, CLXXXVI, 3, 10. PL 33, 819D.



Tertia admiratio est de factis in illa conuersione, nam ut ipsemet testatur secunda Corinthiis duodecimo dicit: *scio hominem ante annos quattuordecim raptum usque ad tertium celum*, etcetera.

155 Primo, quid est raptus? Dicendum secundum sanctum Thomam, secunda secunde, questione centesima septuagesima quinta, raptus est eleuatio mentis ab eo quod est secundum naturam in id quod est supra naturam uirtute superioris nature, et quia in statu uie naturale est cognoscere Deum per sensibiles creaturas, quia: *inuisibilia Dei per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur*, ad Romanos primo. Et ideo si in uia eleuetur ad hoc quod Deum  
160 per essentiam cognoscat, est supra naturam, ut quod puer habeat barbam. Et sic Paulus fuit raptus, ubi glosa dicit quod fuit: «contra naturam eleuatus».

Si dicis contra: quia raptus dicit modum et motum uiolentum, sed creatura rationalis naturaliter inclinatur ad Deum, igitur. Dicendum quod uiolentum dicitur dupliciter, uel quo ad terminum motus, ut quod lapis sursum feratur, uel quo ad modum motus, ut quod graue uelocius moueatur deorsum quam sua natura requiratur, ut quando pila percutitur uersus  
165 terram. Et sic dicitur quod Paulus fuit raptus quo ad modum, quia non cognouit Deum modo naturali, sed fuit abstractus a tribus.

Primo, a cognitione sensibili, quia per illam sola corporalia apprehenduntur et non spiritualia. Et sic quando angelus uult uideri ab aliquo assumit corpus aereum, etcetera, sed  
170 Deus cum sit spiritus non potest uideri nec extrinsice sentiri.

Secundo, abstrahitur ab imaginabili, quia nulla est imago uel similitudo Deum representans.

Tertio, abstrahitur ab specie intelligibili, quia species cum sit creatura et finita non potest Deum representare, qui est infinitus. Et sic separatus ab his Paulus fuit eleuatus: «usque ad  
175 tertium celum», secundum Ambrosium.

Primum est aereum, *uolucres celi*, etcetera, Psalmi octauo.

Secundum est planetarum et siderum, de quo notitiam habuit Aristoteles.

Tertium est celum empireum, ad quod fuit raptus, etcetera, secundum Augustinum, super tres hierarchias angelorum. Secundum Bedam, primum celum cognitio corporum.  
180 Secundum angelorum. Tertium trinitatis. Et sic, ut ipse dicit, usque ad paradysum.

Si dicis: non uidit essentiam diuinam sine specie, quia postea recordabatur de his que uiderat et non posset recordari sine specie. Dicendum quod producte fuerunt nouiter species et derelictae. Exemplum: quando quis ponit filum in digito, quo mediante recordetur de aliquo amico, quando potentialiter uidet, habet nouam speciem de illo quem tunc facie  
185 ad faciem uidet, sic in proposito.

Si dicis: non uidit diuinam essentiam, quia tunc fuisset beatus. Dicendum quod uidit essentiam diuinam et habuit actum beatificum, non autem habitum. Et sic non fuit uere

---

153: I Cor. 12, 2. | 158-159: Rm. 1, 20. | 176: Ps. 8, 9.

155: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 175, a. 1 ad 1, p. 1016. | 161: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, II Cor. 12, 2. PL 114, 568B. | 174-175: Ambr., *Comm. In Ct.*, I, 12. PL 15, 1858A. | 178: cf. Aug. Hipp., *De Gn. Ad Lit.*, XII, 29, 57. PL 34, 478D. | 179: Beda] *Auctor err.*, cf. Petr. Lom., *Comm. In Ep. Pau.*, II Cor., XII, 1-4. PL 192, 82D.

---

165: Pila] M pilla.

190 beatus. Exemplum: si quis poneret beatitudinem in contemplatione pretiosorum lapidum, tantum delectaretur in illis quantum haberet de lumine. Et si participaret lumen inmanenter sicut fit in fulmine, in illo actu gauderet in lapidibus et non permanentemente, nec in habitu. Sed si haberet carbunculum uel aliquod permanens Luciferum, tunc gauderet in habitu et permanentemente. Et sic Paulus habuit actum beatificum et non fuit beatus in habitu, quia ut dicit sanctus Thomas, eo modo quis est beatus quo communicatur ei lux beatifica et illud lumen non habuit habitualiter, sic hic. In fide et spe fuit econuerso, nam tunc in illo actu  
195 non habuit fidem, quia: «fides est de non uisis» et tunc actu uidebat, et sic de spe, nam speramus quod non habemus et tunc actualiter habuit. Et sic nec habuit actum spei, sed habuit habitum fidei et habitum spei. Et sic econuerso fuit de his uirtutibus et de beatitudine, sed caritatem habuit in actu et habitu, quia illa in patria remanebit et perficietur.

200 Si dicis: quare fuit Paulus priuatus tanto bono? Postquam meruit uidere Deum, quia nemo priuatur aliquo merito sine demerito et sine peccato, sed Paulus non peccauit, igitur. Dicendum quod non fuit illa uisio ex merito, sed gratis fuit ei ostensa essentia diuina. Et si fuisset ostensa ad finem, ut esset beatus, non ostenderet ei in actu transeunte et per consequens non fuisset priuatus tali uisione, sed fuit illi ostensa ad hoc ut esset testis beatitudinis. Et sic conueniens fuit quod priuaretur et quod redderet ad modum naturalem  
205 in mundo. Et sic nec peccauit Paulus, quia non ex merito habuit, et per consequens nulla iniustitia fuit ei facta in priuatione illius, etcetera. Et sic uidit archana Dei, quia intellexit omnia secreta celestium et angelorum, et sic dum reuelauit et declarauit illa Dionisio discipulo suo, scripsit librum De Angelica Hierarchia, etcetera, uidit secreta trinitatis et secreta humanitatis et diuinitatis. Et sic dicit quod *euangelium non ab homine didicit*, etcetera.  
210 Fuit etiam ei reuelata mutatio synagoge in ecclesiam et sic quod non persequeretur christianos nec discipulos Christi. Et sic ut ab illo cessaret, anima uidebat secreta in celo et corpus erat postratum in terra, et sic dicit Augustinus in sermone: «Elisus est seruiens et factus est credens, Elisus est lupus et factus est agnus, Elisus est persecutor et factus est predicator, Elisus est filius perditionis et factus est uas electionis». Et de isto dicit Christus:  
215 *uas electionis est*. Quo ad primam partem.

Secunda pars: qualiter Paulus fuit uas plenum sanctitate et perfectione, unde Chrysostomus De Laudibus Pauli dicit: «nihil errauit qui Paulum pratum omnium uirtutum et perfectionum nuncupauit, que autem lingua laudibus eius inueniatur equalis? Cum omnia que sunt in omnibus bona sua possideat anima et non solum hominum, sed angelorum?».

220 Primo, enim excellit apostolos.

Primo, uniuersalitate, nam ipse ait ad Galatas secundo: *qui operatus est Petro in circumcisione, operatus est mihi inter gentes*. Et sic dicit quod usque ad Illiricum mare predicauit, et sic dicunt multi doctores quod uenit in Franciam, nam in ciuitate Narbonensi dimisit Paulum narbonensem discipulum suum et promisit se uenire in Hispaniam, ad Romanos decimo  
225 quinto. Et dixerunt etiam multi quod ueniet Tarraconam et in illa predicauit.

Secundo, excellit apostolos quia illi uocati a Christo existente mortali et in terra, sed Paulus illo existente immortalis et in corpore glorioso et ad dexteram Dei in celis. Et ideo ponitur ad dexteram in bullis romanis, unde ad Romanos primo: *per quem accepimus apostolatam*, etcetera. Et sic maior excellentia que fuit in Paulo fuit quod filius Dei semel

209: cf. Gal. 1, 12. | 215: cf. Act. 9, 15. | 221-222: Gal. 2, 8. | 224: cf. Rm. 15, 28. | 228-229: Rm. 1, 5.

195: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 7, a. 4, p. 65. | 212-214: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCCLXXXII, 4. PL 39, 1686B. | 217-219: cf. Io. Chrys., *De Lau. San. Pau.*, 1. PG 50, 473AB.

230 descendit de celo pro uniuerso mundo, unde dicit: *exiui a patre et ueni in mundum*, etcetera, et iterum uenit pro solo Paulo ad conuersionem suam, etcetera.

Tertio, excellit eos, quia in fonte trinitatis bibit secreta celestia sicut Iohannes Euangelista *supra pectus domini*. Et sic reprehendit Petrum de obseruantia legalium, ad Galatas secundo. Et sicut adueniente lumine maiori offuscantur parua lumina, sic Paulo adueniente cessauerunt nomina apostolorum et nullus intelligitur per apostolum simpliciter nisi Paulus.

Secundo, excellit martyres.

Primo, in pluribus generibus martyrii.

Secundo, in pluribus locis passus.

240 Tertio, in pluri tempore, nam quasi tota eius uita fuit martyrium, unde Hilarius: «Paulus apostolus in Philippi carcere ponitur, uirgis ceditur, ligno pedibus affigitur, in Listris lapidatur, in Hicono persequitur, in Ephesis feris datur, in Damasco sporta ponitur, in Hierusalem ceditur, capitur, etcetera, in Cesarea criminatur et clauditur, in Italiam nauigans periculo exponitur, Romam ueniens sub Nerone finitur». Ideo dicit secunda Corinthiis  
245 undecimo: *ter uirgis cessus sum, semel lapidatus sum*, etcetera.

Tertio, excellit confessores in predicatione. Et quis ita portauit nomen Christi sicut ipse qui fuit uas ad hoc electum? Et sicut in conuersione sua primo audiuit: *quis es, domine?* Dicit: *ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris*, etcetera. Sic in uita semper habuit in ore nomen Iesu Christi. In scriptis etiam, quia quasi quadringentis uicibus nominat Iesum. Etiam in  
250 morte, nam dum iugularetur extra Romam caput suum ter confessum est Christum dicendo: “Iesu, Iesu, Iesu”. Et sic tres fontes sunt in illo loco qui dicitur “Ecclesia Trium Fontium” et de aqua illa ego bibi, anno domini septuaginta nouem.

Quarto, excellit uirgines, nam fuit excellenter uirgo, ut dicit Chrysostomus de laudibus eius in homilia. Hoc idem dicit Hieronymus de uirginitate. Ipsemet dicit prima Corinthiis  
255 septimo: *uolo omnes esse sicut meipsum*. Et infra: *de uirginibus preceptum domini non habeo, consilium autem do*, etcetera.

Quinto, excellit patriarchas, ut dicit Chrysostomus, nam si Adam habuit reuelationem, maior fuit ista Pauli. Si Abraham fidem, maiorem habuit Paulus. Si Noe saluauit mediante arca, iste plures saluauit in illa arca, quam ex quattuordecim tabulis fabricauit, que fuerunt  
260 quattuordecim epistole sue, per quas conuersus fuit totus mundus et cotidie conuertitur, etcetera.

Sexto, excellit prophetas, nam epistole sue sunt plene prophetia usque ad finem mundi et ceteri usque ad Christum.

Primo, prophetauit de fabulis mundi, unde ad Timotheum quarto: *erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundum desideria sua*, etcetera. Et sic nullus curat de doctrina  
265

---

230: cf. Io. 16, 28. | 233: cf. Io. 13, 25. | 234: cf. Gal. 2. | 245: II Cor. 11, 25. | 247-248: cf. Act. 22, 8. | 255: I Cor. 7, 7. | 255-256: I Cor. 7, 25. | 264-265: II Tim. 4, 3.

240-244: Hilarius] *NI*. cf. Iac. Var., *Leg. Aur.*, XC, p. 380. | 253: Chrysostomus] *NI*. | 254: Hieronymus] *NI*. | 257: Chrysostomus] *NI*.

264: Timotheum] M, X Philippenses.

euangelica, sed de Vergilio et Ouidio, Terentio, etcetera. Et sic in Italia non curant nisi de humanitate et dimittunt diuinitatem, etcetera.

Secundo, de uitiiis, que nunc sunt, ad Timotheum tertio: *in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa et erunt homines seipsos amantes*, etcetera.

270 Tertio, de erroribus, prima ad Timotheum quarto: *spiritus manifeste dicit quod in nouissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris et doctrinis demoniorum prohibentium nubere et abstinere a cibis, quos Deus creauit*. Dicit Nicholaus quod erit circa tempora antichristi. De prohibitione ciborum iam est nostris temporibus, quia multi abstinent a carne porcina, a neruo crucis, etcetera. Restat alia heresis que dicit quod matrimonium non est licitum, etcetera. Item in morte predixit quod postea appareret Neroni et sic fecit. Item duobus militibus predixit quod duos suos discipulos inuenirent et baptizarentur ab eis circa corpus suum et sic fuit. Et sicut omnes excellit, sic omnibus dat exemplum, et quia ipse fuit predicator, persecutor et peccator, sic instruit predicatores, persecutores et peccatores.

Primo, predicatores in tribus.

280 Primo, in diligentia, nam ipse in labore continuo fuit predicando, prima Corinthiis decimo quinto: *plus omnibus laboraui*.

Item instruit illos ut non predicent pro temporalibus, sed magis pro lucro animarum, ut non obligatur alicui, unde de Mileto misit ad predicatores ciuitatis Ephesi et illos instruit dicens: *argentum et aurum nec uestes alicuius concupisci*, etcetera, *ad omnia que opus erant*, etcetera, 285 *ministrauerunt manus iste*, Actuum uicesimo.

Tertio, instruit de uita eorum, unde: *castigo corpus meum et in seruitutem redigo, ne forte cum aliis predicauerim, reprobus fiam*, prima Corinthiis nono.

Secundo, instruit persecutores dicendo: *Saule, Saule*, etcetera. Bis dicit “Saule”, quia duo genera hominum Christum et ecclesia persequuntur, scilicet: infideles et mali christiani. Vnde Bernardus: «Annon persequatur Christum, qui Christi membra laniabat in terris?», etcetera. Et sic omnes persecutores ecclesie prostrantur in terra et nisi conuertantur immediate dicendo: *domine, quid me uis facere?* Perire debent, nam persecutores omnes sic uidimus post Neronem perire, etcetera.

295 Tertio, instruit peccatores, nam sic debent conuerti ut ipse. Primo, illuminantur a gratia perueniens. Secundo, uocantur a predicatore et confessore. Tertio, prostrantur aliqua infirmitate uel morte filii, etcetera.

Et sic debent dicere: *domine, quid me uis facere?* Et dicit dominus: *uade ad uicum rectum*, id est, sine mora, uel ad uiam rectitudinis uirtutum ad domum Iude, id est, credentium, scilicet: ad ecclesiam, et inuenies sacerdotem Ananiam et sic post tres dies uidebis, scilicet: 300 post contritionem, confessionem et satisfactionem. Et sic in ablutione recipies hic gratiam et in futuro habebis gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, etcetera. Amen.

---

268-269: II Tim. 3, 1-2. | 270-272: I Tim. 4, 1-3. | 281: cf. I Cor. 15, 10. | 284-285: Act. 20, 33-34. | 286-287: I Cor. 9, 27. | 288: cf. Act. 9, 4. | 292: cf. Act. 9, 6. | 297: cf. Act. 9, 6-11.

272: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 6), I Tim. 4, 1, f. 120r. | 290: Bern. Cl., *Serm. De San.*, I, 2. PL 183, 361BC.

281: Laboraui] X laboraui.

## SERMO CENTESIMVS QVADRAGESIMVS SEXTVS IN DIE BEATI VALERII EPISCOPI

<THEMA> *Dedit illi sacerdotium magnum*, Ecclesiastici quadragesimo quinto.

Originaliter recitatiue autem in lectione presentis solemnitatis uerbum reperi, etcetera.

5 Sententia est catholicorum doctorum, maxime Alberti Magni in opusculo Super Missus Est, quod licet dignitas sacerdotalis non fuerit concessa uirgini Marie secundum illum modum, nec illam unctionem ordinum, ut conceditur presbyteris, prelatis et episcopis, sed quidquid in illa dignitate est excellentie et perfectionis et potestatis uirgini fuit excellentiori modo communicatum, quod ostenditur tripliciter. Primo, ratione dignitatis. Secundo, ratione gratie. Tertio, ratione singularitatis persone.

10 Ratione dignitatis probatur sic: dignitas que excedit omnem dignitatem includit in se omnem aliam dignitatem, quia alius non excelleret omnes alias. Exemplum: dignitas regalis includit militarem et imperialis regalem, sed dignitas uirginis in quantum mater Dei excellit omnes alias. Vnde Bernardus numerans dignitates uirginis dum uenit ad maternitatem dicit: «o si consideres cuius est mater, uidebis ultra te admirari non posse».

15 Secundo, ratione gratie, nam dignitas sacerdotatis est gratia gratis data, ut dicit Apostolus prima Corinthiis duodecimo: *diuisiones gratiarum sunt*, ubi numerat omnes dignitates ecclesie. Sed in uirgine Maria fuerunt omnes gratie siue gratis siue gratum facientes, que in aliqua pura creatura fuerunt, ut dicunt Hieronymus et Bernardus, igitur, etcetera.

20 Tertio, probatur ratione singularitatis persone. Fuit enim persona uirginis tam singularis quod non debuit numerari inter personas mundi, sed supra illas, ut filius. Nam sicut ipse fuit: *mediator Dei et hominum homo Christus*, ut dicit Apostolus prima Timothei secundo et ad Hebreos capitulo octauo et nono, sic uirgo Maria fuit mediatrix inter filium et totum mundum, ut dicit Bernardus in sermone.

25 Et sic cum medium debeat sapere naturam extremorum, sicut uirgo Maria fuit pura mulier, et sic conuenit cum mulieribus mundi, et sic cum filio debuit conuenire et conuenit tripliciter.

30 Et sic primo, sicut filius habuit dignitatem et officium sacerdotis excellenter et sic dicitur *sacerdos in eternum*, sic uirgo Maria habuit officium sacerdotum eminenter. Et sicut angeli consecrarunt aliqua templa, quod est officium episcopi, sic Maria uirgo multa alia consecrauit.

35 Item secundo, sicut filius habuit potestatem excellentie in sacramentis, quo ad hoc quod potuit effectum sacramentorum conferre sine forma sacramentorum. Non enim oportuit illi dicere: “ego te absoluo, sed uade in pace, remittuntur tibi peccata”, uel “uolo mundare et surge”, etcetera. Sic quo ad hoc Maria, que fuit medium inter Christum et mundum, fuit instrumentum ad gratiam impetrandam, non sub illis uerbis sacramentorum. Nam sicut gratia fuit a uerbo, ut Deus principaliter, sed ab homine Christo instrumentaliter, ut

2: cf. Sir. 45, 8. | 16: I Cor. 12, 4. | 22: cf. I Tim. 2, 5; cf. Hbr. 9, 15. | 29: Ps. 109, 4.

4: cf. Alb. Mag., *Mar.*, XLII, p. 80b. | 14: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, I, 7. PL 183, 59D. | 18: cf. MF. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. PL 30, 127A; cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 2. PL 183, 72A. | 24: Bern. Cl., *In Adv. Dom.*, II, 5. PL 183, 43BC.

2: Quadragesimo quinto] M, X quadragesimo quarto. | 7: Potestatis] X posteritatis.

instrumentum coniunctum, sic a uirgine Maria ut instrumentum separatum. Exemplum:  
 littera est a scriptore originaliter quo ad animam, sed instrumentaliter a sua dextera, ut  
 40 instrumentum coniunctum, sed a calamo ut instrumentum separatum. Et quecumque littera  
 est ab anima, fit mediante brachio et mediante calamo diuersimode. Sic gratia a diuinitate  
 principaliter, ab humanitate que significatur per brachium, ut ab instrumento coniuncto,  
 unde Isaias dicit: *brachium domini cui reuelatum est?* Isaie quinquagesimo tertio. Et Dauid in  
 Psalmo centesimo decimo septimo: *dextera domini fecit uirtutem*, etcetera. Sic uirgo fuit  
 45 calamus ut instrumentum separatum, unde dicit in illo Psalmo: *eructauit cor meum uerbum  
 bonum, lingua mea calamus scribe uelociter*, etcetera, Psalmi quadragesimo quarto. Sic uelociter  
 scripsit et in scribendo primum uerbum potestatem habuit omnia alia scribere, sicut  
 quando a papa datur potestas legato per fiat. Sic uirgo scripsit primum uerbum diuinum in  
 pergameni nostre humanitatis, quando dixit: *fiat mihi*, etcetera. Et sic semper lingua sua fuit  
 50 calamus, ut patet quando salutauit Elisabeth et ipsa dixit: *ut facta est uox salutationis in auribus  
 meis exultauit infans in utero meo*, etcetera. Sic etiam omnes gratias impetrauit mediante uerbo  
 per linguam suam. Igitur sicut conuenit Maria cum aliis uirginibus, sic cum filio Dei, ut  
 posset effectum sacramentorum sine forma impetrare.

Tertio, conuenit cum illo, ut sicut ille fuit unctus non illo modo consecrationis, nec  
 55 unctionis aliorum, sed excellenter, unde Psalmi quadragesimo quarto: *unxit te Deus, Deus*,  
 scilicet: pater, *unxit te pre consortibus tuis*. Sic etiam uirgo Maria fuit uncta oleo gratie spiritus  
 sancti pre aliis precedentibus. Et sic Maria non solum fuit mater et regina angelorum, sed  
 etiam martyrum et confessorum, in quibus sacerdotes includuntur. Et sic patet conclusio.

Sed si specificiter uolumus amplius declarare quomodo dignitatem sacerdotalem  
 60 excellentius habuit, uideamus significationem uocabuli. Dicit enim Isidorus in libro  
 Etymologiarum septimo, capitulo duodecimo, quod sacerdos dicitur quasi «sacra docens,  
 uel sacra ministrans uel sacra dans». Omnibus his modis uirgo Maria habuit dignitatem  
 sacerdotalem.

Primo, sacra docuit, que fuerunt singulariter tria. Primo, uirginitatem uouere. Secundo,  
 65 humilitatem seruare. Tertio, fidem fundare.

Primo, docuit uirginitatem uouere. Nulla enim ante uirginem docuit, ut dicit Bernardus.

Si dicis: quomodo mundus nesciuit dignitatem uirginitatis? Cum esset res pretiosa et in  
 annis quinque milia centum octoginta nullam mentionem de illa fecerit usque ad aduentum  
 uirginis? Dico quod licet in populo iudeorum non fuerit cognita, fuit tamen cognita in  
 70 populo gentili. Nam illa uirgo pulcherrima, que Vesta dicebatur, uirginitatem seruauit et  
 congregationem uirginum reperit. Et sic post mortem illa habita pro dea Rome templum  
 eius fuit institutum, in quo uirgine offerebantur, et si aliqua illarum contra uirginitatem  
 aliquid faceret, uiua sepeliebatur, ut Eusebius refert de Pompilia et Cornelia, que in  
 uirginitate uel contra illam peccauerunt, quod uiue sepulte fuerunt.

Sed si iterum dicis: quomodo hoc cognitum fuit in populo gentili et non in populo  
 iudaico? De quo habetur in Psalmo centesimo quadragesimo septimo: *non fecit taliter omni  
 nationi et iudicia sua non manifestauit illis*. Dicendum quod hoc fuit cognitum in populo gentili  
 et non in populo iudeorum, quia populus gentilis sequebatur rationem naturalem, per quam

43: Is. 53, 1. | 44: Ps. 117, 16. | 45-46: Ps. 44, 2. | 49: cf. Lc. 1, 38. | 50-51: cf. Lc. 1, 44. | 55-56: Ps. 44, 8. |  
 76-77: Ps. 147, 20.

61-62: cf. Isid. *Etym.*, VII, 12, 17. PL 82, 291D. | 66: cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 7. PL 183, 74D. |  
 73: cf. Hier., *Int. Chr. Ens.*, II. PL 27, 383B; 460C.

80 (licet ratio fuerit eis offuscata) cognouerunt quod uirginitas excellebat coniugium. Sed populus iudaicus non sequebatur rationem, sed legem et fidem, in qua lege multa erant que rationi repugnabant. Nam philosophi per rationem uidebant quod celum semper fuit motum et generatio fuit eterna, cum ex corruptione unius sequebatur alterius generatio, et sic de aliis. Sed lex contrarium dicebat, dum dicit: *in principio creauit dominus celum et terram*. Et sic sequendo legem uidebant uirginitatem non esse seruanda propter tria.

85 Primo, ratione precepti, nam cum uidissent quod multiplicatio mundi facta fuerit ex uno homine et una muliere, scilicet: ex Adam et Eua, et preceptum fuisse Genesis primo: *crescite et multiplicamini et replete terram*, et sic non extimabant uirginitatem, immo credebant esse contra preceptum. Item uidebant quod mundus fuit perditus per diluuium et solum remanserunt octo anime in mundo, et ex illis erat mundus populandus, et iterum  
90 preceptum fuit repetitum: *crescite et multiplicamini et replete terram*, Genesis octauo et nono, credebant non esse seruandam uirginitatem. Et sic filie Loth uidentes regionem illam esse combustam, ut patet Genesis decimo nono, credebant nullum uirorum remansisse et dederunt uinum patri, etcetera, et conceperunt prima patrem moabitarum, secunda patrem amonitarum.

95 Secunda ratio fuit ex parte maledictionis, nam quando dominus benedixit populum iudeorum dixit: *non erit in te sterilis nec infecunda*, Exodi uicesimo tertio. Et sic, si parere erat benedictio, uirginitas, que est contra partum, erat maledictio, et sic illa mulier que non concipiebat in populo habebatur pro maledicta. Et sic Anna et Ioachim excludebantur a templo eo, quia Deus illis non dabat prolem. Et sic uxores Iacob fuerunt solcite in prole  
100 habenda, non ex libidine, sed ad cultum Dei et ut maledictionem fugerent, Genesis tricesimo octauo.

Tertio, hoc fuit quia prophetatum erat quod de una muliere illius populi erat oriundus messias. Et sic omnes ille mulieres patriarcharum et prophetarum et matrone ueteris testamenti desiderabant parere, ut aliqua illarum esset mater illius. Et sic filia Iepte: *flebat uirginitatem suam*. Non autem mortem, sed quia uirgo et sine prole moriebatur, ut habetur Iudicum undecimo. Et propter has rationes uirginitatem non estimabant.

Sed dicis: si ille mulieres mouebantur propter has rationes, multo magis uirgo Maria debuit inclinari ad illud et non ad uirginitatem, ut fecit? Dicendum quod non, immo magis ad uirginitatem seruandam propter tria.

110 Primo, propter specialem inspirationem, quam habuit de rebus in quibus beneplacitum erat Deo, unde Bernardus ad uirginem dicit: «o beata Maria, quis docuit te uirginitatem seruare? Que lex? Que regla? Nisi quia uerbum diuinum primo fuit tibi magister quam filius», etcetera.

115 Secundo, quia licet alie matrone ueteris testamenti desiderarent esse matres messie, hec non, quia ille fuerunt aliquantulum elate, nam filie Eue. Et sic mater ethica uel hydropica parit filias cum aliqua infirmitate et tumore, sic Eua omnes filias cum aliqua elatione superbie. Sola uirgo Maria ab infirmitate matris fuit aliena, nam licet ab ipsa Eua fuerit orta secundum carnem, non autem secundum infirmitatem, sed preuenta fuit a spiritu sancto et ab illa infirmitate libera, et sic nos dicimur “filii Eue”, ut cantat ecclesia: «exules filii Eue ad

---

83: cf. Gn. 1, 1. | 86-87: Gn. 1, 22. | 90: Gn. 8, 17; Gn. 9, 1. | 92: cf. Gn. 19, 31. | 96: Ex. 23, 26. | 100-101: cf. Gn. 38. | 104-105: cf. Idc. 11, 38.

111-113: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, III, 7. PL 183, 74D-75A.

96: Sterilis] M sterilis.

120 te suspiramus», etcetera. Et sic ille matrone elate presumebant esse matres messie, uirgo Maria non, sed cupiebat se esse ancilla illius. Et quia mulier nupta cogitat que uiri sunt et quomodo placeat uiro, sed uirgo libera *cogitat que domini sunt*, ut dicit Apostolus prima Corinthiis septimo, et sic ut liberius posset seruire domine sue, scilicet: matri saluatoris, quam preuidebat esse propinquam, quia uidebat esse finem hebdomadarum Danihelis, quas  
 125 intellexit certius quam ipse Danihel. Et uidebat iam esse propinquum annum quadringentos nonaginta, quia uidebat se esse in propinqua et ultima hebdomada a licentia data iterum edificandi templum. Et sic preparabat se esse ancillam matris regis messie, etcetera, et ut liber illi seruire uouit uirginitatem.

130 Tertio, hoc fuit quia cognouit quod mater messie sperabatur uirgo et prima omnium et illa mediante proxime erant Deo offerende. Legerat in Isaia: *ecce uirgo concipiet*, etcetera. Et de eadem matre legerat in Psalmo quadragesimo quarto: *astitit regina a dextris tuis*, etcetera, *et adducentur regi uirginis post eam, proxime eius offerentur tibi*, etcetera. Et sic Maria cupiebat illi per obsequium appropinquari et ut uirgo Deo esset offerenda. Sic igitur propter istas tres rationes Maria fuit uirginitatis uexillifera, etcetera.

135 Secundo, docuit humilitatem, nam licet multe essent humiles ante ipsam, sed nulla habuit illum gradum humilitatis quem ipsa uirgo Maria habuit. Nam sicut superbia fuit causa perditionis gratie, sic humilitas debuit esse causa recuperationis gratie, et sicut illa reperta fuit primo in Eua, sic hec in Maria. Ideo dicit Bernardus: «redditur femina pro femina, humilis pro superba», et ideo in alio loco dicit Bernardus quod: «Maria uirginitate  
 140 placuit, sed humilitate concepit». Et sic mater redemptoris debuit habere illum gradum humilitatis, quem nunquam ante ipsam aliqua femina habuit nec habebit, quod patet tripliciter. Primo, ex parte Dei. Secundo, ex parte mundi. Tertio, ex parte sui.

145 Primo, ex parte Dei, quia per humilitatem debuit Deum excitare et ad mundum trahere, quod erat fiendum per humilitatem. Nam per odorem et flagrantiam humilitatis debuit excitari et per pondus illius meriti debuit trahi, etcetera. Nam ante incarnationem filius Dei dormiebat methaphorice, sicut dicimus de aliquo quando tardat aliquid facere quod “dormit in tali negotio”, sic in proposito. Ideo dicebat Dauid in Psalmo quadragesimo tertio: *exurge, quare obdormis, domine? Exurge*, etcetera. Et licet multe essent humiles ante illam, non habebant illum summum gradum humilitatis, ut mittere possent flagrantiam usque ad  
 150 celum. Nam sicut modicum thimiamatis applicatum igni fumat in camera, si est maior quantitas fumat et sentitur etiam in alto loco solaris. Sic fuit de humilitate uirginis respectu aliarum: sola humilitas uirginis misit odorem suum usque ad celum, unde dicit ipsa, Canticorum primo: *dum esset rex in accubitu suo*, scilicet: in sinu patris: *nardus mea dedit suauitatem odoris*. Nardus enim est herba parua magnas habens radices et odorifera et  
 155 significat humilitatem secundum omnes. Et sic illum excitauit, unde Psalmi septuagesimo septimo: *et excitatus est tamquam dormiens dominus*, etcetera. Et sic oportebat matrem uerbi habere tantam et tam magnam humilitatem, ut odor excellens illius filium Dei excitaret.

160 Secundo, debuit illum ad terram trahere propter ponderositatem humilitatis, nam: *accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus*, Psalmi sexagesimo tertio. Sic, si dum homo leuatur in superbiam fugit Deus, si per humilitatem postratur, sequitur Deus. Et sic uirgo Maria humilima prostrando se per humilitatem traxit filium Dei. Exemplum lampadis, nam dum

---

122: I Cor. 7, 34. | 130: Is. 7, 14. | 131: Ps. 44, 10. | 131-132: Ps. 44, 14. | 147-148: Ps. 43, 23. | 153-154: Ct. 1, 11. | 156: Ps. 77, 65. | 158-159: Ps. 63, 7-8.

119-120: cf. Ans., *Hymn. Et Psal. De San. Mar.*, Salutatio deprecatoria, ante Psal. B. V. dicenda. PL 158, 1037D. | 138-139: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62D. | 139-140: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, I, 5. PL 183, 59B.



chorda est in iurno, si ascendit brachia, fugit lumen, si descendunt ad terram, sequitur. Sic fuit de uerbo diuino in mundo tenebroso. Dum uirgo Maria humiliavit se, uenit lumen ad nos, ideo dicit Bernardus: «facta est Marie humilitas scala celestis, per quam saluator descendit ad terram». Figurata in scala Iacob, Genesis uicesimo octauo, et tunc dixit: *non est hic aliud nisi domus Dei et porta celi*. Et sic humilitas uirginis debuit esse tam grandis respectu Dei ut illum excitaret et duceret ad nos, quod nulla precedentium feminarum tantam habuit, ut ista duo facere posset.

Secundo, respectu mundi, nam existentes in limbo desdierabant saluatoris presentiam et de uoluntate Dei certi erant. Nam cum iuramento promiserat eis, sed sperabant matrem misericordie, unde dicebant: *ostende nobis, domine, misericordiam tuam*, scilicet: matrem misericordie, *et salutare tuum da nobis*. Et sic ante uirginem nulla femina illas uoces audiuit, quia nulla sic humilis fuit, sed sola uirgo Maria sic humilima illas audiuit. Et causa fuit quia uoces erant circa centrum, et sic oportebat ut ipsa in profundum humiliaretur, ut illas audiret. Sic faciunt uenatores cuniculorum, qui audiant furonem uel cuniculum, ponunt auditum in fundo, etcetera.

Tertio, ex parte suisipius, nam secundum doctores, fundamentum edificii spiritualis est humilitas et nulla uirtus sine humilitate fundatur. Sed cum uirgo debuit maximum edificium spirituale edificare, debuit igitur maximam humilitatem preparare, unde Augustinus: «cogitans magnam fabricam uirtutum construere de fundamento cogitet humilitatis».

Tertio, docuit fidem, nam omnes cupiebant Deum uidere. Ratio est quia: «nostra notitia incipit a sensu», ut dicit Philosophus. Et sic non solum gentiles, sed iudei desiderabant Deum uidere, unde Daudid in Psalmo septuagesimo nono: *ostende nobis faciem tuam*, etcetera. Item Moses: *ostende mihi faciem tuam*, etcetera. Vnde promissum fuit in Psalmo octogesimo tertio: *uidebitur Deus deorum in Sion*, et propter hoc faciebant idola uisibilia. Sed uirgo Maria dedit Deum uisibilem, unde: *in terris uisus est et cum hominibus conuersatus*, tunc ueritate habita cessauit falsitas. Exemplum puellarum: antequam pariant, faciunt filios et simulachra ex pannis, sed dum pariunt expellunt filios falsos. Et sic dum uirgo Maria cum filio suo intrauit Egiptum, corruerunt idola omnia Egipti. Ideo cantat ecclesia: «cunctas hereses sola interemisti», etcetera.

Sed contra: quia etiam sunt hereses. Dicendum quod interemit hereses que tunc erant uel aliter et melius tollit hereses que non sunt contra ipsam. Quia si medicina non sumitur nec sanitas. Et sic errantes contra eam non emendantur, ut iudei.

Secundo, sacerdos, id est, sacra ministrans. Hoc fuit tripliciter, scilicet: ante consecrationem, in consecratione et post consecrationem. Omnibus his modis uirgo ministravit.

Primo, ante consecrationem remote, ut fit per subdiaconum preparando materiam purissimam propinque, ut fit per diaconum dando in manibus sacerdotis. Sic uirgo Maria primo remote per quattuordecim annos seruando materiam suam ab omni contagione peccati et immediate ad consecrationem. Sed in hora consecrationis uel incarnationis preparando purissimum sanguinem et dando illum spiritui sancto, in quo actu aliquantulum se

165-166: Gn. 28, 17. | 171-172: Ps. 84, 8. | 183: Ps. 79, 4. | 184: cf. Ex. 33, 13. | 185: Ps. 83, 8. | 186: cf. Bar. 3, 38.

164-165: Bernardus] *Auctor err.* cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCVIII, 10. *PL* 39, 2133C. | 180: Aug. Hipp., *Serm.*, LXIX, 1, 2. *PL* 38, 441A. | 181-182: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 80, a. 3, p. 527. | 189-190: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In tertio nocturno. *PL* 78, 746B.

habuit actiue, ut dicit sanctus Thomas in tertia, questione tricesima secunda, quarto, obiectione; et in tertia distinctione, questione secunda, primo, obiectione.

205 Item in consecratione, sicut sacerdos est minister consecrationis in illis quinque uerbis dicendo: “hoc est”, etcetera, et in ultima syllaba, que est “VM”, fit consecratio in instanti, sic uirgo Maria in quinque uerbis dicendo: *fiat mihi secundum uerbum tuum*, quando ultimo dixit “tuum”, facta fuit incarnatio uerbi Dei.

210 Tertio, post consecrationem ministratur illi in ablutionibus et in preparatione corporalium, sic uirgo Maria dando illi lac quod iungebatur corpori Christi et pannis inuoluit eum, etcetera.

Tertio, sacra dando, nam dedit mundo tria. Primo, mediatricem. Secundo, mediatorem. Tertio, gratiam. Sicut in perditione gratie fuerunt tria. Primo, Eua mediatrice. Secundo, Adam mediator. Tertio, gratia perdita. Sic in recuperatione.

215 Primo, uirgo Maria dedit seipsam mediatricem, unde Bernardus: «Maria copiosissima charitate debitricem se fecit».

Secundo, dedit mediatorem filium, unde ecclesia dicit: «nobis natus, nobis datus ex intacta uirgine», etcetera.

Tertio, dedit gratiam quam inuenit mundo.

220 Sed si dicis: ad ista non fuit requisitum sacerdotium. Dico quod sic, nam primo dedit se in templo offerendo se, quod fuit actus sacerdotii.

Secundo, dedit filium offerendo illum in templo, unde dicit Bernardus quod fuit: «sacrificium matutinum in brachiis uirginis Marie, sed uespertinum in brachiis crucis».

225 Tertio, dando gratiam fuit media, ut sacerdos, nam accipit a nobis preces et obtinet gratiam, unde Augustinus: «admitte piissima Dei genitrix uirgo nostras preces», etcetera, accipe quod offerimus et dona quod rogamus. Vnde Bernardus: «si quid Deo paras, totum Marie commenda, si non uis habere repulsam».

Et sic non sufficiebat illi partem minimam sacerdotii dari a Deo, sed ut subueniret toti mundo, *dedit illi sacerdotium magnum*. Igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Dedit illi sacerdotium magnum*, ubi supra.

230 Due erunt partes in presenti sermone. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda materie prosecutiua.

Pro introductione prime partis est sciendum quod sicut triplex fuit populus in mundo successiue secundum tres status legum, sic triplex fuit sacerdotium in mundo.

---

206: cf. Lc. 1, 38. | 228-229: cf. Sir. 45, 8.

202: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 32, a. 4, p. 250; *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 3, q. 2, a. 1, p. 186. | 214-215: Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, 2. PL 183, 430D. | 216-217: cf. Th. Aq., *Off. Cor. Christ.*, p. 275. | 222: cf. Bern. Cl., *In Fer. IV Heb. San.*, IX. PL 183, 267C. | 224: Augustinus] *Auctor err.* cf. Fulb., *Serm. Ad Pop.*, IX, 5. PL 141, 338D. | 225-226: Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 18. PL 183, 448AB.

Primus fuit populus gentilis, qui fuit in tempore legis nature.

235 Secundus fuit populus iudaicus, qui incepit in exitu Egipti, saltem tunc fuit populus liber, nam in ingressu Egipti non fuit populus, sed alique singulares persone, et licet creuerint in Egipto, non fuerunt liberi. Et sic ante exitum ab Egipto non fuit illis lex data, ut dicunt doctores.

240 Tertio, fuit populus christianorum, nam sicut populus iudeorum fuit ex gentili, sic fuit populus christianorum ex utroque collectus.

245 Primum igitur sacerdotium fuit in populo gentilium, nam cum sacerdos sit persona media inter Deum et populum, mox ut fuit gentilis populus fuit institutus sacerdos, maxime quia officium sacerdotis est offerre sacrificium Deo et mediare inter Deum et populum. Et cum in lege nature fuerint sacrificia et oblationes reperte, clarum est quod etiam sacerdotes fuerint instituti. Hoc autem sacerdotium parum ualuit, nam cum ratio naturalis fuerit offuscata, ignorato uero Deo, etiam officium ueri sacerdotis fuit omissum.

Secundo, in lege scripta fuit sacerdotium institutum, quia maiora et plura sacrificia fuerunt instituta. Et hoc sacerdotium fuit perfectius, nam populus ille magis uenit in cognitionem ueri Dei quam alter.

250 Tertio, fuit in lege gratie sacerdotium et perfectius ceteris, quod patet tripliciter. Primo, ratione status. Secundo, ratione instituentis. Tertio, ratione effectus.

255 Primo, ratione status patet, nam in statu nature gratia fuit perdita, in statu legis scripte gratia fuit promissa, in statu legis gratie gratia fuit data. Igitur status secundus excellit primum et tertius excellit primum et secundum. Igitur etiam sacerdotium temporis gratie excellit sacerdotium tempore legis nature et scripture.

260 Secundo, patet ratione instituentis, nam primum sacerdotium, quod fuit in lege nature, fuit institutum ab homine mediante dictamine rationis. Secundum in lege scripta fuit institutum a Deo mediante angelo, unde: *locutus est dominus ad Moysen*, etcetera. Tertium fuit institutum ab homine Deo, nam a Christo, qui uerus Deus et homo est. Igitur si consideramus hominem ab homine perfectiori, immo perfectissimo, si a Deo ibi immediate, illic mediante angelo, igitur a perfectiori fuit hoc tertium institutum quam primum et secundum. Exemplum huius habemus in habitu et insignia istorum.

265 Primum in lege nature habuit filum in capite ad modum corone, ut dicit Isidorus in septimo Etymologiarum, uel habuit flocum in capite et ligatum circa frontem ad modum corone, ut dicit Guarinus. Et in illo cognoscebatur inter alios, ut patet in populo pagano agarenorum, qui successit gentili, nam alfaquinus suus portat tocam uel uittam in capite et circumponitur per capitis circumferentiam et sic cognoscitur inter alios.

270 Secundum in lege scripta habebat coronam ex metallo, qua cingebatur caput sacerdotis, et in parte anteriori habebat scriptum nomen tethagrammathon, id est, quattuor litterarum, scilicet: “Iot, He, Vau, He”, quod est nomen ueri sacerdotis Iesu Christi, unde dixit dominus Mosi Exodi sexto: *ego sum dominus Deus, qui apparui Abraham, Isaac et Iacob, et nomen meum Adonai non indicaui eis*. Nam sicut sacerdos ueteris testamenti sacrificabat et inuocabat sub nomine sacerdotis summi uenturi et dum nos inuocamus dicimus: “Iesu”. Nam prima

---

258: cf. Lv. 6, 1. | 271-272: Ex. 6, 2-3.

263: cf. Isid., *Etym.*, VII, 12, 18. PL 82, 292A. | 265: Guarinus] NI.

275 littera est “Ioth”, secunda “He”, tria “Vau”, que est tilde, que non est littera, sic “He”, que est aspiratio et non littera. Et sic ex isto habitu patet quod sacerdotium legis scripte erat perfectius sacerdotio legis nature, nam illud solum filum habuit et nihil contextum, sed in lege scripta iam fuit corona metalli et in illa scriptum nomen sacerdotis promissi.

280 Tertium in lege gratie habuit etiam coronam capillorum circa frontem, nam quod a uulgo dicitur corona est rasura in sumitate capitis. Et sic cum in omnibus sacerdotiis fuerit corona propter dignitatem sacerdotii, et in nouo fuit corona capillorum carni capitis iuncta. Quia iam *uerbum caro factum est*, sequitur quod sacerdotium legis gratie excellit alia.

285 Tertio, hoc patet ratione effectus, nam in nouo testamento sacerdos conficit corpus Christi, dimittit peccata et non solum penam eternam mutat in temporalem, sed etiam illam minuit uirtute clauium, quod nunquam sacerdoti gentilium aut iudeorum fuit concessum, nec etiam ipsis angelis. Nam sacerdos ueteris testamenti solum purgabat ab irregularitatibus corporis, non autem anime, unde Apostolus ad Hebreos nono dicit: *sanguis bircorum aut uitulorum aut cinis uitule*, etcetera. Effectus autem noui testamenti attingit usque ad animam, etcetera. In sacerdotio autem legis gratie sunt multi gradus ordinis et unus excedit alium, nam subdiaconatus excedit quattuor minores gradus, diaconatus excellit subdiaconatum, et sacerdotium illos. Sed supra istos est episcopatus, qui est ordo supra alios, ut dicit sanctus Thomas, licet alii non dicunt illum ordinem esse, sed omnes dicunt quod excellit omnes alios ordines quo ad corpus Christi mysticum. Hoc patet tripliciter.

290

Primo, ratione potestatis, nam confert ordines aliis aut conferre potest.

295 Secundo, ratione insignie, quia portat baculum ut principalis pastor et anulum ut sponsus ecclesie. Nam illi, scilicet: episcopi, succedunt apostolis, alii uero septuaginta duobus discipulis.

300 Tertio, ratione uocis, nam ille solus, scilicet: episcopus, dicit: “pax uobis”, ut Christus dicebat. Alii uero sacerdotes dicunt: “dominus uobiscum”. Et sic hec est maior dignitas ecclesie, nam archiepiscopus dicitur principalis episcopus aliorum, scilicet: supra suffraganeos, et papa est episcopus super omnes alios episcopos, et sic dicit ipse Alexander “episcopus seruus”, etcetera. Si igitur episcopatus est maxima dignitas sacerdotii Christi, cum hec fuerit comisso beato Valerio, unde dicitur de illo quod: *dedit illi sacerdotium magnum*. Quo ad primam partem.

Secunda pars. Quod autem episcopatus sit magnum sacerdotium patet tripliciter.

305 Primo, ratione magnitudinis scientie. Secundo, ratione magnitudinis uite. Tertio, ratione magnitudinis industrie uel diligentie, quam requirit.

310 Primo, patet quod ista tria figurata fuerunt in arca Mosi et Aaron, unde: *Moses et Aaron in sacerdotibus eius*, Psalmi nonagesimo octauo. Primo, in illa fuerunt tabule, per quas notatur scientia legis. Secundo, fuit manna, per quam notatur dulcedo uite. Tertio, fuit uirga correctio et custodia gregis.

Primo, sacerdos, maxime episcopus, noui testamenti debet habere magnitudinem scientie ratione status perfecti. Nam sacerdos legis nature solum tenebatur scire moralia, que erant de dictamine legis nature. Sacerdos ueteris testamenti tenebatur scire quinque

281: Io. 1, 14. | 286-287: Hbr. 9, 13. | 302: cf. Sir. 45, 8. | 307-308: Ps. 98, 6.

291: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 9), lib. 4, dist. 24, q. 3, a. 2, p. 96.

315 libros Mosi et libros prophetarum. Sed sacerdos noui testamenti tenetur scire utrumque  
 320 testamentum. Et sic ante ordinationem interrogatur si scit utrumque testamentum. Si dicit  
 scit et ipse non scit, peccat mortaliter, ut dicit Richardus in tertio quolibeto. Debet enim  
 episcopus habere scientiam ad fundandum legem Christi per sanam doctrinam et ad  
 extirpandos errores, maxime hereticorum. Hanc scientiam habuit beatus Valerius, nam cum  
 325 Toletanum ad extirpandam heresim Sabellianam, que pullulabat non solum in partibus  
 orientalibus, sed etiam occidentalibus, et cum reuertisset Romam, uidens hanc ciuitatem  
 Cesaraguste metropolitanam uiduatam pastorem, ad preces ciuium dimisit in illa Valerium  
 et constituit ipsum episcopum propter excellentiam scientie, etcetera.

325 Secundo, est magnum sacerdotium Christi propter magnitudinem uite quam requirit.  
 Hoc ostenditur per benedictionem et unctionem super additam illi, ut dicit sanctus  
 Bonauentura, nam presupponit sacerdotium. Et quod requirat maximam sanctitatem patet  
 tripliciter.

Primo, propter Deum, nam debet omnia sacra ministrare.

Secundo, propter populum, nam debet esse exemplar aliorum.

330 Tertio, propter seipsum, quia cum sit persona media inter populum et Deum debet  
 sapere naturam extremorum. Ideo sicut est ex hominibus assumptus, unde Apostolus ad  
 Hebreos quinto: *omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his que sunt ad*  
*Deum*, etcetera. Igitur conuenit cum hominibus, sic etiam debet conuenire cum Deo in  
 335 sanctitate, unde dicit dominus sacerdotibus, Leuitici undecimo: *sancti estote, quoniam ego*  
*sanctus sum*. Hec autem sanctitas in prelato est magis necessaria quam scientia, nam scientia  
 potest per alium suppleri, hec autem non. Sic beatus Valerius pollebat maxima sanctitate,  
 quod patet per multitudinem miraculorum, que Deus fecit ad illam ostendendam.

340 Tertio, est magnum sacerdotium propter magnitudinem diligentie in custodiendo quam  
 requirit. Et si queritur: utrum hec sit necessaria? Respondetur quod est magis necessaria  
 quam scientia et uita. Ratio est, quia, ut diximus, scientia potest per alium suppleri, uita  
 uero punitur de culpa propria, sed negligentia pastoris punitur etiam de culpa aliena. Ideo  
 dicebat Dauid: *ab alienis parce seruo tuo*, Psalmi decimo octauo. Exemplum huius habemus  
 quando: *populus iudaicus fornicatus fuit cum moabitis*, Numeri uicesimo quinto, per negligentiam  
 principum. Dixit dominus ad Mosen: *tolle cunctos principes populi et suspende eos contra solem in*  
 345 *patibulis*, etcetera. Hoc factum fuit propter negligentiam principum in ponendo uel  
 coercendo populum. Vnde Cyprianus ponit unam de duodecim abusionibus negligentiam  
 prelatorum, ut patet in libro De Abusionibus, etcetera.

350 Debet igitur prelatus prouidere in rectoribus, uicariis, predicatoribus et in canonicis  
 ecclesiarum suarum. Sic enim fecit Valerius episcopus huius ciuitatis, nam licet esset  
 doctissimus, uidens quod esset lingua impeditus uel, ut alii dicunt, in lingua materna non  
 bene percipiebatur a populo, quia erat ipse grecus natione. Et hoc est uerisimile, nam  
 Sixtus, cum quo uiuebat erat etiam Grecus et Ateniensis, et sic comisit exercitium  
 predicandi ipsi Vincentio, quem fecerat archidiaconatum huius ecclesie.

332-333: Hbr. 5, 1. | 334-335: Lv. 11, 44. | 342: Ps. 18, 14. | 343: Nm. 25, 1. | 344-345: cf. Nm. 25, 4.

316: cf. Ric. Med., *Quodl.*, III, 23, p. 119. | 326: cf. Bon., *Sent.* (vol. 4), IV, dist. 23, a. 2, q. 1, p. 596. | 347: cf. Pseu. Cypri., *De XII Abus.*, I. PL 4, 869B.

321: Reuertisset] M, X reuertissent. | 334: Vndecimo] M, X uicesimo.

355 Sic debet facere prelatus bonus: querere homines et ducere eos ad suam ecclesiam et illos collocare in beneficiis illius. Non querere illos propter hoc: ut capiat suum beneficium, quod habet pro alio seruitore, sed solum habeat habilitatem ad bene exercendum suum officium. Licet non habeat aliud beneficium, debet illum talem in ecclesia collocare, et non debet esse aliud motiuum suum, nec debet quis uestiri ad hoc ut expolietur, ut fit hodie. Nam multi procurant beneficium alicui, ut suum accipiant, sicut fecit Dionisius tyrannus  
360 dum esset in Sicilia et intraret templum Iouis, uidit illum optime indutum ueste aurata. Ille uero Dionisius accepit illam uestem uel amictum aureum et imposuit laneum dicens: “aurum hieme est frigidum, estate uero onerosum, hec uestis lanea caret utroque”. Sic enim iste ut spoliaret Deum finxit quod illum uolebat uestire. Sic facit prelatus qui, ut beneficium alicuius possit alteri dare, dicit quod illum religiosum uult facere, etcetera.

365 Debet enim bonus prelatus facere ut facit hortulanus uolens hortum plantare. Non enim querit arbores siccas, sed uiridas, ut bonum fructum faciant. Si quis quereret illas siccas, ut darent ligna pro igne, esset contra ratione fructificantium, sic in proposito. Et ideo dicit Augustinus in sermone quodam: «nihil est in hac uita et maxime in hoc tempore difficilius, laboriosius et periculosius episcopi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo  
370 militetur quo nostre imperator iubet».

Et sic, si negligenter officium exercetur prelatus, redditurus est rationem in finali iudicio; si autem diligenter exerceat, hic accipiet gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

368-370: Aug. Hipp., *Ep.*, XXI, 1. PL 33, 88AB.

SERMO CENTESIMVS QVADRAGESIMVS SEPTIMVS ET PRIMVS IN DIE PURIFICATIONIS  
VIRGINIS MARIE

<THEMA> *Statim ueniet ad templum sanctum tuum*, Malachie tertio.

Originaliter, etcetera.

5 Sententia est apostoli Pauli in plerisque locis quod quilibet christianus recipiens corpus domini dicitur “templum Dei”, et sic dicebat Corinthiis: *uos estis templum Dei uiui*, secunda Corinthiis sexto. Et licet hoc sit uerum, sed excellentius fuit templum Dei beata Maria quam aliqua alia pura creatura. Et hoc propter tria.

10 Primo, quia illa fuit primum templum, nam licet multi reciperent in se gratia Dei, sed ipsum Deum nulla prius et taliter nulla prius nec posterius.

Secundo, quia illa causa aliorum fuit, nam ut dicit Philosophus secundo Metaphysice: «primum est causa posteriorum». Et sic uirgo Maria fuit causa quod alie creature essent templum Dei et in se reciperent Deum. Nam nisi uirgo Maria illum reciperet, nunquam aliquis sacramentaliter illum recipere potuisset.

15 Tertio, singulariter illa fuit templum Dei, nam quando illum nos recipimus, non accipit aliquid a nobis, sed nos recipimus gratiam ab illo. Sed in uirgine Maria non solum illa recepit gratiam ab eo, sed etiam ipse recepit ab ipsa carnem pretiosissimam, unde ipse sic fuit templum Dei, quod fuit etiam causa templi Dei dando ei substantiam sue carnis, unde Iohannis secundo dicit ipse iudeis: *soluite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud*. Et  
20 Iohannes dicit: *ille autem dicebat de templo corporis sui*, etcetera. Item Hiezechielis quadragesimo septimo: *uidi aquam egredientem de latere templi*, scilicet: Christi. Et sic filius Dei assumpsit materiam illius templi sacratissimi de corpore et templo sacratissime uirginis Marie.

25 Et sic de sola uirgine possunt hec tria, que tanguntur in themate, dici, scilicet: quod fuerit templum, quod fuerit sanctum, quod fuerit suum. Et sic dicit: *ueniet ad templum sanctum suum*.

30 Primo, uirgo Maria fuit uere templum, nam secundum Isidorum, templum dicitur “quasi tenens amplum”. Et sic conuenit uirgini, nam templum est domus alta, lata, longa et profunda. Et sic fuit uirgo alta quo ad charitatem et meritum, quod fuit magis altum quam alicuius pure creature. Fuit longa quo ad fidem, nam credidit explicite plusquam aliquis  
35 sanctorum precedentium et subsequantium. Fuit lata quo ad spem; fuit denique magna quo ad omnem dimensionem ratione misericordie, unde Bernardus: «quis misericordie tue, o uirgo beata, longitudinem, latitudinem, profunditatem et sublimitatem queat inuestigare? Nam longitudo eius usque ad nouissimum dierum subuenit uniuersis, latitudo eius replet orbem terrarum, sublimitas eius ciuitatis superne inuenit restaurationem, profundum eius sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem». Hec ille. Et quod fuerit templum patet, quia in se continuit quod totus mundus continere non potuit, unde idem Bernardus dicit in sermone: «o uenter capacior celis, diffusior terris, latior elementis, qui illum continere ualuit, quem totus orbis comprehendere non potuit et qui tribus digitis molem terre apprehendit».

3: Mal. 3, 1. | 6: II Cor. 6, 16. | 19-20: Io. 2, 19-21. | 21: Ez. 47, 1. | 24-25: cf. Mal. 3, 1.

12: cf. Arist. Lat., *Met.*, X, 1, 1052b19, p. 185; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 56, a. 1, p. 435. | 26: cf. Isid., *Etym.*, XV, 4, 7. PL 82, 544BC. | 31-35: Bern. Cl., *In Ass. B. M. V.*, IV, 8. PL 183, 429AB. | 37-39: Bernardus] *Auctor err.* cf. MF. Nic. Cl., *In Nat. Dom.*, II, 2. PL 184, 834B.

40 Secundo, fuit sanctum super omnes sanctos, unde licet alii sancti essent templum ratione sanctitatis, hec excellit in sanctitate, unde: *sanctificauit tabernaculum suum altissimus*, Psalmi quadragesimo quinto. Et sic uirgo fuit ornata omni sanctitate aliorum sanctorum, unde primo Macchabeorum quarto: *ornauerunt faciem templi coronis aureis*, quia uirgo Maria fuit ornata triplici corona, hoc est, triplici aureola, scilicet: uirginum, quia prima; confessorum, 45 nam fides in ea remansit; martyrum, quia: «excellens passa in parte impassibili», ut dicit Hieronymus. Et sic dixit Dauid, Psalmi sexagesimo quarto: *sanctum est templum tuum mirabile*, etcetera.

Tertio, fuit suum singulariter, quia facta ut esset mater eius, unde dicit ipsa: *qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*, id est, ad hoc creauit me et ut essem templum et tabernaculum eius, Ecclesiastici uicesimo quarto. Nam in aliis templis ponitur imago illius ad cuius inuocationem edificatum est, in uirgine non imago, sed uerus filius Dei imago patris, unde Psalmi decimo: *dominus in templo sancto suo*, etcetera.

Et sic, cum templum habeat tres partes principales, scilicet: sacrarium, sacristia et atrium: primum ad hoc ut reponatur ipse dominus, scilicet: in sacrario; secundum, ut sacra 55 recondantur, scilicet: sacristia, unde “sacristia” dicitur, id est, sacrorum custodia; tertium atrium, in quo ponuntur orationes ipsi Deo. Et sic hoc templum fuit suum quo ad ista tria.

Primo, Maria fuit sacrarium Dei, in uentre cuius fuit positus ipse Deus, unde ecclesia dicit: «Maria templum domini sacrarium spiritus sancti», etcetera.

60 Secundo, fuit suum ratione sacristie, nam sicut in ipsa sacristia uestitur sacerdos et reconditur sacra, sic in uirgine uestitus fuit sacerdos Christus, de quo Psalmi centesimo nono: *tu es sacerdos in eternum*, etcetera. Item in ipsa recondita fuerunt omnia sacra, scilicet: pretium mundi. Vnde Leo papa: «redempturus si quidem Deus mundum uniuersum pretium contulit in Maria». Item omnes gratie et singularitates in ipsa posita fuerunt, et sic 65 in ipsa positus fuit ille: *in quo sunt omnes thesauri sapientie et scientie Dei absconditi*, ut dicit Apostolus ad Colossenses secundo.

Tertio, fuit suum ratione atrii, in quo preces exaudiuntur, unde Bernardus: «si quid Deo paras, totum Marie commenda, si non uis habere repulsam». Et sic orationes debent in uirginem dirigi et ab ipsa Deo presentantur, unde ecclesia (et est Augustini) dicit: «admitte 70 piissima nostras preces intra sanctuarium exauditionis et reporta nobis», etcetera. Figura habemus in ueteri testamento, tertio Regum octauo, quando Salomon expleto templo positus genibus in terra et expansis manibus in celum dixit: *domine, si celo celorum et capere non possunt*, etcetera, *in hoc exaudi preces serui tui et populi tui*, etcetera. Et sicut oratio facta in illo templo exaudiebatur, sic in uirgine Maria, nam si in illo erat uirga Aaron, hic ipse sacerdos 75 et rex Christus. Si illic tabule legis, hic legislator. Si illic urna manne, hic ueritas figurata per illam, scilicet: Deus incarnatus.

---

41: Ps. 45, 5. | 43: I Mcc. 4, 57. | 46: Ps. 64, 5-6. | 48-49: Sir. 24, 12. | 52: Ps. 10, 5. | 62: Ps. 109, 4. | 65: Col. 2, 3. | 72-73: III Rg. 8, 27-28.

45: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 14. PL 30, 138A. | 59: cf. Bed., *Hom.*, LXXI. PL 94, 453A. | 63-64: Leo papa] *Auctor err.* cf. MF. Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 6. PL 183, 441A. | 67-68: Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 18. PL 183, 448AB. | 69-70: Augustini] *Auctor err.* cf. Fulb., *Serm. Ad Pop.*, IX, 5. PL 141, 338D.

72: Genibus] X gentibus.



Et si hic in illa figura exaudiebantur orationes, certe firmiter credere debemus quod petendo gratiam in isto sancto templo, *statim ueniet ad templum sanctum suum*. Igitur in principio sermonis, etcetera.

80 <THEMA> *Statim ueniet ad templum sanctum suum*, loco et capitulo ubi supra.

Alma ecclesia mater et magistra duo nobis ostendit hodie. Primum: qualiter hec solemnitas in ueteri testamento fuit predicta et figurata. Secundo: qualiter in nouo testamento fuit impleta. Prima pars tangitur in epistola uel lectione hodierna: *ecce mittam*, etcetera. Secunda tangitur in euangelio hodierno, scilicet: *postquam impleti sunt*, etcetera.

85 Primo, igitur hec solemnitas fuit figurata primo Regum primo capitulo, quando *Helcana habuit duas uxores*, scilicet: *Annam primam et Fenennam secundam*. De ipsa Fenenna habuit multos filios, sed mortui fuerunt. De Anna solum unum, scilicet: Samuhelem, miraculose conceptum et fuit Nazarenus, etcetera. Anna autem ascendit in templum et obtulit filium Samuhelem et: *immolauit tres uitulos et tres modios farine et amphora uini*. Spiritualiter Helcana significat Deum, ut dicit Nicholaus de Lyra in Moralitatibus suis, quia fuit unus eternaliter uir in tempore; per incarnationem habuit duas uxores, scilicet: Euam et Mariam. Ex Eua autem plurimos filios carnaliter genitos, sed omnes fuerunt mortui, quia ut dicit Augustinus: «primi parentes fuerunt prius peremptores quam parentes». Alia uxor, scilicet: Anna, significauit Mariam uirginem, que miraculose concepit Samuhelem, qui dicitur  
90 “postulatus a domino”, ut dicit Hieronymus in interpretationibus suis, quia Christus fuit postulatus a patriarchis et prophetis. Anna autem presentauit ipsum filium in templo uel tabernaculo et: *immolauit tres uitulos et tres modios farine et amphoram uini*. Tres modii farine significabant tres substantias in Christo, scilicet: «eternum, nouum et antiquum», ut dicunt Augustinus et Bernardus. Tres uituli significabant passionem eius quo ad tria, scilicet:  
100 flagellationem, crucifixionem et aperturam lateris. Et sic fuerunt tres in quibus sanguinem maximum fudit. In boue notatur passio Christi, ut dicit Nicholaus de Lyra in proemio euangelistarum. Ideo significabatur per uitulam rufam et ideo amphora uini notabat sanguinem fusum in passione. Recte Anna obtulit ista in fine patriarcharum, quia hoc fiebat a patriarchis. Vnde Genesis decimo octauo, Abraham quando tres uidit et unum adorauit,  
105 dedit eis uitulum et panem subcinericium, in quo tria sata farine erant, etcetera.

Secundo, hec solemnitas et misterium figuratum fuit in Iohanne Baptista, unde Elisabeth miraculose concepit, ideo dixit angelis: *et ecce Elisabeth cognata tua*, etcetera. Et illa peperit filium nazarenum, quia uinum, etcetera. Et postea illum presentauit in templo et obtulit pro eo agnum anniculum, quia erat diues et filius sacerdotis templi, ideo ostendit  
110 illum digito dicens: *ecce agnus Dei*, etcetera. Et sic de isto dicit epistola: *ecce mittam angelum meum, qui preparabit uiam*, etcetera. Preparabit uiam ante temporaliter nascendo, predicando penitentiam, baptizando et in limbo reuelando Christum.

Tertio, fuit hoc predictum et prophetatum ab ipsis prophetis, unde Dauid dicit in Psalmo decimo: *dominus in templo sancto suo, dominus in celo sedes eius*. Quasi dicat: ille dominus, qui habet in celis sedem suam, debet esse in templo, etcetera. Item Dauid in Psalmo quadragesimo septimo dicit: *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*. Quasi dicat: filium tuum, qui est uera misericordia, suscepimus in templo, etcetera. De qua misericordia

78-83: cf. Mal. 3, 1. | 84: cf. Lc. 2, 22. | 85-86: I Sm. 1, 2. | 89: cf. Sm. 1, 24. | 97: cf. Sm. 1, 24. | 104: cf. Gn. 18, 2. | 107: cf. Lc. 1, 36. | 110: cf. Io. 1, 36. | 110-111: cf. Mal. 3, 1. | 114: Ps. 10, 15. | 116: Ps. 47, 10.

90: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 2), I Sm. 1, ff. 62v-63v. | 93: Augustinus] *Auctor err.* cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62B. | 95: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, VT, Nm., S. PL 23, 798A. | 98: cf. MF. Bern. Cl., *De Cons.*, V, 10, 23. PL 182, 801C. | 101: cf. Nic. Lyr., *Post.* (vol. 5), prol., f. 2v.

120 alibi dicebat in Psalmo octogesimo quarto: *ostende nobis, domine, misericordiam tuam* et pro, id est, *salutare tuum da nobis*, etcetera. Item Isaias capitulo duodecimo dicit: *exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israhel*. Item capitulo quinquagesimo nono dicit: *ueniet ad Sion redemptor*, scilicet: ad templum, quod erat situm in monte Sion. Item Micheas propheta dicit in capitulo quarto: *erit in nouissimis diebus preparatus mons domus domini in uertice montium et eleuabitur super colles*, etcetera. Hoc erat ut dicit rabbi Salomon propter miracula in eo facienda, quorum fuit istud primum. Item idem dicit: *turreis gregis nebulosa filia Sion, ad te ueniet potestas prima regum Israhel*. Hec turris in Sion fuit templum. Dicitur “gregis” propter hostias que sacrificabantur illic. Dicitur “nebulosa” propter fumum sacrificiorum ad differentiam alterius turris gregis, que erat circa Bethleem, ubi pastores pascebant gregem in die natalis domini, quando angelus dixit eis: *euangelizo uobis gaudium magnum*, etcetera. De qua habetur Genesis tricesimo quinto de Iacob, quando mortua Rahel, fixit tabernaculum trans turrem gregis, que est circa Bethleem, ut dicit Hieronymus. Venit igitur ad istam turrem gregis, que est templum in Hierusalem, et non loquitur de illa, que est circa Bethleem, potestas prima regum, quia: *potestas eius potestas eterna, que non auferetur*, etcetera, Danihelis septimo habetur. Item Aggeus hoc dicit capitulo primo: *mittitur ipse ad principem Zorobabel filium Salathibel et ad Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum*, etcetera, ut edificarent templum destructum in Hierusalem. Et dum fuit reedificatum flebant omnes qui uiderant primum templum, uidendo quod hoc secundum non erat sic gloriosum sicut fuit primum templum Salomonis, et ad confortandos illos mittitur iterum Aggeus, ut habetur Aggei secundo dicens: *confortare Zorobabel et confortare Iesu fili. Adhuc modicum et ego commouebo celum et terram, mare et aridam et ueniet desideratus cunctis gentibus et replebo domum istam gloria et magna erit gloria huius templi plusquam primi*. Non autem fuit alia gloria ista nisi presentia Christi, non edificia nec ornatus, quia illi flebant dum ista uidebant et non poterant flere propter paruam durationem, quia isti non uidebant finem huius secundi templi, etcetera. Et etiam hoc secundum templum durauit plus decem annorum, ut aliqui dixerunt. Quia prima durabit annis quadringentis decem, secunda domus annis quadringentis uiginti. Nam si recte numeratur prima domus usque ad destructionem factam per Nabuzardan, fuerunt anni quadringenti uiginti duo. Igitur superat in duobus annis, et secunda domus per sex annos ante iam non seruiebat, quia Titus et Vespasianus preceperunt nullum sacrificium in ea fieri. Igitur nulla erat gloria eius. Item in prima domo erat arca, pectorale, ignis de celo, gloria domini super cherubin et spiritus prophetarum datus multis. In ista secunda nullum horum fuit, quia si Aggeus, Zaccharias et Malachias erant prophete, ab illa deriuabantur. Igitur nulla alia fuit gloria huius templi nisi presentia Christi et uirginis Marie, nam illa plena gratia, ille plenus gloria, quia fons glorie, etcetera. Hoc idem prophetauit Malachias in lectione hodierna postquam dixerat: *ecce mittam angelum meum*, id est, missum, quia: *Iohannes fuit missus a Deo*, Iohannis primo. Iterum dicit uerba thematis: *statim ueniet ad templum sanctum suum dominator quem uos queritis*, etcetera. Quo ad primum.

160 Secunda pars sermonis. Postquam probatum est qualiter fuit hoc promissum, nunc uideamus qualiter fuit impletum, et ad hoc probandum ponatur talis conclusio: licet Christus et uirgo Maria non essent obligati lege mosaice quo ad hoc, sed sponte illam uoluerunt seruare. In qua conclusione tanguntur tria. Primum est quod legi non obligabantur. Secundum quod uoluntate illam seruare uoluerunt. Tertium qualiter illam seruauerunt, et hoc tertium uidebitur in isto euangelio.

118-119: Ps. 84, 8. | 119-120: Is. 12, 6. | 121: Is. 59, 20. | 122-123: Mi. 4, 1. | 124-125: Mi. 4, 8. | 128: cf. Lc. 2, 10. | 129: cf. Gn. 35, 21. | 132: Dn. 7, 14. | 133-134: Agg. 1, 1-2. | 138-140: Agg. 2, 5-10. | 153: cf. Mal. 3, 1. | 153-154: Io. 1, 6. | 154-155: cf. Mal. 3, 1.

123: cf. Rabb. Rash., *Comm. In Mi.*, 4, 1, p. 213. | 130: cf. Hier., *De Nom. Heb.*, Gn. PL 23, 879A.

147: Vespasianus] M Vespasianus.

Prima pars probatur, quia si Christus et uirgo Maria essent legi subiecti, hoc esset aut ratione persone, aut ratione legis, nullo autem istorum modorum, igitur.

165 Primo, non ratione personarum suarum, nam Christus cum esset legislator et princeps  
totius mundi, unde Digestis “De Legibus” lege princeps dicitur et habetur quod: «princeps  
legibus solutus est». Cum autem Christus fuerit *rex regum et dominus dominantium*, Apocalypsis  
decimo nono, sic autem dixit Dauid in Psalmo octogesimo octauo: *ego primogenitum ponam*  
*illum excelsum pre regibus terre*. Nec etiam uirgo Maria erat ratione persone legi obligata, non  
essentialiter, ut dicitur, sed quia sponsa Dei, quia imperator et persona, unde in eadem lege,  
170 scilicet: Digestis “De Legibus” lege princeps, habetur: «Augusta, autem licet legibus soluta  
non est, princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit, que et ipse habet». Igitur ratione  
priuilegii sponsi imperatrix nostra non subiicit legi. Exemplum: quando *exit edictum a Cesare*  
*Augusto*, ut describeretur uniuersis orbis, licet esset lex uniuersalis pro toto mundo, sed illa  
non obligabat Augustum essentialiter, quia princeps et legislator, nec etiam obligabat  
175 uxorem suam Liuiam nec opus fuit illi dare denarium, ut alii subditi dabant, et hoc ratione  
priuilegii principis, quia media inter principem et subditos. Ideo in lege facta per Asuerum  
non obligata fuit Hester, unde Hester decimo quinto dicitur: *non pro te regina, sed pro omnibus*,  
scilicet: aliis, *lex posita est*.

180 Item non obligabatur ex lege, quia hoc esset uno trium modorum, scilicet: aut propter  
uerba legis, aut ratione legis, aut significatione legis. Nam in legibus ueteris testamenti alia  
erat regula, alia ratio legis, alia significatio legis. Exemplum in illa lege: *non coques bedum in*  
*lacte matris*, Exodi uicesimo tertio. Littera erat ipsa, sed ratio erat ut tolleretur crudelitas uel  
ad cuitandam idolatriam. Sed significatio erat quod Christus, qui in similitudinem carnis  
peccati uenerat, non erat occidendus in infantia, etcetera. Igitur si ostenditur quod illi non  
185 obligabantur littere nec ratione nec significatione legis, habebitur intentum, scilicet: non esse  
obligatos legi. Quod autem ex littera non essent obligati patet, nam lex ex parte Christi  
habetur Exodi decimo tertio dicens: *locutus est dominus ad Mosen dicens: “sacrifica mihi omne*  
*primogenitum quod aperit uuluam de filiis Israhel”*, id est, offer mihi tamquam meum. *“Mea sunt*  
*enim omnia. Quidquid habueris masculini sexus consecrabis domino primogenita hominis pretio redimes”*.  
190 Igitur si dicit primogenitum quod aperit uuluam matris, cum Christus sicut sine ruptura  
matris conceptus fuit, sic sine eius ruptura natus. Igitur non comprehenditur in lege, unde  
Augustinus: «fas non erat ut matris integritatem uiolaret qui uenerat sanare corrupta». Item  
ratione littere legis uirgo Maria non obligatur, nam lex erat Leuitici duodecimo: *locutus est*  
*dominus ad Mosen dicens: “loquere, etcetera; mulier, si suscepto semine peperit masculum, immunda erit*  
195 *septem diebus”*, etcetera. Cum igitur uirgo Maria non peperit conceptum «ex semine, sed  
mystico spiramine», igitur in littera legis non comprehenditur. Item non comprehenditur in  
ratione legis, nam alia est ratio legis ab ipsa lege, unde dicit Innocentius De Iudiciis,  
capitulo “Nouit”, quod lege abrogata potest ratio eius obligare. Magis etiam attendendum  
est ad rationem legis quam ad uerba et legem, archidiaconus, libro sexto De Electione,  
200 capitulo “Vbi periculum”. Igitur aliquando posset quis obligari secundum rationem legis et  
aliquando ratio non obligat, sed sola littera, unde: *confitemini alterutrum peccata uestra* est lex  
uniuersalis, quia licet omnes confitemur, papa etiam alteri obligatur ad confitendum. Igitur  
uirgo Maria ex uerbis legis obligabatur ad confitendum. Non autem ex ratione legis, quia  
ratio erat ut quis ad pedes sacerdotis doleret de commissis, sed cum uirgo Maria nullum

166: Apc. 19, 16. | 167-168: Ps. 88, 28. | 172-173: cf. Lc. 2, 1. | 177-178: Est. 15, 13. | 181-182: Ex. 23, 19. |  
187-189: Ex. 13, 1-13. | 193-195: Lv. 12, 1-2. | 201: cf. Iac. 5, 16.

165-166: cf. Ius., *Dig.*, I, 3, 31, p. 34. | 170-171: cf. Ius., *Dig.*, I, 3, 31, p. 34. | 192: Aug. Hipp., *Serm.*, CXCIV,  
1. PL 38, 1015D. | 195-196: cf. Ambr., *Hymn.*, IV. PL 16, 1410D. | 197: cf. Inn., *Ep.*, VII, 42. PL 215, 325D.  
| 199: cf. Bon. VIII., *Decr.*, I, 6, 3, col. 946sq.

175: Liuiam] M, X lineam.

205 comiserit, sequitur quod ex ratione legis non obligabatur. Sic in proposito, uideamus rationem istarum legum.

Ratio prime de primogenitis tangitur in textu Exodi decimo tertio dicens: *cum autem interrogauit te filius tuus dicit: "quid est hoc?" Respondes ei: "in manu forti eduxit nos dominus de terra Egipti, cum induratus esset pharao et nollet nos dimittere, occidit dominus omnem primogenitum egiptii. Igitur immolo domino omnes quod aperit uuluam masculini sexus et omne primogenitum filliorum meorum redimo"*, etcetera. Igitur cum hoc primogenitum non sit redemptum, sed redemptor aliorum, nam mediante sanguine in figura illius hoc fuit factum, igitur sicut creator non potest esse creatura nec creatura creator, sic nec redemptor potest esse redemptus nec econuerso. Similiter ratio legis non obligabat uirginem Mariam, nam ratio illius legis erat cum semen  
 210  
 215 immundum sit primo sex diebus in lacte, postea in sanguine, postea in carne et solidantur membra usque ad quadragesimam diem, quando infunditur anima in corpus. Et sic contrahit peccatum originale, sic quadragesima die presentantur in templo, etcetera. Sed uirgo Maria non ex semine concepit nec discursus quadraginta dierum fuit usque ad infusionem anime, sed in instanti, quia uirtus finita et naturalis agit in tempore. Et quanto  
 220 maior est uirtus in minori tempore, et ideo quia uir cum maiori uirtute generatur quam femina, ille in quadraginta diebus, femina in duplo, scilicet: octoginta diebus, igitur multiplicata uirtute minoratur tempus, sed infinita uirtute non remanet tempus. Exemplum: si aliqua ballista mittit sagittam in hora, dupla mittet in media, etcetera, sed si augetur in infinitum ageret in non tempore, scilicet: in instanti. Sic hic, nam cum conceptus fuerit  
 225 uirtute spiritu sancti, que erat infinita, sequitur quod in non tempore, igitur non quadragesima die. Et sic patet quod nec Christus nec uirgo Maria obligabantur legi ex ratione uel causa legis, nam «cessante causa legis cessat eius dispositio de iure iurando». Et sic Christus. Item non obligabatur secundum significationem legis, nam lex Christi significabat quod mediante agno, scilicet: Christo; et mediante columba, id est, uirtute uel  
 230 gratia spiritus sancti; et mediante turture, id est, gemitu penitentiae, eramus purgandi et redimendi quinque ficulis, id est, quinque uulneribus uel plagis Christi. Sed cum ipse fuerit redemptor et nullo modo peccator, sequitur quod hostia pro peccato non esset ab eo fienda. Item nec uirgo, nam ideo quadragesima die erat purganda, quia mulier in conceptione et in partu transgreditur decem precepta quater, scilicet: omissione,  
 235 cogitatione, locutione et operatione, sed cum uirgo Maria non solum precepta sed nec consilia nunquam transgressa fuit, sequitur quod non obligetur. Et sic si nec ratione persone nec ratione legis obligantur quod nullo modo, etcetera.

Secundo, dico quod uoluit Christus et uirgo Maria implere legem, nam dignum est quod licet princeps non obligetur legibus quod uiuat secundum leges, ut habetur codice De  
 240 Legibus, "Digna Vox Est".

Et sic licet Christus et uirgo Maria essent soluti a lege, uoluerunt illam obseruare propter humilitatem, quia ex quo uoluit fieri homo et ex tali populo, legem eius conuenienter debuit obseruare, unde Apostolus ad Hebreos secundo dicit: *debuit per omnia fratribus assimilari*, et per consequens uirgo Maria debuit illum sequi. Vnde Bernardus in sermone dicit: «uere, o  
 245 beata uirgo, non habes causam nec opus est tibi purificatione, sed numquid filio tuo opus erat circumcisione? Esto igitur inter mulieres quasi una illarum, nam sic filius tuus est in medio puerorum».

---

207-211: Ex. 13, 14-15. | 243: Hbr. 2, 17.

227: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 96, a. 3, p. 686. | 240: cf. Ius., *Cod. Ius.*, I, 14, 4, p. 68. | 244-247: Bern. Cl., *In Pur. B. M. V.*, III, 2. PL 183, 370B.

Secundo, uoluerunt purificari, ut nobis darent exemplum purificandi. Nam si illi qui non erant impuri nec obligabantur ad illud uoluerunt purificari, quanto magis nos, etcetera.

250 Tertio, ut uitaretur scandalum. Nam dum non erat clarum et apertum illam concepisse de spiritu sancto nec illum esse Deum et sine peccato.

Quarto, ut hoc mysterium incarnationis celaretur diabolo.

255 Quinto, ut legem purificationis imperent et de cetero non teneremur. Nam sicut omnia que ad uirum pertinebant fuerunt impleta per Christum, sic qui ad mulieres per uirginem, etcetera. Et sic nunc illo respectu non debet illud tempus obseruari, ut habetur “De Purificatione Post Partum”, capitulo unico et quinta distinctione, capitulo primo, “Si mulier eadem hora”, etcetera. Et qui illud nunc seruaret, confiteretur Christum non uenisse ad templum nec uirginem illum presentasse.

260 Tertio et ultimo, qualiter fuit impletum? Dicitur quod sic ut dicit Lucas secundo capitulo: *postquam impleti sunt*, etcetera, scilicet: impletis quadraginta diebus, uenit Maria uirgo et Ioseph et pie credendum est quod uenit Elisabeth, quia illa stetit in partu Iohannis, igitur ad partum uirginis non potuit uenire, sed mox fuit cum illa post partum. Et sic tulerunt Iesum in Hierusalem a Bethleem, quia circumcisio poterat fieri in quocumque loco, sed non sacrificium, sed solum in templo, ut habetur Deuteronomii duodecimo et tertio  
265 Regum octauo. In hac autem die et isto die mane uenit Symeon ad templum in spiritu sancto, et Anna uidua erat in templo etiam a spiritu sancto, quia prophetissa erat, et erant ambo supra scalam quindecim graduum ascendendo de platea ad atrium, in quo erat altare holocaustorum. Et illic confabulabantur dicentes qualiter hebdomade Danihelis erant implete et qualiter rex alienigena Herodes regnabat in Hierusalem secundum quod dixerat  
270 Iacob Genesis quadragesimo nono: *non auferetur*, etcetera. Item dicebant inter se qualiter ante quadraginta dies dictum fuit quod angelus dixit pastoribus Bethleem quod natus erat saluator. Item quod ante uiginti septem dies dixerunt reges orientales in Hierusalem: *ubi est qui natus est rex iudeorum*, etcetera? Et sic dicebat Symeon quod a spiritu sancto fuit ei promissum quod illum uideret antequam moreretur. Similiter dicit Anna: “mihi reuelatum  
275 fuit”. Igitur dicebant non potest tardare, quia dicit Symeon: “ego sum homo maxime senectutis”, et Anna dicit: “ego iam sum octoginta quattuor annorum, igitur non debet tardare”. Dum hec dicerent inter se, ecce uiderunt uirginem uenientem ad pedem scale inter Ioseph et Elisabeth, nam a Bethleem usque Hierusalem non erant nisi due leuce parue, et sic uenerunt in Hierusalem ante horam sacrificii. Et dum uirgo Maria esset in scala  
280 quindecim graduum, in ascensu cuius solebant sacerdotes dicere illos quindecim Psalmi cantici gradus, dum uirgo ascendendo per illam, dedit gratias Deo in quinque gradus de beneficiis ei collatis. In aliis quinque gradibus dedit gratias Deo pro toto mundo. In aliis quinque pro existentibus in limbo et purgatorio. Et sic ascendendo primum gradum dixit: *ad dominum cum tribularer clamaui et exaudiuit me.*

285 Et sic in primo gradu dedit gratias Deo de inmunitate ab omni peccato.

In secundo, de dotatione omnium uirtutum.

In tertio, de plenitudine gratie.

---

260: Lc. 2, 22. | 264-265: cf. Dt. 12, 5; III Rg. 8, 29. | 270: Gn. 49, 10. | 272-273: cf. Mt. 2, 2. | 284: cf. Ps. 119, 1.

256: cf. Gre. IX., *Decr.*, III, 47, 1, col. 652. | 256-257: cf. Gra., *Decr.*, I, 5, 2. PL 187, 37C.

256: Si mulier] M, X F Similiter.

In quarto, de preseruatione a penalitatibus in partu, etcetera.

290 In quinto, de maternitate Dei dicendo quod ei satis erat esse ancillam matris Dei, et dabat ei gratis inmensas de hoc quod facta fuerat eius mater et totus hoc erat per adiutorium Dei.

Ideo compleuit nocturnum dicens: *adiutorium nostrum in nomine domini, qui fecit celum et terram*, etcetera.

295 In secundo nocturno dedit gratias Deo pro toto mundo dicendo: *qui confidunt in domino*, etcetera.

In primo gradu gratias agens de uictoria demonis, quia Genesis tertio dictum fuit serpenti: *inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum*. Et sic dedit gratias Deo patri de uictoria demonis.

In secundo, de liberatore a peccato originali.

300 In tertio, de medico animarum et institutore sacramentorum, ideo dicebatur: “salutare”.

In quarto, de illuminatore mundi per doctrinam sanctam et predicationem, ideo dicebat: *lumen ad reuelationem gentium*.

In quinto, de implente omnes prophetias, ideo dicebat in cantico suo: *suscepit Israhel puerum suum*, etcetera, *sicut locutus est ad patres nostros*, etcetera.

305 In aliis quinque gradibus dedit gratias Deo patri pro existentibus in illis duabus profunditatibus, scilicet: in purgatorio et in limbo, dicendo: *de profundis clamaui ad te, domine*, etcetera.

In primo gradu dedit gratias pro patriarchis.

In secundo, pro prophetis.

310 In tertio, pro regibus.

In quarto, pro sacerdotibus.

315 In quinto, pro popularibus tam de populo iudeorum quam de populo gentilium. Et sic in sumitate scale et in ultimo gradu, in quo erant Symeon et Anna, compleuit canticum dicendo: *ecce nunc benedicite dominum omnes serui domini, qui statis in domo domini in atrii domus Dei nostri*, etcetera. Et tunc honorifice recipitur uirgo cum filio suo ab illis deuote canendo antiphonam illam: «salue regina misericordie, uita dulcedo», etcetera. Et sic cum illo cantico portantes Symeon et Anna ipsam uirginem in medio cum pretioso filio, quos cognouerunt ex radiis exeuntibus tam a facie pueri quam a facie matris, ut dicunt doctores. Nam sanctus Thomas dicit in tertia parte, questione quadragesima quarta, articulo tertio ad primum quod 320 facies Christi emittebat radios. Hec idem dicit de uirgine Maria, Mathei primo, super illud

---

292-293: cf. Ps. 123, 8. | 294: cf. Ps. 124, 1. | 297: Gn. 3, 15. | 302: cf. Lc. 2, 32. | 303-304: cf. Lc. 1, 54-55. | 306: cf. Ps. 129, 1. | 314-315: cf. Ps. 133, 1.

316: cf. Ans., *Hymn. Et Psal. De San. Mar.*, Salutatio deprecatoria, ante Psal. B. V. dicenda. PL 158, 1037D. | 319: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 44, a. 3, pp. 337-338.

“*Ioseph non cognoscebat eam*”. Dicit sanctus Thomas quod tanta claritas exhibat a facie uirginis Marie quod Ioseph non cognoscebat eam sensibiliter.

Et sic dum uenissent uirgo Maria et Ioseph et Elisabeth, Symeon et Anna usque ad porticum, tunc uirgo Maria dixit Deo patri: “ecce pater celestis, ecce noua progenies celo  
 325 alto dimissa, ecce tibi presento filium tuum eternaliter et meum temporaliter, presento tibi eum qui tibi semper est presens, gratias ago tibi, quia in hac prole dignissima quam concepisti mirabiliter peperisti, singulariter tecum communicasti. Ex tempore enim illius sum mater, cuius tu es pater eternus, tu pater in celis sine matre et ego mater in terra sine patre. Oblationem tibi offero nouam uerbum tuum caro factum, qui semet ipsum offert tibi pro mundi salute”. Et sic uirgo posuit illum super brachia Symeonis, qui deuote illum recepit, et uidens quod uirgo Maria non dabat agnum pro sacrificio, dicit illi Symeon: “o regina celi et mundi, quare oblationem pauperum datis pro rege celorum, numquid ipse est diues super omnes diuites, a quo omnes diuites fiunt?” Dicit uirgo: “o Symeon, non debeo agnum pro illo dare, quia ipse est uere agnus, et alter huius figura ueritate ueniente debet umbra cessare. Item licet in se fit diues, sed pro nobis egenus factus est. Item si pro nobis offertur in templo, cum pauperes simus, meritorum etiam oblatio pauperum debet dare pro nobis. Accipe itaque duas columbas gratiam spiritus sancti significantes ad differentiam aliorum, quia et spiritus non datus est ad mensuram. Item accipe turtures duas per gemitum penitentiam significantes, ut notetur quod non pro peccatis propriis, sed pro peccatis duorum populorum, scilicet: iudeorum et gentilium, quia peccata nostra ipse portauit”. Tunc Symeon tenens Christum in ulnis cantauit dicens: *nunc dimittis seruum tuum domine*, etcetera. Et Anna uidua cum circumstantibus cepit cantare: *magnus dominus et laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius*, scilicet: in monte Sion, in quo templum erat situm. Et sic cantarunt usque ad uersum qui dicit: *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, etcetera. Et quia istud factum fuit ad exemplum nostrum, hic est uidendum et quid credendum, quid agendum. Credendum est hoc, quod Anna uidua legem ueterem uel synagogam significabat. Ad illam uenit uirgo Maria, que ecclesiam sine macula et ruga significat. Item Symeon senex sacerdotium uetus significabat quod ab ipso Aaron initium habuit, sed uenit Christus *sacerdos in eternum*, Psalmi centesimo nono, et positus supra unguas sacerdotium nouum inchoauit. Et sic nec lex nec sacerdotium uetus seruanda sunt. Item ostenditur nobis quid faciendum, quia si Christus et uirgo Maria purissimi nil habentes purificandum ad purificationem uenerunt, quid nos impuri et peccatores facere debemus?

Primo, igitur debemus uenire sicut illi uenerunt, scilicet: prius sacerdos et uidua, quia sacerdos in matutinis et prima, etcetera. Semper in templo debet assistere uidua libera, de qua Apostolus dicit prima Corinthiis septimo, quod uidua et inuoluta libera est et sollicita est que Dei sunt. Et sic debet frequentare templum de prioribus et non esse pigra, et sic Anna uidua iam erat in templo et ieiuniis et orationibus, etcetera. Sed nupta Elisabeth uenit cum uirgine illam sociando, ut daret exemplum quod uirgines debent frequentare sermones tali tempore, sed semper cum matribus aut cum honesta uetula in templum accedere, sicut uirgo Maria cum Elisabeth ad nostrum exemplum. Item est notandum, ut dicit Origenes, quod Symeon et Anna in spiritu sancto iuerunt in templum, ut notaretur quod uir et femina, laicus et clericus in spiritu debent uenire ad ecclesiam. Non in spiritu superbie et pompe, non in spiritu auaritie ad habendum duodecim denarios pro missa, non in spiritu luxurie ad uidendum mulieres pulchras uel ille homines inhonestos, etcetera.

321: Mt. 1, 25. | 341: cf. Lc. 2, 29. | 342-343: cf. Ps. 47, 2. | 344: cf. Ps. 47, 10. | 349: Ps. 109, 4. | 355: cf. I Cor. 7, 8.

321: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 5), lib. 3, dist. 16, q. 2, a. 2, p. 862; *Sup. Mt.*, I, 6, p. 23. | 360: cf. Orig., *Hom. In Lc.*, XVII. PG 13, 1846AC; cf. Th. Aq., *Cat. Aur.*, in Lc. II, 11, p. 39.

321: Cognoscebat] M cagnoscebat. | Claritas] M claridas. | 354: Matutinis] M matitutinis.

365 Item quid debemus offerre: utrum agnum uel columbas et turtures? Dicendum quod bonum esse offerre agnum innocentie baptismalis, sed quia peccatores sumus, illam offerre non possumus. Ideo debemus offerre duas columbas et duas turtures, ut uirgo Maria obtulit.

370 Primo, unam columbam, que significat simplicitatem nostram. Non cum fictione nec cum duplicitate nec hypocrisi debemus uenire ad templum, etcetera. Secunda significat gratiam spiritus sancti, que in sacramentis recipitur, nam supra Christum uisa est in baptismo, etcetera.

Item duas turtures, que propter gemitum significant peccatores. Nam nos debemus gemitum mittere propter duo.

375 Primo, propter bona amissa per peccatum, unde in Psalmo centesimo decimo nono: *heu mihi, quia incolatus meus*, etcetera.

Secundo, propter peccata comissa et offensam Dei, unde Psalmi sexto: *laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum*, etcetera.

380 Et sic nos debemus recogitare peccata isto tempore ante quadragesimam. Et si flendo et cum gemitu postulamus misericordiam diuinam, *statim ueniet* dando hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat ille Dei filius, etcetera. Amen.

---

375-376: Ps. 119, 5. | 377-378: Ps. 6, 7. | 380: cf. Mal. 3, 1.



SERMO CENTESIMVS QVADRAGESIMVS OCTAVVS ET SECVNDVS IN EODEM DIE  
PVRIFICATIONIS MARIE VIRGINIS CORAM SERENISSIMO REGE FERDINANDO

<THEMA> *Postquam impleti sunt dies*, Luce secundo.

Originaliter recitatiue autem, etcetera.

5 Sicut ad productionem gratie pro toto mundo precesserunt tres noctes tenebrosae, sic ad  
recuperationem precesserunt tres dies lucide. Ratio est nam sicut perditio gratie et  
recuperatio illius sunt effectus contrarii, sic lux et tenebrae cause contrarie, nam effectus  
contrarii debent causas habere contrarias et in sacra scriptura omne lucidum dicitur “dies”,  
10 unde Psalmi centesimo tricesimo quinto: *solem in potestatem diei*, et omne tenebrosum dicitur  
“nox”, Psalmi centesimo tertio: *posuisti tenebras et facta est nox*.

Prima igitur nox in gratie perditione fuit obscuritas nature angelice, quo ad angelos  
cadentes. Nam omnes fuerunt in gratia creati secundum intentionem beati Thome in multis  
locis, unde Isaie decimo quarto: *quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris*, etcetera?. Et sic  
mane in principio mundi ortus fuit primus angelus ut lux, sed per peccatum cecidit a luce.

15 Secunda nox fuit Eue obscuritas, nam similiter ipsa creata fuit in gratia quam perdidit  
per peccatum, sed

tertia nox fuit obscuritas Ade et tunc perditur gratia. Similiter ad recuperationem gratie  
precesserunt tres dies.

Prima fuit illuminatio angelorum in confirmatione illorum qui steterunt.

20 Secunda fuit illuminatio uirginis Marie in conceptione ipsius. De istis duobus diebus et  
noctibus habetur in Psalmo decimo octauo dicens: *dies diei eructat uerbum et nox nocti indicat  
scientiam*. Vnde glosa cuiusdam notabilis doctoris est: «dies, id est, angelus Gabriel, eructat  
uerbum diei, id est, Marie», quando dixit ei: *ecce concipies*, etcetera, Luce primo. Sed nox, id  
est, demon, indicat scientiam nocti, id est, Eue, quando illi dixit: *nequaquam moriemini, sed  
25 eritis sicut dii scientes bonum et malum*, Genesis tertio.

Tertia dies fuit Christi incarnatio et natiuitas eius, in qua iam fuit in homine gratia. Nam  
sicut in prima nocte angelorum nec in secunda mulieris nondum fuit gratia in mundo  
perdita, sed in tertia, que fuit hominis Ade, sic in prima die angelorum nec in secunda  
Marie non fuit gratia in mundo recuperata, sed in tertia hominis, quando Deus factus fuit  
30 homo. De ista tertia die habetur in Psalmo centesimo decimo septimo: *hec dies quam fecit  
dominus*, etcetera. Isti dies debuerunt impleri ut redundaret in mundum.

Et sic prima dies angelorum fuit repleta, quia non secundum exigentiam meritorium fuit  
illis gratia communicata, sed secundum capacitatem naturalium. Vnde ipsi dixerunt in  
Psalmo octogesimo nono: *repleti sumus mane misericordia tua, exultamus*, etcetera.

35 Secunda dies uirginis fuit plena, unde angelus dixit illi: *auē gratia plena*, Luce primo.

---

3: Lc. 2, 22. | 9: Ps. 135, 8. | 10: Ps. 103, 20. | 13: Is. 14, 12. | 21: Ps. 18, 3. | 23: Lc. 1, 31. | 24-25: Gn. 3, 4-5. | 30-31: Ps. 117, 24. | 34: Ps. 89, 14. | 35: Lc. 1, 28.

12: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 95, a. 1, p. 678; *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 20, q. 2, a. 3, p. 978. | 22-23: cf. Bern. Cl., *Serm. De Div.*, XLIX. PL 183, 671C.

34: Octogesimo nono] M, X octogesimo tertio.

Tertia etiam fuit plena, unde Iohannis primo: *uidimus eum quasi unigenitum a patre, plenum gratia et ueritate*, etcetera. Et sicut plenitudo angelorum exceditur a plenitudine Marie uirginis, quia maior fuit plenitudo uirginis, sic plenitudo Christi excellit plenitudinem uirginis: *de cuius plenitudine nos omnes accepimus gratiam*, etcetera.

40 Sed forte dices contra: nam dixistis quod angelis data fuit plenitudo gratie secundum capacitatem naturalium. Igitur cum natura angelica sit perfectior quam natura uirginis, igitur plenitudo angelica perfectior erit plenitudine Marie uirginis. Nam si angelus fuit maior Christo quo ad naturam impassibilem, unde Psalmi octauo: *minuisti eum paulo minus ab angelis*, etcetera, igitur a fortiori maior uirgine. Dicendum quod plenitudo uirginis fuit maior  
45 plenitudine angelorum, quod patet tripliciter.

Primo, quia uirgini non fuit gratia communicata secundum capacitatem naturalium, sed secundum puritatem superadditam nature. Nam puritas nature uirginis fuit maior puritate angelorum, licet de natura sit oppositum, nam: «puritas attenditur per recessum a peccato», ut dicit sanctus Thomas in primo, distinctione decima septima, questione secunda, quarto  
50 ad quartum; et distinctione quadragesima quarta, tertio ad tertium. Sed cum Maria magis fuerit separata a peccato quam angelus bonus, nam ipsa separata actu et potentia per preservationem, nunquam fuit aliquod tempus nec instans in quo posset peccare. Sed angeli potuerunt omnes peccare in illo tempore medio inter creationem et confirmationem et sic, licet natura angelica, que fuit pure spiritualis, esset superior ad naturam uirginis, que fuit  
55 spiritualis et corporalis, sed puritas uirginis fuit per oppositum. Exemplum de argento puro et de auro mixto cum aliquo alio metallo, ut est in floreno Aragonie, quia licet aurum excellat in natura superiori, sed illud argentum sine mixtione excellit in puritate, sic est in proposito.

Secundo, patet quod maior plenitudo fuerit uirginis quam angelorum ratione ministerii, nam angeli sunt creati ad seruiendum Deo. Vnde: *omnes sunt administratorii spiritus et ad seruiendum missi*, ad Hebreos primo. Sed Maria uirgo preparata fuit mediante gratia, non solum ut ministra esset, sed mater, quod fuit maximum quod illi potuit dari post illam unionem hypostaticam. Igitur ad hoc maior gratia requirebatur.  
60

Tertia patet quia nullus angelus constitutus ut medium inter Deum et totum mundum sicut ista beata, unde Bernardus: «nihil ad nos uenire uoluit quod manibus uirginis non transiret». Et sicut plenitudo Christi fuit tamquam in uena, unde Hieremie decimo septimo: *domine, omnes qui te derelinquunt confundentur, quoniam dereliquerunt uenam aquarum uiuentium dominum*, etcetera. Sed plenitudo uirginis fuit ut in flumine, unde Psalmi sexagesimo quarto: *flumen Dei repletum est aquis*, etcetera. Sed plenitudo sanctorum omnium aliorum preter  
70 Christum fuit sicut in torrente qui aliquando siccatur. Sed plenitudo Marie uirginis fuit pro tota ecclesia media, unde Psalmi quadragesimo quinto: *fluminis impetus letificat ciuitatem Dei*, id est, ecclesiam.

Igitur, si ante plenitudinem horum dierum non potuimus gratiam obtinere, nunc cum maxima fiducia queramus illam et recurrendo ad hanc sciamus illam impetrasse, *postquam impleti sunt dies*. Ad hanc igitur in principio recurramus dicendo: aue Maria, etcetera.  
75

---

36-37: Io. 1, 14. | 38-39: cf. Io. 1, 16. | 43: Ps. 8, 6. | 60-61: Hbr. 1, 14. | 67-68: Ier. 17, 13. | 69: Ps. 64, 10. | 71: Ps. 45, 5. | 74-75: cf. Lc. 2, 22.

48: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 1), lib. 1, dist. 17, q. 2, a. 4 ad 3, p. 894; (vol. 2), lib. 1, dist. 44, q. 1, a. 3 ad 3, p. 900. | 65-66: Bern. Cl., *In Vig. Nat. Dom.*, III, 10. PL 183, 100A.

38: Excellit] M exccellit. | 64: Constitutus] M constitus.

<THEMA> *Postquam impleti sunt dies*, ubi supra.

Due erunt partes in presenti sermone. Prima thematis introductiua et declaratiua. Secunda materie prosecutiua, etcetera.

80 Tres fuerunt dies maximi gaudii in uirgine gloriosa. Prima fuit dies eius conceptionis. Secunda fuit dies receptionis filii. Tertia fuit dies eius assumptionis in celum.

In prima die sicut ceterae anime recipiunt impuritatem in coniunctione anime ad corpus, in qua anima maculatur peccato originali, hec non, sed econuerso in illa coniunctione recepit gratie plenitudinem.

85 In secunda non solum recepit augmentum gratie, sed etiam datorem gratie, scilicet: filium Dei.

In tertia recepit consummationem gratiarum et largitorem earum et possessionem celorum, cum fuerit: «exaltata super choros angelorum». Et sic de istis dicit thema quod *impleti sunt dies*. Quo ad primam partem.

90 In secunda parte uidebimus unam conclusionem que talis est: licet uirgo Maria legem purificationis legis ueteris seruauerit quo ad aliqua, sed noluit nec potuit seruare quo ad omnia. Prima pars probabitur in euangelio quod uidebitur in fine sermonis, si tempus aderit. Secunda pars conclusionis probatur tripliciter.

95 Primo, habetur Leuitici duodecimo: *si filium peperit immunda erit septem diebus*. Hoc non potuit esse, nam nec inmundam per horam nec per momentum, quia non ratione corporis nec anime, nam: *tota pulchra es, amica mea*, dicit ueritas Canticorum quarto. Nam uirgo ante conceptionem filii iam erat gratia plena et illam nec perdidit nec perdere potuit ratione confirmationis. In receptione filii non solum inmundiciam non contraxit, sed fuit perfectius mundi siccata, non per remotionem impuritatis, sed per receptionem maioris puritatis. Exemplum de auro iam puro, si mittitur in fornacem ignis fit purior. Sic in proposito fuit, 100 nam ipsa existens pura recepit in conceptione radium purissimum, scilicet: filium Dei.

105 Secundo, patet ex uerbis quando dicit: *immunda erit iuxta dies separationis menstrui*, quod non potuit esse, nam Simachus exponit illud iuxta dies afflictionis, hec uirgo nullam afflictionem habuit in partu, immo maximam felicitatem. Aquila exponit iuxta dies miserie quod non potuit habere uirgo, ut diximus. Theodocion exponit iuxta dies doloris. Sed uirgo Maria non solum dolorem in partu non habuit, sed gaudium habuit maximum, unde Isaie tricesimo quinto dicitur: *germinans germinabit letabunda et gaudens*. Dat causam dicens: *gloria Libani data est ei*. Item in Psalmi sexagesimo quarto: *letabitur germinans*, etcetera. Et sic cum uirgo nullum menstruum superfluum habuerit ante partum, sed solum guttam purissimi sanguinis, quam dedit spiritui sancto pro corporis Christi organizatione, sequitur, etcetera.

110 Tertio, probatur conclusio per uerba que dicens quod: *manebit triginta tribus diebus in sanguine purificationis et non introibit sanctuarium et omne sanctum non tanget*, quod nullum istorum seruare potuit. Non primum quia nullum habuit sanguinem impurum, ut diximus, nec

---

76: cf. Lc. 2, 22. | 88: cf. Lc. 2, 22. | 93: Lv. 12, 2. | 95: Ct. 4, 7. | 101: cf. Lv. 12, 2. | 106-107: Is. 35, 2. | 107: Ps. 64, 11. | 110-111: cf. Lv. 12, 4.

87: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, Anti. unde supra. In primo nocturno. PL 78, 798D; cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 7. PL 30, 129B. | 102-104: Simmachus, Aquila, Theodocion] NI. cf. Hier., *Comm. In Is.*, IX, 29, 17. PL 24, 347B.

100: Recepit] X accepit.

115 potuit secundum seruare, scilicet: quod non intraret templum quod erat filii sui gloriosissimum, de quo ipse dixit: *soluite templum hoc*, etcetera, Iohannis secundo. Nam: «ipsa uirgo mox post partum quem genuit, adorauit». Et sic intrabat per contemplationem intra illud corpus adorando diuinitatem in illo, unde: *ingredientur et regredientur et pascua inuenient*, dicitur de beatis, qui intra adorabunt diuinitatem et extra humanitatem, etcetera, nec potuit tertium seruare quando dicitur: *omne sanctum non tanget*, nam manibus propriis recepit et tetigit sanctum sanctorum filium Dei.

120 Sed dices: si noluit illa seruare, igitur peccauit faciendo contra legem. Dico quo non, nam ipsa non obligabatur legi, unde in figura dixit rex Asuerus regine Hester: *non propter te posita est lex*, Hester decimo quinto.

125 Quod autem uirgo non obligaretur legi patet tripliciter, nam aliqua lex obligat uno trium modorum, scilicet: aut ex uerbis legis, aut ex ratione legis, aut ex significatione legis, ut fuit in ueteri lege, sed nullo istorum modorum fuit uirgo Maria obligata, igitur, etcetera. Quod autem Christus nec mater fuerint obligati legi huic patet, nam hec lex *non coques hedum in lacte matris* potest tripliciter considerari: aut in uerbis que talem dicunt, et sic iudei non comedebant cum carnibus caseum. Secunda ratio legis huius fuit ad tollendam crudelitatem illius populi, nam quid crudele erat interficere hedum et coquere illum et lacte matris, quod  
130 erat pro alimento et uita ipsi mortui. Significatio legis erat ut notarent quod Christus qui uenerat in similitudinem carnis peccati, non erat moriturus in pueritia quando lactabatur, ut diximus in precedenti sermone, et ideo fugit mater eius in Egiptu propter Herodem, etcetera.

135 Primo, non obligabantur ex herbis illius legis, que dicit Exodi decimo tertio: *sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit uuluam*. Qui non aperuit uuluam nec mater obligabatur ex uerbis, Leuitici duodecimo: *mulier, si suscepto semine peperit*, etcetera. Hec non concepit «ex uirili semine, sed mystico spiramine», etcetera.

140 Secundo, non obligabantur ex ratione legis, nam ratio legis ex parte primogeniti fuit quod dum interfecit dominus omnia primogenita Egipti, redemit omnia primogenita filiorum Israhel. Et sic precepit dominus quod essent sui, et sic si erat primogenitus de tribu Leui, ueniebat ad templum ad seruiendum. Si aliorum tribuum erat, tunc redimebatur quinque ficculis, etcetera. Sed cum iste primogenitus non fuerit redemptus, sed potius redemptor, quia mediante sanguine in utraque poste, id est, in cruce, alios redemit, etcetera. Nec mater obligata fuit huic legi ratione legis, nam ratio huius legis fuit quod quadragesimo  
145 die a conceptione masculi corpus animabatur et sic, quia tunc contrahebat peccatum originale. Ideo die quadragesima, ipsa offerebat illum in templo, sed cum uirgo Maria non conceperit mediante semine, sed uirtute infinita spiritus sancti, que agit in non tempore, sequitur quod non obligabatur die quadragesima illum presentare in templo. Igitur cum «cessante causa et ratione legis debeat lex cessare», sequitur, etcetera.

150 Tertio, patet quod non obligabantur legi ratione sanctificationis legis. Primo, non Christus, nam lex significabat quod mediante agno, id est, Christo, et columba, id est, gratia spiritus sancti, et turture, id est, gemitu peccatorum. Erasmus purgandi mediantibus quinque ficculis, id est, quinque plagis Christi, sed cum Christus esset redemptor et non redemptus, ut diximus, sequitur quod ipse non obligabatur legi, quia non erat peccator, ut nos sumus.

---

114: Io. 2, 19. | 116: cf. Io. 10, 9. | 118: cf. Lv. 12, 4. | 121-122: Est. 15, 13. | 126-127: cf. Ex. 34, 26. | 134-135: Ex. 13, 2. | 136: Lv. 12, 2.

114-115: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In ev. PL 78, 746D. | 136-137: cf. Ambr., *Hymn.*, IV. PL 16, 1410D. | 149: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 96, a. 3, p. 686.

155 Nec uirgo Maria, nam lex significabat quod mulier in conceptione et partu quater delinquebat contra decem precepta, ut diximus in precedenti sermone, et sic quater decem sunt quadraginta, scilicet: omissione, cogitatione, locutione et operatione, sed uirgo Maria cum non fuerit peccatrix, sequitur quod ratione significationis legi huic non obligabatur. Sed: quare uoluit illam seruare? Dicendum quod propter tria.

160 Primo, ex parte Dei, ut humile et obediens se ostenderet et legem a Deo esse et bona approbaret, ut Christus.

Secundo, ex parte demonis, ut partus illi celaretur, nam licet demon posset naturaliter cognoscere Mariam esse uirginem, sed prohibebatur a Deo mediantibus angelis.

Tertio, ex parte mundi dupliciter.

165 Primo, ex parte iudeorum ne daret scandalum illis quare non custodiret legem, nam non erat illis manifestum quod ipsa conciperet sine uiro, nam si hodie illud non credunt et uiderunt opera et miracula in milia quingentis tribus annis, quomodo die quadragesima a partu hoc credidissent?

170 Secundo, ex parte populi christianorum, ut populum christianum instrueret, quando a peccato purificaret post quadragessimam diem, nam ut habetur Iacobi primo: *concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*.

Prima igitur dies est peccati recordatio.

Secunda peccati nocuenti consideratio, qualiter Deum ledit et seipsum, Psalmi tricesimo septimo: *iniquitatem meam annuntiabo et cogitabo pro peccato meo*.

175 Tertia, iniquitatis peccati detestatio amara, unde: *iniquitatem odio habui et abominatus sum*.

Quarta, peccati renuntiatio, scilicet: proponere nunquam peccare, unde Psalmi sexto: *laboranti in gemitu meo lauabo per singulas noctes*, etcetera.

Quinta dies est remissionis expectatio, unde Psalmi tricesimo nono: *expectans expectanti dominum*, etcetera.

180 Sexta est dies contritionis.

Septima confessionis.

185 Octaua satisfactionis, in qua puer circumciditur et aufertur pellicula per restitutionem et funditur sanguis per satisfactionem. Ab ista die sunt triginta tres dies significantes triginta tres annos uite Christi, quibus debet Christo conformari in uita sua, ut dicit Augustinus De Vera Religione.

Et sic purificatus, si christianus sequitur Christum in moribus et uita, sit certus quod hic recipiet gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

170-171: Iac. 1, 15. | 174: Ps. 37, 19. | 175: cf. Ps. 118, 163. | 177: Ps. 6, 7. | 178-179: Ps. 39, 2.

184: Augustinus] NI.

176: Sexto] M, X quinquagesimo.

## Sermo CXLIX

SERMO CENTESIMVS QVADRAGESIMVS NONVS IN DOMINICA DIE INFRA OCTAVAS  
PVRRIFICATIONIS BEATE MARIE VIRGINIS CORAM INQVISITORIBVS IN RECONCILIATIONE  
PENITENTIIVM

<THEMA> *Postquam impleti sunt dies*, Luce secundo.

5 Originaliter recitatiue, etcetera.

Sicut in creatione uniuersi fuerunt septem dies, cum ultima die in qua *Deus requieuit ab omni opere*, etcetera, sic in recreatione fuerunt similiter septem dies et ultima fuit requiei. Istorum dierum fuit triplex differentia, nam tres primi istorum fuerunt eternitatis, tres ultimi fuerunt temporalitatis, medius, qui fuit quartus, fuit mixtus, scilicet: eternitatis et  
10 temporalitatis. Primus istorum fuit pater. Secundus filius. Tertius spiritus sanctus.

Primus cognitus in lege nature.

Secundus in lege scripture.

Tertius ignotus a iudeis et agarenis, quia defecerunt omnes in tertio signo. De his autem tribus diebus habetur Michee quinto capitulo dicens: *egressio eius a diebus eternitatis*.

15 Quartus fuit incarnationis Christi, de quo habetur Iohannis octauo: *Abraham exultauit ut uideret diem meum uidit et gauisus est*. Vnde Augustinus in glosa: «incertum est an diem temporalem quo erat uenturus in carne, an diem eternitatis, sed utrumque Abraham uidit». Hec Augustinus. Vnde uidit in spiritu diem eternitatis, quando tres uidit et unum adorauit, Genesis decimo octauo. Item uidit temporalem quando illi dictum fuit: *in semine tuo*  
20 *benedicentur omnes gentes*, Genesis uicesimo secundo. Sed quia non erat Abraham certus si ille qui ex semine suo sperabatur esset homo purus, ut Adam uel Noe, etcetera, ideo ante mortem certificatus, et sperabatur non solum homo, sed Deus. Ideo sperabatur de Isaac, ut habetur Genesis uicesimo primo: *in Isaac uocabitur tibi semen*. Ideo quando erat iam prope mortem uocauit seruum seniore[m] domus et dixit illi: *pone manum tuam sub femore meo et*  
25 *adiurabo te per Deum celi, ne accipias uxorem filio meo de filiabus Canaam*, etcetera, in quo uidit quod filius Dei celorum accepturus erat carnem de femore suo, etcetera. Et sic quod sperabat Deus et homo, et sic uidit utrumque diem, scilicet: trinitatis uel diuinitatis et humanitatis.

Tres alii dies ultimi sunt dies uirginis, de quibus habetur Exodi tertio: *uiam trium dierum*,  
30 etcetera, ad sacrificandum, nam omnia sacrificia per manus uirginis offeruntur Deo. De his omnibus habetur ab Apostolo, ad Galatas quarto: *ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*, scilicet: pater et spiritus sanctus. Vnde Isaie quadragesimo octauo: *misit me Deus et spiritus eius*. Dicit Christus, scilicet: ad predicandum. Ecce igitur tres dies eternitatis factum, id est, conceptum et natum, ecce quarta dies, quando dicit ex muliere, ecce alios tres dies  
35 uirginis Marie.

Sic nam prima dies requisita ad gratiam fuit notitia patris in lege nature.

---

4: Lc. 2, 22. | 6-7: cf. Gn. 2, 2. | 14: Mi. 5, 2. | 15-16: Io. 8, 56. | 19: cf. Gn. 18, 2. | 19-20: Gn. 22, 18. | 23: Gn. 21, 12. | 24-25: cf. Gn. 24, 2-3. | 30: Ex. 3, 18. | 31-32: Gal. 4, 4. | 32-33: Is. 48, 16.

16-17: Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, XLIII, 16. PL 35, 1712B.

2: Reconciliatione] M reconcilitione, X reconcillatione.

Secunda filii quo ad patriarchas et prophetas in lege scripta, antequam inueniretur Talmuth.

40 Tertia fuit spiritus sancti in lege gratie per missionem eius et abundantiam effectuum, non quo ad agarenos.

Quarta fuit in mysteriis Christi.

Quinta in conceptione uirginis Marie, quando fuit gratia plena.

Sexta fuit in conceptione Christi, quando ipsa non solum maiorem gratiam, sed datorem gratie habuit et recepit.

45 Septima fuit in assumptione uirginis Marie, quando non solum gratiam consummatam, sed possessionem celorum habuit et nostra aduocata fuit, ut dicit Hieronymus in Sermone Assumptionis.

50 Et sic sicut in uno, scilicet: Christo, erant omnes gratie ad communicandum, sic requirebatur una persona media ad recipiendum, quia cuilibet potentie actiue correspondet sua potentia passiuia. Hec est autem uirgo Maria, unde Bernardus in Sermone Assumptionis: «data est tibi, o uirgo beata, potestas in celo et in terra, ut quodcumque uolueris, ualeas impetrare. Tu es enim mater Dei et hominis, mater rei et iudicis, mater regis et exulis».

55 Igitur, si ante hos dies gratiam inuenire non poteramus, nunc ad hanc recurramus et cum fiducia speremus illam obtinere, *postquam impleti sunt dies*. Ad hanc igitur in principio sermonis, etcetera.

<THEMA> *Postquam impleti sunt dies*, loco et capitulo ubi supra.

Due erunt partes in presenti sermone. Prima quod impleti sunt dies purgationis Marie. In secunda uidebitur quod impleti sunt dies purgationis anime.

60 Sententia est doctorum catholicorum, maxime sancti Thome, in prima secunde, questione nonagesima prima, articulo quinto, quod lex uetus et noua non differunt tamquam due specie differentes, ut homo et asinus, sed tamquam perfectum et imperfectum, ut puer et uir, ut diximus in sermone circumcisionis, unde Apostolus prima Corinthiis decimo tertio: *cum essem paruulus, loquebar ut paruulus*, etcetera. Et quod loquatur de  
65 statu legis et non de sua etate patet, nam dicit ad Galatas tertio: *lex pedagogus noster fuit*, et sic dum ipse in illa nutriebatur, fuit paruulus puer, etcetera. Hec autem conclusio probatur tripliciter.

Primo, nam lex est inducens ad obseruantiam mandatorum dirigendo actus in bonum commune.

70 Primo, igitur patet conclusio quo ad inductionem ad mandata, nam lex uetus inducebat ad illa per timorem, noua uero per amorem, unde Augustinus contra Adamantium

---

55-57: cf. Lc. 2, 22. | 64: I Cor. 13, 11. | 65: Gal. 3, 24.

46: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 5. PL 30, 127D. | 51-53: Bernardus] *NI*. cf. Petr. Dam., *Serm.*, XLIV. PL 144, 740B; cf. Pseu. Ans. Luc., *Med. Sup. Sal. Reg.*, VII. PL 149, 589A. | 60-61: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 91, a. 5, p. 595.

64: *Post essem M add. in.*

Manichei discipulum dicit: «breuis legum differentia amor et timor». Et sicut puer inducitur a patre uel magistro ab obseruantiam mandatorum timore flagellorum et filius iam factus uir, non sic sed inducendo per amorem, sic est in proposito.

75 Secundo, patet hoc per actus, nam uetus cohibebat solum manum, noua uero etiam  
 animum, ut habetur in glosa, nam illa solum dixit: *non occides*, noua uero dicit etiam: *qui*  
*irascitur fratri reus est iudicio*, Matthei quinto. Sicut puer cohibetur a lapidatione non autem a  
 uoluntate lapidandi. Et sic, si irascitur alteri, de illo non curatur nec fiunt paces inter  
 80 pueros, sed si uir irascitur alteri, mox fiunt paces inter illos, quia sunt iam in statu perfecto  
 et estimant honorem, etcetera.

Tertio, patet ex ordinatione ad bonum, nam uetus solum ordinabat ad bonum  
 temporale, noua autem ad bonum commune uel spirituale, sed cum hoc sit perfectius  
 altero, sequitur, etcetera. Sicut puer qui ordinatur in bonum sensibile, ut ad missam per  
 fructus uel aliquid tale, sed uir non nisi amore Dei propter beatitudinem acquirendam,  
 85 etcetera. Vnde Isaie primo: *si audieritis me bone terre comedetis*, sed in noua dicitur: *penitentiam*  
*agite, appropinquabit enim regnum celorum*.

Et sic patet quod iste due non erant leges distincte, sed una in uno tempore imperfecta  
 et in alio perfecta, sicut inter mercatores unus liber est debiti et solutionis, sed in una charta  
 stat debitum et in alia solutio illius debiti. Sic Biblia nostra continet debita in una parte, ut  
 90 est uetus testamentum, in quo non erant nisi promissiones, et in alia parte est solutio  
 illorum debitorum, ut in nouo, etcetera. Et sic lex illa imperfecta conueniebat illi populo  
 imperfecto, sicut amigdala comeduntur ab imperfectis pueris uel mulieribus dum sunt  
 tenera, sed quando sunt dura non comeduntur nisi nuclea intus a perfectis. Et sic  
 sacerdotium uetus figuratum fuit per amigdalum, ut habetur Numeri decimo septimo: *in*  
 95 *duodecim uirgas*, etcetera. Sic fuit in illo populo, nam amigdalum in tenera etate solum figurat  
 quod intus speratur, sic fuit in illo populo imperfecto respectu populi christiani.

Et si dicis: ille populus iudeorum erat tunc perfectus. Dicendum quod non erat nisi  
 respectu aliorum populorum, qui maiorem imperfectionem habebant. Exemplum: si puer  
 solus esset in mundo, esset perfectior cunctis animalibus per respectum ad alia, sed ipse in  
 100 se non haberet ultimam perfectionem donec esset uir perfectus. Et sic quod fuit  
 promissum de purificatione uirginis Marie in ueteri testamento, fuit in nouo solutum. Fuit  
 autem hoc figuratum a multis et prophetatum a prophetis tamquam primum mysterium  
 publicum Christi, nam ea que fiunt in templo sunt multum publica, et sic nuptie  
 publicantur in ecclesia et alia, etcetera.

105 Primo, quod debuit uenire ad templum in Hierusalem patet per Isaiaem capitulo  
 duodecimo dicens: *exulta et lauda habitatio Sion*, id est, templum in monte Sion situm, *quia*  
*magnus in medio tui sanctus Israhel*, id est, messias, qui sanctus dicitur per excellentiam. Vnde  
 Luce primo dicit angelus quod: *enim in te nascetur sanctum, uocabitur*, etcetera.

110 Secundo, hoc prophetatum a Michea quarto capitulo dicens: *erit in nouissimis diebus*,  
 etcetera, *turris gregis nebulosa filia Sion, ad te ueniet potestas prima regnum*, etcetera, ut dictum fuit  
 in alio sermone. Dicitur “templum turris” propter altitudinem, quia habuit centum uiginti  
 cubitos. Dicitur “gregis” propter hostias que in illo immolabantur. Dicitur “nebulosa”

76: cf. Ex. 20, 13. | 76-77: Mt. 5, 22. | 85: Is. 1, 19. | 85-86: cf. Mt. 3, 2. | 94-95: Nm. 17, 2. | 106-107: Is. 12, 6. | 108: Lc. 1, 35. | 109-110: Mi. 4, 1-8.

72: Aug. Hipp., *Con. Ad. Man. Disc.*, 17, 2. PL 42, 159A.

95: Duodecim uirgas] M, X tredecim uirginis.



propter fumum altaris holocaustorum. Erat ille qui uenturus erat ad illud potestas prima, unde Psalmi octogesimo octauo: *et ego primogenitum ponam illum excelsum*, etcetera.

115 Tertio, hoc prophetatum fuit per Malachiam dicens: *ecce mittam angelum meum*, scilicet: Iohannem Baptistam, qui fuit angelus, id est, missus uel nuntius. Nam angelus non est nomen nature sed officii et *statim ueniet ad templum sanctum suum dominator, quem uos queritis, et angelus testamenti*, id est, missus uel nuntius a patre, scilicet: Christus, *quem uos uultis*. Item Daudid dicit in Psalmo quadragesimo septimo: *suscepimus Deus misericordiam tuam*, id est, filium cum misericordia, *in medio templi tui*.

125 Sed dices quod Daudid dicit “suscepimus” de preterito, igitur non intelligitur de Christo, qui uenit post illum. Dicendum quod rabbi Salomon, qui fuit unus qui magis conformis fuit legi Christi, dicit in Psalmo quadragesimo secundo quod: «prophetie loquuntur de preterito in rebus uenturis propter certitudinem infallibilem». Item hoc fuit figuratum in presentatione Samuhelis ab Anna matre sua, primo Regum primo. Item prophetatum per Aggeum dicens in capitulo secundo, quando ipse missus fuit ad Zorobabel et Hicsum, sacerdotem magnum, ut edificarent templum domini in Hierusalem et dum senes populi uidissent templum edificatum et quod erat parua res respectu primi, flebant super illud et tunc mittitur iterum Aggeus propheta dicens: *confortare Zorobabel*, etcetera. *Adbuc modicum et ego commouebo celum*, etcetera, *et ueniet desideratus cunctis gentibus et replebo domum istam gloria et magna erit gloria domus istius plusquam prime*. Igitur non loquebatur propheta de gloria edificii huius, nam nihil erat respectu prime nec de gloria contentorum in illo. Nam ut dicunt iudei, quinque erant in primo templo que non fuerunt in secundo.

Primum fuit arca testamenti.

135 Secundum pectorale in quo erant nomina tribuum Israhel et lapides pretiosi, etcetera.

Tertium quod ignis descendebat de celo ad comburendum sacrificia, etcetera.

Quartum quod gloria domini descendebat supra propitiatorium, etcetera.

140 Quintum fuit quod in illo fuit datus spiritus prophetarum, quorum nullum fuit in secundo templo, nam licet tres prophete, scilicet: Aggeus, Zaccharias et Malachias, fuerunt in templo secundo, non fuit illis datus spiritus in secundo, sed in primo templo. Et sic patet quod ista gloria de qua propheta loquitur non erat nisi presentia messie et saluatoris, de quo loquitur: *et ueniet desideratus cunctis gentibus*, etcetera.

Et est manifestum et clarum quod non debuerunt ista quinque esse in secundo templo.

145 Primo, non arca federis, in qua tabule Mosi erant et uirga Aaron et urna manne. Nam in presentia uere arce, scilicet: uirginis Marie, non debuit arca mystica apparere, et in presentia Christi figurati per manna, in qua urna terre que corpus notabat et manna diuinitate, et uirga Aaron, que regiam potestatem et tabule legis, que sacerdotium significabant, non debuerunt esse ista figuratiua.

---

114: Ps. 88, 28. | 115-118: cf. Mal. 3, 1. | 119-120: Ps. 47, 10. | 125: cf. I Sm. 1, 24. | 129-131: Agg. 2, 5-10. | 142: Agg. 2, 8.

123-124: cf. Rabb. Rash., *Comm. In Is.*, 42, 16, p. 342; cf. Ray. Mar., *Pug. Fid.*, III, dist. 3, c. 7, p. 752.

144: Federis] M, X phederis.

150 Secundo, nec debuit esse pectorale nobis rationale, in quo erat nomen tetragrammaton et Adonai, in quo iudei dicebant miracula fieri quando erat ille qui per tale nomen significabatur, etcetera.

Quarto, non debuit esse quod ignis de celo descenderet, quando spiritus sanctus descendit in forma ignis.

155 Item quinto, non debuit spiritus prophetarum esse in illo, quando ille erat presens, de quo prophete locuti fuerunt. am omnis propheta usque ad Iohannem et ideo Zaccharias factus est mutus, quia prophete tunc obmutuerunt, etcetera.

Et sic in ueteri testamento impleta fuerunt tria.

Primo, sacra in istis quinque que dicta sunt.

160 Secundo, sacrificia in his, nam dicitur Danihelis nono: *cessabunt hostia et sacrificium*, etcetera. Non autem agnum obtulit, sed columbam et turturem, ut ostenderetur beneplacitum esse illi in pauperibus.

165 Tertio, impleta sacramenta ueteris legis in septem sacramentis noue legis, unde Augustinus contra Faustum dicit: «iam non promittitur quod sit nasciturus, passurus, etcetera, quod illa sacramenta personabant, sed quod natus est, passurus est et resurrexit, ut nostra personant sacramenta». Qui igitur ista nunc querit et sperat est sicut ille qui chartam solutam petit, ut iterum soluat.

170 Sed forte dices quod debet nunc uti circumcissione et aliquibus cerimonialibus, nam Christus dixit: *non ueni legem soluere, sed adimplere*. Igitur debemus uti illis quibus ipse usus fuit. Dicendum quod non, nam hoc tripliciter ostenditur quod non debemus hoc tali sensu interpretari, sed Christus impleuit legem exponendo illam et addendo et uerum sensum ostendendo. Exemplum: quando aliquis scribit et dimittit in charta aliquam partem papiri albam, quia non recordatur de aliquo nomine uel quia non opus est tunc illud scribere, postea conuenienti tempore mandat plura et tunc dicitur illi “impleatis illud album uel illam rasuram”, etcetera. Sic Christus fecit addendo uel exponendo quod Moses non fecit tunc.

175 Secundo, patet quod Christus impleuit legem ueritatem dando, unde dicit Apostolus quod: *egena et uacua* erant illa. Et sicut in uase pleno aere dicimus quod nihil est, sed est uacuum, non quod fuerit uacuum, sed quod non erat in illo illud ad quod ordinabatur, ut ad aquam uel uinum, etcetera, sic erat in illis, quia ordinabantur ad gratiam, quam tunc non continebant. Sed Christus illa impleuit dando ueritatem, quam non continebat, nec gratiam.

180 Tertio, Christus impleuit legem in se portando quod alii portare obligabantur et sic alios liberauit. Exemplum: si multi tenerentur ad portandum aliquod lignum magnum et ueniret gigas magnus et illud portaret in se et alios liberaret, sic fuit in proposito. Nam obligabantur illi ad circumcissionem et ad purificationem uel ad templi presentationem, etcetera. Christus uenit ad illos liberandum et in se assumpsit non ut illos obligaret uel induceret ad illud, sed  
185 ut illos a tali seruitute liberaret, unde: *exultauit ut gigas ad currendam uiam*, etcetera. Ideo Actuum decimo quinto habetur quod: *surrexerunt quidam de heresi phariseorum dicentes quod oportet circumcidi et seruare legem Mosi. Conuenerunt apostoli et seniores uidere de uerbo hoc. Cum autem*

---

159: Dn. 9, 27. | 168: cf. Mt. 5, 17. | 176: cf. Gal. 4, 9. | 185: cf. Ps. 18, 6. | 186-190: cf. Act. 15, 5-11.

163-165: Aug. Hipp., *Con. Fau. Man.*, XIX, 16. PL 42, 357B.

149: Tetragrammaton] M tethegrammaton, X tethagrammaton.

190 *magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos, etcetera. Infra: quid temptatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec nos nec patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum et illi, scilicet: gentiles, etcetera.*

195 Et sic patet quod Christus in se portando omnes discipulos, id est, christianos, a tali seruitute liberauit. Quod autem simus liberi per receptionem Christi et messie patet per instrumentum notarii, unde uirgo Maria dicit: *suscepit Israhel puerum suum*, etcetera. Symeon dicit: *uiderunt oculi mei salutare tuum, quo parasti ante faciem omnium populorum*. Sunt testes huius Ioseph, sponsus uirginis, qui inspirationem habuit a spiritu sancto et uisionem angelorum, etcetera. Secundus testes fuit Anna uidua, que in spiritu etiam uenit in templum, et isti clare uiderunt, et istud instrumentum cotidie legitur in complectorio.

200 Et sic isti heretici uel potius qui in fide errauerunt debent ista multum notare et officium misse et uesperorum continuare, maxime sermones, et de mane debent habere uirginem Mariam in deuotione, de qua ecclesia cantat: «gaude, Maria uirgo, cunctas hereses sola interemisti», etcetera. Vnde Bernardus: «ipsam sequens non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris», etcetera.

Et sic eius deuotus, ipsa mediante, hic habebit gratiam et in futuro gloriam, ad quam nos perducatur, etcetera. Amen.

---

193: cf. Lc. 1, 54. | 194: cf. Lc. 2, 30.

200-201: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In tertio nocturno. PL 78, 746B. | 201-202: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 17. PL 183, 71A.

SERMO CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS IN FESTIVITATE MARTYRVVM  
CESARAGVSTANORVM

<THEMA> *Hec est uictoria que uincit mundum*, prima Iohannis quinto.

Originaliter, etcetera.

5 Sententia est communiter omnium doctorum quod tres sunt inimici hominis, scilicet: «demon, caro et mundus».

De primo, prima Petri quinto capitulo: *aduersarius uester diabolus tamquam leo rugiens*, etcetera. De secundo, ad Galatas quinto: *caro concupiscit aduersus spiritum*, etcetera. De tertio, in euangelio hodierno, scilicet: Iohannis decimo quinto: *si mundus uos odit, scitote quia me priorem*, etcetera. Et sicut tres sunt inimici, ita tres sunt pugne et tres uictorie, quia nullus potest gloriam habere nisi uincendo istos. Et sic dicit Apostolus secunda ad Timotheum secundo: *non coronabitur nisi qui legitime certauerit*. Sed inter omnes puras creaturas excellentius uicit istos inimicos uirgo Maria.

15 Primo, demonem uicit, unde Genesis tertio: *inimicitias ponam inter te et mulierem*, etcetera. *Ipsa conteret caput tuum*, etcetera. Vnde Bernardus in sermone octogesimo tertio et Super Missus Est dicit de uirgine: «ipsa est que caput contriuit serpentis uenenatum», etcetera. Item Fulbertus: «quid est serpentis caput conterere? Nisi principalem diaboli suggestionem resistendo superare? Si ergo queratur quenam mulier operata sit huiusmodi uictoriam? Profecto non reperietur in linea generationis humane donec perueniatur ad Mariam, que nimirum illud serpents caput uirtutis pede contriuit, eo quod uirginitatem simul et humilitatem domino consecrauit. Virginitate quidem concupiscentiam carnis, humilitate uero concupiscentiam mentis extinxit. Sed eo quam maxime triumphauit quod sua mundissima carne sapientia corporata inimicum uicit». Hec ille. Et sic Maria triumphauit de hoste demone.

25 Secundo, uicit carnem mediante uirginitate.

Si dicis: quomodo, si non habuit pugnam carnis? Dico quod licet uirgo non habuerit carnis temptationem, uicit carnem preueniendo illi per maximam Dei sanctificationem in utero matris, sicut Moses, Exodi decimo septimo, uicit prelium, licet non introisset in illud. Et sicut aliquis uincit hostem antequam ille eum possit percutere, sic Maria uirgo uicit hostem carnis sine hoc quod caro pugnaret aduersus eam. Non solum uicit pro se, sed pro nobis, quia illa prima firmauit uirginitatem uoto et per consequens alie suo exemplo et suis precibus uincunt, sicut enim ante uirginem nullius ualoris nec reputationis erat uirginitas nec sterilitas, immo etiam uitiosa erat et maledicta. Ratio quia quodam instinctu diuino omnes inclinabantur ad matrimonium, ideo quia una puella erat ex quodam castissima matrimonio oriunda, scilicet: ex Ioachim et Anna, scilicet: Maria, ex qua uel in qua filius Dei erat incarnandus. Et sic cum iste ex uirgine esset oriundus, sicut ante erat maledicta sterilitas et uirginitas, illa nata est econuerso, sed benedicta uirginitas ex qua tantum bonum habuimus.

---

3: I Io. 5, 4. | 7: I Pt. 5, 8. | 8: Gal. 5, 17. | 9-10: Io. 15, 18. | 12: II Tim. 2, 5. | 14-15: Gn. 3, 15. | 28: cf. Ex. 17, 11.

6: cf. Petr. Lom., *Sent.*, II, 22. PL 192, 697Asq; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 114, a. 2, p. 782. | 16: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 4. PL 183, 63B. | 17-23: Fulb., *Serm. Ad Pop.*, IV. PL 141, 320D-321A.

12: Inter] M inier.

40 Et sic uirgo Maria firmavit uirginitatem et alie post ipsam, unde Daud in Psalmo uicesimo quarto: *audi filia et uide*, etcetera, *astitit regina*, etcetera, dicens: *offerentur regi uirgines post eam*, scilicet: post Mariam, etcetera. Fuit autem uirginitas Marie exemplaris, integra et in alios transfusiua.

45 Exemplaris enim quia prima omnium ex qua alie fuerunt orte, unde Ambrosius libro De Virginibus dicit uirginibus: «sit uobis tamquam in imagine descripta uirginitas Marie, in qua uelut in speculo refulget forma uirtutum», etcetera.

Fuit autem integra, quia ut ait Bernardus: «uirgo erat non solum corpore, sed etiam mente», etcetera.

50 Tertio, fuit transfusiua faciendo alios castos. Exemplum: si aliquis doctor esset primus omnium, esset in eo magna dignitas. Sed si esset perfectus et integer, scilicet: si esset in utroque peritus, maior esset dignitas eius. Sed si haberet potestatem faciendi alios doctores, iam esset maxima dignitas.

Sic in uirgine fuit dignitas uirginitatis quasi magistra omnium, nam  
prima et exemplaris.

55 Secundo, perfecta, quia alique uirgines sunt carne, sed non mente, nam aliquando habuerunt conceptum contrarium, sed uirgo fuit integra carne et mente.

Tertio, fuit factiua castitatis aliorum, quia nullus potuit eam concupiscere, sed dum uidebatur, prouocabat ad castitatem et continentiam, quod non habuit sancta Catherina, quia eam concupiuit Maxentius et de multis patet similiter.

Et hoc accidit uirgini ex tribus.

60 Primo, quia Deus occultabat in ea omnia que erant in ea incitamenta libidinis et dedit illam gratiam intuentibus quod non mouerentur in eam ad malum, sed solum ad bonum.

Secundo, propter luminis claritatem, que de eius facie exibat, que homines in admirationem inducebant ad Deum laudandum de tam nobili creatura.

65 Tertio, fuit quia in gestu et ornatu et uerbis nunquam alicui occasionem dedit peccandi, sed fuit exemplar bene uiuendi omnibus. Vnde non in plateis *sed surgens Maria abiit in montana cum festinatione*, etcetera, Luce primo. Item ut dicit Bernardus, quater solum locuta fuit et in illis septem uerba tantum, scilicet:

semel angelo duobus uerbis, scilicet: *quomodo fiet*, etcetera, et *ecce ancilla*, etcetera.

70 Secundo, Elisabeth duobus uerbis, scilicet: quia eam salutauit et iterum dixit: *magnificat anima mea dominum*, etcetera.

---

40-41: Ps. 44, 10-14. | 64-65: Lc. 1, 39. | 68: Lc. 1, 34-38. | 69-70: Lc. 1, 46.

44-45: Ambr., *De Virg.*, II, 2, 6. PL 16, 208C. | 46-47: Bernardus] *Auctor err.* cf. Ambr., *De Virg.*, II, 2, 7. PL 16, 209A. | 66: cf. Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, X. PL 183, 435B.

57: Sancta] M licet.

Tertio, filio suo duobus uerbis, scilicet: duodecimo anno: *fili, quid fecisti nobis sic?* etcetera, Luce secundo. Et in nuptiis: *uinum non habent*, etcetera, Iohannis secundo. Semel similiter locuta fuit ministris in nuptiis dicendo: *quicumque dixerit uobis facite*, etcetera.

75 Fuit autem hoc exemplum in uirginibus aliis, nam per angelum, qui est mediator inter Deum et populum, intelligitur sacerdos uel religiosus cum quo debet domicella loqui bis tantum, scilicet: in confessione peccatorum et in receptione corporis domini respondendo de sacramentis cum cognata sua bis, per quam intelligitur persona propinqua. Et cum hac debet loqui secreta cordis, scilicet: cum matre uel sorore uel cum aliqua propinqua, non cum propinquo uel consanguineo, quia sepe temptatur a demone. Item Maria uirgo locuta  
80 fuit ter cum Deo.

Primo, dicendo: *magnificat*, etcetera. Hoc notat quod uirgo debet loqui in domo sua cum Deo, scilicet: per contritionem si peccat per uanum aspectum, per superfluum ornatum per aliqua uanam cogitationem. Et sic dicere “peccaui” percutiendo pectus suum et hoc debet  
85 facere sepe, quia cotidie peccamus. Et sic latius fuit locuta Maria in illo cantico quam in omnibus aliis sex uicibus, et in *magnificat* sunt decem uersiculi ad denotandum quod ueniam debet petere de delictis circa decem precepta comissis.

Secundo, debet loqui cum Christo per orationem dicendo: *pater noster qui es in celis*, etcetera, quam pretiosam orationem dedit nobis Christus, Luce undecimo, etcetera.

90 Tertio, debet loqui cum Christo per deuotam adorationem corporis Christi saltem in diebus festis et dominicis, quam semper tali die debet audire et cum matre uel propinqua ad ecclesiam ire.

Tertio, Maria uirgo habuit uictoriam de mundo per gloriosum martyrium secundum Bernardum in sermone, et ut dicit Hieronymus in sermone Assumptionis Marie: «fuit plusquam martyr», quia per maiorem charitatem dedit animam suam. Nam ut dicunt  
95 doctores: «dolor uirginis in cruce fuit non solum sufficiens, sed etiam superabundans» ad hoc ut anima eius separaretur a corpore. Sed Christus non permisit hoc, ne aliquis putaret quod mors uirginis erat necessaria ad reparationem mundi, unde Isaias sexagesimo tertio dicit: *torcular calcami solus*, etcetera. De latronibus tunc morientibus nullus dubitaret propter eorum crimina, sed possent de uirgine dubitare propter eius maximam sanctitatem.

100 Et sic cum ceteri sancti martyres mortui fuerint per passionem, uirgo autem per compassionem. Et sic libentius dedit animam suam quantum in ea fuit quam ceteri martyres, quia per penam alteri inflictam, scilicet: Christo. Exemplum: sicut libentius daret tunicam suam qui mediante uno uerbo daret quam qui mediantibus pluribus uerbis daret illam, etcetera.

105 Fuit etiam plusquam martyr, quia ut dicit Hieronymus, ubi supra: «passa fuit in parte impassibili», scilicet: in anima immortalis et incorruptibilis, in qua fuit maxima compassio de filio suo.

Tertio, fuit plusquam martyr, quia ceteri martyres passi fuerunt usque ad mortem. Hec autem etiam passa post mortem. Vnde Christus etiam solus passus fuit usque ad mortem,

---

71: Lc. 2, 48. | 72: Io. 2, 3. | 73: cf. Mt. 23, 3. | 81: Lc. 1, 46. | 87: cf. Lc. 11, 2; Mt. 6, 9. | 98: Is. 63, 3.

93-94: cf. Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 14. *PL* 30, 138B. | 95: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 48, a. 2, p. 375. | 105-106: Pseu. Hier., *Ep.*, IX, 14. *PL* 30, 138A.

89: Saltem] M, X saltim.

110 et sic dixit: *tristis est anima mea usque ad mortem*, Matthei uicesimo sexto. Sed uirgo Maria passa est plus, quia cum haberet dolorem compassionis plusquam esset requisitus ad anime separationem, dum ab illo gradu transiuit, clarum est quod post mortem passa fuit, quia si tunc anima eius fuisset separata a corpore, iam amplius non passa fuisset. Et sic dicit Bernardus quod: «dum lancea latus Christi aperuit, iam non erat ibi anima Christi», sed erat  
115 anima uirginis, que uulnera contemplando sentiebat. Et sic si martyr uincit mundum per suum martyrium, uirgo Maria a fortiori hoc fecit.

Et sic uictoria uirginis habuit triplicem excellentiam et in qualibet istarum fuit prima omnium, quia ad illam que fuit uictoria Christi, hec cooperta fuit quando Christus dixit: *nunc princeps mundi huius*, etcetera. Prima etiam uirgo inter alias fuit, unde Psalmi  
120 quadragesimo quarto: *adducentur uirgines post eam*, scilicet: post Mariam.

Prima etiam martyr prioritate temporis et perfectionis.

Secundo, ex isto sequitur quod quelibet istarum fuit exemplar, nobis instruens nos qualiter uincere debemus.

Tertio, quia in istis habemus nos arma ad uincendum, nam uirgo in prima habuit  
125 plenitudinem gratie et sanctitatis eam perfecte in uentre sue matris perficiendo. In secunda habuit plenitudinem gratie quo ad officium suum, scilicet: ut esset digna mater Dei quando uirgo cum concepit. In tertia plenitudine gratie quo ad meritum martyrii, in quo uere fuit mater nostra. Ideo tunc dictum fuit Iohanni in quo est gratia: *ecce mater tua*, et tunc ex riulis uulnerum omnem gratiam pro nobis in dispensationem habuit. Et sic latro ille mediante ea  
130 tunc acquisiuit illam, quia uirgo cum esset ad partem dexteram erat media inter Christum et latronem, ut per hoc notaretur quod quilibet peccator mediante ea debet gratiam impetrare.

Si igitur uictoria uirginis fuit prima, fuit exemplaris, fuit illa que prebet auxilium toti mundo, recte *hec uictoria que uincit mundum*. Ad hanc igitur in principio sermonis recurramus, etcetera.

135 <THEMA> *Hec est uictoria que uincit mundum*, ubi supra.

Duo sunt uidenda in presenti sermone. Primum erit quod uictoria martyrii est excellentior cunctis aliis uictoriis. Secundum erit quod hec uictoria martyrum Cesaragustanorum excellit cunctas alias que fuerunt.

Sed ad probandum primam conclusionem sunt uidenda tria notabilia.

140 Primum est quod martyrium summitur dupliciter, scilicet: proprie et improprie. Improprium martyrium est sustinere aliquam aduersitatem propter Deum et hoc citra mortem. De isto loquitur Bernardus in sermone: «martyrium sine sanguine est parcitas in ubertate, largitas in paupertate, castitas in iuuentute». Et hoc maxime fit in religionibus, quia plurimum religiosi abstinent et ieiunant, cum habeant abundantiam ciborum. Item  
145 dant elemosynas, cum tamen parum habeant. Item caste uiuunt, etcetera. Item de isto loquitur Gregorius dicens quod martyrium est patientia aduersorum dicens quod: «sine sanguine martyres esse possimus, si patientiam in animo ueraciter custodiamus». Compassio afflictorum dicens: «qui dolorem exhibet in aliena necessitate crucem portat in

110: Mt. 26, 38. | 119: cf. Io. 12, 31. | 120: Ps. 44, 15. | 128: cf. Io. 19, 27. | 133-135: cf. I Io. 5, 4.

114: Bern. Cl., *In Domi. Inf. Oct. Ass. B. M. V.*, XIV. PL 183, 437C. | 142-143: cf. Pseu. Bern. Cl., *Lib. Sent.*, 148. PL 184, 1152AB. | 146-147: cf. MF. Gre. Mag., *Hom.*, XXXV, 7. PL 76, 1263D. | 148-149: Gre. Mag., *Hom.*, XXXVII, 5. PL 76, 1277B.

150 pectore». Dilectio inimicorum dicens: «odientem diligere martyrium est in occulta cogitatione». Sed martyrium perfectum est sustinere mortem propter Deum.

Secundo, notandum est quod ad martyrium requiruntur quattuor uirtutes.

Prima, charitas impetrans, quia sine charitate nullum est martyrium, unde prima Corinthiis decimo tertio: *si tradidero corpus meum, etcetera, charitatem non habeam, nihil sum, etcetera.*

155 Secundo, requiritur fortitudo eliciens actum, unde Apostolus ad Hebreos undecimo dicit de martyribus: *fortes facti sunt in bello.*

Tertio, requiritur fides, ut testificantis, unde Apostolus ibidem: *sancti per fidem uicerunt regna, etcetera.* Ideo ad ueritatem fidei non solum requiritur credulitas, sed protestatio oris et operis.

160 Quarto, requiritur patientia, ut sustinentis, etcetera.

Tertio, notandum quod ad martyrium requiruntur duo, scilicet: pena maxima et causa legitima.

165 Pena maxima est mors, unde Augustinus super Iohannem: «si nulla esset mortis molestia, nulla esset martyrum gloria». Ratio est quia cum martyr sit testis fidei, qui pro inuisibilibus omnia uisibilia contemnit, si mortem non subiret et uitam non conteneret, non daret omnia, unde Iob secundo: *pellem pro pelle dabit homo.*

170 Secundo, debet esse causa legitima, scilicet: propter ueritatem, non sustinere mortem pro demone, quia illi sunt martyres demonis, unde Cyprianus et allegatur a Gregorio dicens: «martyrem non facit pena, sed causa», scilicet: propter ueritatem mori. Sed quia ueritas quadrupliciter sumitur, scilicet: pro prima ueritate, qui est Deus. Secundo, «pro ueritate iustitie, uite et doctrine», ut dicit Hieronymus. Sic aliquis efficit martyr patiendo pro quacumque istarum. Primo, pro Christo et fide et rebus suis. Pro Christo passi fuerunt innocentes. Pro fide Stephanus et multi alii. Pro lege sua macchabei. Pro rebus ecclesie Thomas. Pro iustitia Abel. Pro ueritate uite, ut femine passe, propter eorum castitatem, ut  
175 Iohannes Baptista. Pro ueritate doctrine, ut Isaias, Hieremias.

180 His uisis probatur conclusio: ille actus est maioris perfectionis qui est informatus maiori charitate, quia charitas est principium meriti, sed actus martyrii est huiusmodi igitur, etcetera. Vnde Christus dixit, Iohannis decimo quinto: *maiolem charitatem hac nemo habet, ut animam suam, etcetera.* Item martyr omnia dat pro Christo, uirgo et confessor non omnia. Probatur etiam: tanto magis ostenditur amare Deum, quanto rem magis dilectam contemnit et rem magis odiosam eligit propter Deum. Sed cum inter omnia bona uita sit pretiosior et appetibilior, inter omnia mala mors est horribilior et euitabilior. Sed martyr uitam contemnit et mortem elegit propter Christum, igitur, etcetera.

---

153: I Cor. 13, 3. | 156: Hbr. 11, 34. | 157-158: Hbr. 11, 33. | 166: Iob. 2, 4. | 178-179: Io. 15, 13.

149-150: Gre. Mag., *Hom.*, XXXV, 7. PL 76, 1263C. | 163-164: Aug. Hipp., *In Io. Ev.*, CXXIII, 5. PL 35, 1969C. | 169: Cyr., *De Vn. Eccl.*, XIV. PL 4, 510B; Gre. Mag., *Ep.*, II, 51. PL 77, 592C. | 170-171: Hieronymus] *Nl.* cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 43, a. 7, p. 284.

153: Nihil] M nihil. | 158: Veritatem] M uiritatem. | 178: Maiorem] X moiolem.



185 Si dicis: predicatorum uincunt demonem eum expellendo a mentibus hominum et in eo prosunt multis, martyr uero sibi soli, igitur. Dicendum quod etiam martyr multis prodest, unde Ambrosius in epistola ait: «martyr cum patitur non solum sibi patitur, sed multis, sibi enim patitur ad premium, cunctis uero ad exemplum, sibi ad requiem, cuilibet ad sanitatem, exemplo eius didicimus in Christum credere et morte non timere».

190 Si dicis: Gregorius ultimo *Moralium* dicit quod: «obedientia cunctis uictimis profertur», sed uirgo obedit non solum in preceptis, sed in consiliis. Quia de uirginibus dicit Apostolus, prima Corinthiis septimo: *preceptum domini non habeo*, etcetera. Dicendum quod martyrium excellit, quia martyrium complectitur illud sine quo obedientia esse non potest, scilicet: ut aliquis sit obediens usque ad mortem, sicut Christus fuit, igitur. Vnde Cyprianus in epistola de martyrio ait: «hoc baptismo esse in gratia maius, in potestate sublimius, in honore pretiosius», etcetera. Igitur si pugna confessorum est contra demonem, pugna uirginum contra carnem, martyrium contra mundum, uere *hec est uictoria que uincit mundum*. Quo ad primam partem.

200 Secunda pars principalis est quod uictoria Cesaragustana uincit omnes uictorias mundi, quia cum uictoria sit finis belli, tanto maior est uictoria quanto maius est prelium, sed prelium est magnum a tribus: a principe, a differentia pugnantium et a multitudine.

Primo, maius bellum uel prelium est in quo princeps est imperator quam in quo est aliquis rex, etcetera.

Secundo, maius est in quo sunt omnia necessaria requisita ad bellum, scilicet: milites, scutiferi et pedites, etcetera, quam illud quod omnia ista non haberet.

205 Tertio, maius est illud in quo maxima esset multitudo omnium istorum quam illud in quo essent pauci, etcetera.

210 Et propter ista tria prelium habitum in celo fuit maximum, unde Iohannes dicit Apocalypsis duodecimo: *factum est prelium magnum in celo*, etcetera, quia princeps fuit Michahel et pugnantibus fuerunt ex omnibus hierarchiis et ordinibus angelorum. Et non solum ex omnibus aliqui fuerunt, sed fuerunt innumerabiles angeli ex utraque parte. Secundum autem hec tria hoc prelium Cesaragustanum fuit maximum.

215 Primo, in hoc prelio fuit princeps Christus Iesus, qui uicit in quolibet martyre, unde Stephanus: *uidit celos apertos et Iesum stantem*, etcetera, «ut auxiliantem», ut dicit glosa. Et sic in quolibet prelio martyr iste pugnat. Secundo, fuit ibi uexillum Christi, scilicet: crux eius, sicut uisa fuit Heraclio et Constantino quando Maxentium uicit. Sic apparuit regi Aragonum Eneco Arista in campo, dum preliaretur contra infideles pro fide. Etiam apparuit in hac ciuitate uexillifera uirgo Maria in ecclesia Pilaris et tunc illa campum elegit in quo in posterum milites filii sui erant preliaturi. Et sic quo ad principem excellit.

220 Secundo, ibi fuerunt de omni genere martyrum preliantium, quia martyres sunt in triplici differentia, scilicet: in proposito et non in actu, ut Iohannes Euangelista, quia habuit

---

191: I Cor. 7, 25. | 196: I Io. 5, 4. | 208: Apoc. 12, 7. | 213: cf. Act. 7, 55.

186-188: Ambrosius] *Auctor err.* cf. Pseu. Max. Tau., *Hom.*, LXXXI. PL 57, 427BC. | 189-190: Gre. Mag., *Mor.*, XXXV, 14, 28. PL 76, 765B. | 194-195: Cypr., *Ep. Ad. For.*, praefatio, IV. PL 4, 654A. | 213: cf. Hild. Cen., *Serm.*, LXXXIX. PL 171, 721B.

203: Necessaria] M, X necessario. | Milites] X similes. | 210: Innumerabiles] X innumerabiles. | 211: Prelium] M prelium. | 216: Eneco Arista] M, X Enechorista.

propositum offerendi animam pro Christo dum in feruentis olei dolio, etcetera. Alii sunt actu et non proposito, ut martyres innocentes. Alii sunt utroque modo, ut Stephanus et multi alii post ipsum. Sic in isto bello fuerunt, nam ibi fuit Valerius proposito et non actu, quia ipse iam proposuerat offerre animam pro Christo dum iret Valentiam, etcetera. Alii fuerunt actu et non proposito, ut innocentes, scilicet: paruuli qui in uentre uel in brachiis matrum fuerunt trucidati. Alii uero utroque modo, ut omnes adulti ciues, etcetera.

Tertio, excellit in multitudine, quia prelium martyrum differt a prelio mundi, nam in mundo est triumphus et uictoria quando plures interficiunt. In prelio martyrum est uictoria quando plures pro Christo audent mori, ut dicit Hieronymus in epistola. In isto prelio mortui sunt omnes ciues, clerici et infantes et mulieres, etcetera.

Si dicis: quando mortui fuerunt? Dico quod anno domini ducenti octoginta nouem fuit in ecclesia decima persecutio per Diocletianum et Maximianum imperatores, et miserunt in Hispaniam Dacianum presidem, qui persequeretur christianos. Et cum ueniret Barchinonam, ibi martyrizaui Eulaliam, sed cum audiret quod Cesaraguste erant multi christiani propter deuotionem uirginis Marie, que ecclesiam ibi dimiserat, tunc iuit Cesaragustam. Et dum illa ingressus fuisset, apprehendit Valerium et Vincentium, quia consuetudo hereticorum est claudere ora predicantium fidem et uidere si pro parte sua possunt illos trahere, quia nullum maius malum quam cum predicator pro parte aduersa predicat. Et sic noluit illos in mente interficere, sed blandimentis uoluit illos seducere, etcetera. Isto eodem tempore cum Engratia filia regis Portugalie audiret persecutionem christianorum pro fide Christi, quia pater eius illis diebus uolebat eam tradere in sponsam filio regis prouincie Rodani. Illa cautela precepto patris concessit sponsum accipere et in prouinciam ire. Dum autem cum octodecim militibus esset Barchinone non inueniens Dacianum, dicitur ei quod esset Cesaraguste et quod omnes, qui Christum predicarent et confiterentur, interficeret. Tunc ipsa dicit militibus suis: “eamus Cesaragustam et confitemur Christum uerum Deum, quia ille est sponsus quem amaui et semper concupiui”. Veniens autem Cesaragustam inuenit omnes christianos commotos. Illa autem fortificauit eos in fide.

Videns autem Dacianus quod maxima esset multitudo christianorum in ciuitate Cesaragustana et quod etiam alienigene uenirent ad illam, noluit eos aperte martyrizare, sed de consilio suorum dixit ciuibus quod dolebat de eorum perditione et non uolebat eos interficere propter eorum multitudinem, sed quod eligerent in quam prouinciam uel ciuitatem uellent ire et quod in spatio trium dierum irent libere. Ille autem uidentes quod in ciuitate Barchinonensi esset persecutio et etiam in ciuitate Tarraconensi similiter, elegerunt Valentiam ire. Et sic dum dies assignata esset propinqua, posuit Dacianus insdias circa portam Cinegiam et circa riuum Dela Guerba, uulgariter nuncupatum. Et dum christiani essent in ecclesia Sancte Marie Maioris, ubi ecclesia metropolis tunc erat, audierunt missam et cum uexillo crucis iter arripuerunt dicendo: «te Deum laudamus, te dominum confitemur», etcetera. Dum autem portam Cinegiam uel Cinericiam exirent, insidie patent et dum cum armis illos interficerent, illi cantare ceperunt: “*gloria in excelsis Deo et in terra pax*”, etcetera. Et sic mortui fuerunt non solum ciues, sed clerici et officiales, nobiles et rustici, mulieres, uirgines et infantes, etcetera.

---

260-261: cf. Lc. 2, 14.

229: cf. Hier., *Ep. Pau. Ad Rm.*, V. PL 29, 732C. | 258-259: cf. Alc., *Off. Per Fer.*, Hymn. dominicale. PL 101, 597B.

259: Cinericiam] M Cinereciam.

- Et sic Cesaragusta excellit omnes alias ciuitates, nam si in Hispania Gerona gaudet Damaso et Felice martyre, si Barchinona Eulalia, Tarracona sancta Tecla et sic istis  
 265 Catalonia, si Valentia gaudet et gloriatur Vincentio. Si Abandalia aliquibus, scilicet: Corduba Maximo, Olimpiade, etcetera, Hispalis Isidoro, Leandro, Iusta et Rufina, Eulalia, que licet ibi nutrita, mortua tamen fuit in ciuitate Merida. Si regnum Granate, scilicet: Almeria, gaudet sancto Andaletio discipulo Iacobi apostoli, et in illa episcopatu, cuius corpus rex Sancius Quartus Aragonum duxit et in sancto Iohanne de Pinna collocauit. Si  
 270 Castella aliquibus, scilicet: Toletum sancta Leocadia, Eugenio et sancto Alfonso, cui uirgo Maria apparuit et casullam dedit. Si Legionis regum gaudet Froilario, super quem spiritus sanctus uisus fuit. Si Gallecia gaudet sancto Iacobo, hec nostra ciuitas pluribus gaudet martyribus, scilicet: innumerabiles, cui aliqua ciuitas comparari non potest, nam non solum pro se, sed aliis dedit martyres, scilicet: Rome dedit Laurentium, Valentie Vincentium.
- 275 Et sic si sancto Alfonso apparuit uirgo in ciuitate Toletana, ante apparuit in ciuitate Cesaraguste sancto Iacobo. Si spiritus sanctus uisus fuit supra Froilarium in Legionis ciuitate, sic uisus fuit supra Braulium Cesaraguste. Si habet Compostellum sanctum Iacobum, non fuit in illa martyrizatus nec cuius fuit illius et ante fuit uisus in Cesaragustana ciuitate. Omnes isti Cesaragustani sunt ciues, omnes martyres gloriosi et triumphatores.
- 280 Si igitur alii comparetur hec uictoria, de ea potest dici: *hec est uictoria que uincit mundum*. Et sic illi martyres immensam habuerunt gloriam, quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

280: cf. I Io. 5, 4.

265: Abandalia] M Vuandalia. | 268: Andaletio] X Andalerio.

SERMO CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS PRIMVS IN PROCESSIONE CONTRA PESTEM ET  
LOCVSTAM

<THEMA> *Arguet mundum de peccato*, Iohannis decimo sexto.

5 Sententia est Aristotelis in libro De Generatione quod ad generationem uel  
transmutationem alicuius forme tria requiruntur, scilicet: subiectum, forma et dispositio  
subiecti. Et de his tribus loquebatur idem Philosophus secundo De Anima dicens: «actus  
actiuorum sunt in patiente disposito». Et licet contrarietas proprie sit in qualitatibus et  
dispositionibus, tamen omnia ista tria contrariantur alicui forme sumendo contrarietatem  
largo modo. Nam subiectum contrariatur forme quam recipere non potest, ut «celum  
10 contrariatur frigido, humido, calido», etcetera. Nam illas formas recipere non potest, ut dicit  
Philosophus primo Celi et Mundi, et licet «substantie nihil sit contrarium proprie», ut dixi,  
sed large est aliquid ei contrarium similiter in quantitate, nam licet colores recipiantur in  
subiecto quanto si illud esset indiuisibile, ut punctus et linea, illos colores non reciperet.  
Quia, ut dicit Philosophus, proprium est superficies: primo, loco collocari. Secundo, forma  
15 contrariatur alteri forme, cum qua simul esse non potest. Tertio, dispositio contrariatur  
forme, ut calidum stat cum forma ignis, sed contrariatur forme aque, cum qua stare non  
potest.

Et sic ad propositum tria contrariantur actui peccati, scilicet: Christus, Maria et gratia.  
Christus ut subiectum, Maria ut medium, gratia ut forma. Christus est contrarius peccato  
20 quo ad subiectum, unde prima Petri secundo: *qui peccatum non fecit*, etcetera.

Si autem dicis: in quantum homo potuit peccare, quia est nature fragilis et labilis ratione  
liberi arbitrii, unde Psalmi centesimo decimo quinto: *omnis homo mendax*, etcetera. Dicendum  
quod licet homo ut homo purus sit labilis, tamen iste homo unicus Deo non potuit peccare.  
Vnde licet omne lignum sit combustibile per naturam ligni, sed arbor ebanus est  
25 incombustibilis ratione et proprietate indiuidua. Sic ille homo, quia unicus diuinitati.  
Exemplum: sagitta facta extra signum potest delinquere in uia ad signum, ut sepe accidit,  
sed si esset aliqua sagitta, que in instanti quo fuisset facta iungeretur signo, a quo non  
posset remoueri, diceremus quod illa sagitta nunquam errauit nec poterit errare. Sic ille  
homo ab instanti conceptionis fuit iunctus diuinitati in unitate suppositi. Que diuinitas est  
30 signum ad quem tendimus, sequitur igitur propositum.

Item si dicis: fuit unicus quo ad animam et non quo ad corpus. Dicendum quod fuit  
unicus quo ad corpus et animam, licet mediante anima fuerit corpus unicum. Et sic quando  
aliquid coniungitur regule quo ad omnes partes dicitur illud non errare, uerbi gratia: quando  
lapidica sumit regulam supra petram et totaliter petra iungitur regule. Tunc dicimus quod  
35 non errat nec deuiat a regula. Sic in proposito, regula nostrum actuum est Deus. Quando  
aliquis homo iungitur illi regule et nullo modo separatur ab illa nec errat nec potest errare,  
sic in Christo, quia: «quod semel assumpsit nunquam dimisit», ut diximus, igitur, etcetera.

---

3: Io. 16, 8. | 20: I Pt. 2, 22. | 22: Ps. 115, 11.

4: cf. Arist. Lat., *De Gen. Et Corr.*, I, 4, 319b6, p. 23. | 6-7: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, II, 55, (414a11-12), p. 179; cf. Th. Aq., *Qu. De Ver.* (vol. 3), q. 25, a. 5, p. 738. | 9-10: cf. Th. Aq., *Comm. De Cael. Et Mun.*, II, 3, 4, 7, p. 137. | 11: cf. Arist. Lat., *Phys.*, V, 2, 225b10-11, p.196. | 14: cf. Th. Aq., *Comm. De Cael. Et Mun.*, II, 3, 4, 9, p. 138. | 37: cf. Petr. Lom., *Sent.*, III, 22, 2. PL 192, 803CD; cf. Io. Dam., *Exp. Fid. Orth.*, III, 27. PG 94, 1098AB.

3: Decimo sexto] M uicesimo, X secundo. | 12: Aliquid] M ailquid.

40 Secundo, uirgo Maria contrariatur peccato, ut dispositio media contrariatur forme. Nam sicut forma ignis non potest stare cum forma aque, sic nec caliditas, que est dispositio ad formam ignis, potest stare cum forma aque. Sic cum uirgo Maria fuerit media dispositio ad Christum ut homo, sequitur quod non potest stare cum peccato, quod contrariatur Christo.

45 Si autem dicis: Christus ideo fuit contrarius peccato, quia non purus homo, sed Deus et homo fuit. Sed cum uirgo fuerit pura creatura et pura mulier, sequitur quod naturaliter potuerit errare et peccare. Dicendum quod non peccauit licet si consideretur in natura sua, potuisset tamen errare nisi preueniretur aliqua gratia. Exemplum: illa arbor oliue, ex qua crux facta fuit, ante erat combustibilis, sed dum fuit cruore Christi perfusa nunquam potuit comburi, sic uirgo Maria, que ab instanti sue conceptionis fuit uas productum, in quo positus fuit sanguis nostre redemptionis, qui abstulit omnem mundi corruptionem, fuit incorrupta et preseruata ab omni peccato.

50 Tertio, gratia contrariatur peccato, saltem mortali, quia ubi peccatum nulla est gratia et econuerso.

55 Si autem dicis: que est differentia istorum trium? Dicendum quod hec: nam Christus non solum fuit subiectum nullo modo recipiens peccatum, sed etiam destruens omne peccatum, unde Leo in sermone: «Christus peccati mortisque destructor». Christus igitur non solum fuit tale subiectum quod peccatum non potuit recipere, sed quod peccatum destruxit. Exemplum: si in aliqua superficie esset albedo, si ista superficies duceretur ad indiuisibile ex parte puncti aut ex parte linee, tunc corrumpetur color, quia ut dicit Philosophus, est dandum minimum naturale, licet non detur minimum quantitatum. Et sic in proposito Christus mediantibus duabus lineis peccatum destruxit, nam ut dicit  
60 Euclides in primo libro: «linea recta est breuissime ducta de puncto ad punctum». Et sic ille due fuerunt linee recte de puncto ad punctum ducte, scilicet: prima de puncto manus unius ad punctum alterius manus, que duo puncta fuerunt facta per clauos, etcetera. Alia linea a puncto coronationis spinarum ad punctum pedum. Et sic linee recte se intersecant in puncto lancee et causant quattuor angulos rectos. Sic prima linea recta a summo usque  
65 deorsum signat diuinitatem Christi, alia linea transuersalis humanitatem. Sunt iuncte in punto unionis hypostaticae et causarunt quattuor angulos rectos, hoc est: rectificarunt quattuor angulos mundi, scilicet: orientem, occidentem, septentrionem et meridiem, etcetera.

70 Et sic Christus non solum fuit subiectum in quo nullum esse potuit peccatum, sed destruxit ipsum peccatum. Vnde Leo papa: «Christus peccati mortisque destructor», sed uirgo Maria fuit medium destructionis peccati uestiendo filium Dei carne et dando ei pretium nostre redemptionis, scilicet: sanguinem suum, etcetera. Gratia est inimica peccati, maxime mortalis, et arguit peccatum mundi illud manifestando. Nam illa mediante cognoscitur quod est peccatum et etiam quale nocumentum facit, unde Apostolus ad  
75 Ephesios quinto: *ea que arguuntur a lumine manifestantur*. Vnde Aristoteles: «argumentum est ratio rei dubie faciens fidem», et sicut tenebra fugatur et arguitur a lumine, sic peccatum a gratia.

Igitur si nos uolumus fugere a peccato et illud habere pro inimico, debemus ire ad illos qui sunt inimici peccati, maxime ad medium per quod tollitur peccatum, scilicet: ad

---

75: Eph. 5, 13.

54: Leo., *Serm.*, XXI, 1. *PL* 54, 191A. | 58: Aristoteles] *NI*. cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 76, a. 8, p. 530. | 60: Euclides] *NI*. cf. Alb. Mag., *Post. Anal.*, I, 2, 9, p. 40b. | 70: Leo., *Serm.*, XXI, 1. *PL* 54, 191A. | 75-76: Aristoteles] *Auctor err.* cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 10, a. 7, p. 72.

80 uirginem. Vnde Bernardus: «ad Mariam tamquam ad medium recurrunt qui in celis sunt et qui in terris», etcetera, quia medium sapit naturam extremorum. Et sic ad illam dicamus: “o domina nostra, sicut per uos habuimus redemptionem et datorem gratie, sic per uos impetremus gratiam, que *arguet mundum de peccato*”. Ad hanc igitur, etcetera.

<THEMA> *Arguet mundum de peccato*, loco ubi supra.

85 Due sunt partes huius sermonis. Prima materie prosecutiua. Secunda sancti euangelii expositiua. Prima iterum in duas secundum quod duo sunt arguentes peccatum, scilicet: Deus et homo. Et sic primo, uidebitur qualiter homo *arguet mundum de peccato*. Secundo, qualiter Deus arguet, etcetera.

90 Circa primum est sententia omnium doctorum, maxime sancti Thome, in quarto, distinctione decima nona; et in secunda secunde, questione tricesima tertia, obiectione; et De Virtutibus in Comuni, questione tertia, primo, obiectione, quod duplex est correctio, scilicet: charitatiua et coactiua, quia peccatum alicuius potest dupliciter considerari: uno modo, ut nocet soli peccatori, et sic de illo est correctio fraterna. Alio modo, ut nocet communitati, et sic est correctio coactiua per iustitiam. Et sic prima conuenit cuilibet  
95 habenti charitatem. Secunda solum habenti officium uel iurisdictionem et administrationem iustitie, unde non solum quis potest peccare loquendo, sed etiam tacendo. Ideo Psalmi decimo octauo: *ab alienis parce seruo tuo*. Tria autem sunt consideranda in correctione fraterna. Primum corrigens; secundum correctus; tertius ipsa correctio.

Debet autem corrigens habere tria.

100 Primo, quod moueatur ad illam correctionem ex charitate et non ordinetur ad proximi confusionem, sicut multi faciunt.

Secundo, caueat ne ipse qui corrigit sit in simili uel maiori peccato, quia tunc frustrabitur sua correctio. Si autem sit in aliquo peccato occulto, bene potest alium corrigere ex charitate; uel si fuerit in peccato manifesto, potest alium corrigere, si fuerit particeps  
105 criminis corrigendo etiam seipsum, uerbi gratia: si essent duo latrones, unus posset corrigere alium corrigendo seipsum, quia non ut peccator corrigit, sed induit uicem duorum, scilicet: peccatoris et iusti. Et sic non arguit, ut peccator, sed ut conuersus dicendo alteri socio: “o socie, quam damnabilis est uita ista quam duximus, bonum esset retrahere nos”, etcetera. Exemplum: in latronibus qui cum Christo fuerunt crucifixi, nam in principio  
110 ambo blasphemauerunt de Christo, unde Marci decimo quinto dicitur: *et qui crucifixi erant cum eo*, etcetera. Sed ille qui ad dexteram fuit positus uidens mirabilia et signa cognouit ueritatem et conuersus fuit ad Christum, et sic postea increpabat socium suum dicens: *nos quidem iuste patimur, hic autem quid fecit*, etcetera?

115 Tertio, corrigens debet esse discretus, nam aliter debet corrigere equalem aliter inferiorem aliter superiorem, unde prima ad Timotheum quinto: *seniorem ne increpaneris, sed obsecra ut patrem*, aliter est corrigendus pertinax, aliter confessus de crimine.

Item correctus debet habere tria.

---

83-87: cf. Io. 16, 8. | 97: Ps. 18, 14. | 110-111: Mc. 15, 32. | 112-113: cf. Lc. 23, 41. | 115-116: I Tim. 5, 1.

80-81: Bern. Cl., *Serm. In Fes. Pent.*, II, 4. PL 183, 328A. | 89: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 8), lib. 4, dist. 19, q. 2, a. 2, qc. 1, p. 742; *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 33, a. 2, pp. 232-233; *Qu. De Vir. In Com.*, q. 3, a. 1, pp. 448-450.

108: Socio] M socie.

Primo, ut ferat patienter correctionem, unde Augustinus: «ego senex et episcopus paratus sum ab omnibus corrigi et emendari».

120 Secundo, ut illam dirigat ad emendationem, non sicut ille qui libenter audiunt, sed non se corrigunt, unde: *estote factores et non auditores tantum*, Iacobi primo.

Tertio, quod non habeant odium corrigentem et putet elemosynam recipere ab illo.

Item correctio debet habere alia tria.

125 Primo, ut non omittatur ipsa correctio. Nam quilibet adultus existens in charitate est obligatus, dum uidet proximum suum delinquentem, illum corrigere, unde Ecclesiastici decimo septimo: *unicuique mandauit dominus de proximo suo*. Vnde Gregorius: «qui proximi mala conspiciunt et silencio preterunt, quasi conspectis uulneribus usum medicaminis substrahunt, et ideo mortis auctores fiunt, quo uulnus, quod curare poterant, nolunt». Vnde Augustinus in Regula: «innocentes quippe non estis, si uestros fratres quod iudicando  
130 corrigere potestis, tacendo perire permittitis». Hec ille. Item Augustinus: «tu uulnus fratris contemnis? Tu eum perire uides et negligis? Peior es tacendo quam ille committendo». Et sic magis peccat qui non corrigit quam qui committit, ut dicit Augustinus. Vnde Isaie sexto: *ue mihi, quia tacui*. Glosa, scilicet: «Oziam et alios non reprehendi».

Secundo, correctio debet esse de peccato mortali.

135 Si autem dicis: utrum de ueniali posset esse? Dicendum quod ut dicit Humbertus in expositione regule beati Augustini: «uenialia sunt dispositio ad mortale. Sed quedam sunt dispositio remota, quedam propinqua uel ratione multitudinis, sicut ille qui illa sine numero committit, uel ratione magnitudinis, sicut sunt aliqua mendacia et alique detractiones, uel  
140 ratione connexionis cum mortali sicut sunt colloquia et impudicus uisus et huiusmodi circa mulieres, etcetera. Igitur sicut uidens aliquem errantem per uiam in qua statim incurreret periculum mortis, si non retraheret eum peccaret, sic iste peccaret mortaliter nisi istum corrigeret de uenialibus huiusmodi. Non in quantum ueniale, sed in quantum ad mortale ducentia», etcetera.

145 Tertio, correctio debet esse secreta, ut sic corrigatur anima ut non ledatur fama, unde: *melius est nomen bonum quam diuitie multe*, Prouerbiorum uicesimo secundo. Item fama uix potest restitui, quia forte post diffamationem ei non crederetur. Item qui infamat non solum ledit infamatum, sed alios audientes, «unde Ambrosius: tollerabiliores sunt fures qui bona tollunt quam qui famam, tum quia magis recipiunt, tum quia nunquam restituunt, tum etiam quia multis nocent. Vnde glosa super Lucam ad uirginem desponsatam dicit: «maluit  
150 dominus aliquos de suo ortu quam de uirginis pudore dubitare». Ecce quantum Christus curauit de fama aliena». Debet igitur corrigens facere sicut bonus circurgicus, qui sic curat unum membrum ut non ledat aliud, uel ledit minus quam potest, uel si aliter non potest, tunc propter nobilius membrum leditur minus notabile, sic in proposito.

---

121: Iac. 1, 22. | 126: Sir. 17, 12. | 133: Is. 6, 5. | 145: Prv. 22, 1.

118-119: Augustinus] *Nl.* cf. Hum. Rom., *De Vit. Reg.*, III, 96, p. 303. | 126-128: Gre. Mag., *Reg. Past.*, III, 14, PL 77, 72C. | 129-130: Aug. Hipp., *Reg. Ad Ser. Dei*, VII. PL 32, 1381C. | 130-131: Aug. Hipp., *Serm.*, LXXXII, 4, 7. PL 38, 508D-509A. | 133: cf. Nic. Lyr., *Past.* (vol. 4), Is. 6, 5, f. 17r. | 136-146: Hum. Rom., *De Vit. Reg.*, III, 96, p. 298. | 147-151: cf. Io. Nid., *Precep.*, V, 11, p. 416. | 149-150: Ambr., *Exp. In Lc.*, II, 1. PL 15, 1553A.

136: Beati] M beate. | 142: Veniale] M uenialia.

155 Modus qui habendus est in correctione fraterna est ista, quem ponit Christus, Matthei  
 decimo octauo: *si peccauerit in te frater tuus*, etcetera, *in te*, id est, te solo sciente, *corripe inter te et*  
*ipsum*, *si autem*, etcetera. Igitur ut dicunt doctores, peccatum proximi aut est occultum aut  
 manifestum. Si est publicum, sic quod non peccat in me solum, id est, me solo sciente, sed  
 etiam aliis scientibus. Tunc illud peccatum est coram eis, coram quibus factum est et ad  
 160 quorum notitiam uenit publice arguendum. Vnde prima Timothei quinto: *peccantem coram*  
*omnibus argue*, *ut ceteri timorem habeant*, quod intelligitur de peccatis publicis, secundum  
 Augustinum in Sermonem Domini in Monte. Ratio est quia correctio talis famam non minuit  
 cum ceteri sciant.

165 Si autem peccatum sit occultum? Dicendum quod aut est in nocumentum communitatis  
 seu multorum, aut paucorum. Si nocumentum multorum aut communitatis, non est  
 expectanda secreta correctio, quia bonum commune prestantius est particulari. Si autem est  
 in nocumentum unius aut paucorum, si est parum nocumentum quod preponderet fama  
 proximi, tunc secrete est corrigendum. Si autem est notabile nocumentum, ut quod illa  
 nocte uult alium occidere aut filiam suam furari, etcetera, tunc non secrete est expectanda,  
 quia melius est innocentem conseruare indemnem quam illi conseruare famam. Si autem  
 170 peccatum fratris sit occultum est secrete corrigendum.

Primo, inter te et ipsum solum, non solum semel, sed pluries. Si autem non corrigitur,  
 accipiantur duo uel tres testes, et isti testes sunt ut fratrem admoneant et corrigant simul  
 cum illo.

Secundo, ut sint testes admonitionis fratris.

175 Tertio, ut negantem coram superiore conuindant. Si autem ad talium testium  
 inductionem non corrigitur, tunc quia conscientia preferenda est fame, debet superiori  
 denuntiari, et hoc dicit Christus: *dic ecclesie*, id est, prelato.

Secunda admonitio hominis est iurisdictionis et auctoritatis, sicut in regibus,  
 gubernatoribus et prelatis, etcetera. Debet autem habere tria.

180 Primo, quod sit liber a simili uel alteri peccato, quia qui ex officio corrigit alium peccat,  
 si cum peccato exercet iudicium.

185 Secundo, debet habere clementiam, unde Augustinus De Sermonem Domini in Monte,  
 libro primo: «cum igitur necessitas nos cogit aliquem reprehendere, primo cogitemus utrum  
 tale unquam uitium habuimus, et si nunquam habuimus, cogitemus nos habere potuisse.  
 Homines enim sumus», etcetera.

190 Tertio, debet iudex contra peccantem procedere zelo iustitie, non uindictae, ut si  
 aliquando deliquit contra eum, non tunc uindictam de illo sumat. Vnde Plato contra  
 seruum dixit: «nisi essem iratus te uerberarem», etcetera. Nostris temporibus iudices contra  
 hoc faciunt, unde si illa intentione aliquos interficiunt, sunt uere homicide, nam actus  
 morales a fine sumunt denominationem. Et sic siue laicus siue clericus sit isto modo, per  
 fraternam correctionem *arguet mundum de peccato*. Quo ad primam partem.

---

155-156: Mt. 18, 15-16. | 159-160: I Tim. 5, 20. | 177: cf. Mt. 18, 17. | 191: cf. Io. 16, 8.

161: cf. Aug. Hipp., *De Serm. Dom. In Mon.*, II, 18, 60. PL 34, 1297B. | 183-185: Aug. Hipp., *De Serm. Dom. In Mon.*, II, 19, 64. PL 34, 1298D. | 188: cf. Val. Max., *Fac. Et Dic. Memor.* (vol. 1), lib. 4, pp. 220-227.



Secunda pars est qualiter Deus *arguet mundum de peccato* dimisso euangelio. Deus *arguet mundum de peccato* tripliciter: hic in uita presenti et in purgatorio et in finali iudicio.

195 Primo, in uita presenti, ut bonus medicus primo dando regimen qualiter debet se habere fugiendo nociua et recipiendo proficua.

200 Secundo, si illud non seruat, uenit cum potione amara. Sic Deus primo dedit regimen legis, et quia peccatores illam non seruant, uenit cum medicina flagellorum et plagarum. Et sicut peccata reducuntur ad tres radices, scilicet: anime et corporis et bonorum exteriorum, dicente Iohanne prima Iohannis secundo: *omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnalis*  
205 *aut concupiscentia oculorum aut superbia uita*, sic plage sunt ad tria genera reducte, ut patet secundo Regum uicesimo quarto, in numeratione populi Dauid dicitur ei: *elige tibi unum ex his: aut septem annis famem aut tribus mensibus prelia aut tribus diebus pestem*, nam sicut medicus omnes medicinas reducit ad istas, quia aut est medicina exterior, ut sunt unguenta, aut corporis, ut est potio amara, aut uite, ut phlebotomia. Nam sanguis est sedes anime, sic ille tres.

Prima exterior, ut guerra, in qua bona temporalia sepe ponuntur, aut est famis, que pertinet ad corpus, aut pestilentia, per quam uita perditur. Secundum autem ista tria arguit Deus de tribus, ut dicit euangelium nostrum.

Primo, de peccato.

210 Secundo, de iustitia.

Tertio, de iudicio.

De peccato secundum triplicem radicem.

Primo, de peccato anime, ut est superbia, in quo sunt infidelitas, heresis, pompa, elatio, etcetera.

215 Si forte dicis: in isto regno et in hac ciuitate de isto nihil est reprehendendum. Dicendum quod immo maxime est hoc peccatum in hac ciuitate.

Primo, est infidelitas, nam si iudei recesserunt, radices hic remanserunt. Etiam agareni sunt ibi et christiani sunt eorum factores, heretici non plene sunt purgati.

Item est hic maxima elatio et presumptio, nullus uult corrigi a suo proximo nec prelato.

220 Item maxima pompa in uestibus et ornatu superflua, ex quo causatur quod nulla puella potest matrimonium contrahere sine magna dote. Et causa est duplex.

225 Prima, non seruare uirginitatem suam, nam greci inter leges suas habebant unam quod nulla uirgo posset habere dotem, sed solam uirginitatem duceret in dotem, unde Trogius Pompeius dicit quod Licurgus leges dedit lacedemoniis, et ut seruarentur dixit quod istas dederat Apollo Delphicus et pro dispensatione simulauit se ad illum ire, sed obligauit cum iuramento ciuitatem illas seruare donec ueniret. Et iuit Cretam in exilium perpetuum. Moriens iussit ossa sua iactari in mari, ne si deportarentur lacedemonii estimarent se liberos a iuramento. Et una illarum legum fuit dicta, sed quia iste uirtutem non seruant, opus quod

192-193: cf. Io. 16, 8. | 199-200: I Io. 2, 16. | 201-202: cf. II Sm. 24, 12-13.

223-224: Trogius Pompeius] *Auctor err.* cf. Iust., *Hist. Phil.*, III, 3, p. 136.

230 detur eis in pecunia. Item alia causa est pompa, nam uidentes alias consocias portare catenas aureas et uestes serias, etcetera, etiam ille, licet sint uirtuose, illud idem petunt. Sed esset bonum constituere leges et statuta, ut tales excessus non fierent, sed quilibet uestiretur secundum statum suum.

Secundo, *arguet mundum de peccato* carnis.

235 Si dicis: non est hoc peccatum redarguendum in hac ciuitate. Dicendum quod sic. Iam quis peccat cum filia sua, cum sorore, cum consanguinea, etcetera. Item iam uendunt mulieres in publico et non possunt a peccato separari. Iam mulieres sunt homines et homines mulieres, quia mulieres decaluantur et homines portant mulierum capillos. Solebant autem mulieres mamillas ostendere, nunc uiri ostendunt pectora et sic portant habitum mulierum. Vnde Sardanapalus rex ultimus Syrie, ut refert Hugo Floriacensis  
240 dicens: «Sardanapalum cum ad eum inter feminas conuersantem prefectus Arbathus prepositus Medis admitti obtinisset, inuenit eum colo nentem, quo uiso regressus ad socios negauit illi se parere posse, qui se malet esse feminam quam uirum». Item Iustinus: «Sardanapalus uir mulierum corruptor qui inuentus fuit ab Arbatho Medorum prepositum inter scortorum greges femineo habitu purpuram colo nens mollicie corporis et oculorum  
245 lasciuia omnes feminas antecedens, quia Arbathus bellum contra eum mouens se et suas diuitias incendit hoc solo imitatus uirum». Hec ille. Sic isti in tali habitu nec placent Deo nec hominibus nec mulieribus. Nam si mulier uellet esse uir, quomodo ei placebit uir, qui uult esse mulier, etcetera?

250 Tertio, *arguit mundum de peccato* bonorum exteriorum, scilicet: de peccato auaritie, unde tanta usura, tanta symonia, etcetera, sunt in hac ciuitate. Item arguet mundum de iustitia triplici, scilicet: in Deum, in proximum et in seipsum.

In Deum, quia non datur ei honor debitus, maxime diebus festis. Nam in hac ciuitate nullum festum seruatur, quid enim possumus Deo dare pro his que nobis dedit? Vnde Bernardus in libro de Diligendo Deum dicit: «quid retribuam domino pro omnibus que  
255 tribuit mihi? In primo opere me mihi dedit. In secundo, se mihi dedit et me mihi reddidit. Datus igitur ac redditus me ipsum bis debeo pro me et quid domino retribuam pro se? Nam etiam si me millies reprehendere possem, quid ego ad eum essem?» Hec ille.

Item iustitia ad proximum negatur, falsificatur et dilatatur, maxime in hac ciuitate, in qua dum pauper prosecutus est suam causam, absconditur et furatur processus.

260 Item iustitia ad seipsum non penitendo de peccatis nec satisfaciendo nec usurpata restituendo. Item arguet mundum de iudicio contra iudeos iniuste Christum condemnantes, contra agarenos falso modo de eo iudicando dicentes non esse Deum, etcetera.

Tertio, de iudicio temerario christianorum.

265 Si forte dicis: forte non sunt sic grauia peccata in hac ciuitate uel regno, sicut uos dicitis. Dicendum quod sunt, et hoc ostendunt flagella nobis data.

---

233: cf. Io. 16, 8. | 249: cf. Io. 16, 8.

240-242: Hug. Flo., *Chr.*, p. 7; cf. Mat. Par., *Chr. Mai.*, p. 30. | 243-246: Iust., *Hist. Phil.*, I, 3, p. 84. | 254-257: Bern. Cl., *De Dil. Deum*, V, 15. PL 182, 983CD.

240: Prefectus] M perfectus.

Si dicis: iam legimus maiores plagas in principio exodi in Egipto. Dicendum quod nec habemus similes in isto regno et sic ille ostendunt esse maxima peccata. Ratio inconuincibilis est ista: homo medicus potest aliquando in curatione errare non cognoscens infirmitatem nec complexionem nec uirtutem medicine. Et sic aliquando dat maiorem  
 270 quantitatem medicine quam sit ipsa infirmitas. Sed Deus optimus medicus nunquam in aliquo istorum potest errare, quia: *secundum quantitatem et mensuram peccati erit plagarum modus*, Deuteronomii uicesimo quinto. Et sic cum omnia cognoscat, semper dat plagas secundum peccata. Sed nunc habemus maximas plagas plusquam omnes illas Egipti, igitur sequitur quod sunt maxima peccata in isto regno et ciuitate. Quod sint plage similes egiptiorum  
 275 patet:

prima illarum fuit conuersio aque in sanguine, per quod denotabantur prelia. Nam aque significant populos, ut habetur Apocalypsis decimo septimo: *aque sunt populi*. Et sic conuersi in sanguinem sunt prelia que nostris temporibus uidemus in multis regnis esse inter christianos, que utinam essent inter infideles, ut sine effusione sanguinis cognoscerent suum redemptorem.  
 280

Secunda fuit multitudo ranarum. Et sicut sunt tres species ranarum, sic sunt nostris temporibus tres plage istarum.

Prime sunt quedam paruissime et nunquam exeunt extra aquam et dicunt uulgariter “ranaquajos”. Isti sunt qui gloriantur cum malefecerint et iactantur de peccatis suis in plateis coram multis sine uerecundia et coram uno, scilicet: confessore, uereundantur. Que  
 285 est magna plaga.

Secunde sunt parue rane cantantes in aqua, et isti sunt scolares, qui nostris temporibus non uocant nisi Terentium, Vergilio, etcetera, sciunt omnes fabulas Ouidii et nihil sciunt de Biblia. De quibus dixit Apostolus, secunda Timothei quarto: *erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus et a ueritate quidem  
 290 auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur*.

Tertie sunt rane magne que supra terram cantant et nullam musicam causant. Et isti sunt predicatorum qui predicant dialecticam et maximas difficultates scole sine commodo audientium, solum ut se ostendant magnos magistros. Dixit autem Christus: *predicate euangelium omni creature*, etcetera.  
 295

Tertia plaga fuit scinifes facti ex puluere, qui sunt homines adulatorum. In hac ciuitate nullus est qui apud principes, prelatos et maiores audeat ueritatem dicere, sed omnes laudant eos de uitiiis et peccatis.

Quarta plaga fuit muscarum. Hec signant uanos homines et luxuriosos, nam sicut musca non uerecundatur ire super omnem escam, sic isti siue in sermone siue in missa semper inhoneste considerant mulieres, etcetera.  
 300

Quinta est pestis animalium. Fuit autem his temporibus pestis gregis siue propter siccitatem siue propter alias causas.

Sexta pestis hominum, ex quo homines non conuertuntur per mortem gregis, Deus mittit pestem in hominibus.  
 305

---

271: Dt. 25, 2. | 277: Apc. 17, 15. | 289-291: II Tim. 4, 3-4. | 294-295: cf. Mc. 16, 15.

Septima est grando. Hec est magis in hac ciuitate et regno quam in toto mundo, quia nolunt soluere decimas, etcetera.

Octaua est locustarum. Nunc multum uiget in hoc regno propter peccata nostra.

310 Nona tenebre per tres dies. Hec est nunc in isto regno et prima dies est lux ueritatis, nunc tenebre peccatorum. Secunda dies lux sanctitatis, nunc tenebre religionis. In nulla enim religione reperitur sanctitas. Tertia dies lux scientie diuine maxime, nunc tenebre ignorantie.

315 Decima fuit mors primogenitorum, que signant mortem eternam per angelum percutientem. Nam qui non castigatur hic per nouem plagas, per decimam uadit in infernum.

320 Sed nota quod iste plage fiunt quando uirga flectitur in terram et elongatur a celo, et tollitur quando uirga eleuatur in celum. Hec uirga est uirgo Maria aduocata nostra, unde Isaie undecimo: *egredietur uirga de radice*, etcetera. Ideo Augustinus: «uirgo est uirga, Christus est flos». Cum igitur deuotus Bernardus dicat: «in necessitatibus, in tribulationibus Mariam cogita, Mariam inuoca», etcetera. Quia dum illa orat Deum pro nobis fugiunt plage; dum autem recedit plaga et flagella sunt in nobis.

325 Igitur nunc omnes clamemus: “o domina nostra, o aduocata nostra, ad pedes uestros uenimus, auxilium uestrum imploremus, si a uobis fuerimus derelicti, mortui sumus”. Scio quod ipsa dicet: “si dicis et quid?” Dico quod *arguet mundum de peccato* et dicit quod sumus peccatores et nolumus dimittere peccata. Nam iam sunt quinque anni quod cotidie pro nobis orabat et sic fugabatur pestis miraculose, expectauit nos filius suus et non corrigimur, etcetera. Sed dicamus ei: “o domina nostra, licet sumus peccatores, sed deuoti uestri, et cum deuotione recurrimus ad uos, que estis mater peccatorum, nunc certe proponimus nos emendare et omnia peccata maxime publica ad hac ciuitate extirpare”.

330 “Et sic faciendo, speramus quod uos benedicta precibus uestris non solum ab his flagellis nos liberabitis, sed etiam uestra intercessione hic habebimus gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat”, etcetera. Amen.

---

318: Is. 11, 1. | 324: cf. Io. 16, 8.

318-319: cf. Aug. Hipp., *De Symb. Ad Cat.*, III, 4, 4. PL 40, 655A. | 319-320: Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 17. PL 183, 70D.

SERMO CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS SECVNDVS IN PROCESSIONE GENERALI  
HOSPITALIS VIRGINIS MARIE GRATIE

<THEMA> *Conuertimini ad me et conuertar ad uos, Zaccharie primo.*

5 Tres conuersiones legimus fuisse causam peccati et tres alie causam gratie. Prime tres pessime a prima nostra matre Eua; tres alie excellentes et salutifere a secunda nostra matre Maria.

Prima quando Genesis tertio conuersa fuit ad serpentem in dialogo illo et hec fuit inobedientie Dei per auditum quando dixit: *nequaquam moriemini. Scit enim Deus quod, etcetera.* In qua conuersione fuit initium peccati per elationem.

10 Secunda conuersio fuit per uisum ad lignum illud contemplando, in qua fuit consensus peccati. Vnde uidit lignum quod esset pulchrum, ideo Trenorum tertio dicitur: *oculus meus depredatus est animam meam.*

15 Tertia conuersio Eue fuit tactus, in quo consummatum fuit peccatum et sic per se perdita gratia, unde ibidem: *tulit de ligno et comedit.* Et licet ibi fuerit gustus, «est tamen quidam tactus», ut dicit Philosophus in secundo De Anima.

Tres alie conuersiones Marie fuerunt opposite istis, per quas fuit gratia recuperata.

Prima fuit auditus et obedientie, in qua fuit principium gratie quando angelus dixit uirgini: *ane gratia plena.* Nam sine uirginis consensu gratia non fuisset recuperata. Nulla enim creatura fuit sic obediens sicut uirgo Maria, nam omnes post peccatum Ade fuerunt tardi ad obediendum propter repugnantiam peccati, et cum in uirgini tale peccatum non fuerit, maxime fuit obediens. De isto loquebatur pater suus Daud in Psalmo quadragesimo quarto: *audi filia et uide et inclina aurem tuam,* etcetera. Audi uocem angeli Gabrielis et inclina obediendo Deo et dicendo: *ecce ancilla domini, fiat mihi secundum,* etcetera. Et: *obliuiscere populum tuum et domum patris tui Ade,* qui fuerunt inobedientes Deo, *et concupiscet rex decorem tuum, quoniam sic obediendo ipse est dominus Deus tuus* et dominus per obedientiam, nam demon fuit dominus Eue. Erit “Deus” quia Eua illum accepit pro Deo, erit “tuus” singulariter quia filius tuus et adorabunt eum ut uerum Deum, etcetera. Et hec conuersio uirginis ad Deum, per quam concepit illi obediendo fuit principium gratie, nam in illa recepit uirgo in se plenitudinem gratie et etiam gratie datorem.

30 Secunda conuersio fuit uisus ad fructum pretiosum, scilicet: ad filium, de quo ait Elisabeth: *benedictus fructus uentris tui,* Luce primo. Et sicut prima fuit in conceptione, hec secunda fuit in natiuitate, nam prima omnium filium corporaliter uidendo adorauit, ut dicit ecclesia: «quem genuit, adorauit». Et sic uidit fructum cum oculo directo et uidit populum christianum cum alio sinistro considerando defectus nostros. Et hec uisio fuit misericordie, unde cantat ecclesia de illa: «illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte», etcetera. Et in ista conuersione supplicat uirgo pro nobis, nam ut dicit Bernardus: «sicut filius stat ante patrem, sic mater ante filium», etcetera.

3: Za. 1, 3. | 8: Gn. 3, 4-5. | 11-12: Lam. 3, 51. | 14: cf. Gn. 3, 6. | 18: cf. Lc. 1, 28. | 22: Ps. 44, 11. | 23: cf. Lc. 1, 38. | 23-25: cf. Ps. 44, 11-12. | 31: Lc. 1, 42.

14-15: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, II, 97, (421a18-22), p. 182; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 78, a. 3 ad 4, p. 547. | 33: cf. Gre. Mag., *Lib. Resp.*, In ev. PL 78, 746D. | 35: cf. Ans., *Hymn. Et Psal. De San. Mar.*, Saluatio deprecatória, ante Psal. B. V. dicenda. PL 158, 1037D. | 36-37: Bernardus] *Auctor err.*, cf. MF. Ern. Bon., *De Lau. B. M. V.*, 1. PL 189, 1726C.

40 Tertia conuersio uirginis fuit tactus, scilicet: dando gratiam toti mundo, unde Prouerbiorum ultimo dicit Salomon: *mulierem fortem quis inueniet? De ultimis*, etcetera, quo ad primum: *facta uelut nauis insistoris*, etcetera. Quo ad secundum dicit: *manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperes*, scilicet: subueniendo illis per gratiam. Et sicut in tertia conuersione Eue fuit peccatum consummatum et perdita gratia quo ad se, sic in ista fuit recuperata gratia et mundo data, unde ait Bernardus in sermone ad uirginem: «sicut a te despectus et auersus necesse est quod pereat, sic ad te reuersus et a te respectus impossibile est quod pereat. Filioli, hec peccatorum scala, hec mea maxima fiducia, hec tota ratio spei mee».

Igitur si gratia acquiritur in conuersione uirginis ad nos illa non conuertitur nisi ad illam conuertamur nos. Ideo dicit: *conuertimini ad me et conuertar ad uos*. Ideo ad hanc uirginem conuertamur supplicando et dicendo humili mente et pia: aue Maria.

50 <THEMA> *Conuertimini ad me et conuertar ad uos*, loco et capitulo, ubi supra.

Due erunt partes in presenti sermone. Prima thematis introductiua. Secunda materie prosecutiua.

55 Sententia est omnium catholicorum doctorum quod ad iustificationem impii et ad conuersionem peccatoris quattuor principalia requiruntur et hoc in quarto Sententiarum, distinctione decima septima, precipue sancti Thome ibidem et prima secunde, questione centesima decima tertia, obiectione.

Primum est motus liberi arbitrii in Deum per fidem charitate formatam credendo mirabilia de eo et ipsum amando et recognoscendo illum offendisse cum timore filiali.

60 Secundum est motus liberi arbitrii in peccatum illud detestando et iterum non committere proponendo. Et hec duo sunt ex parte peccatoris.

Tertium est infusio gratie.

65 Quartum remissio culpe. Et hec duo sunt a Deo, quia a creatura esse non possunt, unde Psalmi octogesimo tertio: *gratiam et gloriam dabit dominus*. Item habetur Luce septimo: *quis est hic qui etiam peccata dimittit?* Etiam ecclesia: «Deus cui proprium est misereri semper et parcere», etcetera. Est uerum quod si peccator est adultus requiritur motus liberi arbitrii, alias non, quia pueri liberantur a peccato originali sine suo libero arbitrio, nam sicut illud peccatum non fuit contractum per suam uoluntatem, sic dimittitur sine sua uoluntate in fide parentum et ecclesie militantis, sed in adultis requiritur motus liberi arbitrii, qui fuit ad peccatum illorum. Alia duo sunt ex parte Dei.

70 Primum infusio gratie.

75 Secundum remissio culpe, ut diximus. Et omnia ista sunt in uno instanti ex parte Dei. Nam quod tempus requiratur ad aliquam actionem accidit propter duo, quia in subiecto est aliqua indispositio que debet tolli. Nam si nullum est impediens, fit in instanti, ut patet in illuminatione mundi a sole uel camere a lucerna, ubi non illuminatur primo una pars et postea alia, sed simul, et hoc est quia in aere nullum est contrarium lucis, sed solum pura

39-41: cf. Prv. 31, 10-20. | 48-50: cf. Za. 1, 3. | 63: Ps. 83, 12. | 63-64: Lc. 7, 49.

43-46: cf. MF. Ans., *Orat.*, LII. PL 158, 956C; cf. Bern. Cl., *In Nat. B. M. V.*, 7. PL 183, 441D. | 54-55: cf. Petr. Lom., *Sent.*, IV, 17, 1. PL 192, 800AD; cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 113, a. 1, pp. 792sq. | 64-65: cf. *Missa latina*. PL 138, 1321D.

priuationo illius. Et sic non requiritur tempus ad expellendum contrarium, sed si fuerit indispositio in subiecto, si resistentia proportionatur potentie requiritur tempus secundum talem proportionem. Si parua est uirtus et potentia, requiritur multum tempus. Si maxima potentia requiritur parum. Sed quando resistentia est finita et potentia et uirtus est infinita, cum inter talia nulla sit proportio, agitur in non tempore. Et sic cum in Deo sit uirtus infinita, agit in instanti in generatione et corruptione et creatione et transubstantiatione. Sic in proposito, omnia ista quattuor fiunt in instanti, sed sicut ad generationem requiritur alteratio, que fit in tempore ab agente naturali, que precedit generationem, sic in iustificatione impij requiritur aliqua dispositio ex parte nostra, ut quod conuertamur ad Deum per fidem informem, quod conuertamur ecclesiam per sermones, in quibus uocamur et instruemur de diuinis, et per timorem penarum purgatorii uel inferni preparemur per timorem seruilem, qui precedit iustificationem. Et quo ad hoc est conuersio nostra prior alia, licet non sit sine Deo, ut diximus. Et licet omnia illa quattuor sint in instanti realiter, sed quo ad modum nostrum intelligendi unum presupponitur alteri. Et sic licet gratia precedat ut causa, sed cum non detur nisi disposito et contrito, uidetur nobis quod illud prius requiratur, quia unum precedit ut forma, aliud ut materia et cause sunt sibi inuicem cause, ut dicit Philosophus secundo Physicorum, ut exercitium est causa sanitatis et sanitas causa exercitij. Et sicut clauus non intraret foramen nisi alter clauus cederet nec alter cederet nisi prius iste intraret et uestigium non fieret in puluere nisi prius pes adesset nec fieret a pede nisi puluis cederet, sic in proposito. Hic non fieret a gratia nisi uoluntas consentiret et sic siue quo ad hoc, siue quo ad priorem dispositionem requiritur conuersio a nobis ut precedat. Ideo dicit prius: *conuertimini ad me et conuertar ad uos*. Quo ad primam partem.

In secunda parte ponitur talis conclusio: quod peccator non potest conuerti ad Deum nisi Deus conuertatur ad ipsum. Et probatur tripliciter.

Primo, ex parte conseruationis, nam omnes doctores dicunt quod dum peccator peccat meretur annihilationem et reuerteretur in nihilum, ut dicit Gregorius, nisi conseruaretur benigna manu omnipotentis. Igitur si Deus non conuerteretur ad ipsum illum conseruando, nunquam posset amplius conuerti, igitur, etcetera.

Secundo, probatur ex parte potentie, que est a Deo, nam cum posse conuerti sit posse aliquid et non potest homo sine Deo, igitur, etcetera. Vnde ait Christus, Iohannis decimo quinto: *sine me nihil potestis facere*, igitur, etcetera. Vnde conuersio peccatoris non potest fieri sine precedenti cogitatione, cum ad illam requiratur motus liberi arbitrii. Sed nos non possumus aliquid cogitare sine Deo, igitur, etcetera. Vnde secunda Corinthiis tertio: *non quod simus sufficientes cogitare a nobis aliquid quali ex nobis, sed sufficientia nostra a Deo est*, igitur, etcetera. Vnde non possumus conuerti sine Deo, nam: *non est potestas nisi a Deo*, ut ait Apostolus ad Romanos decimo tertio. Dicit Augustinus: «a Deo iuente siue sinente», etcetera, Augustinus contra Manicheum, et habetur uicesima tertia, questione prima, “Quid culpatur”, etcetera.

Tertio, probatur ex parte gratie, nam si conuersio non potest fieri sine gratia, ut diximus, igitur non potest peccator conuerti ad Deum nisi prius Deus conuertatur in ipsum dando ei gratiam. Non quod Deus mutetur aliquo modo in tali conuersione, quia est inmutabilis, Malachie tertio: *ego Deus et non mutor*, etcetera. Exemplum: sicut sol non mutatur nec uariatur in se, sed per mutationem uaporum dicimus illud mutari et uariari, ut patet in nubibus, sic

97: cf. Za. 1, 3. | 107: Io. 15, 5. | 109-110: II Cor. 3, 5. | 111: Rm. 13, 1. | 118: Mal. 3, 6.

92: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 3, 194b20, p. 56. | 102: Gregorius] *NI*. | 112: Aug. Hipp., *Con. Fau. Man.*, XXII, 75. *PL* 42, 448B; cf. Gra., *Decr.*, XXIII, 1, 3. *PL* 187, 1164B.

120 Deus in se non mutatur, sed dicitur mutari per mutationem creaturarum. Et duplex est conuersio Dei et duplex peccatoris conuersio.

Prima conuersio Dei est quando conuersus fuit in uas gratie, scilicet: quando factus fuit homo. Non quod diuinitas conuersa fuerit in humanitatem, nam Athanasius dicit: «non conuersione diuinitatis in carne, sed assumptione humanitatis in Deum». Exemplum: sicut  
125 dicimus quod Lucifer conuersus fuit in serpentem, non quod natura serpentis conuersa fuit in naturam angeli nec econuerso, sed quod angelus assumpsit naturam serpentis, non quod illa natura fuerit unita personaliter in angelo, sicut natura humana in Deo. Et sic ista prima conuersio Dei fuit uas gratie, unde Iohannis primo: *uidimus eum plenum gratia et ueritate; de plenitudine cuius nos omnes accepimus*, etcetera.

130 Ex ista secuta fuit alia conuersio dando gratiam nobis, unde Psalmi octogesimo quarto: *Deus tu conuersus uiuificabis nos*, etcetera. Et sic sine gratia nullus potest conuerti. Est uerum quod gratia dicitur tripliciter.

Primo, pro quocumque dono Dei gratis dato. Et sic esse factum ad imaginem Dei est gratia in nobis et sic acuitas ingenii, fecunditas memorie, etcetera.

135 Secundo, pro gratia que disponit ad gratiam gratum facientem, gratia miraculorum et prophetie et gratia predicandi, etcetera. Omnia ista sunt gratis date nobis.

Tertio, accipitur pro dono dato diuinitus ad merendum et appellatur gratia gratum faciens; sine ista nullus potest mereri nec in bono proficere nec ad gloriam peruenire. De ista triplici gratia ait Apostolus prima Corinthiis decimo quinto dicens: *gratia Dei sum id quod*  
140 *sum*, quo ad primam, *sed gratia eius in me uacua non fuit*, quo ad secundam, *sed gratia eius semper in me manet*, quo ad tertiam. Et sine ista tria nunquam conuertitur peccator. Exemplum oculi quod quis habeat a Deo oculum clarum et lucidum est gratia quedam, nam non fuit hoc datum homini ceco a natiuitate. Secundo, quod habeat a Deo lumen connaturale inter oculum est gratia gratis data quo lumine disponitur ad lumen exterius percipiendum. Quod  
145 in oculo fit tale lumen patet ut dicit Philosophus in De Sensu et Sensato.

Et si dicis: quare igitur secundum illud non uidemus? Dicendum quod ut dicit Philosophus: «sensibile positum supra sensum non causatur sensationem», sed dum oculus fricatur et separatur a loco suo, tunc uidetur illud lumen, quia separatur oculus et reflectitur illud lumen ad aliud locum et sic uidetur. Hoc lumen disponit ad percipiendum aliud lumen extrinsecum, quia: «in habentibus symbolum facilius est transitus», ut dicit Aristoteles in libro De Generatione.

Tertio, datur lumen exterius quod est ut gratia gratum faciens, nam illa dicitur “operans” uel “preueniens” et “cooperans”. Prima gratia tollit peccatum. Secunda adiuuat liberum arbitrium ad merendum, ideo dicitur “cooperans”, sic hoc lumen exterius: primo, tollit ab  
155 oculo tenebras; secundo, iuuat ad merendum scribendo, orando, contemplando, etcetera. Et sine isto homo non potest conuerti.

Sed dices contra: si per me possum peccare, igitur per me possum a peccato resurgere, quia contraria insunt in eodem subiecto successiue. Dicendum quod non est eadem ratio de

---

128-129: Io. 1, 14-16. | 131: Ps. 84, 7. | 139-141: I Cor. 15, 10.

123-124: Ath., *Symb.*, I, PG 28, 1583B. | 145: cf. Th. Aq., *Comm. De Sen. Et Sens.*, I, 4, (438b2), p. 27. | 147: cf. Auctor. Arist., *De Ani.*, II, 73, (419a12sq), p. 180. | 150: cf. Arist. Lat., *De Gen. Et Corr.*, II, 4, 331a23, p. 59.

143: Homini] M homni.



160 uno sicut de alio, nam quando contraria sunt a natura bene, sed non quando unum non est a natura, ut gratia et culpa. Nam culpa est in nostra potestate et facultate, sed non gratia, quia culpa causatur ex nostro defectu. Et cum simus ex nihilo et ex defectibilitate, semper tendimus in nihilum et defectum. Sed cum gratia sit supra nostram naturam, a nobis non potest haberi sine Deo. Exemplum: ego possum cadere per memetipsum in puteum, sed ab illo non possum exire sine adiutorio alterius.

165 Dices iterum contra: si sine gratia non possum a peccato resurgere et illam a me non possum habere nec est in potestate mea, igitur si non ex eo a peccato, non debet mihi imputari. Dicendum quod imputatur nobis non habere gratiam, quia Deus semper est paratus dare illam, si nos non ponamus impedimentum. Nam, ut dicit Thomas, tertio  
170 Contra Gentiles, capitulo centesimo quinquagesimo nono: «hi soli gratia priuantur qui impedimentum apponunt». Verbi gratia: sol equaliter influit *super bonos et malos*, sed bonus aperit oculos et sic illuminatur; malus claudit oculos et sic remanet obtenebratus, sic in proposito.

Si dices iterum contra: uel Deus dat gratiam indignis aut dignis? Non dignis, quia nullus est dignus sine gratia. Igitur antequam reciperet gratiam iam haberet gratiam; nec dat  
175 indignis, quia tunc quanto maior esset peccator, maiorem gratiam reciperet quam ille qui non esset tam magnus peccator, quod est inconueniens. Dicendum quod: «Deus dat gratiam indignis quos per gratiam facit dignos», unde dicit Thomas in prima secunde, questione centesima decimo quarta, ad secundum. Sed: «Deus dat gratiam indignis negatiue,  
180 non autem dispositiue, id est, resistentibus gratie», Thomas in secundo, distinctione uicesima septima, questione quarta ad quartum. Exemplum: si rex portat coronam auream, nullus alius est dignus portare illa cum non habeant regiam dignitatem. Si ipse rex uult dare coronam uni et ueniunt duo coram ipso, unus miles, qui ei peccauit et non penitet; alter qui non peccauit, uel si peccauit, iam penituit, et rex imponit coronam isti ultimo, dico quod hic erat ante coronationem indignus. Sed ex quo rex illum elegit et acceptauit per  
185 impositionem corone, fecit ipsum dignum regia dignitate, quia solum erat indignus negatiue, id est, ante non habens dignitatem; sed alter erat indignus dispositiue, id est, resistens gratie non penitendo de offensa facta regi, etcetera. Igitur patet quod nullus conuertitur sine hac gratia, unde ecclesia qualibet die dicit illum Psalmista: *conuerte nos Deus salutaris noster*, etcetera. Similiter est duplex peccatorum conuersio una mala, scilicet: quando  
190 conuertitur de uno peccato ad aliud grauius. Et hec conuersio est mala et pessima et potius dicitur “peruersio” quam “conuersio” et fit instigante demone et secundum hanc totus mundus est hodie conuersus.

Primo, quo ad religionem christiani conuersi sunt in iudeos per usuram, nam in istis  
195 partibus exercetur inuerecunde et sufficiuntur contractus pessimi qui non fiebant per iudeos ante illorum expulsionem. Item conuersi sunt in agarenos christiani per nicromantiam per multas superstitiones, que inter eos fiunt per nicromanticos, propter quos uenit tempestas, etcetera. Querunt secreta a demonibus sicut fecit Ohozias, quarto regum primo, et male. Item conuersi sunt per habitum malum et pessimum.

200 Primo, homines conuersi in mulieres portando capillos mulierum et mulieres portando balteum et birretum, etcetera. Mulieres decapillantur ut dent capillos hominibus et homines portant crines ut mulieres, etcetera.

170: cf. Mt. 5, 45. | 188-189: Ps. 64, 5. | 197: cf. IV Rg. 1, 2.

169-170: cf. Th. Aq., *Con. Gent.* (vol. 14), lib. 3, c. 159, p. 465. | 176-177: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 114, a. 5 ad 2, p. 811. | 178-179: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 4), lib. 2, dist. 27, q. 1, a. 4, p. 348.

163: Exemplum] M eemxplum.

Secunda est conuersio bona, ut quando peccator conuertitur de malo ad bonum et de bono in optimum. Hec conuersio debet fieri per calorem contritionis et charitatis. Vnde uidemus quod in natura maxime conuersiones fiunt per calorem, ut arbor conuertitur in  
 205 flores et fructus, cinis in uitrum, terra in aurum. Et sic mediante contritione et charitate debemus conuerti in obseruantiam mandatorum Dei, unde habetur in euangelio Matthei decimo nono: *quid faciendo uitam eternam possidebo?* Respondit Christus: *serua mandata*. Vnde licet cor peccatoris fuerit uenenatum ueneno peccati mortalis dum conuersus fuerit, non solum a Deo acceptatur, sed etiam ualet contra uenenum peccati, scilicet: ad expulsionem  
 210 illius. «Vnde ait Rasis in libro De Secretis Membrorum Animalium quod cor hominis per uenenum mortui nunquam potest ab igne totaliter consumi, et dicit quod si ponatur in ignem per nouem uel decem annos, ex illo corde mediante actione ignis conuertitur in lapidem pretiosum, qui ualet mirabiliter contra omnia uenena et ualet ad uictoriam obtinendam. Vnde narrat Alexandrum talem lapidem habuisse, quem cum semel se  
 215 balneando in quodam flumine dimisisset in ripa, statim affuit serpens, qui lapidem proiecit in fluuium quasi inuidens (ut ait), quod habuisset tantam potentiam in uenena. Sic si ille qui ueneno peccati mortalis mortuus est, in igne contritionis diutius teneatur in pretiosum lapidem, id est, in uirum pretiosum et perfectum conuertitur et mutatur, cuius uirtus et perfectio uenenis, id est, uitiiis, inimicat et ualet etiam ad uincendos hostes et demones». Exempla de sancto Petro et sancto Paulo et de Magdalena, etcetera. Vnde de ista conuersione loquitur Isaie capitulo quadragesimo quinto: *conuertimini et salui eritis*. Item Iohelis secundo: *conuertimini ad me*, etcetera.

Sed forte queres: a quibus peccatis debemus nunc conuerti? Dicendum quod maxime debemus conuerti a peccatis que directe sunt contra Deum, scilicet: que sunt contra  
 225 precepta prime tabule. Vnde primum est: *ego dominus Deus tuus, non habebis deos alienos*, etcetera. Et sic maxime est fugiendum peccatum heresis. Etiam in hoc precepto continetur honor et amor Dei, unde Malachie primo dicit dominus: *filius honorat patrem et seruus dominum suum. Si ego pater, ubi est honor meus? Et si ego dominus, ubi est timor meus?* Sic hodie nullus pugnat pro honore diuino, nam publice per agarenos predicatur in zomis honor Machometi et  
 230 suprimitur nomen Christi, quod est absurdum in terris christianorum habentium Christum pro domino, quod fuit prohibitum in concilio Vienensi, ut habetur in Clementina unica De Iudeis et Sarracenis, ubi est uituperium Aragonensium. In glosa dicit Iohannes Andreas: “hoc maxime fit in regno Aragonum”. Et uolens hanc infamiam purgare rex Iohannes Secundus bone memorie fecit leges in curia Calataiubii et districtius prohibet illud, ut patet  
 235 in foris qui fuerunt publicati anno domini mille quadringenti sexaginta uno, die decimo quarto mensis decembris, etcetera. Sed hodie nihil seruatur, nam ut lege cauetur, non poterant ad orationem clamare nisi mediante aliquo instrumento tube, etcetera. Sed nunc alta uoce dicunt non esse alium Deum nisi Deum eorum, Machometum nuntium suum, etcetera. Et hoc dicunt publice quinquies qualibet die, per quod quinque uulnera Christi renouantur cotidie, cum inter agarenos non solum uiua uoce de Christo non permittitur a  
 240 christianis loqui ad orationem, sed neque etiam cimbalum habere, quia per tabulas uocant ad orationem, ut fit tempore tenebrarum in maiori hebdomada. Igitur si christiani essent filii Dei, hoc repellerent.

Secundo, debemus conuerti a uane iurando, sed hodie false iuratur in iudiciis. Item  
 245 cotidie blasphematur in plateis, etcetera.

207: cf. Mt. 19, 16-17; Lc. 10, 25. | 221: Is. 45, 22. | 222: Ioel. 2, 12. | 225: cf. Ex. 20, 2-3. | 227-228: Mal. 1, 6.

210-219: cf. Petr. Ber., *Dict.*, c. conuerti, p. 368. | 231: cf. Cle. V., *Decr.*, V, 2, 1, col. 1180-1181.

214: Habuisse] X habuiesse. | 220: Exempla] M exemplo. | 244: Iudiciis] X iuditiiis.

Tertio, debemus festa colere, quod minime fit in hac ciuitate.

250 Quarto, debemus dare Deo decimas, quod minime in hac ciuitate dantur, unde Malachie tertio habetur quod si soluerint decimas et primitias daret in fructibus abundantiam; a contrario sensu, si non dabunt, nec ipse. Decima enim pars fructuum est domini Dei, et sic si ille non datur, commissat totam hereditatem tamquam dominus directus, decima sexta, questione prima, capitulo “Reuertimini”. Est autem graue peccatum, non solum furtum, sed est sacrilegium, ut dicit Hieronymus, non bene decimare perdit fructum et etiam sanitatem, ut dicit Augustinus, decima sexta, questione prima, capitulo “Decime”. Ratio est nam distemperatis elementis non solum sequitur sterilitas, sed etiam pestis et prelia inter  
255 homines.

260 Hec autem tria hodie uigent inter christianos, unde Augustinus De Doctrina Christiana dicit: «dabis impio militi quod non uis dare sacerdoti?». Vnde laudabilis consuetudo est inter mercatores dare decimam de acquisitis. Quolibet anno connumerando lucrum dant in fabricam alicuius ecclesie uel aliud simile. Ad conuersionem autem nostram multum iuuat beata Maria gratie.

Ideo ad hanc hodie recurrimus, ut sit media inter filium et nos, ut obtineamus gratiam quam petimus, nam nos in tribus istis processionibus fecimus discursum quem faciunt illi qui supplicant reginam temporale.

265 Primo, die ueneris dum regina stat in throno suo regali datur supplicatio petentis in manum suam.

Secundo, ille qui petit uadit ad barones uel milites qui asistunt regine et supplicant quod illi sint aduocati in isto negotio et illi referunt qualiter regina iam habet supplicationem pro hac parte.

Tertio, ueniunt ad diem assignatam, quando in aula regia supplicationes expediuntur.

270 Sic fecit hec ciuitas in isto negotio.

Primo, fuit ad supplicandum uirginem in throno suo, scilicet: in Pilari uel columna sua. Et sic prima processione actum fuit.

275 Secundo, supplicauit milites curie, ut apud ipsam intercedant. Et sic secunda processio facta fuit ad sanctam Engratiam, scilicet: ad martyres Cesaragustanos tamquam ad intercessores.

Hec tertia processio ad Sanctam Mariam Gratie in hoc hospitali ad aulam gratiarum, in qua est cancelleria gratie.

280 Et sic supplicamus: “o domina nostra, apud proprium filium pro nobis intercedas”. Ipsa uero dicit: “quomodo hoc faciam? Si omnis dimisistis pauperes Christi et hac domo et deuotionem illius?” Igitur si uultis hoc obtinere: *conuertimini ad me et conuertar ad uos* et recipietis hic gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat. Amen.

---

246: cf. Mal. 3, 8. | 280: cf. Za. 1, 3.

250-251: cf. Gra., *Decr.*, XVI, 1, 65. PL 187, 1019B. | 252: cf. Hier., *Comm. In Mal.*, III, 7. PL 25, 1569AC. | 253: cf. Gra., *Decr.*, XVI, 1, 66. PL 187, 1020C-1021A; cf. Aug. Hipp., *Serm.*, CVI, 3. PL 38, 626D. | 257: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm.*, CCLXXVII, 2. PL 39, 2267C.

257: Christiana] X Ristiana.

SERMO CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS TERTIVS IN IMPVGNATIONE REGIS GALLIE

<THEMA> *Hec est uictoria que uicit mundum fides nostra*, prima Iohannis quinto capitulo.

Ad exaltationem fidei catholice assumptum thema scribitur presens, etcetera.

5 Tria prelia famosissima reperiuntur in sacra scriptura. Primum inter angelos in principio creationis. Secundum inter angelos et homines post creationem parentum nostrorum, scilicet: Ade et Eue. Tertium inter Deum et angelos post Christi aduentu. Hec tria ponuntur a Iohanne, Apocalypsis duodecimo.

De primo dicit: *factum est prelium magnum in celo, Michabel et angeli eius preliabantur cum dracone et ipse draco pugnabat et angeli eius et non ualuerunt, neque locus inuentus est eorum in celo*, etcetera.

10 De secundo dicit: *et postquam uidit draco quod proiectus esset in terram persecutus est mulierem*, scilicet: Euam, et mediante ea ipsum Adam et per consequens omnes in illo uirtualiter existentes.

15 De tertio dicit: *et iratus draco fecit prelium*, scilicet: tertium, et uicerunt illum in sanguine agni, quia Christus in passione illum uicit, unde dicit Iohannis duodecimo: *nunc princeps mundi huius eiicietur foras* uictus, etcetera. *Vicit leo de tribu Iuda*, Apocalypsis quinto. Patet Christi uictoria quia spoliauit inimicum, unde in Psalmo sexagesimo tertio: *ascendisti in altum, cepisti captiuitatem*, etcetera. Item Apostolus ad Ephesios quarto: *ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem*, etcetera.

20 Sed queritur: quomodo fuit hoc iustum bellum? Dico quod fuit nam bellantes, ex quo sunt concordantes de loco campi, concordant de tribus, scilicet: de persona, de medio et de armis, etcetera.

Prima concordia in campo fuit quod hoc bellum esset in medio mundi, quia primum habitum fuit in parte orientali, scilicet: in paradiso terrestri, qui secundum doctores est in parte orientali. Sed hoc in medio mundi propter tria rationaliter.

25 Primo, non debuit esse in celo hoc, quia nec uincens uel prelians erat angelus nec pugnabat pro angelis, qui recuperari nec saluari digne poterant propter multas causas et rationes, que causa breuietatis pro nunc dimittuntur. Sed prelium erat ad recuperandas animas que erant in mundo, scilicet: omnium hominum, etcetera. Ideo debuit esse in mundo.

30 Secundo, non fuit conueniens quod esset in parte orientali mundi, sicut secundum fuerat, quia tunc preliantes erant orientales, scilicet: Lucifer creatus prima die et Adam die sexto. Et sic orientales habuerunt campum in parte orientali paradisi terrestri.

Tertio, fuit hoc in medio mundi, scilicet: in Hierusalem, que sita est in medio terre habitabilis, ut patet. Hoc autem fuit conueniens propter tria.

35 Primo, quia demon tyrannice factus fuerat princeps totius mundi, ideo dixit Christus: *nunc princeps mundi eiicietur foras*.

---

2: I Io. 5, 4. | 8-9: Apc. 12, 7-8. | 10: Apc. 12, 13. | 13: Apc. 12, 17. | 14-15: Io. 12, 31. | 15: Apc. 5, 5. | 16-17: Ps. 67, 19. | 17-18: Eph. 4, 8. | 36: Io. 12, 31.

4: Prelium] X alia. | 7: Apocalypsis] M Aapochalipsis. | 8: Preliabantur] M preeliabantur. | 15: Quinto] M, X quinquagesimo. | 32: Terrestri] M terristri.

Secundo, quia uictor qui erat Deus erat uere dominus totius mundi, unde Psalmi uicesimo tertio: *domini est terra et plenitudo eius*, etcetera. Ideo, ut dominus mundi in medio mundi, parauit thronum suum, scilicet: crucem, etcetera.

40 Tertio, patet quia hec uictoria, que erat pro toto mundo, debuit innotescere in toto mundo. Ideo dicit Dauid in Psalmo septuagesimo tertio: *Deus rex noster*, etcetera, *operatus est salutem in medio terre*. Ideo de campo erant concordantes et sic restabat concordare de tribus, scilicet: de persona, de medio et de armis. Sed de persona debet hoc fieri, quia postquam in  
 45 angeli essent recuperandi, qui in primo fuerunt perditum in isto recuperaretur, non quod in primo fuerunt uacue facte. Igitur omnes conditiones personarum, que in primis preliis fuerant, in isto tertio debebant esse.

Et sic in primo prelio solum fuit spiritus contra spiritum, ideo in isto debuit esse spiritus. Sed cum non possit esse nisi spiritus diuinus, quia ut habetur Iohannis quarto: *spiritus est Deus*, quia pater est spiritus, filius spiritus et spiritus sanctus spiritus. Sed hoc  
 50 nomen attribuitur magis spiritui sancto quam patri et filio propter multa, que nunc dimittimus, etcetera. Non poterat preliare spiritus angelicus nec debebat, quia non debuit liberare mundum a perditione nisi dominus totius mundi, qui non erat angelicus, nec agebatur de liberatione angelorum perditorum, quia hoc non erat possibile, cum non  
 55 peniteant. Igitur persona pugnans non potuit esse angelus. Igitur si spiritus esse debebat, cum non esset alius spiritus nisi diuinus, sequitur, etcetera.

In secundo prelio non solum fuit spiritus, sed spiritus iunctus corpori sensibili, ut patet in serpente. Igitur in isto tertio debuit esse persona que esset spiritus et spiritus unicus corpori. Et sic fuit spiritus filius Dei et spiritus, id est, anima gloriosa unita corpori  
 60 sacratissimo.

Si forte dicis quod non fuit simile, quia demon accepit corpus serpentis, sed filius Dei non. Dicendum quod demon uoluit accipere corpus pulcherrimi hominis uel mulieris, sed non hoc permisit Deus, ne Eua haberet causam consentiendi temptationi, sed dum fuit Christus temptatus a demone permisit quod demon assumeret corpus humanum, quia illum  
 65 non timuit, sed aperte cognouit quod corpus humanum tunc acciperet, multi doctores hoc dicunt. Patet quia loquebatur cum eo et multa alia fecit, ut dicit Albertus Magnus super Mattheum, quarto capitulo, etcetera. Et sic conueniens fuit persona que non solum esset spiritus Dei filius, sed spiritus corpori unicus, scilicet: homo, in quo anima est corpori unita, et sic nullus potuit uincere nisi filius Dei incarnatus. Et hoc est quod dicit Iohannes  
 70 Apocalypsis quinto, quod uidit *librum clausum septem sigillis scriptum intus et foris*, etcetera. Dicebat angelus: *quis est dignus aperire librum?* Et nemo poterat neque in celo neque in terra neque *subtus terram aperire librum*, etcetera. Iste liber clausus erat processus patris nostri Ade et sententia data contra totum mundum. Scriptus intus quo ad offensam contra Deum; extra quo ad offensam proximi, quia omnes interfecit, ut dicit Augustinus. Clausum septem  
 75 sigillis quia licet esset unum peccatum originale, habebat in se omnes irregularitates omnium peccatorum et uirtualiter continebat omnia septem mortalia, ut dicit Thomas in prima secunde, questione sexagesima secunda, primo ad primum; et Questionibus De Malo, questione quarta, octauo ad primum. Ideo dicebatur: *clausum septem sigillis*, et sic dicit Iohannes quod angelus predicabat uoce magna dicens: *quis est dignus aperire librum et soluere*  
 80 *septem signacula eius?* Et nemo poterat neque in celo per angelos neque in terra per homines neque *subtus*

38: Ps. 23, 1. | 41-42: Ps. 73, 12. | 50: Io. 4, 24. | 70-72: Apc. 5, 1-3. | 78-82: Apc. 5, 1-6.

66: cf. Alb. Mag., *In. Ev. Mt.*, IV, 3-4, pp. 121b-122a. | 74: cf. Aug. Hipp., *Con. Sec. Iul. Res.*, II, 209. PL 45, 1231B. | 76-78: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 2), I<sup>a</sup>-II<sup>a</sup>e, q. 62, a. 2, p. 386; *Qu. De Mal.*, q. 4, a. 8 ad 1, p. 127.

*terram, scilicet: per demones, et dixit unus, etcetera, ecce uicit leo de tribu Iuda, radix David aperire librum et soluere septem sigilla, etcetera, et uidi agnum stantem tamquam occisum, etcetera. Igitur patet quod hec uictoria non potuit fieri nisi per Christum, etcetera.*

85 Tertio, de medio concordat quod sicut in secundo fuit mulier qua mediante perditus fuit mundus, sic in isto tertio esset mulier qua mediante recuperaretur mundus.

Quarto, concordatur in armis, scilicet: armarentur cum omnibus armis. Et sic Christus uestitus fuit et armatus lorica lucida et resplendenti, scilicet: cum omni plenitudine gratie, unde Iohannis primo: *uidimus eum plenum gratia et ueritate, de cuius plenitudine nos omnes accepimus.* Vnde non solum portauit arma pro se, sed etiam pro omnibus nobis. Sed demon portabat  
90 arma turpissima et rubiginosa per culpam suam, sed demon habebat deuisam super armaturam de colore duplici, scilicet: ex nigro et palido.

Erant duo peccata in demone spiritualia, scilicet: superbia et inuidia, nam in eo non sunt peccata carnalia nec peccare potest per luxuriam neque per gulam, cum non habeat corpus.

95 Et sic una pars uestis supra arma erat nigra, que significabat superbiam, de qua fuit indutus in primo bello in celo.

Secunda pars uestis erat palida, que significabat inuidiam, de qua fuit indutus in secundo prelio cum parentibus nostris, nam: *inuidia diaboli mors introiuit, etcetera, Sapientie secundo capitulo.* Et sic in isto tertio prelio demon fuit indutus ex utroque colore, sed Christus solum fuit indutus supra arma et tunica alba, scilicet: humilitatis. Nam sicut album est  
100 fundamentum omnium colorum, sic humilitas fundamentum omnium uirtutum.

Sed forte dices quod non fuit uictus demon per iustitiam, quia iustitia querit equalitatem, sed hic magna differentia fuit in persona, in armis, in medio, etcetera.

In persona quia hic creator et demon creatura. Et sic erat uirtus infinita contra uirtutem finitam, etcetera, quod nulla fuit iniustitia, quia quando duo intrant duellum quilibet  
105 presumit se esse potentem. Sic in proposito, quia demon presumit esse equalem, unde Isaie decimo quarto dixit: *ascendam super altitudinem nubium similis ero altissimo, etcetera.* Ecce qualiter erant equales, unus ueraciter, alter presumptiue, etcetera.

Secundo, fuit differentia quo ad arma, sed nulla fuit iniustitia, si unus habet pretiosiora arma quam alter et Lucifero data fuerunt arma splendentia in creatione, cum fuit gratia  
110 creatus, ut dicit sanctus Thomas et multi alii. Ideo dicit Isaias Lucifero: *quomodo cecidisti de celo, Lucifer, qui mane oriebaris, etcetera?* Et sic mane, scilicet: in principio creationis, fuit Lucifer quasi ferens lucem per gratiam, quam tunc habuit, et sic cecidit in terra lutosam et sic maculauit arma, que ante lucida erant. Igitur patet quod propter suam culpam hoc fuit, etcetera.

115 Tertio, fuit differentia in medio, sed non in iniustitia, quia demon elegit Euam in medium, filius Dei elegit Mariam uirginem, unde in Psalmo centesimo tricesimo primo: *elegit eam et preelegit, etcetera.* Sed demon dedit Eue uenenum superbie et auaritie et illi fecit perdere gratiam quam habebat. Sed filius Dei dotauit uirginem ex omni uirtute supra fundamentum humilitatis, quia ipsa dicit, quia *respexit humilitatem, etcetera.* Et sic secundum

---

88: Io. 1, 14-16. | 97: Sap. 2, 24. | 106: Is. 14, 14. | 110-111: Is. 14, 12. | 117: Ps. 131, 13. | 119: Lc. 1, 48.

110: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 63, a. 5, p. 441; *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 20, q. 2, a. 3, p. 982.

105: <sup>2</sup>Presumit] M presemnit.

120 mensuram humilitatis dedit illi plenitudinem gratie. Ideo ait angelus: *ave gratia plena*, etcetera. Sed uirgo dedit filio illud, quo humiliari posset pro nobis pati, quia ex quo per satisfactionem uoluit redimere, ut Deus humiliari non poterat, quia: *excelsus super omnes gentes dominus et humilia respicit*, Psalmi centesimo decimo secundo. Et sic uirgo armauit illum, ex quo humiliari posset et pati pro nobis, unde Apostolus ad Philippenses secundo: *exinaniiuit*  
 125 *semet ipsum formam serui accipiens et habitu inuentus ut homo*. Hunc habitum dedit illi mater sua, ex quo sequitur correlarium quod in uirgine humilitas fuit causa gratie et in Christo humilitas fuit causa uictorie.

Igitur si uolumus gratiam habere et uictoriam, humiliemur ad pedes uirginis, ut ea mediante adquiramus, quia *hec est uictoria que uincit mundum*. Ad hanc igitur in principio  
 130 sermonis recurremus.

<THEMA> *Hec est uictoria que*, etcetera.

Vna breuissima conclusio uidebitur, que est hec: quod excellentior uictoria habetur in pugna pro tuitione ecclesie et fidei sancte catholice. Hec conclusio probatur tripliciter, scilicet: ratione, auctoritate et exemplo.

135 Primo, ratione sic: ubi excellenter concurrunt cause uictorie illa est excellentior uictoria, sed in pugna pro fide catholica excellenter concurrunt cause, igitur, etcetera. Maior probatur, quia sicut posita causa sufficienti et sufficienter, scilicet: cum debitis conditionibus, scilicet: aproximata non impedita, etcetera, ponitur effectus, sic «aucta causa augetur effectus», sed hec concurrunt in pugna pro fide catholica, igitur, etcetera. Hec  
 140 probatur, quia tria debent concurrere ad uictoriam. Primum in agone uiriliter pugnare. Secundum in illo non deficere. Tertium illud pro quo pugnatur acquirere et possidere.

De primo patet Psalmi tricesimo: *uiriliter agite*, etcetera. Item primo Macchabeorum sexto capitulo dicitur quod: *pugnauerant uiriliter*.

De secundo patet, nam ut dicit Apostolus secunda ad Timotheum secundo: *qui certat in agone non coronabitur nisi qui legitime certauerat*, et sic non debet deficere.  
 145

De tertio patet: dicit Apostolus prima Corinthiis nono: *omnes currunt, sed unus accipit brauium. Sic currite, ut comprehendatis*. Quasi dicat: ille solum uincit alios. Quod ista tria reperiantur in certamine pro fide catholica patet in martyribus. Primum qui fortiter et uiriliter pugnabant quod iudices et tortores uincebant. Causa erat quia non solum cum  
 150 uiribus propriis, sed in uirtute Dei pugnabant, unde: *dicit Moses populo Israhel: "nolite timere, dominus pugnabit pro uobis"*, Exodi decimo quarto. Item Iosue uicesimo tertio: *dominus pugnabit pro uobis, ut pollicitus est*.

De secundo patet quia ista nunquam in prelio defecerunt.

155 Sed forte dices: nonne mortui fuerunt? Dico quod non fuerunt mortui ab hostibus, ideo nunquam fuerunt uicti. Nam si aliquis moritur naturaliter sua infirmitate in exercitu, non dicitur uictus, sed qui moritur uel interficitur ab hoste. Sed martyres non fuerunt interfecti ab hostibus, sed quia dominus, dum uolebat, animam eorum a corpore sumebat.

---

120: Lc. 1, 28. | 122-123: Ps. 112, 4-6. | 124-125: Phil. 2, 7. | 129-131: cf. I Io. 5, 4. | 142: Ps. 30, 25. | 143: I Mcc. 6, 31. | 144-145: II Tim. 2, 5. | 146-147: I Cor. 9, 24. | 150-151: Ex. 14, 13-14. | 151-152: Ios. 23, 10.

138-139: cf. Arist. Lat., *Phys.*, II, 3, 195b18, p. 62; *Met.*, V, 2, 1013a32, p. 85; cf. Th. Aq., *Qu. De mal.*, q. 11, a. 3, p. 90.

160 Patet in apostolis, nam Iohannes Euangelista positus in feruenti oleo erat moriturus, sed tunc noluit dominus animam suam recipere, quia promiserat ei dicens Petro: *sic eum uolo manere*, scilicet: sine morte corporali, etcetera.

165 Item patet de sancto Andrea, qui biduo uiuens post corporis fustibus materationem predicabat in cruce. Hoc uidens proconsul a cruce precepit deponere, sed non potuerunt, quia non placuit domino. Sed uolentes eum a cruce tollere ministri non potuerunt illum tangere et dum fideles eum deponere uellent, orauit apostolus, ut Christus spiritum suum sumeret. Et sic cum splendore expirauit. Ecce qualiter hic non mortuus fuit ab inimico, sed assumptus fuit a Deo, etcetera.

170 Item patet de sancto Bartholomeo: «qui excoriatus post corporis fustibus macerationem in cruce populis excoriatus predicauit nec mori poterat, sed postea altera die sequenti, scilicet: octauo kalendas septembris, iussu regis deollatus fuit». Ecce quod excoriatus uiuere non poterat nisi Deo uolente. Et sic dum uoluit animam suam recepit.

Item patet de aliis, maxime de nostris patriensibus, ut de Laurentio et de Vincentio, qui non fuerunt mortui per inimicos Christi, sed dum Christus uoluit eos recipere. Nam Laurentius dum unum latus fuit assatus dixit: «uersa et manduca», etcetera.

175 Item Vincentius dum inimicus uolebat non fuit mortuus, sed quando nolebat, quia positus in lecto ut uiueret, tunc spiritum suum Christus accepit. Et sic patet per exempla infinita quod Deus dabat illis uirtutem ad certandum et immortalitatem ad uincendum. Et de his duobus dicit Deus, Apocalypsis secundo: *uinenti dabo edere de ligno uite*. Nam lignum et fructus huius habebant duo, ut dicit sanctus Thomas in prima parte, questione nonagesima septima, quarto, obiectione; et secundo Sententiarum, distinctione decima nona, quarto capitulo, primo fortificabat uirtutem et dabat edentibus immortalitatem. Et sicut Deus dederat illam uirtutem illi cibo, sic tunc dabat pugnantis pro fide, etcetera.

Quo ad tertium dicit ibidem, scilicet: Apocalypsis secundo: *uinenti dabo manna absconditum et non*, etcetera. Et sic patet conclusio.

185 Secundo, probatur auctoritate Augustini in multis locis, maxime scribens ad Bonifacium comitem dicens quod iustum est pugnare pro defensione persone proprie et proximi, etcetera. Sed pro defensione et tuitione ecclesie non solum est iustum, sed maxime meritorium. Quia sicut est graue peccatum contra ecclesiam et fidem catholicam uenire, sic meritum grande contra illos resistere.

190 Tertio, probatur exemplo tam in ueteri quam in nouo testamento. In ueteri patet per Apostolum ad Hebreos capitulo undecimo, ubi numerat omnes incipiendo ab Abel per Enoch, Noe, Abraham, etcetera, dicens: *omnes isti per fidem uicerunt regna, operati sunt*, etcetera. Item in nouo testamento patet per decem persecutiones ecclesie, incipiendo a Nerone, in quo fuit prima, usque ad tempora Constantini et Diocletiani et Maximiani, in quibus fuit ultima et crudelior persecutio ecclesie, que decem annis durauit et in uno mense uiginti milia martyres coronati fuerunt, sed per Constantinum reddita fuit pax ecclesie. Sic quod

---

159-160: Io. 21, 22. | 177: Apc. 2, 7. | 182-183: Apc. 2, 17. | 191: Hbr. 11, 33.

167-169: cf. Petr. Nat., *Cat. San.*, VII, 103, p. 403. | 173: cf. Bed., *Hom.*, XCI. PL 94, 493D. | 178: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 1), I<sup>a</sup>, q. 97, a. 4, pp. 691-692; *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 19, q. 1, a. 4, pp. 936-938. | 184: cf. Aug. Hipp., *Ep.*, CLXXXIX, 1. PL 33, 854Bsq.

162: Non] X nam. | 185: Defensione] M defesione. | 193: Diocletiani et Maximiani] M Diocletianum et Maximianum.



omnes qui contra ecclesiam et fidem catholicam pugnarunt mala morte diem clausurunt et Constantinus imperator pro sancto a grecis habitus fuit et ipsi festum eius celebrant secundo martii. Et sic patet quod in bello quod sit contra tyrannos aduersus ecclesiam et contra hereticos et cismaticos et ecclesie rebelles est uictoria excellentissima, de quo dicit  
 200 thema nostrum quod *hec est uictoria*, etcetera.

Ex quo sequitur quod bellum quod gerit christianissimus rex Hispaniarum Ferdinandus contra gallos est iustissimum et sanctissimum, quod patet sic: secundum doctores, ad iustum bellum tria requiruntur. Primum: principis auctoritas. Secundum: causa iusta. Tertium: intentio recta. Sed in isto bello concurrunt excellenter ista tria, igitur, etcetera.

205 Patet de primo, nam hoc bellum gerit non solum auctoritate principis, sed precepto ipsius principis et excellentissimi principis, scilicet: summi pontificis, ad quem spectat gubernatio totius uniuersi, maxime in his que concernunt fidem sanctam catholicam.

De secundo patet, scilicet: quod sit causa iusta, quia fit contra inobedientes, contra rebelles, contra errantes in fide et contra uolentes Christi tunicam scindere, que est ecclesia.  
 210 Et sic quod tortores noluerunt diuidere isti cismatici conantur diuidere.

De tertio patet, scilicet: de recta intentione serenissimi regis, nam ut dicit Augustinus in multis locis, bellum non debet fieri propter odium nec propter uindictam nec propter cupiditatem dominandi, sed solum propter pacem et ut mali coerceantur et boni subleuentur, sed omnia ista nunc concurrunt. Rex serenissimus Ferdinandus semper uoluit reges Francie habere in fratres. Patet de diuisione regni Neapolis et potioem partem alteri dedit et nomen regium sibi non retinuit.  
 215

Item patet in matrimonio regine facto.

Item patet in multis aliis que omittuntur pro nunc.

Item patet quod rex noster non bellat propter uindictam, quia semper alium superauit.  
 220 Et sic ipse non indiget uindicta, sed alter sic.

Item rex noster non bellat propter regnorum cupiditatem nec propter apetitum dominandi, nam plura regna habet quam gubernare possit et in tanto tempore regna infidelium Christo adquireret et quia hoc facere non potest sine pace christianitatis, quam rex Francie perturbat, ideo, etcetera, patet quod recta intentione hoc facit, unde Augustinus dicit ad Bonifacium comitem: «bellum geritur ut pax habeatur».  
 225

Igitur pugnemus uiriliter et non simus pigri nec negligentes, quia omnia tria necessaria concurrunt. Nam bellamus pro lege et fide et pro rege et pro tuitione personarum et bonorum nostrorum. Nam si princeps tyrannus potest subditos compellere ad pugnam, ut dicit Augustinus contra Manicheum dicens: «uir iustus si sub rege sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare», etcetera. Vnde potest esse iniustum bellum ex parte imperantis et iustum ex parte militis obedientis, unde Augustinus contra Manicheos dicit: «reum facit regere iniquitas imperantis, innocentem autem militem ordo seruiendi». Hec Alexander in Summa, tertia parte, questione tricesima prima, articulo secundo. Igitur si princeps tyrannus  
 230

---

200: I Io. 5, 4.

211: cf. Aug. Hipp., *Ep.*, CLXXXIX, 6. PL 33, 856A. | 225: Aug. Hipp., *Ep.*, CLXXXIX, 6. PL 33, 856A. | 229-230: Aug. Hipp., *Con. Fau. Man.*, XXII, 75. PL 42, 448B. | 231-232: Aug. Hipp., *Con. Fau. Man.*, XXII, 75. PL 42, 448C. | 232-233: cf. Alex. Hal., *S. Th.*, (vol. 4), lib. 3, par. 2, inq. 3, trac. 2, sect. 1, q. 2, tit. 2, p. 465.

Sermo CLIII

235 potest subditos ad pugnam compellere, multo magis rex christianissimus Ferdinandus  
precepto summi pontificis, etcetera.

240 Pugnemus igitur uiriliter contra hostes inuisibiles demonum, quia isti perturbant regem  
Francorum, ut cesset bellum motum contra agarenos. Item pugnemus contra hostes  
uisibiles. Item tertio contra peccata nostra, propter que ista a Deo permittuntur. Et sic  
faciendo, hic recipiemus gratiam et in futuro gloriam, quam nobis concedat, etcetera.  
Amen.

## SERMO CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS QVARTVS CORAM REGE FERDINANDO

<THEMA> *Iustitia et pax osculate sunt*, Psalmi octogesimo quarto.

Originaliter uerbum reperi quod assumpsi.

5 Sententia est beati Augustini exponentis uerba thematis dicens quod tanto est fraternitas  
inter iustitiam et pacem quod una sine altera manere non potest. Vnde doctores catholici  
dicunt quod iustitia se habet ut arbor, pax uero fructus eius. Et sicut perdita arbore,  
perditur etiam et fructus, sic perdita iustitia perditur et pax. Hoc autem potest demonstrari  
in omnibus creaturis, primo in natura angelica, que fuit creata in omni rectitudine iustitie.  
10 Cognoscebat enim quod iustum erat quod creatura esset subiecta creatori et si illud  
seruasset, non perdita fuisset pax inter angelos, sed Lucifer primus omnium angelorum  
uidens pulchritudinem suam estimauit non esse iustum quod creatura sic excellentissima  
subderetur Deo. Et sic cum *cauda subiectionis trabens tertiam partem* angelorum ad suam  
opinionem, Apocalypsis duodecimo, credens illud esse iustum, perdita fuit iustitia inter  
angelos et per consequens pax fructus eius. Et sic Michahel princeps credentium et primus  
15 inquisitor mundi habuit prelium cum eo, ut habetur supra Apocalypsim duodecimo, dicens:  
*factum est prelium in celo*, etcetera. Hoc idem patet in omnibus, quia Adam primus omnium  
creatus in iustitia originali, in qua si perseueraret, habuisset pacem continuo, sed perdita  
iustitia per peccatum immediate fuit perdita pax apud Deum, apud angelos et homines et  
finaliter apud omnes creaturas.

20 Primo, apud Deum, quia separatus ab eo.

Apud angelos, quia mox perdita iustitia affuit angelus cum gladio, ut impediret introitum  
paradisi.

25 Apud homines, quia duo primi filii Ade, unus interfecit alterum. Etiam inter omnia  
animalia, que obedirent pacifice homini, sed per peccatum eius omnia fuerunt rebellia. Et  
sic cum unguibus, dentibus uel ueneno fuerunt contra hominem. Ratio huius fuit quia cum  
aliquis rebellat apud aliquem principem, non solum princeps est ei inimicus, sed etiam tota  
familia domus. Sic in proposito, quia perdita iustitia hominis ad Deum perdita fuit pax Dei  
ad hominem et omnium creaturarum ad hominem. Et sic perdita arbore iustitie Ade fuit  
30 perdita iustitia pro toto mundo, de qua arbore habetur Hiezechielis decimo nono dicens  
quod arbor exaltata fuit in altum et palmites et fructus eius in magno decore. Dum autem  
considerauit altitudinem suam arbor illa, uenit ira Dei et combussit arborem et palmites et  
fructus eius. Hec autem arbor fuit Adam constitutus in maxima altitudine, et tres palmites  
eius implebant mundum, unus Asiam, alius Africam et alius Europam. Considerauit  
35 altitudinem suam per superbiam et sic incensa fuit et exsiccata arbor illa et fructus et  
palmites. Et sic non remansit arbor iustitie in mundo nec per consequens fructus eius,  
scilicet: pax. Sed Deus misericors nolens perdere mundum, sed saluare, fecit ut bonus  
hortolanus, qui si siccatur arbor in horto, accipit ramum alterius arboris et plantat eum in  
eodem loco. Sic fecit Deus misericors, sed uidens quod in mundo non erat arbor iustitie,  
40 accepit arborem diuinitatis, de qua habetur Danihelis quarto capitulo dicens quod: *uidit  
arborem cuius altitudo erat de terra ad celum empireum, rami eius implebant totum mundum, uidit omnes  
bestias infra arborem et omnia uolatilia in ramis illius arboris*, etcetera. Hec arbor erat diuinitas, que

2: Ps. 84, 11. | 12: Apc. 12, 4. | 16: Apc. 12, 7. | 29: cf. Ez. 19, 10. | 39-41: cf. Dn. 4, 17-18.

4: cf. Aug. Hipp., *En. In Psal.*, LXXXIV, 12, 11. PL 37, 1078BC. | 5-6: cf. Wal. Str., *Glo. Ord.*, Mt. 7, 17. PL 114, 110D-111A.

12: Trahens] M tradens.

implebat mundum totum, Hieremie uicesimo tertio: *celum et terram*, etcetera. Erat una sola arbor, quia unus solus Deus, habens tres ramos, qui sunt pater, filius et spiritus sanctus eiusdem nature, potentie et uirtutis, etcetera. Erant omnes bestie infra arborem, nam  
 45 omnes homines peccatores in isto mundo inferiori erant, quia: *homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis*, ut dicit Dauid in Psalmo quadragesimo octauo. Erant omnia uolatilia in seruitute arboris, scilicet: omnes angeli in celo, etcetera. Igitur misericors Deus uoluit plantare unum ramum ex his tribus loco Ade, ut esset arbor iustitie et iustificaret totum mundum. Et primo, antequam plantarentur duo rami, scilicet: pater et filius,  
 50 miserunt tertium ramum, scilicet: spiritum sanctum, ut prepararet terram in qua plantaretur et preparata esset digna ad recipiendum tam pretiosissimam arborem, ut erat filius Dei. Hec autem terra fuit beatissima uirgo Maria, de qua rex Dauid dicit in Psalmo octogesimo quarto: *benedixisti, domine, terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob*. Quasi dicat: dum uoluisti auertere captiuitatem Iacob.

60 Primo, *benedixisti terram tuam*, scilicet: uirginem gloriosam, et sic fuit preparata et uisitata per spiritum sanctum. Vnde rex Dauid in Psalmo sexagesimo quarto dixit: *uisitasti terram et inebriasti eam*, scilicet: aqua gratie spiritus sancti. Hoc autem fuit pacificando locum illum, quia ut dicit Augustinus in libro De Ciuitate Dei: «sicut spiritus humanus nunquam uiuificat membra nisi fuerint unita corpori, sic spiritus sanctus nunquam uiuificat membra ecclesie nisi fuerint in pace unita».

Hoc autem spiritus sanctus fecit in uirgine Maria, de quo habetur in Psalmo septuagesimo quinto, de quo dicit rex Dauid: *factus est in pace locus eius et habitatio eius in Sion*. Hoc autem quod fieret a spiritu sancto fuit figuratum Genesis octauo, dum post destructionem mundi missa fuit columba de arca et rediens portauit ramum oliue. Columba  
 65 significat spiritum sanctum, unde Matthei tertio, in baptismo Christi apparuit spiritus sanctus in columbe specie super eum, portauit ramum oliue, qui significauit pacem. Vnde pacificauerat mentem uirginis ad Deum et portionem inferiorem ad mentem et carnem ad animam, quia in illa carne nulla fuit rebellio. Et sic preparata et pacificata conclusit terram illam, ut esset clausa a uiro et a demone, de quo Canticorum quarto habetur: *hortus conclusus*  
 70 *et fons signatus, amica mea*, etcetera.

Ista autem preparatio principaliter facta fuit a spiritu sancto, sed aliquantulum a uirgine, ut patet in tertia parte, questione uicesima septima, articulo tertio ad tertium. Exemplum huius: quando aliqua matrona est apta ad faciendum aliquod pulmentum pro principe, illa est magistra principalis. Sed aliqua ancilla illico adiuuat in aliquo ad faciendum et ad  
 75 presentandum principi. Sic in proposito, uirgo pacificata illa carne presentauit se domino dicens: *ecce ancilla domini*, sed quia iustificatio mundi sperabatur a secundo ramo trinitatis, scilicet: filio Dei, dicendo: *fiat mihi secundum uerbum tuum. Iustitia de celo prospexit*, Psalmi octogesimo quarto.

Et sic ramus ille qui erat secunda in trinitate persona plantatus in utero uirginali factus  
 80 fuit Deus et homo, de quo in Psalmo primo, qui secundum doctores exponitur de Christo incarnato, dicitur: *beatus uir qui non abiit in consilio impiorum*, etcetera. Et infra dicit: *et erit tamquam lignum quod plantatur secus decursus aquarum*, etcetera. Et sicut in Adam perdita fuit iustitia et pax et gratia non solum personalis, sed pro toto mundo, et hoc factum fuit mediante Eua, sic in secunda arbore, scilicet: in Christo, recuperata fuit iustitia et pax et

42: Ier. 23, 24. | 45-46: Ps. 48, 21. | 53: Ps. 84, 2. | 55: Ps. 84, 2. | 56-57: Ps. 64, 10. | 62: Ps. 75, 3. | 63: cf. Gn. 8, 10. | 65: cf. Mt. 3, 16. | 69-70: Ct. 4, 12. | 76-77: cf. Lc. 1, 38. | 77: Ps. 84, 12. | 81-82: Ps. 1, 1-3.

58-60: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Serm. Ad Fr. In Er.*, II. PL 40, 1238C. | 72: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 27, a. 3 ad 3, p. 208.

85 gratia, non solum personalis, sed pro toto mundo mediante uirgine Maria. Vnde Augustinus in sermone dicit: «redditur femina pro femina, sapiens pro stulta, humilis pro superba».

Et sic, si per superbiam Eua perdidit et per humilitatem Maria recuperavit, si nos uolumus de illo fonte signato gratiam acquirere, debemus simili modo per humilitatem habere. Et sic prostremus genua ante pedes huius uirginis dicendo humili mente et pia: aue  
90 dulcissima Maria, etcetera.

<THEMA> *Iustitia et pax osculate sunt*, ubi supra.

Serenissime princeps, uerba thematis assumpta et coram maiestate uestra declaranda sunt uerba regis Daud in Psalmis et uersa de latino in lingua uulgari nostra ad propositum meum sonant quod iustitia et pax his diebus elapsis erunt in maxima tristitia. Sed nunc  
95 propter aduentum nouum uestre maiestatis fecerunt et habuerunt maximum gaudium, et sic osculate sunt. Et quia uideo quod maiestas uestra propter laborem itineris est aliquantulum fatigata, ideo in presenti sermone solam unam declarabo conclusionem, que talis est: quod uirtus iustitiae excellit omnes alias uirtutes quod probatur triplici ratione. Primo, ratione uniuersalitatis. Secundo, ratione necessitatis. Tertio, ratione potentialitatis.

100 Ratione uniuersalitatis patet sic: illa uirtus sine qua nulla alia uirtus potest esse excellit omnes alias, sed sine iustitia nulla uirtus alia esse potest, igitur, etcetera. Hoc autem probatur per Aristotelem quinto Ethicorum et per Tullium secundo De Officiis, qui dicunt quod: «iustitia est preclara uirtutum» et hec que illuminat et taxat omnes uirtutes, unde dicit diuitibus quid iustum est dare et retinere et temperatis quid iuste debent comedere et non  
105 comedere, et sic de aliis.

Secundo, hoc patet ratione necessitatis sic: illa uirtus que est necessaria in quolibet statu, sine qua nullus status posset permanere, excellit omnes alias sine quibus esse possunt, sed iustitia est huiusmodi, igitur, etcetera. Hoc autem patet quia cum tres sint status hominum, scilicet: monasticus, economicus et politicus, in quolibet istorum uirtus iustitiae est  
110 necessaria et non aliqua alia uirtus.

Patet in monastica, que est uita unius hominis separati ab aliis, unde eremita non posset sine iustitia uiuere.

Et si dicis quod iustitia sit dare unicuique quod suum est, iste cum solus sit, alteri non potest dare, igitur, etcetera. Dico quod iste debet dare Deo quod suum est et anime et corpori suo, quod suum est.  
115

Primo, igitur in media nocte surgit et dat Deo gloriam et honorem per matutinalem officium iuxta illud: *primum querite regnum Dei et iustitiam eius*, Matthei sexto.

Secundo, mane dat anime delectationem dicendo orationes deuotas uirgini et sanctis, ac si cum illis aperte loqueretur. Vnde dum oramus cum Deo loquimur, cum legimus ipse loquitur nobiscum.  
120

91: cf. Ps. 84, 11. | 117: Mt. 6, 33.

86: Augustinus] *Auctor err.* cf. Bern. Cl., *De Lau. Virg. Matr.*, II, 3. PL 183, 62D. | 103: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, V, 3, 29b28, pp. 454-455; cf. Cic., *De Off.*, II, 9, p. 66.

111: Monastica] M monastica.

Tertio, debet dare corpori quod suum est, scilicet: refectionem, quia si hoc non daret, non diu permaneret anima in corpore, et sic durat status suus dando iuste unicuique quod dare debet.

125 Secundo, patet hoc in uita economica, nam paterfamilias dum iuste tribuit seruatoribus que sua sunt et iuste maiora tribuit filiis et per consequens maiora uxori. Et sic hoc faciendo ordinate durat status ille, aliter sine iustitia non duraret, etcetera.

130 Tertio, patet hoc identiter ciues ut clare uidetur, etcetera, unde Augustinus in quarto De Ciuitate Dei, capitulo quarto dicit quod: «sine iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia?», etcetera. In quolibet istarum posset uiuere sine aliis uirtutibus, ut patet in omnibus uitiosis, qui etiam sine iustitia uiuere non possent. Vnde Augustinus De Ciuitate Dei dicit quod iustitia etiam est necessaria inter latrones, unde si unus illorum totam predam usurpare uellet, mox ab aliis interficeretur. Igitur opus quod iuste et equaliter inter eos diuidatur.

135 Tertio, patet hoc ratione potentialitatis, nam iustitia habet maiorem uirtutem et potentiam quam cetere uirtutes, unde officium uirtutis est ducere nos ad gloriam, sed officium iustitie non solum et hoc, sed etiam liberat hominem a pena. Exemplum habemus in Traiano Hispano imperatore, de quo dicit sanctus Thomas in primo Sententiarum et in quarto; et in Questionibus De Veritate quod fuit mediante Gregorio liberatus a penis inferni. Hoc autem fuit propter actus excellentes iustitie, quos in uita exercuerat propter  
140 quod Gregorius orando pro eo post trecentos annos liberauit a penis inferni, unde dicit Tullius in secundo De Officiis, capitulo quarto, quod iustitie splendor inter omnes uirtutes est maximus, quia ex sola iustitia boni uiri nominatur. Vnde in electione imperatorum usque ad Iustiniani tempora, dum electus erat imperator, dicebant romani: “Traiano sit melior”.

145 Hec autem conclusio potest etiam probari quod sit excellentior a posteriori sic: quia Christus dicit quod *arbor bona bonos fructus facit*, Matthei septimo, et per consequens excellentia arboris arguit excellentiam fructus et econtra, nam dicit Christus: *quia a fructibus eorum cognoscetis eos*. Igitur si fructus bonus est, ab optima arbore productus, pax qui est fructus iustitie est ab arbore optima productus.

150 Et sic patet quod iustitia est excellentior cunctis, quod autem pax sit optimus fructus. Hoc dicit Augustinus in De Ciuitate Dei dicens: «tale bonum est bonum pacis, ut rebus creatis nihil graciosus soleat audiri, nihil delectabilius concupisci et nihil utilius possideri». Hec ille. Et sic Christus hanc pacem in ore habuit dicendo: *pax uobis*, et christianis fidelibus in testamento reliquit dicendo: *pacem relinquo uobis*, etcetera.

155 Habemus igitur quod iustitia est excellentissima arborum, igitur debet in excellentissima terra plantari. Et sic Christus arbor iustitie totius mundi ascendens in celum relinquit illam plantatam in mentibus principum, scilicet: summi pontificis, imperatoris et regum, etcetera. Vnde ipsa uera sapientia, qui Christus est, dicit, Prouerbiorum octauo: *per me reges regnant et conditores legum iura discernunt*. Ex quo patet principes, licet apud mundum sint reges, apud  
160 Christum sunt uices regis gerentes. Patet etiam quod debent condere tales leges, ut iustitiam

---

146: Mt. 7, 17. | 147-148: cf. Mt. 7, 16. | 153: cf. Io. 20, 19. | 154: cf. Io. 14, 27. | 158-159: Prv. 8, 15.

128-129: Aug. Hipp., *De Ciu. Dei*, IV, 4. PL 41, 115A. | 130: cf. Aug. Hipp., *De Ciu. Dei*, XIX, 12, 1. PL 41, 638C. | 137-138: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 10), lib. 4, dist. 45, q. 2, a. 2, p. 312; *Qu. De. Ver.*, (vol. 1), q. 6, a. 6, p. 194. | 141: cf. Cic., *De Off.*, II, 9, p. 66. | 151-152: Aug. Hipp., *De Ciu. Dei*, XIX, 11. PL 41, 637C.

143: Traiano] M troiano.

exerceant rectam, unde Sapientie primo habetur: *diligite iustitiam qui indicatis terram*. Et sic licet reges debeant omnes uirtutes diligere, maxime iustitiam inter alias, ut reginam inter ceteras personas.

165 Si autem queris: in quo consistit hec iustitia? Respondeo, secundum Macrobius, quod in hoc si unicuique sua reddantur, et sic, secundum omnes doctores: «iustitia est dare unicuique quod suum est». Et sic princeps, cum sit medius inter Deum et populum, debet primo dare Deo quod suum est, unde dicit Tullius in secundo De Officiis, capitulo quarto, quod prima pars iustitiae est in Deum, ut que Dei sunt, Deo reddantur. Debent autem tria Deo dare, scilicet: fidelitatem, honorem et gratiarum actiones de beneficiis receptis.

170 Primo, fidelitatem quam promisit, non solum in baptismo, sed etiam in regni acceptione. Et sic debet esse christianissimus, ut omnia que ecclesia credit, firmissime credat, unde Aristoteles quinto Politicorum dicit quod: «princeps debet esse deicola», etcetera.

175 Secundo, debet honorem Dei seruare et defendere, qui honoratum ipsum super omnes fecit. Hoc autem in hoc regno Aragonie non uidemus, nam precipuum esset contra honorem regis, si uexillum regis Tunici in regno suo eleuaretur et in turribus nomen inimici regis aclamaretur, quod sit in hoc regno nostro Aragonie, in quo sunt mezquite sarracenorum in turribus quorum aclamatur, etcetera. Et quod non solum est contra honorem Dei et regis, sed etiam contra honorem regnicolarum, ut habetur in Clementina De Iudeis et Sarracenis, capitulo unico, ubi dicitur: «cedit quidem in offensam diuini nominis et oprobrium fidei christiane, quod in quibusdam mundi partibus principibus christianis subiectis», etcetera. Vbi dicit glosa quod hoc sit in Aragonia nominando regnum Aragonie solum inter omnia regna mundi, quod cedit in oprobrium et uerecundiam non solum regis, sed regnicolarum. Cum isti libri non solum sint in Grecia, Roma et Italia, sed etiam in Francia, Alemanie, Anglia et aliis partibus mundi. Et sic in omnibus partibus istis 185 crescit Aragonie uerecundia. Et propter hoc rex Iohannes Secundus gloriose memorie uestre celsitudinis pater anno domini mille quadringenti sexaginta uno precepit quod uiua uoce agareni non aclamaret nisi sono tube, et precepit quod omnes “çomas” de regno destruerentur et ipse personaliter affuit in ciuitate Cesaragustana ad principalem mezquitam et accepto ferro in manu primum ictum dedit. Et sic omnes destruere precepit. Sed hodie 190 nihil seruatur, quia iam uiua uoce honorem Christi blasphemant et uexillum Christi, quod est crux, in terram prostrant et mille uituperia illi prestant, ut nos inquisitores, per spontaneas confessiones illorum habemus. Item per serenissimam maiestatem uestram preceptum fuit quod agareni signati incederent, quod hodie iam non seruatur, immo causa huius mille abusiones inter christianos acrescunt in oprobrium Christi et fidei catholice, que 195 causa breuitatis hic non recitantur.

Tertio, debet de beneficiis receptis gratias dare Deo et considerare quanta recepit a Deo et maiora quam aliquis de populo, unde Gregorius dicit in homilia: «cum enim augentur dona, rationes donorum crescunt», etcetera. Hec autem considerabat rex Dauid uidens 200 quantam potentiam et honorem super alios dederat Deus illi, quia: *de post fetantes accepit eum*. Et sic considerabat quod ipse fuisset pastor ouium sicut fratres sui, si non fuisset a Deo assumptus, unde dicebat: *pater meus et mater mea dereliquerunt me, dominus autem assumpsit me*, Psalmi uicesimo sexto. Sic princeps debet considerare cum Iob dicens: *nudus egressus sum ex*

161: Sap. 1, 1. | 199: cf. Ps. 77, 70. | 201: Ps. 26, 10. | 202-203: Iob. 1, 21.

165-166: cf. Macr., *Comm. In Som. Sci.*, I, 10, 3, p. 42; cf. Ans., *Hom.*, VI. PL 158, 625B; cf. Bern. Cl., *In Adv. Dom.*, III, 4. PL 183, 45C. | 167: cf. Cic., *De Off.*, II, 9, p. 66. | 172: cf. Auctor Arist., *Pol.*, V, 99, 1314b38, p. 259. | 179-181: cf. Cle. V., *Decr.*, V, 2, 1, col. 1180. | 197-198: Gre. Mag., *Hom.*, IX, 1. PL 76, 1106A.

189: Ictum] M iactum. | 194: Et] X y.

205 *utero matris mee*, etcetera, Iob primo, et considerare quod fuisset aliquando contentus de uno comitatu aut ducatu. Ergo si Deus dedit ei non solum unum regnum sed multa, tunc debet dicere cum rege Daud: *quid retribuam domino pro omnibus que tribuit mihi?*, Psalmi centesimo decimo quinto. Si uellem ei reddere regnum, non opus est, quia: *ipse est rex regum et dominus dominantium*, Apocalypsis decimo nono. Si uoluerio dare ei aliquod bonum, non indiget, quia: *Deus meus es tu, bonorum meorum non eges*, Psalmi decimo quinto. Igitur debet dicere cum Daud: *calicem salutaris accipiam et nomen domini inuocabo*. Debet igitur calicem passionis Christi princeps accipere tripliciter.

215 Primo, per penitentiam, maxime circa defectus iustitie, quia ut quidam doctor dicit, in rege omnia peccata sunt uenialia preter defectum iustitie, tam omissionis quam comissionis. Non dico quod in eo peccatum gule, luxurie, etcetera, sint sic uenialia, quod non sint mortalia, sed sunt uenialia, id est, digna uenie, quia habet maiorem oportunitatem peccandi in illis quam ceteri homines. De iustitia uero econuerso, quia multi homines faciunt iustitiam propter inuidiam aut omittunt iustitiam non audendo propter timorem. In rege uero ista non sunt, quia non potest habere inuidiam, cum sit superior cunctis, quia ut dicit Iob capitulo quinto: *paruulum occidit inuidia*, cum uideat superiorem habere. Quod ipse habere non potest nec rex potest timere aliquem et sic nec dimittere iustitiam propter hoc.

220 Exemplum habemus in istis, nam sicut iudex particularis licet sit luxuriosus, gulosus, auarus et non propter hoc dicitur malus iudex, sed quando est delinquens in officio suo, tunc grauius punitur, sic est in rege uel principe, etcetera. Vnde Daud dicebat in Psalmo decimo octauo: *ab occultis meis munda me, domine*, scilicet: per omissionem, *et ab alienis parce seruo tuo*, scilicet: per comissionem quando per defectum iustitie aliqua mala perpetrantur.

225 Secundo, debet calicem accipere per communionem, quam debet reiterare plusquam ceteri homines, cum sit in maiori periculo.

230 Tertio, debet calicem passionis accipere propter regni protectionem, ad quam tenetur ad iustitiam, unde requiritur in principe, ut utilitatem rei publice preponat uite proprie, sicut fecerunt antiqui, ut ait Augustinus libro primo De Ciuitate Dei, capitulo duodecimo, et Tullius libro primo De Officiis, capitulo quarto, et Valerius libro septimo de Codoro regi Ateniensis, qui pro liberatione ciuitatis seipsum morti exposuit. Ideo Polycraticus libro quarto, capitulo quinto dicit: «attendant ergo qua necessitate strictus est ad faciendam iustitiam subditis, ut nisi propter illam princeps esse non mereretur». Si enim non esset opus iustitia nec opus esset principe, ideo dicit: *calicem salutaris accipiam*, etcetera. Dicit etiam: *et nomen domini inuocabo*, quia rex assidue debet in periculis, in necessitatibus, in tribulationibus nomen domini inuocare, et si aliquid promittit domini, reddere debet. Ideo subdit rex Daud: *uota mea domino reddam*, etcetera.

240 Vnde solum propositum regis est, ut uotum in ceteris cum cor regis sit in manu Dei, ideo citius inspirationem diuinam recepit quam ceteri homines, unde dicebat Daud: *prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, nec comouebam*, Psalmi decimo quinto. Ideo dicit Ambrosius ad Theodosium: «si uis diu regnare, esto Deo subditus».

205: Ps. 115, 12. | 206-207: Apc. 19, 16. | 208: Ps. 15, 2. | 209: Ps. 115, 13. | 218: Iob. 5, 2. | 223-224: Ps. 18, 13-14. | 234-237: Ps. 115, 13-18. | 240: Ps. 15, 8.

211: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 59, a. 4, p. 383. | 229: cf. Aug. Hipp., *De Civ. Dei*, I, 12. PL 41, 26D. | 230: cf. Cic., *De Off.*, I, 4, pp. 5-6; cf. Val. Max., *Fac. Et Dic. Memor.* (vol. 1), lib. 5, p. 351. | 232: cf. Io. Sar., *Poly.*, IV, 6. PL 199, 523BC. | 241-242: Ambr., *Ep.*, XX, 19. PL 16, 999C.

208: Decimo quinto] M, X centesimo quinquagesimo.



Secundo, debet rex ad populum tria.

245 Primo, facere populum fidelem et timentem Deum, maxime in peccatis enormibus, nam si dicit: iam sunt leges ecclesiastice ad hoc institute. Respondeo quod ipse sunt pro  
leuioribus et occultis peccatis auferendis. Sed ad peccata publica et grauiora non sufficit  
gladius spiritualis ecclesie, sed cum illo requiritur gladius secularis, unde tempore  
persecutionis passionis Christi dixit Christus, Luce uicesimo secundo: *qui non habet uendat*  
*tunicam et emat gladium*. Respondens Petrus dixit: *ecce duo gladii hic*. At ille dixit eis: *satis est*. et  
250 sic ad peccata grauissima extirpandum sunt necessarii duo gladii, scilicet: ecclesiasticus et  
secularis, ut tollant grauissima peccata, ut hereses, blasphemia, usuras, etcetera. Sed opus ut  
isti duo gladii sint uniti, sicut in forpice, ubi cum in uno clauo uniuntur qui significat  
intentionem rectam et charitatem Christi, in quo isti iudices debent uniri.

255 Secundo, debet rex dare populo tuitionem personarum et bonorum in domo sua, ne  
fiant homicidia, furta, etcetera, et hoc per iustitiam constituendo iudices rectos, non  
cupidos neque auaros, sed timentes Deum. Non autem sunt tales hodie in isto regno, sed  
sunt corrupti pecunia, non solum iudices, sed etiam testes et consiliarii, unde non est iustitia  
talis, sicut Christus habuit. Ideo Isaie undecimo habetur: *egredietur uirga de radice Iesse*. Et infra  
dicit: *erit iustitia cingulum lumborum eius*, quia sicut cingulum diuidit personam in duas partes  
260 equales, sic iustitia debet esse equalis tam magnis quam paruis, quia pars superior significat  
magnates, cum in illa sit caput, corpus, cor, etcetera. Pars inferior significat populares, in  
qua sunt pedes, tibia, etcetera. Et hodie non est talis iustitia in terra, causatur hoc quia  
cingulum Christi non habebat marsupium, ut hodie cingula habent, et magnates implent  
marsupium pecunie sobornando iudices, consiliarios, etcetera. Et sic cingulum dimittit  
265 partem superiorem liberam et cadit super pauperes, qui confidentes de iustitia sua nec  
uolunt nec possunt sobornari. Salus huius rei esset quod non solum recipiens  
sobornationem, sed etiam dans puniretur.

Tertio, debet rex populo, ut non solum in domo sua pacifice possideat bona sua, sed ut  
tueatur a rege tyranno si regnum uel ciuitatem inuadere uult bellando contra illum.

270 Et si forte dicis quod rex non debet curare de bello, sed de pace. Respondeo quod si pax  
potest haberi sine bello, uerum dicis, sed si aliter non potest habere bellandum est, unde  
Augustinus ad Bonifacium dicit: «non queretur pax, ut bellum exerceatur, sed bellum  
geritur ut pax adquiratur».

Tertio, debet populus regi dare tria.

275 Primo, homagium et fidelitatem, quia fidelitas non solum est in corde, sed etiam est cor  
principatus et monarchie. Et sicut dicunt medici propter paruam lesionem in corde moritur  
homo et perditur uita, sic propter paruam lesionem in fidelitate perditur dominium et status  
principis. Ideo nec facto nec uerbo nec gestu ueniendum est contra fidelitatem principis.

280 Secundo, populus debet obedientiam regi et officialibus suis, sine qua nihil boni potest  
esse in regno, unde beatus Petrus dicit in canonica prima capitulo secundo: *subiecti estote omni*  
*creature humane propter Deum siue regi quasi precellenti siue ducibus tamquam ab eo missis in uindictam*  
*malorum*. Sicut sine obedientia principis exercitus non potest preualere, sic sine obedientia  
populi ad regem nihil boni potest esse in regno. Debet etiam populus obedire principibus

248-249: Lc. 22, 36-38. | 258-259: Is. 11, 1-5. | 280-282: I Pt. 2, 13-14.

272-273: Aug. Hipp., *Ep.*, CLXXXIX, 6. *PL* 33, 856A.

277: Fidelitate] M fidelitate.

285 ab eo missis, quia rex cum sit unus homo, non potest simul et semel esse in diuersis locis, et sic opus quod potestatem suam diuidat in plures personas, ut prosit in pluribus locis, unde Christus dicit, Luce decimo: *qui uos audit me audit et qui uos spernit me spernit*. Et sic obedientia que prestatur principi prestatur et Christo et econuerso. Opus igitur quod obediatur gubernator principis, aliter iustitia non potest fieri nec aliquod bonum in regno.

290 Tertio, debet populus dare regi subuentionem ad regni tuitionem, unde dicit sanctus Thomas in libro De Regimine Principum ad regem Cipri, libro tertio, capitulo undecimo, quod potest accipere bona subditorum in duobus casibus.

Primo, propter delictum in populo uel in aliqua persona comissum, ut propter crimen uel delictum lese maiestatis aut heresis, etcetera.

295 Secundo, quando est necessitas propter tuitionem regni uel ciuitatis, et in tali casu, si petenti non datur, potest ipse uiolenter auferre. Nam aliquando propter proteruiam alicuius non concedentis perderetur regnum et destrueretur ciuitas. Et sic si graciose illi non conceditur, iustum est ut ipse auferat, ne maius malum sequatur. Et sic opus quod populus sponte regi subiiciatur et prompte a populo subueniatur.

300 Et sic serenissime princeps, si his diebus elapsis cum illa promptitudine qua decebat, hic populus non fuit obediens, supplico maiestatem uestram ut ei parcatur. Credebat enim quod non esset tanta necessitas sicut nunc ad oculum uidet, quia regia maiestas uestra fecit sicut pastor ille, de quo Christus dicit, Luce decimo quinto, qui cum haberet centum oues, dimisit nonaginta nouem et quesiiuit unam, que erat in perditione, etcetera. Vnde Aristoteles octauo Ethicorum dicit quod rex debet se habere ad suos subditos, sicut pastor ad oues. Sic 305 in proposito dimisistis omnia regna Castelle et uenistis ad querendum Aragoniam et attenda indispositione uestra et attenda breuitate temporis uestri aduentus clare cognoscunt necessitatem negotii, que in mente uestra secrete occultatur. Vnde quando populus uidet necessitatem iam est in perditione et sic omnes regnicole sunt hodie parati non solum obedire, sed seruire maiestati uestre. Solum hoc supplicant, ut postquam iustitia et pax in 310 uestra regali persona debent osculari, quod hoc fiat mediante misericordia.

Et si maiestas uestra dicit: “multum errauerunt in aliquibus uerbis incompositis et aliquialiter factis”, dico, serenissime princeps, quod multum errauit Paulus persequendo ecclesiam, qui dicit quod non est dignus uocari apostolus, sed postquam peccatum cognouit dicit: *miser cordia consecutus sum, quia ignorans feci*.

315 Et sicut: «proprium est Deo misereri et parcere», sic proprium debet esse maximo principi, qui stat loco Dei, et sic supplico humiliter maiestatem uestram quod sicut semper benigne et misericorditer regna ad seruitium Dei gubernauit, ita nunc errantes cum eadem clementia amplectetur.

320 Et sic faciendo, non solum longitudinem uite cum augmento gratie hic adipiscetur, sed in futuro in celis corone glorie coronabitur, quam nobis concedat ille filius Dei, etcetera. Amen.

---

286: Lc. 10, 16. | 302: cf. Lc. 15, 4. | 314: I Tim. 1, 13.

290: cf. Th. Aq., *De Regim.*, III, c. 11, p. 52. | 304: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, VIII, 13, 61a15, p. 315. | 315: cf. Th. Aq., *S. Tb.* (vol. 3), II<sup>a</sup>-II<sup>ae</sup>, q. 21, a. 2, p. 135.

SERMO CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS QVINTVS DE MORTE SERENISSIME REGINE  
HISPANIARVM QVE VOCABATVR DOMINA ISABELLA

<THEMA> *Astitit regina a dextris*, Psalmi quadragesimo quarto.

Originaliter uerbum reperi quod assumpsi.

5 Sententia est catholicorum doctorum quod dextera in sacra scriptura sumitur in bonum, sinistrum uero in malum. Et sic in iudicio, Matthei uicesimo quinto dicit quod *cum uenerit filius hominis*, etcetera, *tunc congregabuntur ante eum omnes gentes et separabuntur oves quidem a dextris, hedos autem a sinistris; oves humiles saluandi a dextris et dicet: "uenite"*, etcetera. Hedos qui  
10 superbi et indomiti dicit illis: *ite, maledicti*, etcetera. Item de Christo dicitur quod *assumptus est in celum et sedet a dextris*, quia secundum diuinitatem ad equalitatem patris, secundum humanitatem in potioribus bonis patris. Item de uirgine iterum dicit Dauid in Psalmo quod *astitit regina a dextris Dei*, scilicet: in potioribus bonis illius post Christum, nam bona secundum Thomam in Questionibus De Malo, questione prima, sunt in triplici differentia, scilicet: «bona nature, bona gratie et bona glorie». Virgo enim collocata fuit in potioribus  
15 omnium istorum.

Primo, in bonis nature tripliciter, scilicet: in bonis corporis, in bonis anime et in bonis coniunctim.

Primo modo in bonis corporis, ut est pulchritudo, nam fuit pulchrior cunctis mulieribus, quod patet tripliciter. Primo, ratione sue conditionis. Secundo, ratione mundi. Tertio,  
20 ratione sui filii.

Primo, ratione sui, quia nullum fuit impedimentum in matre Anna, nam cum esset sterilis et naturaliter concipere non posset, fuit a spiritu sancto supernaturaliter preparata, et cum ista preparatio facta fuisset a potentia infinita, per nullam potentiam figuratam potuit impediri. Et sic optimum effectum produxit, non quod non esset concepta naturaliter, sed  
25 preparatio fuit supernaturalis et conceptio naturalis. Exemplum: in ceco a Christo illuminato organum illud fuit miraculose preparatum, sed ille naturaliter uidebat et excellenter, quia nunquam uisum recepit. Et sicut panis a Christo miraculose multiplicatus naturaliter alebat et optimum saporem habuit, sic in proposito.

Sed forte dices: licet non fuit impeditum in potentia conceptiua Anne, potuit esse in materia. Dico quod non fuit, nam cum uirgo fuerit preseruata a spiritu sancto ab impedimento peccati, sic ab omni, quia illud erat maius et sic ex conditione sua fuit pulcherrima.  
30

Secundo, patet hoc ratione mundi, nam habere pulchritudinem erat gratia saltem gratis data maxime pertinens mulieribus. Igitur conueniens fuit quod uirgo non priuaretur illa, immo illi daretur plusquam aliis.  
35

Tertio, ratione filii, nam filii maxime assimilantur matribus, sed Christus sperabatur formosior et pulchrior ceteris hominibus, unde Psalmi quadragesimo quarto: *speciosus forma pre filiis hominum*. Igitur mater debuit illi communicare, sed: «nemo dat quod non habet», etcetera. Igitur, habetur intentum.

---

3: Ps. 44, 10. | 6-8: Mt. 25, 31. | 9: cf. Mt. 25, 41. | 9-10: Mc. 16, 19. | 12: Ps. 44, 10. | 37-38: Ps. 44, 3.

14: cf. Th. Aq., *Qu. De mal.*, q. 1, a. 4, p. 19. | 38: cf. Ius., *Dig.*, L, 17, 54, p. 922.

8: Sinistris] M senistris. | 17: Coniunctim] X coniuncti. | 27: Visum] M uitrum.

40 Sed contra: uirgo fuit electa ut non solum esset mediatrix ad tollendum omne peccatum  
 sed etiam scandalum peccati, sed pulchritudo est scandalum et occasio peccati, igitur illa  
 non debuit illam habere, unde Ecclesiastici nono: *uirginem ne conspicias ne forte scandalizeris in*  
*decore illius*. Dicendum quod uirgo non potuit esse causa peccati nec scandali, nam  
 45 pulchritudo illius tegebatur a spiritu sancto uel, ut dicit sanctus Thomas, radii egrediebantur  
 de facie sua. Et sic non solum pulchritudo illius iudicari non poterat, exemplum de sphaera  
 solis, sed etiam illi radii temperabant concupiscentia hominum illam inspicientium. Et sic  
 quando illa filium perdidit tempore passionis in ciuitate Hierosolymitana querebat si illum  
 uidissent et dicitur Canticorum quinto: *qualis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?*, ipsa  
 uero respondit: *dilectus meus candidus et rubicundus*, candidus ut Deus, rubicundus ut homo,  
 50 quia uiderat illum cruentatum ex flagellis et spinis, etcetera.

Secundo, patet hoc quo ad animam, quia habuit intellectum acutissimum, uoluntatem ad  
 bonum prontissimam, memoriam capacissimam, unde ait euangelista Lucas secundo  
 dicens: *Maria autem conseruabat omnia uerba hec conferens in corde suo*. Et sic anima Christi dicta et  
 facta memoriter retinebat, ut suo tempore apostolis explicaret. Et sic omnia euangelista  
 55 Lucas ab ipsa habuit, ut patet de angelica salutatione et de dictis ab angelo Gabriele,  
 etcetera.

Tertio, patet de hominis qui precedunt ab utroque, scilicet: a corpore et anima, ut est  
 complexio. Habuit enim optimam complexionem inter omnes preter Christi  
 complexionem, quod patet ex tribus.

60 Primo, quia erat sic disponenda quod esset idonea ad recipiendas uirtutes plusquam  
 aliqua pura creatura, sed complexio multum facit ad hoc, igitur, etcetera.

Secundo, patet hoc ex parte filii, quia ex matre colerica sepe filii colerici uel malenconici  
 ex malenconia generantur. Sed cum eius filius debuit perfectissimam complexionem habere  
 quod ex matre cum patre non habebat. Quia ut dant physici, si posset dari corpus  
 65 "heucraton", non esset nisi corpus Christi, igitur, etcetera.

Secundo, fuit uirgo collocata in potioribus bonis gratie, quia omnes gratie gratis date  
 fuerunt illi collate. Item gratia gratum faciens abundans pro persona propria. Item quod  
 dispensaret omnes gratias mundo, ut dicit Bernardus.

Tertio, fuit collocata in potioribus bonis glorie.

70 Primo, nam habuit altissimum gradum glorie post animam Christi.

Secundo, fuit coronata triplici corona, de qua alias fuit dictum.

Tertio, intronizata in loco supereminente, scilicet: super choros omnium angelorum  
 statuit eam et illic stat.

Si forte dicis: non esset maior dignitas quod sederet quam quod staret? scilicet: recte.  
 75 Dicendum quod non conuenit uirgini sedere sed stare propter tria.

Primo, ut ostendatur quod erat pura creatura et non erat ad Dei equalitatem.

---

42-43: Sir. 9, 5. | 48-49: Ct. 5, 9. | 53: Lc. 2, 51.

44: cf. Th. Aq., *S. Th.* (vol. 4), III<sup>a</sup>, q. 44, a. 3 ad 1, p. 338; *Sup. Mt.*, I, 6, p. 23. | 68: Bernardus] *NI*.

55: Gabriele] *M* Gabriele. | 68: Dispensaret] *M* despensaret.

Secundo, ut ostenderetur quod non erat assumpta in unitate suppositi ut homo Christus, unde in Psalmo sexagesimo quarto: *beatus quem elegisti et assumpsisti, habitabit in atriis tuis*. Glosa ordinaria Augustini dicit sic: «beatus homo quem tu elegisti, id est, quo indutus es in tempore, qui eras in principio uerbum», et assumpsisti in unitate persone et ipsius hominis tibi naturam uniendo nunc persona, *et per eum replebimur in bonis gratiarum domus Ierusalem, hec ille, sed templum tuum*, scilicet: uirgo sacratissima, *est sanctum et mirabile*, non sicut natura assumpta et unita, sed quasi medium inter nos et te, etcetera. Et sic uirgo stat et non sedet.

Tertio, ut ostendatur quod est ministra Dei et ministerium angelis et hominibus, unde dicitur: *in habitatione sancta coram ipso ministravi*. Ideo illuminat angelos accipiendo a domino reuelationes et impetrat hominibus gratiam, unde Stephanus: *uidit Iesum stantem*, quia: «stare auxiliantis est», ut dicit glosa.

Et sic uirgo noluit sedere nec a filio separari, sed ut promptius impetret nobis gratiam: *astitit regina a dextris*. Ideo in principio sermonis presentemus ei angelicam, etcetera.

90 <THEMA> *Astitit regina a dextris*, ubi supra.

Tres ciuitates habet omnipotens Deus.

Prima est celorum que figurata fuit per Ierusalem, ideo dicit Apostolus Ad Galatas quarto que *autem sursum est Ierusalem libera est*.

Secunda est ciuitas in centro terre que figuratur per Babiloniam, de qua Apocalypsis decimo octauo: *ue, ue, ue, ciuitas magna Babilonia*.

Tertia est huius mundi, de qua Hebreos decimo tertio: *non habemus hic ciuitatem manentem*, etcetera.

Secundum, quod iste ciuitates differunt loco et habitatoribus, sic Deus in illis dedit diuersa statuta et diuersas leges, nam in suprema ciuitate celorum nulla est tristitia nec dolor nec mors, unde Apocalypsis uicesimo: *in his non habet potestatem*. Ratio huius est quia semper habent Christum qui est uita, ut ipse dicit, et sic Dauid in Psalmo tricesimo quinto: *apud te est fons uite*, etcetera.

In secunda posuit statum quod in illa semper esset uita et mors, scilicet: uita naturalis et mors infernalis, unde Apocalypsis nono habetur de habitantibus in illa quod desiderabant *mortem et fugiet ab eis*. Vnde erunt sicut herba prati, que semper uiuit et semper consumitur. Ideo Psalmi quadragesimo octauo: *sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos*.

In tertia posuit statutum quod omnes habitantes in hac semel moriantur, de quo loquitur Apostolus ad Hebreos nono: *statutum est hominibus semel mori* siue sit papa siue imperator et imperatrix siue rex uel regina, etcetera. Semel debent mori quia nulli parcat mors, et sic dicit Apostolus: *statutum est hominibus semel mori et post hoc iudicium* uniuersale, quando omnes morientur. Et sic dicunt doctores quod duplex est iudicium, scilicet: uniuersale, de quo habetur Danihel septimo: *iudicium sedit et libri aperti sunt*, etcetera; aliud particulare, de quo habetur Isaie tertio: *stat ad iudicium dominus*, etcetera. Nam prima erit ut sunt curie uniuersales sic dicitur fieri sedendo, etcetera, aliud ut iudicium sumarium, et sic stando.

78: Ps. 64, 5. | 81-82: Ps. 64, 5-6. | 85: cf. Sir. 24, 14. | 86: cf. Act. 7, 55. | 89-90: Ps. 44, 10. | 93: Gal. 4, 26. | 95: Apc. 18, 19. | 96: Hbr. 13, 14. | 100: Apc. 20, 6. | 101-102: Ps. 35, 10. | 105: Apc. 9, 6. | 106: Ps. 48, 15. | 108: Hbr. 9, 27. | 110: Hbr. 9, 27. | 112: Dn. 7, 10. | 113: Is. 3, 13.

79-80: Aug. Hipp., *En. in Psal.*, LXIV, 7. PL 36, 778D. | 86-87: cf. Hild. Cen., *Serm.*, LXXXIX. PL 171, 721B.

115 Nam qualibet die, secundum nostrum modum intellegendi, ueniunt coram iudice Christo omnes anime que a corporibus exierunt illa die, et presentantur cum angelo custode et demone acusatore, nam ut dicit Thomas in secundo, distinctione undecima, questione secunda, articulo quinto, contestatione: «cuilibet homini datur unus angelus bonus ad custodiam et alter angelus malus» ad exercitium, et unum illorum acusat, alter excusat. Et sic anime absolute ponuntur ad dexteram, anime damnande ad sinistram, purgande autem per sententiam interlocutoriam mittuntur ad purgatorium.

125 Et sic anno Christi mille quingenti quattuor, die uicesima sexta mensis nouembris, inter multas animas que ante iudiciem Christum conuenerant per Michahalem principem, adducta fuit anima serenissime regina Hispaniarum que dicebatur Isabella. Et cum coram iudice compararet, demon affuit et acusauit illam inter cetera de tribus. Primo de superbia. Secundo de crudelitate. Tertio de irreligione.

130 Et primo dicit demon: “iuste iudex, hec anima est mea et nil habet in ea maiestas uestra, nam cum uos sitis princeps et magister humilitatis et dixistis: *discite a me, quia mitis sum et humilis corde*. Solum humiles sunt discipuli uestri et cum ego sum princeps superbie omnes sequentes illam sunt mee dominationis et regni. Sed cum hec fuerit superbissima, nam uidebatur leena et nullus audebat non solum loqui secum, sed nec illam in faciem aspicere. Igitur precipiat et pronuntiet dominatio uestra, ut sit mee iurisdictionis”.

135 Tunc dixit Christus: “audiamus aliam partem”, et sic surrexit angelus custos qui erat ad ipsius latus et dixit: “iuste iudex, iste errat, non enim erat superbia huius regine, sed auctoritas et dignitas regia. Nam, si hoc non fecisset, uilipenderetur dominatio et principatus eius et si in illo incideret, peccaret. Nam grauitas dignitatis requiritur in quocumque regimine, quia: «nimia familiaritas parit contemptum», etcetera. Sed hec regina in secreto orabat in nocte licet officium suum dixisse, deuotas orationes ad Deum mittebat flexis genibus cognoscens se esse puluerem ante Deum. Et sic patet quod ista esset Deo humilima licet populo propter grauitatem appareret superba”.

145 Sed uidens demon quod in isto esset uictus, acussat illam de crudelitate et dicit: “iuste iudex, si isto capite non est mea, saltem est mea ex crudelitate, nam ista aliquo modo saluari non potest, nam omnes qui saluantur aut saluantur ex iustitia aut ex misericordia iusti aut ex iustitia peccatores ex misericordia. Sed hec nec misericordiam seruauit nec iustitiam, nam credulitas est contra iustitiam et contra misericordiam, igitur, etcetera. Quod autem fuerit crudelis patet nam multe insolite sententie fuerunt late suo tempore, que nunquam antea leguntur ut mortes exquisite et mutilationes membrorum. Sunt enim milia qui carent una manu propter aliquod leue delictum, etcetera, igitur, etcetera”.

150 Tunc surrexit angelus custos dicens quod ista que fecit non fuerunt ex crudelitate sed ex mera iustitia, nam dominus rex et ipsa regina inuenerunt regna confusa et non solum sine iustitia, sed nec umbra iustitie erat in illis. Igitur ad inueniendum medium iustitie oportuit quod sicciam iustitiam facerent ut ad medium iustitie uenirent, nam dicit Aristoteles in libro Ethicorum, quod medium uirtutis est inquirendum, quemadmodum qui rectificat ligna, nam dum aliquo modo transit a medio et postea remanet in medio. Et sic fecerunt isti domini reges. Quod autem seruauerit iustitia et misericordia patet, nam in die ueneris, quando dominus suus rex audiebat publice pauperes, ipsa etiam petitiones et supplicationes

---

128-129: cf. Mt. 11, 29.

118-119: cf. Th. Aq., *Sup. Sent.* (vol. 3), lib. 2, dist. 11, q. 2, a. 5, p. 562. | 137: cf. Pseu. Bed., *Sent. Phil. Ex Arist. Coll.*, I, N. PL 90, 1022D. | 152: cf. Arist. Lat., *Eth. Nic.*, II, 6, 07a3, p. 14.

122: *Ante uicesima M omm. die.* | 141: *Crudelitate] M, X credulitate.* | 147: *Milia] M decem milia.*

160 pauperum que per hebdomadam illi date fuerant prouidebat, et illas que misericorditer petebant elemosynam elemosynario comendabat secundum id quod ipsa prouiderat esse implendas. Illas uero que iustitiam petebant, ad consilia mittebat ut sic expedirentur quod de cetero coram ipsa non uenirent. Et sic non crudelitatem sed iustitiam et misericordiam sequebatur.

Tertio, acusauit demon illam de irreligione, scilicet: quod non solum ipsa non erat religiosa, sed etiam prosecuta fuerat religiones et destruxerat illas, sed cum precipuum quod est in ecclesia Dei, sint religiones dicit: “sequitur quod debet esse mea”.

165 Ad hoc tertium respondit angelus custos dicens quod totum oppositum erat, nam ipsa fuerat multum religiosa in se, nam quis religiosus uel religiosa tantam castitatem et honestitatem seruauit? Quod cum haberet hec multos emulos, non permisit Deus quod de ea in honestate aliquod sinistrum dicerent uel suspicarentur, quia in se fuit honestissima. Habuit etiam magnam obedientiam confessoribus suis, querebat confessores optimos de  
170 partibus mundi, frequentabat confessiones et communiones plusquam facerent optimi religiosi uel religiose, nunquam dimisit missam audire in festiuitatibus et solemnitatibus solemiter et pausatim illas et omnes horas cantare faciebat, et certe uidi quadam die, dum eram Barchinone quod quia capellani de capilla sua missam non pausati dicerent in octauis corporis Christi, precepit, me presente, aliam missam cantare pausatim. In octauis  
175 solemnibus omnes horas solemniter audiebat, etcetera. Et non solum fuit in se religiosa, sed multas domos religionis edificauit et fundauit tam in regnis Castelle quod in regno Granate, etcetera. Multas insuper ecclesias dotauit in prebendis in ornamentis, etcetera. Sed credens quod obseruantia saluabatur tota religio, laborauit ut claustrales fierent obseruantes et hoc sancta et sincera intentione consilio personarum religiosarum quibus in tali casu credere tenebatur. Videbat religiones prostratas et perditas in moribus et uita, et sic ex parte  
180 sua non fuit defectus, nam sicut prelium consilio militum debet fieri, sic religio consilio religiosarum personarum debet reformari. Si in ministris fuit aliquis defectus, nunquam tamen in sua intentione errauit, et sic aliorum defectus si fuit, ei non debet imputari.

185 Sed dum Christus uerus iudex propter alias ignorantias uel defectus per obliuionem dimissos uellet ad purgatorium per aliquot dies uel saltem horas pronuntiare, uirgo Maria que erat ad latus ipsum humiliter supplicauit propter deuotionem quam erga ipsam habuit, dicens: “o dulcissime filii, labores quos sustinuit in regnorum gubernatione et labores preliorum contra paganos et labores infirmitatum acceptet dominatio uestra pro purgatorio”. Tunc Christus dixit quod preponderabat supplicatio matris quam meritum eius  
190 et dixit Christus quod uolebat illam audire et ut daret rationem de talentis acceptis.

Volens autem regina loqui, cepit cum uoce tremula dicere illud quod rex Dauid dixerat in Psalmo uicesimo quarto: *delicta iuuentutis mee et ignorantias ne memineris, domine; ab occultis meis munda me domine et ab alienis parce ancille tue*. Dum autem angelus custos uideret ipsam titubantem coram tanto iudice dixit: “o bone iudex, habeo ego rationem administratorum  
195 ab ea, maiestas uestra dedit huic regine in dominum et maritum dominum Ferdinandum, et cum esset minimus rex et ipsa in statu minima, fecit illos maximos ut negotia maxima implerent. Factus fuit ipse rex Hispaniarum cum ante esset rex Sicilie, et sic fuit leo qui est inter omnia animalia maximus, ipsa uero aquila regina que est omnium auium regina et domina. Dedit mihi (dicit angelus) dominatio uestra undecim saggitas, ut illis mediantibus  
200 totam Hispaniam subiugarent et dirigerent. Hec uero regina illas direxit et alis de penulis suis ornauit, quia in longinquum uolare debebant, sed quia sine ferro sagitta in longum ire

---

192-193: Ps. 24, 7. | cf. Ps. 18, 13-14.

173: Capilla] M capalla.

nec directe potest, dominus rex in illis ferrum posuit et etiam cum duabus alis ferri illas ornauit, quia sine ferro non essent acute ad regna tuendum et inimicos dissipandum, unde aiebat ille rex Dauid de istis, Psalmi quadragesimo quarto in quo de hac regina (ut dicit 205 thema) loquebatur: *sagitte tue acute, populi sub te cadent*, etcetera.

Sed hec regina uirtute principali regis sic dispensauit.

Nam primam sagittam iecit contra latrones istorum regnorum, quia nullus erat qui esset dominus suorum bonorum. Missa illa sagitta quilibet fuit dominus suorum.

210 Secundam sagittam misit contra homicidas istorum regnorum, nam interficiebantur non solum in itineribus sed etiam in ciuitatibus per partialitates, etcetera, sed missa ista sagitta omnia fuerunt in tranquillitate et pace.

Tertiam sagittam misit contra tyrannos castrorum et uillarum, qui usurpauerant bona et hereditatem regiam.

215 Quartam misit contra religiosos et religiosas, ut sanctimoniam conseruarent et religionem ampliarent.

Quintam contra detentores regnorum ut in Neapoli, etcetera.

Sextam contra de nouo uolentes usurpare ut patet in Salsis, etcetera.

220 Septima misit contra hereticos, nam erat multum zelatrix fidei catholice, fauebat enim omnibus inquisitoribus, in tantum quod cum Ceseraguste per hereticos interfectus fuisset pro fide Christi beatus Petrus Arbues, istius ciuitatis inquisitor, et uidetur quod non in decenti loco esset sepultus, magnis et propriis expensis illi sepulturam fieri fecit in medio ecclesie huius.

225 Octauam misit contra regnum Granate quia uidebat in illo infideles multos christianos captiuasse, et etiam quod peius erat fidem Christi abnegasse. Et sic per dominum Ferdinandum cum maximo labore et angustia in campo et per ipsam reginam non cum minori labore debellatam cum auxilio Christi ad cognitionem fidei catholice fuisse conuersam.

230 Nonam sagittam misit contra iudeos totius Hispanie, nam cum uiderent domini reges quod isti deprauabant fidem Christi et fomentum prestabant legi mosaice, a tota Hispania illos expulerunt.

235 Decima sagitta missa fuit contra omnes agarenos regnorum Castelle, nam cum uiderent quod secta Machometica pululabat in Hispania in magnum detrimentum fidei catholice, postquam nomen iudeorum uel Mosi non inuocabatur nec nominabatur in Hispania saltem in suis regnis, uoluit ut etiam nomen Machometi non inuocaretur nec nominaretur. Et sic omnes agarenos de suis regnis expulit, ut solum nomen uestrum inuocaretur.

Tunc uedens ista uerus iudex dixit: «ueni electa mea, ueni amica mea, ueni sponsa mea». Electa es quia ad ista magna negotia te simul cum domino tuo rege elegi; amica quia

---

205: Ps. 44, 6.

236-237: cf. Pseu. Aug. Hipp., *Med.*, XXIII. PL 40, 918C.

207: Iecit] M, X Iacuit. | 221: Decenti] X dicenti.



240 uoluntatem meam propter meum amorem fecisti; sponsa quia mediante gloria mihi coniuncta eris". Et precepto et uoluntate iudicis, Michahel ex uno latere et angelus custos ex alio ad Christum ipsam duxerunt, et osculatis pedibus eius exierunt duo chori, unus coniugatarum cum Isabella, alius uirginum cum undecim milibus et in medio illam acceperunt et cum electis ad dexteram collocarunt. Ideo dicitur in themate quod: *astitit regina*, scilicet: Isabella, ad dexteram quo ad partem primam et collocata fuit in illa suprema gloria quam nobis concedat, etcetera. Amen.

---

242-243: cf. Ps. 44, 10.

## Explicit

<EXPLICIT> Deo gratias.

5 Hi sunt sermones dominicales, hyemales estiualesque de tempore et sanctis. Admodum reuerendi in Christo patris et domini, domini Martini Garsie, Dei et apostolice sedis gratia Barchinonensis episcopi, canonici ecclesie Cesaragustane inquisitorisque heretice et apostatice prauitatis regni Aragonum ac sacre theologie magistri, quos nobis diligentissima lima castigatos reliquit. Gratiarum igitur actiones ab uno quoque disciplinarum amatore merito quidem suscipiat, cum sane laboribus improbis minime parcens studiosorum comoditatem adauxerit.

10 Impressi Cesaraguste per Georgium Coci, uirum huius artis solertissimum, qui ne eorundem stilum aliquantis per uariaret aut quicquam ab exemplari uel alienum uel discrepans inter imprimendum fieret. Sed enim prout acceperat ita summa cura atque diligentia nisus, reddidit excussos.

Anno nostre salutis uicesimo supra millesimum quingentesimum, decimo septimo kalendas aprilis.

---

13-14: *Post excussos X omm. Anno [...] aprilis. | Quingentesimum] M quinquagesimum, X omm.*

## **4. Anexos**

## 4. Anexos

La *editio princeps* de los *Sermones* del año 1520 (así como la posterior reimpresión sin fecha) consta de un prefacio de Agustín Oliván, a la sazón canónigo de la Seo de Zaragoza, así como de dos *tabulae* o índices. Pese a no formar parte *stricto sensu* del texto de los *Sermones*, consideramos que los tres apartados poseen cierto valor y ayudan a la percepción del texto como unidad, tal y como fue concebido por su primer editor. Presentamos aquí una transcripción fiel de los textos, basándonos en M, pero sin realizar un estudio crítico en profundidad.

### 4.1 Prefacio a la edición de 1520

AVGVSTINVS OLIVANVS ECCLESIE CĒSARAVGVSTANE CANONICVS ET SACRĒ THEOLOGIE PROFESSOR STUDIO SIS ET HVIVS OPERIS LECTORIBVS SALVTEM.

Cum legissem nuper sermones quosdam magistri Martini Garcie Barchinonensis episcopus, eius magna doctrina et rerum uarietate maxime delectatus et gaudio affectus, cum eo sepius egi ut thesauros suos et magnas ingentii diuitias laborumque fructus et prouentus non absconditos haberet. Sed potius ad communem utilitatem et eruditionem eorum, qui rebus honestis et bonis artibus incumbunt in lucem proferret, qui cum mihi uir modestus sepe ac sepius denegasset. Tandem meis et aliquorum precibus et efflagitationibus commotus impressoribus cudendos concessit. Pro quibus magnas ei gratias egimus, quas non minores acturos, omnes qui per utiles et sanctas eius conciones legent non dubitamus. Quamobrem quales sint sermones eius (quoniam uenturi sunt in publicum) dicere non necesse habeo. Dicam igitur breuiter de rebus quas ab adolescentia uel in studiis uel in ecclesiarum administrationibus et publicis officiis diligentissime ac feruentissime gessit. Vt qui sermones eius et opera dignissima legerint quantum uirtus possit et quo studiosos homines perducat cognoscentes eum imitari diligentissime studeant. Martinus itaque Garcias presul Barchinonensis in Caspe oppido natus a teneris annis natura duce et parentum diligentia litteris et preclaris artibus incubuit. In quibus adultus et informatus Bononiam se contulit, unde magistri in sacris litteris titulis insignitus et fama uiri doctissimi decoratus Cesaraugustam uenit, ubi canonicus cathedralis ecclesie fuit electus. In qua cum aliquandiu concionatus esset, omnium sacerdotum canonicorum specimen habitus est et ab omnibus et sacerdotibus et equitibus maxime ueneratus. Quem rex Ferdinandus et Hisabella regina propter eius feruorem erga christianam religionem et catholicam fidem inquisitorem heretice prauitatis esse uoluerunt in Aragonie regno. Et archidiaconatu Darocensi dignum putauerunt. Cuius redditus et prouentus maiorem partem tribuebat Hospitali Maiori Cesarauguste. Qui cum esset honestissime uite rogatus a rege et regina preffatis omnium monialium domos et ordinem beneuiuendi sanctissimum et honestissimum reformauit. Qua propter eum rex Ferdinandus ad episcopatum Barchinonensem sepe recusantem nominauit. Cuius ecclesie dignitatem salutiferis preceptis sapientissimis consiliis et sanctissimis concionibus (quas pro christiane religionis zelo, et amore contra iudeos et mauros habuit) illustrauit. Quorum quotidie multos ad catholicam fidem uerissima et efficacissima ueritatis probatione conuertebat. Que quidem omnia continentur in sermonibus eius, qui ad eruditionem et utilitatem atque salutem christianorum iam circumferuntur et uenundantur.

## 4.2 *Tabula prima*

TABVLA PRIMA OMNES SERMONVM TITVLOS CONTINENS ET QVO VNVSQVISQVE SERMONVM FOLIO CONTINETVR INDICANS.

- Primus sermo quod lex Moysi sola non sit seruanda. Folium .I.  
Secundus quod lex Moysi cum lege Christi non sit seruanda. Folium .III.  
Tertius probatur messiam uenisse ex prophetia Iacob. Folium .IIII.  
Quartus probatur messiam per statuam<sup>1</sup> Danielis. Folium .VII.  
Quintus probatur messiam uenisse per tres patriarchas: Adam, Noe et Abraham. Folium .VIII.  
Sextus probatur messiam uenisse per undecim patriarchas. Folium .XI.  
Septimus probatur messiam uenisse per quattuordecim reges. Folium .XII.  
Octauus probatur messiam uenisse per defectum templi iudeorum. Folium .XV.  
Nonus probatur messiam uenisse per templi defectum. Folium .XVII.  
Decimus probatur messiam uenisse et esse Christum per defectum sacerdotii. Folium .XX.  
Vndecimus probatur messiam uenisse per sacerdotii cessationem. Folium .XXII.  
Duodecimus de assumptione probatur messiam uenisse per matris assumptionem. Folium .XXV.  
Tredecimus dominica infra octauas assumptionis, in quo idem probatur. Folium .XXVII.  
Decimus quartus probatur quod nec dies sabbati nec ueneris sit seruanda. Folium .XXX.  
Decimus quintus probatur quod nullum pascha sit seruandum preter christianorum. Folium .XXXIII.  
Decimus sextus probatur quod nullum festum sit seruandum preter christianorum. Folium .XXXVI.  
Decimus septimus probatur messiam esse Deum et hominem. Folium .XXXIX.  
Decimus octauus in die captionis Granate, in quo idem probatur. Folium .XLII.  
Decimus nonus probatur idem. Folium .XLVIII.  
Vicesimus probatur<sup>2</sup> idem. Folium .XLVII.  
Vicesimus primus probatur idem in secunda die resurrectionis. Folium .XLIX.  
Vicesimus secundus probatur idem in expulsionem iudeorum a tota Hispania. Folium .LII.  
